

29

SI-2


2a 7

23.



2 400 40

Stella




Biblioteca Municipal
 GRANADA
 A
 172
 1911
 166

del collegio de la compania de Jhesu ^{R. 4060} de granada ^{B. R.}

COMMENTARIUS IN SACRUM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI EVANGELIUM secundum Matthæum.

A D. IOANNE SOAREZ
EPISCOPO CONIMBRICENSI,
& Arganisi Comite, editus.

Cum Indice omnium rerum locupletissimo.
CUM PRIVILEGIO.



VENETIIS,
Ex officina Iordani Ziletti. M D LXX.



CLARISSIMO VIRO

D. THEODORO QVALEAE

MANTVANO GENERALI VICARIO

dignissimo Augustinianæ congrega-
tionis totius Lon-
gobardiæ,

IORDANVS ZILLETVS

S. P. D.



SEMPER optavi ali-
quam mihi dari faculta-
tem, ut optimum ani-
mum erga te meum tibi
demonstrare possem, sum-
maq; diligentia semper
studui, ne, tuorum beneficiorum, qua cer-
te maxima erga me extiterunt, me obli-
tum putares. Quod est enim amoris & hu-
manitatis officium, quo, pro tua singulari

* 2 beni-

benignitate non cumulatisime in me usus fueris? Tanta est tua probitas, tanta animi tui dotes, tanta ingenij praestantia, ut omnes in admirationem tui facile conuerteris. Inde uero effectum est, ut cum adhuc esses iuuenis, Vicarius generalis totius tui ordinis creatus fueris, in quo magistratu tanta prudentia, tantaque animi moderatione usus fuisti, ut, sicuti solent uiri boni, plus cateris, quam tibi ipsi placere & prodesse studueris: quare una omnium uoce sapius in eandem dignitatem es assumptus, qua nunc etiam perfunderis cum summa omnium bonorum latitia. Tantam uero per summam animi tui moderationem apud omnes existimationem es consecutus, ut facile illorum nomen omnium, qui ante te habebatur illustres, obscuraris ac penè extinxeris. Nam cum una sit ratio, unumque probitatis omnis fundamentum, ut pluri- mi fiant uiri boni, mali contemnantur, uel etiam patiantur supplicia; tu ita comple-

xiii

xus es utranque partem, te ut non mediocriter ament boni, mali uereantur & obseruent. Neque cum tantus existas in publicis, minor es in priuatis rebus gubernandis: nam in conseruandis amicitijs prudentissimus semper extitisti, in perferendis a quo animo fortuna uicissitudinibus, sapientissimus, constantissimus in amicis fortuna iniurijs oppressis subleuandis. Neque soles, ut caterorum plerique, cum fortuna parum benigna aspirarit ueteres amicitias relinquere, aut amicos inter grauissimas miseriarum undas deserere: Cuiusce rei optimum habeo testem uirum integerrimum Michaelem Aurelianum: quippe cum tu à me petiueris, ut tuis sumptibus eum in sua calamitate pro uiribus subleuarem. His ego tot rationibus commotus, tot animi tui dotibus, tua orationis grauitate, suauitate, dicendi copia, elegantiaque compulsus sum, ut semper te summopere colerem & obseruarem. Verum cum me a hu-

ius

*ius in te obseruãtia aliquod uestigium ex-
tare cuperem, id quo pacto fieri commode
posset, non reperiẽbam. Nunc demum post
multos libros sacra Tridẽtina synodi a me
impressos, ut optime nosti, satis opportu-
nam animi mei tibi ostendendi ratus sum
occasionem Ioannis Ioarẽzi uiri clarissimi,
& in omni disciplinarum genere exercitaf-
simi Episcopi Conimbricensis cõmentarios
in euangelia Sancti Matthai: qui uir
quantus sit, uel ex eo patet, quod inter om-
nes lectissimos uiros ex uniuerso terrarum
orbe ad eam synodum confluentes, facile
primum locum obtinuit. Hos igitur com-
mentarios tibi tanquam præstantissimo in
omni disciplinarum genere uiro maxime
conuenientes, dicandos potissimum cen-
sui; cum præsertim ab eo autore compositi
sint, qui tui ordinis principatum tenet.
Erunt igitur perpetum meã in te obseruan-
tia argumentum, tuaq; item erga me bene-
uolentia grauissimum testimonium; quam*

ut

*ut perpetuo conserues te etiam atque e-
tiam rogo. Venetijs, ad III. Kal. Se-
ptembris, M. D. LXV.*

COMMENTARIUM
IN SACRO SANCTVM
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
EVANGELIVM SECVNDVM

MATTHAEVM

A. D. IOANNE SOAREZ EPISCOPO
CONIMBRICENSI, ET ARGANISI

COMITE EDITVM.

Tractatus primus in I. cap. beati Matthæi.



BEATVS Apostolus & Euangelista Mat-
thæus, uolens Iudæos conuincere, & diuini-
tatem redemptoris nostri ostendere: illūque
esse Messiam & Christum mūdi saluatorem
manifestare: a sacratissima eius humanitate
exorsus, dominum à tribu Iudæ originē du-
xisse demonstrat: cui promissionem Messig
factam fuisse, omnis scriptura testatur. Quæ
propter Abrahæ dicitur Gene. 17. In semine
tuo benedicentur omnes gentes terræ: non
dicit in seminibus, secundum Apostolum ad
Gal. cap. 3. quasi in multis: sed in semine tuo,
qui est Christus. In qua quidem promissio-
ne datur intelligi Messiam non tantum Iu-
dæis fuisse missum, sed etiam alijs omnibus gentibus in salutem, cū dicit: Om-
nes gētes terræ. Quod Spiritus sanctus nato Christo per os Simeonis repetijt,
dicentis Luc. 2. Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem
omnium populorum. Omnium, inquit, non vnus populi, sed omnium populo-
rum, lumen ad reuelationem gentium. Quod autem dominus dixit: Non
sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel: in propria persona ad
prædicandum, & miracula faciendum intelligitur, iuxta illud Apostoli: Dico
autem Iesum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmādas promissiones pa-
trum. Vnde factum est, vt destinatis ad prædicandum discipulis dicatur: In
viam gentium ne abieritis: & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: ite
potius ad oues, quæ perierunt domus Israel. Postea verò dicitur: Ite, docete
omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: docete
eos seruare omnia quæcunque mandauī vobis. Ecce contra hæreticos ma-
nifeste iubet dominus præcepta seruari: Omnia, inquit, quæcunq; mandauī vo-
bis. Non ergo sola fides sufficit sine operibus & adimpletione mandatorū Dei.
In semine ergo Abrahæ benedicentur omnes gentes terræ. Deinde Iacob nepo-
ti Abrahæ inspiratur, cui ex duodecim tribubus posteris Abrahæ hæc benedi-
ctionis promissio destinatur. Cum enim senex penē moriturus recumberet,

A Genes. 49.

Genf. 49. Congregamini, inquit, vt annunciem quæ vêtura sunt vobis in diebus nouissimis. Congregamini & audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrum. Cum autem prius Ruben, Simeon, & Leui alloqueretur, ad Iudam conuersus, ait: Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tuæ in cernicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam filii mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo, & quasi læna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mitendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ecce ut promittitur etiam gentibus: & ipse erit, inquit, expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, id est populum gentilem ecclesiæ congregans, & ad vitem ò filii mi afinâ suam, id est populum Iudæorum onera legis portantem. Gentium autem populus dicitur pullus, super quem nullus hominum sedit, quia solutus, & absq; lege omni ni genere vitiorum lasciuens gradiebat. Vnde mirabiliter in die palmarum dominus, & super afinam & pullum sedet, per manus apostolorum, qui uniuerso orbi prædicaturi erant, adductos. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vix pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte cã didiores. Dauidi autem, quem constat ex tribu Iuda descendisse, iterum promittitur: Iurauit dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam, Psalm. 131. Ad Achaz quoq; ex eadem tribu Messias promittitur, Esaiâ. 7. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: id est, nobiscum Deus. Cum autem in lege præcipiatur, vt ex eadem tribu vxores ducantur, & posset euangelista per Annam, & Ioachim virum eius indicare dominum Iesum de tribu Iuda, & de regibus ortum habuisse, elegit potius per Ioseph ex eadẽ tribu deducere Christi filii genealogiam: cum perspicuum esset, si sponsus Ioseph ex tribu Iuda descendisset, ex eadem quoq; sacratissimam Mariam semper virginem verẽ originẽ ducere: & ita dominum comprobari ex illa esse tribu, de qua Messias promissus fuerat, & secundum humanitatem susceptam, esse Christum verum Messiam & saluatorem. Atque is est scopus euangelistæ: idq; ostendit à principio, dicens: *Liber generationis Iesu Christi filii Dauid, filii Abraham, &c.* vsque ibi, *generatio autem Christi sic erat.* Quod autem Lucas Heli, & Mattheus Iacob dicunt patrem Ioseph: Mattheus quidem patrem naturalem posuit, Lucas verò legalem. Cum enim essent fratres Heli & Iacob, sine liberis mortuo Heli, eius vxorem duxit Iacob, de quo natus est secundum carnem Ioseph. Quod autem Mattheus per Salomonem à Dauid, Lucas à Nathani lineam Christi deducit, ideo factum existimandum, quia Dauid adopravit sibi in filium Natham prophetam. Et Mattheus quidem secundum carnem natum ex promissione Abraham & Dauid contexit, Lucas verò legalem: vt neutra euangelio deesset, dummodo ab Abraham & Dauid Christus natus ostenderetur: vt patribus promissum in scripturis fuerat. Nulla igitur superest questio explanandã, nec ulla Iudæis relinquatur dubitatio, quin fateantur Christum secundum carnem ex illa tribu fuisse natum, ex qua tot ante secula promissus fuerat. Miri vtiq; est dominum (ne libertatem quam homini semel cõcesserat, eidem adimeret: Nam sub te, inquit, erit appetitus tuus, & dominaberis illius, Genef. 4. Et Ecclesiast. 15. Deus ab initio fecit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui) à tot peccatoribus uoluisse descendere in vterum purissimæ virginis, nempe ab Achaz, Manasse, Rab, Ruth, Bethsabæe; & alijs qui connectuntur in genealogia saluatoris, qui planè peccatores fuere. Veruntamen virginem sacratissimam, de qua natus est Christus, summa virtute voluit omnes longe præcellere. Consecuit namq; dominus ea quæ ad generalem vsum & commodum specta-

Messias p
mittitur
gentibus.

stant, ita condere, vt maiori præ cæteris virtute polleant. Sanctificatur Ioannes in vtero matris, quoniam ad conuocandos Iudæos in agnitionem saluatoris eligitur. Dicitur & Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: quoniam principatum apostolorum, & totius ecclesiæ præficiendus erat. Eligitur virgo regia, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus, absque peccato originali concepta, plena gratia, atque omni gratiarum virtute decorata. Humanitas Christi ab initio creationis suæ verbo diuino copulatur, tanquam saluator & redemptor, cui datum est nomen super omne nomẽ. Nec enim est aliud nomen sub cœlo, in quo possumus saluari, nisi in nomine Iesu: de quo hic liber generationis Iesu Christi secundum carnem. Volens enim Deus sui notitiam hominibus tradere, duplicem librum conscripsit, creaturas omnes, & hominem. In creaturis legitur & manifestatur dominus obscurius: in homine autem perspicacius. Atq; ideo sententiarum collector dist. 3. primi creaturas vestigij nomine cõset appellandas. Equi enim vel alterius animalis gressus in via expressus, distinctionem animalis ostendit, puta equi, bouis, ouis, vel alius cuiusvis; non tamen magnitudinem, pulchritudinem, agilitatem, & colorem discernit. Sic Deus agnoscitur in creaturis confuse: Qui enim cernit terram, cœlum, solem, mare, & aliarum creaturarum multiplicem diuersitatem: consideratq; nullam in mundo esse potentiam quæ talia facere possit, ducitur in notitiam alicuius supremi, potentissimi, & sapientissimi fabricatoris, & plasmatōris omnium Dei. Vestigium igitur ducit nos in eorum notitiam, quæ sunt communia Deo, & alicui personæ attribuuntur: ut omnipotentia, sapientia, bonitas: licet attribuat patri potetia, filio sapientia, bonitas sancto Spiritui. In hoc vestigio & libro creaturarum philosophantes plurima comperti sunt, & scripta posteris reliquerunt, & summam sui admirationem in vniuersum penè mundum attulerunt. Cæterum in ipso homine perspicacius cognoscitur Deus, quippe qui eius imago & similitudo est. Faciamus (inquit) hominem ad imaginem & similitudinem nostram, Gen. 1. Imago autem differt à similitudine, secundum sententiarum collectorem, in 2. sent. dist. 16. Quoniam imago in intellectu, voluntate, & memoria animæ ostenditur: differunt enim inter se hæ tres potentie animæ. Nam intellectus non est voluntas, nec voluntas memoria, & vice versa: veruntamen eadem anima est. Similitudo autem in imitatio ne virtutum attenditur. Imago iterum Dei simpliciter loquendo secundum diuum Thomam perfectius reperitur in angelis, quoniam altioris naturæ sunt. Similitudo, prout dicit perfectionem supra imaginem, distinguitur ab imagine: si autem accipiatur vt præambula, non distinguitur. Quoniam necesse est, vbicunq; ponatur imago, sit & similitudo. Veruntamen prout de magistro sententiarum proximè meminimus distinguuntur: Namq; similitudo est perfectio imagini superaddita. Hæc percipe ex diuo Tho. pri. parte, q. 93. Nec parumpendas, quin etiã studiose observa doctores sanctos, & quos scholasticos dicimus, si cupis à recta doctrina non deturbari, nec auerti à sancta fide catholica. Homines igitur æqua lance imaginem Dei portant, similitudinem verò minime. Nã ille perfectius Deo assimilatur, qui virtutibus præstat, quiq; sanctior & iustior est. Quamobrem similior Deo beatissima uirgo est, *de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*: & in illa Deipara virgine similitudo perfectius cernitur. Cui accommodari possumus illud Apoc. ca. 5. Vidi ad dexteram sedetis super thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. In dextera Iesu sedentis super thronum, est regina nostra, in vestitu deaurato secundum prophetam, circumdata varietate. Quoniam post Christum potiori potitur gloria, altiori sublimatur dignitate, excellentiori decoratur virtute & sanctita-

Act. 4.

Gal. d. 3.
1. Sententiarum.

re. Scriptus est liber iste non atramento, quo nos concepimus iniquitatibus in utero matris alimur, at fulgenti auro ignito concepta est sine macula, sine ruga, tota pulchra, ac tota fulgida, tota gratia plena intus & foris. Intus quidem habitum virtutum, & gratia decorata & ab originali peccato præseruata; exterius vero operatione totius virtutis, & perfectionis prædita. Intus autem & foris dicitur: quia non sufficit intus animam bonis motibus, & impulsivibus affici: si non exterius operetur, quæ intus cogitat, quæ intus ruminat, quæ intus concipit virtutum affectus. Quid, n. prægnanti afferat boni, gravidam esse, si non exterius expellat fœtum? Septem sigillis signatum, videlicet donis spiritus sancti. Quæ, prout ex diuo Thoma colligitur, dū loquitur de dono scientiæ & fortitudinis, duo operantur in nobis: hoc est robur ad dunt animæ, ne facile virtutem amittat, & eam bene mobilē faciunt à spiritu sancto, ut faciliter & saavior trahatur ad bonū. Deipara virgo, & si totus in eā coniraret mundus, & si totus oppugnaret infernus, eam nunquā ad male cogitandū inducerent. Sigillis n. septem signata tanta fortitudine est, ut terribilem veluti castrorum aciem ordinatam pronunciet Salomon. tam facile mouebatur ad bonum, ut in omni actione dilectus suus sibi, & illa vicissim illi: ideo similitudinem Dei super omnem creaturam puram retulit, & liber dicitur generationis Iesu Christi, & sic simillima illi est, ut tota in eius amore, & voluntate absorpta sit. Quippe quam ipse Deus ex omnibus elegit sibi in matrem, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Sed hic altius considerandum fuerit quomodo dicitur virginem Deiparā librum esse generationis Iesu Christi, cum Christus secundum carnem sit filius, & posterior mater: & liber semper suo sit posterior auctore. Prius, n. rex est, quam eius res præclare gesta mandentur literis. Heu quot peccatorum libri possent nostris his temporibus conscribi. Diuus Tho. 3. par. q. 2. ar. ult. querens an Christi prædestinatio sit causa nostre prædestinationis, concludit non esse causam voluntatis diuinæ. Qui enim omnia simul videt, suæ voluntatis nō est causa, cum voluntas eius sit causa essendi omnia, creandi omnia, nascendi omnia. Est autem medium, quo Deus præordinavit saluare: cum à passione Christi effectus prædestinationis est exhibitus. Cum verò merito passionis Christi effectus prædestinationis & gratiæ sit Mariæ exhibitus, bene dicitur liber generationis Iesu Christi. Præcesserunt illam merita ista iam ante mundi constitutionem, coram Deo præsentia, suis temporibus exhibenda. Quod diuino sensu beatus apostolus ad Ephesios cap. 1. disserit, hisce verbis: Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus, in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate: qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinē eius in remissionem peccatorum. Benedictus igitur Deus qui elegit sibi in matrem futurā Mariā, quam omni benedictione præuenit, ut esset sancta, & immaculata, gratia plena, superans omnes angelos puritate, & dignitate. Cui enim aliquando angelorum dictum est: Mater Dei es tu, tu illum concepisti & peperisti virgo semper permanens, tu lactasti, & nutruisti. Et quidem ceteri sancti in Dei filios prædestinati, tu autem o Maria in filiam & etiam matrē. Ceteri gratificati sunt, tu dilecto filio Dei mater, tu ab omni labe præseruata in dilecto filio Dei, & in unico filio tuo virgo semper permanens. O librum admirabilem generationis Iesu Christi, o librum ineffabile, in quo omnis conscripta virtus, in quo omnis voluntas Dei impletur, in quo charismata omnium gratiarum reperiuntur,

peruntur, in quo omnis benedictio cernitur. Omnis per filium eius lex & prophetiæ adimplentur, fides datur, spes large tribuitur, charitas infunditur. Omnis bona operatio, omnis probata & fructuosa actio, accipit initium, sumit modum, peruenitq; ad finem: cui laus cum patre, & spiritu sancto ab omni creatura reddatur per infinita seculorum secula. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS.

In cap. primum beati Matthæi.

TRIPLICEM igitur natiuitatem beatissimæ huius virginis, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, considerare debemus. Prima, in diuina mente & consilio, & præordinatione ab eterno: de qua Prouer. 3. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequā quidquam faceret à principio. Secunda, quādo eius beatissima anima creata & purissimo corpori est infusa. Tertia, quādo ortu clarissimo ex utero beatæ Annæ in hanc lucē prodijt. Mirabilis vnaquæq; istarum est. Atqui nos non miramur, quoniam non cognoscimus hæc. Non nisi quis admiratur id quod non nouit. Vir insipientis non cognoscit, & stultus non intelligit hæc. Vnde ecclesia dicit de Deo: Tremunt potestates per Christū dominum nostrum: & non dicit, tremunt homines: quoniam non perfecte cognoscunt. Ad intellectum veruntamen primæ huius natiuitatis, meminimus quod ait sancti doctores: omnia esse in Deo præsentialiter, virtualiter & emittenter. Caueto autem, ne dicas formaliter: quoniam in Deo non sunt formaliter creaturæ, sed in seipsis. In illa igitur æternitatis præordinatione, præuisa, constituta, & præordinata est beatissima semper virgo Maria, ut esset Dei mater: præseruata ab omni originali & actuali labe peccati: vbi illi omnium gratiarum & prærogatiuarum signata & sigillata donatio concessa est, tempore suo donanda, ut esset Dei mater: utq; ab omni creatura quæ in cælo & in terra est, tanquā vniuersi filij Dei mater coleretur & adoraretur, & ab ipso Deo super omnes puras creaturas diligeretur. Insinuans autem Apostolus ad Ro. cap. 4. in Deo omnia præordinari, antequā sint, inquit: Vocat ea quæ non sunt tanquā ea quæ sunt. Et ad Heb. 4. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius, ad quæ nobis est sermo, & nulla creatura est inuisibilis in conspectu eius. Ex predictis nūc intelligimus facilitatē gubernationis diuinæ, & quædammodū nec foliū arboris cadit sine nutu omnipotentis Dei. Nam quod corā nobis est, facit iter transferimus & transmigramus hinc inde, ut hinc obrepat consideratio quanta celeritate summus & omnipotens Deus, cui omnia sunt in conspectu eius, nec ab eius præsentia aliquo modo abscondi possint uel minutissimæ atomi, dicit folio huic, tu sta: illi vero, tu decide: rursus vni, tu uiue: alteri, desine: Ista igitur in conspectu Dei stabilitio & præordinatio Deiparæ, ista in mente diuina dignitatis & gratiarū collatio, prima eius natiuitas dicitur, ac primus (nobis tñ incognitus) eius feminētissimus ortus, ibiq; illi concessam & donatā dicimus copiam gratiæ ad Dei matrē futurā, suo tpe largiendā. Deus etenim eū aliquē elegit ad aliquod munus gerendum oia necessaria et confert, quæ mundus facere nequit. Nā officia quidē dñs terrenus donat, ad officiū tñ necessariā dexteritatē, & ceteras bonas administrationis dotes largiri nō pōt. Hinc tot plati desides, tot beneficiati querētes que sua sunt, tot in republica officia administrātes indigni. Siquidē & carnali affectu & humano negotio eligunt: tū et qm sic eligētes, necessaria dona ad bene administrandū, donare nō possunt: ut sic cōfusa oia in magnis abusib⁹ collabant. De Deo autē inquit Apost. 2. ad Cor. 3. Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamētī. Sic legimus electū Dauid regē, & spm illi pphetiæ cōcessum. Eundē spiritum

& Sauli

& Sauli réprobo concessum cernimus: unde prouerbium: Num & Saul inter prophetas? quoniam manu Dei electus est in regem. Si igitur regibus à Deo electis huiusmodi præbetur gratia, si apostolis tot donantur charismata, qualia obsecro donabuntur Mariæ, quæ non in terrenam reginam, non in apostolû, sed in Dei matrem eligitur? Cæteris igitur, inquit beatus Hieronymus, datur gratia per partes, Mariæ vero tota se infundit plenitudo gratiæ. Cæteris per partes, idest secundum partem fortis & ministerij, ad quod quisq; constituitur: Mariæ verò tota se infundit plenitudo gratiæ, requiritæ scilicet ad tantum munus, ad tam sublimem dignitatem, vt mater Dei dicatur, & sit. Quæ autè obsequia illa Deo impenderit, ex muneribus & donis sibi collatis: si miminerimus illi laudatum ore domini seruum, qui quinq; talenta accepit, eo quòd alia quinq; sit super lucratus, inde facile intelligemus, qualia sacratissimæ virginis fuere obsequia. Cum enim nulla pura creatura tot munera à Deo acceperit, sic etiam nec aliqua pura creatura tot illi & eque grata obsequia præstitit. Plus omnibus laboraui, inquit de se Apost. Paul. non ego sed gratia Dei mecum, plus etiã omnibus gratia plena Deipara virgo obsequia Deo impendit: ut nec Abel, nec Noe, nec Abraham, nec apostolus, nec martyr, nec angelus, siue aliqua creatura pura talia vnquam obtulerit. Fluminis impetus (inquit psal.) lætificat ciuitatem Dei. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Ad cuius integram & absolutam intelligentiam adnotemus, quòd omnia creata magno feruntur impetu in suum centrum, inque suum vltimum quietis finem. Hinc est ignis ascensus in superiora, vt coniungatur suæ spheræ, & suo sortitur igni elemento puro. Hinc toto impetu descendit lapis sursum proiectus, vt centrum terræ attingat suæ quietis mansionem. Id verò centrum (vt obiter hoc perstringamus) distat à nobis mille leucis ferè. Nam ratio circumferentiæ ad diametrum est quasi tripla sesquiseptima: unde cum terræ ambitus, vt mathematicis placet, cõtineat sex mille leucas; diameter duas mille ferè obtinebit, semidiameter verò mille leucas aut paulominus sibi vendicabit. Per tot ergo spatia si hiatum inueniret lapis per quem descenderet, ferretur graue inferius vsq; ad centrum. Spiritus igitur noster spiritui summo infinito coniungi cupit, qui est Deus. Sic Apost. dicit Deum patrem spirituum, ad Heb. 12. cap. Patres carnis nostræ, inquit, eruditores habuimus, & reuerentur eos: Non multo magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus? Diuus Tho. in hæc verba inquit, perfectus est Deus pater animarum, quàm quisquam pater sui filij, quoniam homo ad filium procreandû eget diuino concursu solis & scemine: Deus verò solus nullo alio suffultus patrociniò, animam creat. Hinc autem constat, hominibus inquietudines subinde exoriri, hinc nulla rerum vbertate acquisita satiari, hinc nulla tranquillitate comparata conuiescere. Nimirum quia anima impetu magno fertur, cum sit spiritus in sanctum spiritum Deum. Quicquid largiaris, quicquid dones, licet & totum illi conferas orbem, nunquam quiescit anima, & quies. Nã si quis vultus haberet in capite, & medicamenta omnemque industriam medicorum pedi adhiberet, nihil prodesset: ita cum famis hæc & sitis arida animã ipsam corripiant, quæ summo spiritui Deo anhelat coniungi: quæcumq; illi temporalia tribuas, minime profunt. Quanto ergo impetu Mariæ spiritus ferebatur in Deum: quanto in patrem spirituum anhelans ducebatur affectu, quantoque gratiarum munere cæteris præstibat, tanto obsequiorû ministerio præcellibat, tota in illum absorpta, tota Deo addita, & super omnes puras creaturas Deum diligebat, ab eoque diligebatur: Cui gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

T R A -

TRACTATUS TERTIVS.

In cap. primum beati Matthæi.

DE secunda & tertia natiuitate eius, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus, disserendum est. Secunda igitur eius natiuitas à creatione, & in purissimum corpusculum animæ immisione initium sumpsit: qua hora Deus omnipotens ea, quæ præordinauerat, cepit implere, & gratissimum sibi in quo habitaret templum ædificare, & magnis insolitisq; muneribus dotare & exornare. Conqueritur enim in persona hominum Dauid, dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ex legitimo quidem thoro natus fuerat Dauid, nihilominus in hanc miseram prorumpit vocem: In peccatis concepit me mater mea. Cui etiam astipulatur Apostolus Paulus: qui honorabile connubium & thorum immaculatum appellans, id tamen conqueritur ad Eph. 2. cap. Eramus, inquit, natura filij iræ. Et iterum ad Ro. 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Et de Adam ad Ro. 5. In quo omnes peccauerunt. De ea autem quam nos originariam dicimus culpam, seu peccatum originale constat istos in hunc modum conqueri. Nam quemadmodum is qui tuetur regis præsidium, factus læsæ maiestatis reus, non tantum ipse, verum & omnes eius posteri proscribuntur: ita pariter cum protoplastus accepisset iustitiæ originale donum, idq; per inobedientiã amisisset, factus est læsæ maiestatis diuinæ reus, & incurrit actuale crimen, & nos reos fecit originalis culpæ, licet à Christianis parentibus legitimo thoro nati simus. Nam granum tritici nudum seminatur, & ex illo nascitur palea & arista, donec ventilatur, & granum iterum nudum reconditur suo loco. Per baptismum autem regeneramur & abluimur à labe huius originariæ culpæ: habetque hæc originalis labe suum materiale, suumq; formale malû. Cætera namq; actualia peccata habent materiale id, circa quod versantur: & formale: transgressionem ipsam diuinæ legis: ita & in originali peccato materiale est quædam qualitas morbida, siue infirmitas quædam reddens ad malum pronã naturam: quæ morbida qualitas seu infirmitas minuitur quidem per baptismum, non tamen omnino tollitur. Per sacramentum verò baptismi tollitur omnino formale peccatum originale: formale, quod est carentia iustitiæ originalis cum debito habendi eam in se vel in suo æquiualentem, quod est gratia Dei. Gratia igitur, quæ per sanctum baptismi sacramentum præstatur, omnino debet peccatum originale: sed materiale, quod est illa morbida lues animam ad malum inclinans, minuitur: & illa diminutio est quæ fortiorem animam reddit ad resistendum, & quæ mortificat carnem, ne ita vehementer infurgat. Secundum autem collectore sententiarum, quemadmodum qui manu immunda accipit mundum lapillum pretiosum seu pomum mundum, ipsum coinquinat: Sic anima corpori morbido infusa atque coniuncta, ab immundo corpusculo maculatur. Veruntamẽ originale peccatum est carentia originalis iustitiæ, prout proxime recitatum est, cum debito habendi eam in se vel in suo æquiualentem, quod est gratia. Hæc sunt Dauid querimonie: In peccatis concepit me mater mea. Et, In iniquitatibus conceptus sum. Hæc terribiles sententiæ apostoli. Eramus, inquit, natura filij iræ: Et, omnes peccauerunt & egent gloria Dei. Hoc igitur est primû donum, quod donatum est beatissimæ virgini Mariæ: hæc prima eius gloria & honor, nempe vt mundaretur ipsius caro in utero beatæ Annæ: & aboleretur omnis illa qualitas & morbida & infirma lues: & sic anime dum infunditur in

suo

fuo corpusculo, creatur in gratia: & sic non contraxit originale culpam, cum haberet gratiam, magnum sanè donum & nouum à lapsu concessum. Veruntamen ne mireris tanti miraculi magnitudinem: fit namque in illa, in qua aliud miraculosus futurum est. Et nouum creauit dominus, inquit Hieremias ca. 31. super terram: femina circundabit virum. Et Esai. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius admirabilis Deus. Quid ergo miraris, si mater Dei in vtero habens diuinum verbum carnem factum, liberetur ab originali culpa, abluatur à fomite peccati, anima creetur in gratia? cum & angeli & dæmones in sua prima creatione fuerint gratia donati. Simul, inquit diuus August. de angelis loquens, erat Deus condicens naturam, & largiens gratiam. Adam & Eva creati sunt in gratia, angeli & dæmones: cur non & Maria Deipara? Hoc est quod Dauid ante cecinit de illa, Psal. 45. Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam Deus manè diluculo. Et Prouerb. 8. Necdum erant abyssi, & ego iam concepta eram, in mente diuina præordinata, vt non essent in illa abyssi tenebræ: adiuta mane, in natiuitate quando orta est: atq; diluculo, in conceptione absque macula. Tota enim pulchra, tota candida, tota immaculata, & in ipsa iam punitione primorum parentum designata est in scriptura. Nam cum Deus vocaret serpentem, Adam & Euan, ad iudicij transgressions mandati, ait ad serpentem primo: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ. Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Ininicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa cõteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Ecce mulierem Deiparam quæ conterit caput serpentis, quæ hic primùm excepta est, cum diceretur Eux: Multiplicabo conceptus tuos. Virgo vnicum genuit saluatorem: In dolore paries filios, hæc in lætitia & gaudio inenarrabili peperit saluatorem, virgo permanens in æternum. Cum autem caput primum sit membrum, quo se in foueam recipit & recludit serpens: pro eo peccatum originale, quod primum in anima recluditur, recte accipitur. Hoc caput contriuit beatissima virgo, cum præseruata ab illo in gratia anima eius creata est, & sic secunda eius natiuitas sublimata, in qua anima eius sanctissima creata & corpori coniuncta est. Tertia autem natiuitas, qua à beata Anna matre eius in mundum edita est, tantis coruscant miraculis, quantis donis & gratiis & priuilegijs spiritualibus, virgo ipsa nata à domino deo dotatur. Vnum hoc silentio non præteribo, nunquam illam recepisse aliquod donum à Deo, quod non illi pro recepto munere peculiare quoddam obsequium & laudis vocè responderet. Cum concipit Dei filium, tota se humi prostermit, cum ait: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Cum ab Elisabeth benedicitur, tota se in laudem creatoris effundit, inquiens: Magnificat anima mea dominum. Dum à pastoribus & à regibus adoratur eius filius, & à Simeone benedicitur, conseruabat omnia verba, conserens in corde suo. Ex quo nobis optimum præbetur exemplum, vt pro quolibet recepto munere spirituali, seu temporalis, gratias agentes creatori, aliquod illi speciale obsequium offeramus. Nam sic gratias agentes & obsequia impendentes, plurima recipiemus. Quod Dauid psalm. 70. insinuat, dicens: Ego autem semper sperabo, & adiciam super omnem laudem tuam. Semper sperare debet, qui semper pro condonato munere gratias & obsequia exhibet. Cum enim dicat apostolus: Quid habes, quod non accepisti? quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Oportet enim nos metipsum inspicere, tunc vero maxime benignissimum Deum; à quo nobis omnia bona affatim conferuntur: & tam mala quæ agimus, quam bona quæ recipimus, in extraneum aliquem collocare, hæc inter nos ratiocinantes: Si ille

Si ille ita male ageret, vti ego, quid non dicerem aduersus eum? & si tale bonum ille recepisset à Deo & ingratus existeret, quid non mereretur malis? Hæc proinde dicta sunt, quoniam nec mala nostra iudicamus in nobis ipsis, quæ fœda sint: nec pro bonis nobis collatis gratias & obsequia debita Deo offerimus. Quod hoc vnico ostenditur verbo. Oculis enim cum omnia cernat seipsum non cernit, nisi adhibito speculo in alieno lumine. Ita & nos omnia mala & bona in alijs perspicientes, detestamur mala, & admiramur bona, nec tamè hæc omnia in nobis, vt par est, cernimus. Nunc igitur & pro bonis collatis gratiarum actiones & obsequia rependentes, mala cooperiamus, Nam in domo bene disposita, omnia continguntur, vt vestes, vasa, balistæ, sagittæ: & si quid aliud est huiusmodi, peculiaria quædam indumenta habent, quibus continguntur & adferuntur: etiam iumenta ipsa in stabulo cooperiuntur, & sola anima nostra nuda incidit. Ecce Dauid ait: Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum testa sunt peccata. Teguntur peccata bonis operibus, vt ait saluator. Veruntamen quod superest, dare elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Cooperitur peccatum opere bono. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, inquit Ezechias rex, Esa. 38. ca. Lachrymæ, ieiunia, orationes, elemosynæ, peregrinationes, sacrificium missæ, & cætera bona opera operculum sunt peccatorum. A peccatis autem omnibus libera Deipara virgo Maria fuit, tribus admirandis natiuitatibus prædita: ipsa enim est de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, *Et generatio Christi sic erat.* Descendens scilicet ab Abraham & de tribu Iuda à Dauid, per patriarchas & reges, sicut in lege prædictum fuerat: vt non possint negare impij & cæci Iudæi genealogiam Christi. Qui verus est Messias promissus: cui est cum patre & Spiritu sancto gloria in æternum, Amen.

TRACTATUS QUARTVS,

In primum cap. beati Matthæi.

PRO certo & indubitato reliquit beatus Euangelista, quod proposuit, dominum à proceribus tribus Iuda, vtpote verum Messiam processisse. Sic sacrosancta mater ecclesia, omnia quæ proponit nobis, certissima fide credit: quæ licet non videantur, certissima & firmissima sunt. Hoc verò in humanis rebus minime reperitur, cum hic omnia lubrica & incerta sint: honor, diuitiæ, vxor, liberi, status, vita. Habes honorem, at non firmitudinem: habes vxorem & liberos, at non certam incolumitatem: habes vitam, non tamen diuturnitatem. Ecce igitur, vt incerta, fluxa, & caduca omnia, quæ in mudo sunt. Ideo & si sanctissimam vitam aliquis viuat, non nisi post mortem catalogo sanctorum adscribitur. Nemo enim viuens, inquit beatus Ambrosius, potest sine trepidatione laudari, qui & de præterito meminit se habere quod doleat: & de futuro videt, sibi superesse quod timeat. Lauda nanigantis sollicitatem, sed cum ad portum appulerit: lauda ducis virtutem, sed cum ad triumphum peruenit. Beatissimæ tamen virginis Deiparæ initia conceptionis & natiuitatis sacratissimæ celebrat sancta mater ecclesia, certissime credens, (eo quod electa est Dei mater) sanctissimam eius natiuitatem & sine labe conceptionem. Cum ergo audio, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, agnosco arcam, in qua salui sumus à diluuiio, Euan ex latere dormientis Adæ fabricatam, Manna de caelo, Virgam Aaron florentem, tabulas digito Dei conscriptas, non manu hominis, quæ semper virgo permansit: arcam de lignis Sethim incorruptibilibus intus, & fo-

ris charitatis auro fulgentem. Sancta ergo nascitur, quæ tot signis sanctis præfiguratur: sine dubio celebratur tot signis prænuntiata. Non igitur erit abs re etiam de signis, quæ nos in morte securos reddere possunt aliquid dicere: non quoddam possimus scire, an odio vel amore, ut inquit Eccles. cap. 9. digni sumus: sed ex coniecturis aliqua signa sunt, quibus possimus colligere quo tendimus. & nū peruenire liceat quod concupiscimus in gloriam beatorum. Signa ergo sunt, non certitudines, quibus dominus Abraham, cum terram promissionis se illi daturum diceret, de eius adeptione & possessione certissimum reddidit. Gen. 15. dicens: Ego dominus qui eduxi te de Hur Chaldæorum ut darem tibi terram istam, & possideres eam. At ille ait: Domine Deus vnde scire possum: quod possessurus sum eam? Et respondens dominus: Sume mihi, inquit, vacca triennem, & capra trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam. Qui tollens uniuersa hæc, diuisit ea per mediu, & utraq; partes contra se altrinsecus posuit: aures autem non diuisit, descenderuntque volucres super cadauera, & abiegebant eas Abraham. Cumque sol occuberet, sopor irruit super Abraham, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum. Cum ergo sol occubisset facta est caligo tenebrosa, & apparuit cibus fumans, & lapas ignis transiens inter diuisiones illas. In illa die pepigit dominus foedus cum Abraham, dicens: Semini tuo dabo terram hanc. Hæc ergo oblatio Abraham, ipsum certissimum reddidit, de adeptione terræ. Nos vero spiritualiter hæc offerentes coniecturaliter de adeptione gloriæ: signum habemus. nam re vera hoc scire non possumus. Et ita glossa super hunc scripturæ locum inquit: Oblatio facta de istis signum est assecurans coniecturaliter de adeptione futuræ beatitudinis.

In primis autem non prætereundū censeo, quod notat Richardus à sancto Victore in hunc locum, quod terra quæ dicitur permanere, securitas est conscientia. Cælum. n. gyrans vertitur, aer & aqua mouentur, terra tñ solida constat. Hæc autem securitas conscientia non possidet nisi à valde malis, siue à valde bonis. De iniquis scriptum est, Eccles. 8. Sunt impij, qui ita securi sunt, ac si iustorum facta habeant. Quapropter non sufficit securam habere conscientiam, nisi videas in quo firmata & stabilitur ipsa securitas. Promittitur Abraham promissionis terra, securusque redditur. Nos coniecturaliter de beatitudine cōsidimus, si præcedat oblatio vaccæ, capræ, arietis, turturis, & columbæ: quæ oia triennia esse præcipiuntur, quia in fide sanctissimæ trinitatis fundantur. Sine fide enim iuxta apostolum, impossibile est placere Deo: cuius ratio in hoc fundatur. Quisq; enim præmium accepturus est ab aliquo, oportet ut ratione illius qui præmium est redditurus, operetur & faciat omne quod in se est: alioquin, quomodo tenetur quisque; rependere præmium illius operis, quod amore, causa, & ratione illius minime fit? Quomodo et poterit operari in gratiam & amore alicuius, quæ operans non nouit, cuiusve notitiam non habet? Ut ergo operemur amore summi Dei, & ille nobis præmia operum bonorum in charitate factorum reddat: necesse est notitiam eius habere, credere illi, & credere illi: quapropter necessario præxigitur fides, ut amore illius quæ credimus, operemur. Ideoque triennem vaccam, annorum trium arietem, & capram trimam iubetur offerre Abraham: ut in fide sanctissimæ trinitatis, & in fide quam habet sancta mater ecclesia offeramus. Non est extra ecclesiam sacrificium, non est securitas acquirenda beatitudinis coniecturaliter: non est extra ecclesia salus. Omnia opera eius in fide, inquit psal. id est, oia opera præxigunt fidem. Deiparam autem Mariam hanc perfectissime habuisse fidem, proclamauit repleta Spiritu sancto Elisabeth, dicens: Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à domino. Fortem autem ideo animalia triennia iubentur offerri, quoniam illo iam tempore

robusta

robusta sunt, ut agnoscamus virtutes in nobis non esse solidas, quando tenere sunt, & à qualibet posse pruina exuri, & à quolibet vento diuelli: sed tunc solida esse, cum perseveramus, & exusta sunt persecutionis pruina, & decostrigine contradictorum. Sumamus ergo in fide trinitatis superbeatissimæ & perseveranter vaccam triennem, animal scilicet sub iugo semper laborans & scindens terram: hoc est, peccatorum penitentiam agamus laborioso dolore & vitæ austeritate: obseruantiam habeamus continuam præceptorū domini & obedientiam mandatorum eius, non declinando in malum, sed perseverando in bonis & sanctis operibus. Beatus vir, inquit psal. qui timer dominum, in mandatis eius volet nimis. Audis, volet nimis. Audi in pri. psal. Et meditabitur in lege eius die ac nocte. Sicut. n. homo sollicitus de rebus suis cogitat die ac nocte, quemadmodum ille bonū fortiaatur suæ: ita solliciti sumus de obseruantia mandatorum Dei, & quō usque in finem perseverantes bene operabimur. Et qui alij præsent, ut prælati, reges, & cæteri, quō non solum ipsi, sed & subditi & serui obseruent domini mandata, & bonis exerceantur operibus. Talis certè qui fuerit, vaccam triennem offert, & coniecturam futuræ beatitudinis habet. Virgo Dei genitrix vaccam triennem præ Abraham, præque omnibus obtulit: sollicita nimis non tantum quō ipsa, veruntamen quemadmodum tota ecclesia, & oēs credentes bonis exerceantur operibus: summoque Deo & eius mandatis se submittentem assiduum præstarent obedientiam: confortans oēs & monita salutis dans, inque, fide confirmans. At oportet addere capram trimam obedientia: obseruationi mandatorum Dei, & bonorū operum exercitationi. Animal utique fetidum & rusticorum cibus capra, est per quod humilitas designatur. Postquam. n. bonis operibus exerceatur & obediens Dei mandatis perstitit: caue ne in superbiam elatus decidas, nec cū pharisæo ieiunans bis in sabbato, & decimas dans oium quæ possides, damnatus recedas à templo. Sed pro nihilo te ipsum reputa, ac fœditum te semper existima, dicens: seruus inutilis sum, quod debui facere minime feci. David corā arca totis viribus saltans, cū despiceretur a filia regis Saul vxore sua: Ludā, inquit, & vilior fiam coram dño. Et persequenti Sauli dicebat: Quæ persequeris rex Israel, canem mortuum & pulicem vnum? & in deiectione & persecutionibus ex intimis anime penetrabilibus se talia & grauiora mereri supplicia confitebatur. Hanc humilitatis & abiectionis capram, præ cæteris beatissima virgo obtulit Deo: Ecce ancilla domini, dum in matre sublimatur altissimi. Sequi semper humillimam in omnibus præstitit. Quia respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ. Humilitatem autem eius quis enarrabit? Addamus & huic humilitati arietis mansuetudinem, quam insignem in Deipara Maria extollit ecclesia, dicens: Virgo singularis inter oēs mitis. His promittitur à Christo dño terra: Beati mites, inquit, quā ipsi possidebunt terram. Mititas addit mansuetudini inimicorum etiā dilectionem. Nam mansuetus secundum Arist. Ethic. 4. tolerat patienter mala. Mitis euangelicus etiam inimicū afficit bonis, redditque bonum pro malo: & coram regibus non inimicum vituperat sed collaudat: & res illius procurat: & quanquam scit ab illo rebus suis detrahi, nihilominus exhibet illi expeditum negotium: & si inimicus estur, cibam illum: & si sitit potum illi porrigit. Si igitur bonis operibus & humilitati addiderimus mitem esse, magnum coniecturale signum ad discendam beatitudinis consequemur. Posuit autem Abraham vnam sacrificij partem contra alteram partem, ut mutuo se respicerent. Ita quoque oportet, ut se virtutes mutuo contueantur. Si enim non mocharis, non ex aduerso odium cōstituas: sed castitate ex vna parte, ex altera charitatem statue: si ieiunans non iures, sed ex alia parte obseruationem præcepti, non assumes nomen Dei tuū in vanū, col-

B 2 locare

Præxigit
fides ad
opus bonū.

locare fatigæ. Itaque non opponas virtutibus vitia: sed virtutem è regione alterius virtutis colloca. Si autem sic te composito, prauæ cogitationes obrepserint ex inuidia dæmonis, qui te quanto proximior salutis cernit, tanto vehementior in te insurgit multitudine cogitationum iniquarum, veluti quibusdã oppugnans machinis: resiste fortiter, & abige volucres cum Abraham descendentes in sacrificium, nec timeas, abigeneque contriferis, nec deficias animo, abige. Cum te namq; iniquis vrget tentationibus dæmon, iam se victũ fatetur, nec posse te iam gratia Dei stantem, prosternere: volitat ergo per aera & cogitationum nefandarum nubila secum desert. Aues non diuiduntur in hoc sacrificio, vt scias te multis operibus bonis diuisum in proximorum vilitatem, tamen in altitudinem contemplationis deuenire oportere, & in illam optimam partem, quæ à possidentibus non aufertur, neque erga plurima conturbatur. Ruc ad pèdes Crucifixi clamans: O domine, quando ventura est illa hora, in qua ab omnibus derelictus & succurrere non valentibus, in tuas sacratissimas manus quæ me plasmanerunt, reuertar? Tu solus adiutor, tu solus redemptor, tu solus saluator meus: adiutor in opportunitatibus & in tribulationibus, quæ inuenerunt me nimis. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Meditabor vt columba, quæ pro cantu gemitum emittit. Iuxta crucem domini, præ Abraham sacratissima virgo diuisa gladio, offerens obedientiam, humilitatem, & mansuetudinem, contemplationis aues non diuisit: credens Deum verum, quem cernebat hominem crucifixum, & expectas firmiter illius sacratissimi corporis cruciati veram tertiam diem resurrectionem. Doloris gladio vulnerata, ratione se totam diuinæ voluntati tradens, voluntate summam gerens obedientiam, fide permanens, charitate liquefacta, spe constans, aues non diuisit. Sole autem occumbente sopor irruit super Abraham, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum. Forte illi tunc reuelata est solis obtinebratio futura in morte illius, qui secundum carnem ab eo descendens, in ara crucis se obrulit pro mûdo sacrificio patri suo æterno. Nam dominus Iudeis, Ioan. 8. ait: Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Vnde perspicuum est vidisse Abraham in spiritu, ex suo genere vnũ venturum verbum incarnatum, in quo benedicerentur omnes tribus terræ. Nec mirum, per istam sacrificiorum diuisionem & sanguinem, & indiuisas aues, sensisse Abraham sanguinem Christi in sacrificium effluxurum, & diuinitatem impatibilem permanere: ideo turbatur Abraham. Et cum soporaretur (vt dicitur de Adam, quando fabricata est Eua ex vna de costis eius: Immisit dominus soporem in Adam) tunc horror magnus & tenebrosus inuasit eum. Adam autem, vt inquit diuus Thomas in 3. par. in illo sopore cognouit uerbũ incarnandum, non tamen nouit pro peccato suo id faciendum. Videtur idem sentiendum de Abraham in isto sopore: vidisse scilicet diem domini, & cognouisse eius passionem pro peccatis nostris: idcirco inuasit eum horror istum magnum & tenebrosum. Quin & beatissimam uirginem, cum sol obscuraretur, & vidisset pati authorem naturæ, inuasit horror magnus & tenebrosus doloris immensi, & cruciatus cordis inenarrabilis. Vtinam nos iste horror magnus & tenebrosus inuadat, atque animam occupet, vtinam ita illabatur mentem, ut illud possimus dicere: Ego stigmata domini mei Iesu Christi in corde meo porto. Nihil terrenum mihi sit molestum, recedant omnia, silentium præstent omnia, nihil obstrepat, nihil stimulet. Ego enim stigmata domini mei Iesu Christi in corde meo porto. Cum ergo sol occubisset facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans. Clibanus fumans duo ostendit, exterius fumum, & intus ignem. Non autem dicit, clibanus ardens, sed fumans, quoniam

quoniam exterius apparebat fumus: ignis verò intus occultabatur. Apparuit caro Christi fumans vulneribus plena, vt tradit Esa. 53. cap. Et nos, inquit, reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Diuinitas tamen & charitas intus ardebat. Ipse autem, inquit idem propheta, vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, cuius liuore sanati fumus. Et lampas ignis ardens inter diuisiones illas. In illo summo sacrificio lampas ignis apparet, cum latroni promittitur paradisi gloria. Cumque ipse clamet: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Et cum Centurio, & qui cum illo erat vidissent, quia clamans Iesus expirasset, dicunt: Vere filius Dei erat iste. Clibanum ergo ignis charitatis intus gerentes, & lampadem lucernaq; ardentem gestantes in manibus nostris, offeramus huiusmodi sacrificium Deo cum Abraham. In ista die paschum faciet dominus nobiscum, dicens: Tibi dabo terram hanc, si modo clibanum fumantem Deiparam virginem consideremus, & vt verbum intus in vtero habeat incarnatum. Omnis uirtus exterius fumigat in Maria: fumus enim cœlum petit. Quæ est ista, quæ ascendit sicut uirgula fumigat, dicitur in Canticis cap. 3. & diuinitas uerbi incarnati quod in vtero gestat, Mariam inflammat interius: & lampas ignis apparet exterius, charitatis operam omnibus ostendens. Lucerna namq; pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Nunc verò reliquum est, vt sciamus initium huius oblationis, & quod est huius sacrificij principium. Abraham qui hæc gessit primo iussus est egredi de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui. Hoc illi initium fuit, idemque nobis initium esse debet, nempe vt ab ipsa uoluntate nostra longius recedamus, & uoluntati diuinæ rectaq; rationi obtemperemus. Neq; illud cuiquam in ore sit: uolo hoc aut illud facere. Quod plerique homines de more habent: nullo interim habito delectu, an id expediat facere, quod uolunt. Ita incipiemus exire de terra nostra, & cognatione nostra: & offeremus sacrificium bonorum operum fauente domino nostro Iesu Christo: qui cum patre & Spiritu sancto uiuit & regnat, Deus per infinita seculorum secula. Amen.

TRACTATUS QUINTVS,

In cap. primum beati Matthæi.

QUONIAM in principio superioris tractatus aliqua sub compendio diximus, quæ huic sacratissimæ uirgini, de qua natus est Iesus qui uocatur Christus, ex sacra scriptura coaptantur. Nunc rationabiliter duximus illa plenius & copiosius explanare. Cum autem in omni ætate de ea præfiguratum sit, veluti de genitrice eius, propter quem omnia præfatis patribus, secundum Apostolum in figuris contingebant: nunc proprius accedentes ad tam mirabilem genitricem & uirginem, de qua Deus & homo nasci dignatus est, in statu naturæ institutæ, quæ in innocentiæ dicimus, ipsam præfiguratam mirabiliter prospicimus. Formato igitur protoplasto, tum etiam omnibus rebus creatis, inquit diuina scriptura, Genes. 2. Adæ uerò non inueniebatur adiutor similis eius. Immisit ergo dominus Deus soporem in Adam. Cumque obdormisset, tulit vnã de costis eius: & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adâ: Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc uocabitur uirago, quæ de uiro sumpta est. Non enim hic sola litera, uerum mirabiliter præfiguratur secundum August. quemadmodum ex latere dormientis Adæ fabricatur mulier:

mulier: tum etiam ex latere Christi dormientis in cruce, fabricatur ecclesia; cuius præcipuum membrum Christo capiti coaptatur virgo Maria, de qua Christus ortus. Vtq; trino miraculo decoretur mundus: Adam formatus sine uiri & mulieris opera: Eua ex viro absque muliere fabricata; Christus ex muliere virgine sine viro genitus. Vt autem mysterium fabricationis ecclesie, ex latere dormientis Christi innotescat, unico notetur verbo. Poterat enim dominus mulierem de limo terre formare, sicut formauerat hominem: moluit tamē, sed ex latere non vigilantis Adæ sed dormientis: ut dignosceremus perspicue ex latere mortui Christi domini nostri fabricari ecclesiam, cuius præcipuum membrum ipsa est virgo Deipara. Nō enim Christo inueniebatur adiutor in terra; neq; opus erat ad reparationem humani generis: Ipse torcular calcavit solus; sed opus erat adiutorio ad nutriendū ipsum paruulum, & lactandum. Ergo electa est Maria illa benedicta super oēs puras creaturas, quæ & mater esset, & nutrix, solatiū & iuamen infantie & pueritie Iesu. Hoc autem est, quod legitur in euangelio: Et pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio. Ibi à pastoribus puer inuenitur, & à regibus domum intratibus cum Maria matre eius. Et Simeon cum in vniuersis susceptum paruulum benediceret, dixit ad Mariam: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. In Aegypto fugienti & commoranti, Ioseph dicit angelus: Accipe puerum & matrem eius. Factus annorum duodecim, cum se occultans remansit in templo inuentus est post triduum, dixitq; mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Huic ergo tanquam veræ matri committitur vniuersa infantia Iesu: opusq; erat illi huiusmodi adiutrice. Qualem considerare debemus Mariam in corporis excellenti compositione? Pulchra namque & decora filia Hierusalem, in excellentia naturalis inclinationis, bonitatis, mansuetudinis, & totius forma virtutis, de qua sumpsit verbum diuinum sibi copulatam in suppositi vnitatem humanam naturam. Natura enim comparatum est, vt formā, complexionem, ingenium trahant paruuli à parentibus. Qualia verò hæc beatissima uirgo habere credenda est, ex qua humanitate vni genitus filij Dei accepturus erat? Talem illam cōsideremus, talem laudemus, talem veneremur. Quæ cum in lege naturæ multis sit præfigurata mysterijs, vnicum ponam. Legitur enim Genes. 24. Abraham misisse seruum in Mesopotaniam ad eligendā sponfam vniico filio Isaac: profectusq; peruenit illuc ad urbem Nachor: cumq; camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ, vespere, eo tēpore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit Domine Deus domini mei Abraham, occurre obsecro mihi hodie, & fac misericordiā cum domino meo Abraham: Igitur puella cui dixero, inclina hydriam tuam, ut bibam: & illa responderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac; & per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum domino meo. Necdum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuel filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula, puella decora nimis, virgoque pulcherrima & incognita viro. Cui petenti potum respondit: bibe, quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant, quod & fecit. Plurima nobis in hac pictura & figura de beatissima virgine consideranda occurrunt. In primis autem quemadmodum seruus iste Abraham à solo Deo nuptias, & sponfam filio domini sui expetit: ab eoque expectat dirigi, & signum ab eo postulat. Nihil hic de vanitate seculi, nihil de dote: soli Deo committitur coniugium, vt innotescat cunctis seculis, a solo Deo hanc sacratissimam virginem electā, sciāntque mortales nuptias suas soli Deo committere, & ab illo solo eas dirigi velint,

gi velint, & non solum hoc, verum etiam omnia sua negotia. Non querit iste seruus à Deo directus puellam in stratu accubantem, mollibus uestitam, otio sam & inexpertam laboris: sed in scapula hydriam gerentem, qua hauriat aquam. Miseri & infelices hodie, qui filias suas prohibent adire ecclesiam. Querit iste seruus Abraham puellam, quæ dicat: bibe tu, quin & camelis tuis potum tribuam. Querit etiam angelus Gabriel Dei nuntius puellam ardentem charitate, Deique obsequium concupiscentem: quæ super omnes tanto flagrauit amore, vt super omnes Deo inseruire, super omnes obsequi, etiq; laudare super omnes desiderauit. Charitas enim non querit quæ sua sunt: cum autem ista super omnes fuerit plena gratia, super omnes concupiuit camelorum sitim explere, iustos in bono perseverare, peccatores pœnitere, & indulgentiam peccatorum mereri. An non camelus est, peccator scelerum deformitatis plenus? onustus peccatorum sarcina? de quo dicitur Psal. 37. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Fortassis ideo non uidemus nostrā, & aliena speculamur mala, quoniam iniquitates nostras super caput portamus: Id autem quod super caput est, minime cernitur a portante: videtur autem ab omnibus. Quod sicut onus graue grauatur, cum ex vna parte superbit, ex alia inuidia addita inuidia, odium, auaritia, & alia quàm plurima super adduntur mala. O benedicta, quæ non potum Abraham camelis, sed peccatoribus tribuis, cum ueniant impetras, cum intercedis, cum postulas peccatorum remissionem & gratiam nobis à filio tuo donari. Rebecca cum seruo illo Abraham abiit relicto patre, tu in domo patris: Angelicis verbis auditis, Deo obtemperasti, & eius filii concipisti: multo illa humilior, quæ non in aures aureas suscepisti, sed audisti: Aue gratia plena: & inuenisti gratiam apud dominum: & concipies, & paries Dei filium: & ecce ancilla respondi. Illa duorum populorum sacra grauida, quorum capita paruuli Iacob & Esau in utero bella pronuntiant. Tu semper uirgo, unicum Dei filium regem pacificum portans, caput orbis & dominum cœli & terræ, uirgo permanens peperisti. Hæc igitur est, quam in lege naturæ præfigurata dominus Deus præparauit matrem filio suo Iesu. In lege autem scripturæ, cum iam propinquum aduentus filij Dei tempus adesset, in virga Aaron quæ floruit, & fructus mirabiliter attulit absque humana opera, ipsa ostenditur. In tabulis legis petrinis sine graphio scriptis, cernitur uirgo geminare, uirgo permanere, unicum habens filium, fructum suauissimum, legis dominum, sine opere & manu virili. In propitiatorio arcæ de lignis incorruptibilibus, ipsa permanens uirgo designatur, ex qua gignitur propitiator peccatorum nostrorum Dominus Iesus Christus.

Ab exordio autem si incipiamus, inueniemus Moysen, Exod. 3. rem prodigiosam à longe uidisse: nempe, rubum totum ardere igne, & scintillare, flammæque emittere, qui non comburebatur, nec viriditatem amittere uidebatur. Miratus Moyses, inquit: Vadam & uidebo visionem hanc magnam, quare rubus non comburatur & ardeat. Cum autem appropinquaret, audit uocem Dei de medio Rubi dicentis: Ne appropries huc, solve calcamenta de pedibus tuis: terra enim in qua stas terra sancta est. Ardet arbor, at non crematur: concipit Maria splendorem patris, & lumen uerbum indeficiens, sed non amittit uirginitatem. Non potest Moyses hoc perfectè cognoscere, nisi depositis calcamentis, de pellibus mortuorum animalium hircorum & taurorum confectis. cum uenit impletor legis, cuius animalia figura erant, & sanguis eorum oblatas: sanguinem Christi significabat, ardet rubus non comburitur. Si uis Iudæ cognoscere Christum & virginem

virginem eius matrem beatissimam, solue calcamenta, tolle sacrificia, tolle sanguinem hircorum & taurorum; tunc cum cognoueris iam cessasse legalia, & accesseris sine calcis, perspicies virginem peperisse vnicum filium Dei, Messiam verum, saluatorem vnicum seculi. Moyses autem hoc vidit, cum duceret gregem ad interiora deserti. Tu vero cum ad superiora verè velis conscendere: & si quis tibi grex dominicus est commissus, respicies ad perfectiora; tunc à rubo audies loquentem dominum, tunc doceberis quid te oporteat dicere Pharaoni, & respondere seculo & principibus eius: & qui te mittit docebit te: ita oportet, qui largitur beneficia docere, quid acturi sint illi, quibus illa collata sunt; qui te præficit populis, quid agas instruat, vt per ipsum minimè stet, quin populus è potestate Aegyptiaca demones eruatur, & in obsequium Christi deducatur. Terra igitur nostra ecclesia, in qua beatissima virgo Maria ardet & non comburitur, generat & virgo permanet, terra sancta est, extra quã nec sanitas nec salus est. Iam in nouo testamento euangelista Io. hanc beatissimam virginem non in terra, sed in cœlo cernit; inquit enim Apoc. 12. Signum magnũ apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim; Amicta est sole, tota circumfusa charitate, lumine splendente mirabilis, pallium enim quo induimur cætera cooperit; ac si euangelista dicat, mirabilis est eius humilitas, mirabilis eius puritas & virginitas, mirabilis eius patientia, mirabile eius cordis martyrium, mirabilis eius prudentia, mirabilis eius innocentia. Atqui signum magnum apparet in illa: tota gratia circumdata, tota amicta charitate, lunam frigidam habet sub pedibus. Nulla in ea virtus frigida, velut in nobis est; qui semper proponentes bona facere, nunquam virtutum calore excitamur, nunquam ardore flagramur, sed semper tepide semper frigide operamur. At in capite habet coronam, non regum huius sæculi vanitatibus plenam, sed fabricatam stellis duodecim: quas beatus Bernardus caumerans, & nomina singulis imponens, ait; Prima, generatio eius mirabilis. Secunda, visitatio angelica. Tertia, spiritus sancti superuentio. Quarta, mirabilis conceptio filij Dei. Quinta, primiceria virginitatis. Sexta, secunda sine corruptione. Septima, grauida sine graamine. Octaua, in partu virgo puerpera. Nona, pudoris mansuetudo. Decima, deuotio humilitatis. Undecima, magnanimitas credulitatis. Duodecima, martyrium cordis. Beatus tamen Mattheus primam huius coronæ stellam in primo cap. describit: quomodo eius generatio mirabilis, & à tot regibus, à tot patriarchis, à tot viris ex tribu Iuda descendit mater veri Messie, qui promissus per tot ante secula fuit. Vt autem mater de tribu Iuda & regibus descendit, sic & humanitas filij: cui cum Patre & spiritu sancto est gloria, honor, & imperium, per infinita seculorum secula. Amen.

TRACTATUS SEXTVS,

In cap. primum beati Matthei.

AD HVC tamen restat respondendum, quare hæ tres mulieres, Raab mater, & Ruth Moabitis, & Bethsabee adultera producantur in genealogia saluatoris. Beatus Hieronymus vno verbo concludit: ut qui pro peccatoribus veniat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleat. Cũ autem nos huic difficultati radicibus desideremus finem imponi, non negamus beati Hieronymi interpretationem. Atqui quomodo id accipiendum sit ostendemus: Fuerat enim duæ primæ gentiles, tertia adultera. Cum autem ponuntur in genealogia

gia saluatoris, & quando generatur Booz de Raab, Obed ex Ruth, Salomō ex Bethsabee: nec illæ gentiles, sed iam Dei cultrices erant: nec illa adultera, verum ex legitimo iam matrimonio generat Salomonem. nam peccata deleta, licet fuerint, iam non sunt peccata. Nec enim secundum Aug. nocent peccata præterita, si non placent præsentia. Nemo enim mundus à sordibus, nec infans cuius est vita vnius diei super terram: & cum ab omni peccato semper sit cauendum: si quis tamen ubi peccat conuertatur, poenitentiam agat, & iuranti incubat, miserabitur ei dominus. Peccator Saulus persequens ecclesiam Dei misere ricordiam consequitur, ut ipse testatur, & Paulus efficitur: quoniam ignorans fecit, ut ipse dicit, in incredulitate. Raab peccatrix erat, vt legit Iosue. 2. cap. & gentilis: veruntamen exploratoribus quos hospitio recepit, & abscondit, dixit: dominus enim Deus uester, ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum. Salmon autem qui erat vir diues & potens, non illam sibi matrimonio copularet, nisi illa iam esset Iudæa, & vera vnius Dei cultrix: nec à populo id coniugium toleraretur (cum esset lege prohibitum, gentilem vxorem ducere) si illa non esset conuersa ad fidem Iudæorum. Vt quem in gentilitate posita confitebatur Deum cœli & terræ, inter Iudæos habitans multo amplius confiteretur & coleret. Ruth autem Moabitidis, quando ducta est in uxorem à Booz, fidelis erat, vt in lib. Ruth legimus: & à Booz laudata, & à populo approbatum est matrimonium. Quin etiam adimpletur prophetia Esa. 16. Emitte agnum domine dominatorem terræ de Petra deserti ad montem filiarum Sion. Erat enim ipsa Ruth de ciuitate Moab, quæ dicebatur Petra deserti. Venit ergo Messias de Petra deserti per Ruth ad montem filiarum Sion in Iudæam. Bethsabee autem, & si peccatrix extitit, licet non à toto, aliquo modo excusatur, propter potentiam regis. Veruntamen & si peccatrix, iam poenitens, iam conuersa: & quoniam peccatum occultum fuerat, duxit illam Dauid in uxorem: & illa postulans vt regnaret Salomon post Dauid, ait illi: Domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israel, vt iudices cis, quis sedere debeat in folio tuo, domine mi rex, post te: Eritque cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores. Dixit Bethsabee hoc, ac si diceret: omnes dicent filium meum Salomonem natum ex adulterio, & me moecham: si tu in regem alium post te constituas: quasi illum præteriens veluti illegitimo thoro natum, cum ipse iam natus legitimus sit. Quæ autem monita ipsa derit filio, prouerb. vltimo legimus: ex quibus omnibus Bethsabee iam conuersam, iam bonæ vitæ conspiciamus. De mulieribus autem, quæ peccatrices primò fuere, conuersæ tamen, & veri Dei cultricibus, & poenitentibus, & iustificatis, nascitur dominus. Et sic beati Hieronymi sententia intelligatur. Nascens de peccatricibus, quæ scilicet fuere peccatrices, nunc autem bonæ vitæ: nascitur dominus, vt omnium peccata remittat, qui verè conuersi, verè poenitentes, ac verè fuerint iustificati. Tum etiam non prætereundum in hac sacra lectione Euangelica: notatur boni patres iniquos generasse filios, iniqui patres optimos genuisse liberos. Bonus Iosias iniquum generat Iechoniam & fratres eius. Iniquus Achaz optimum genuit Ezechiam. Vnusquisque onus suum portat. Notandum vero quanto Deus odio homicidia, crudelitatem, & pusillorum afflictionem prosequatur: Nam tres reges è genealogia saluatoris excluduntur, & ex atauo in trineporem descenditur, ablata trium memoria. Ioram autem, inquit euangelista, genuit Oziam: verum est, sed est eius trinepos Ozias. Lege. 4. regum. 8. & 11. & 15. cap. vbi inuenies: Ioram genuit Ochosiam, Ochosias Ioam, Ioas autem Amasiam, Amasias Oziam: Atqui Ochosias, Ioas, & Amasias se immiscuerunt sanguini & cognationi impiissimæ Iesabelis, ob

idq; tolluntur a genealogia saluatoris, & ponitur ataus. Ioram genuit Ozia trinepotem eius. Ipsa namque impiissima Iesabel vxor regis Achab, (à qua cognatione hi tres reges excepti sunt) fecit occidi Naboth virum pauperem, quoniam noluit uendere Achab vineam suam, quæ coniuncta erat hereditati Achab. 3. Reg. 2. 1. quæ quidē occisa deuorata est a canibus, suæ impietatis dans debitam vltionem. Fugiant igitur potentes crudelitatem, fugiant pauperum & miserorum extorſiones: alioquin excidentur a saluatoris spirituali cognatione, qua data est nobis facultas filios Dei fieri, & penas adhuc in hoc seculo suæ impietatis exsoluent. Mirum immodum considero quòd sanctus Euangelista in calce huius lectionis & deductionis generis saluatoris concludit, tot enumeratis patriarchis, tot recitatis regibus: virum, inquit, Mariæ, non dicit de quibus genitus est Iesus, qui vocatur Christus: sed de qua natus est Iesus, qui uocatur Christus: de illa sola purissima, de illa sola sanctissima: nec dixit de quibus Ioseph, & Maria, uel Ioseph: sed mirum immodum virginitatem denotans Mariæ, & de illa sola sine viro nasci Christum, exclamat: de qua Maria, de qua scilicet sola absque uiri consortio, de qua sola purissima, uirgine sanctissima, uirgine omni puritate plenissima, omni sanctitate fecundissima, de qua sola, inquit, natus est Iesus qui uocatur Christus: cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

TRACTATUS SEPTIMVS,

In primum cap. Beati Matthæi.

ALIQUID tamen adhuc morale, & animabus nostris salubre ex sacra genealogia saluatoris deducentes consideremus. Anima nostra secundum Arist. tanquam tabula est rasa, in qua in sui primordio nihil est depictum. Hanc tanquam mundissimum librum post candorem baptismi accepti, decet bonis characteribus describi, optimo penicillo depingi: & ut tota diuinis rebus inhaerens, possit dici liber Iesu Christi, in quo semper inueniatur firma fides, vera spes, sincera charitas: utq; multis bonis operibus scripta & ornata, & in confortium filiorum Dei recepta cum Christo mereatur regnare. Ut autem finis iste obtineatur à nobis, necesse est perducentia in hunc finem media deligamus. Secundum Arist. electio est mediorum, & uolitio finis. Procuremus igitur, uolentes finem beatum assequi, media ad illum finem consequendum. Quid enim proderit uelle ire Romam, & iter in Africam facere? Præcipit Deus ut cum diligamus super omnia, præcipit & proximos sicut nos ipsos: hæc directæ via in cælum ducit. Nos Deo uoluntatem nostram singulis horis præponimus, proximis rarò bona & cerbrò mala impendimus: & cum in unoquoq; homine bona & mala possimus inuenire, bona quidem silemus, & mala pādimus: bona detrahimus, & mala addimus. Et sic librum scribimus damnationis eternæ, & animas nostras lituris & maculis turpiter inficimus: ita ut illud Hieremias uerè de nobis dicatur: Denigrata est facies eius super carbones, & nō sunt cogniti in plateis. Immo nomen Dei secundū Apost. ad Rom. 2. per nos blasphematur inter gentes: cum fidei inimici cernunt domesticos Christi turpiter uiuere. Voluntati enim nostræ uolentes in omnibus rebus piacere, a Dei uoluntate deficimus: a quo fonte innuicera malorum flumina emanare quotidie cernimus, decurrant in mare eternæ damnationis: iuxta illud Apocal. 13. Et stetit (inquit beatus Iohannes) draco super arenam maris: & uidit de mari bestiam ascendentem habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua

cuius

eius diademata decem: & erat similis pardo, & os eius sicut os leonis, & pedes eius urſi: & draco dedit ei potestatem, & uirtutem suam: & mirati sunt omnes, dicens: Quis sicut bestia, & quis poterit uincere eam? & adorauerunt eam omnes habitatores terræ, quorum nomina non sunt scripta in libro uitæ agni. Sedit draco super arenam, super siccos & infructuosos: arena nāq; sicca & infructuosa est. super homines siccos, & nullum fructum bonorum operum afferentes, nec miscentes bona opera cum malis, sed tota die mala cogitantes & operantes, nec aliquid boni facientes: sedet, id est requiescit. Nam si demon aliquē peccatorem uideat, nonnulla miscentem bona malis suis, timet eum conuerti. Expertus enim est plurimos peccatores, qui aliquo detinebantur peccato, multa bona facientes, serui misericordia Christi à faucibus eius: ut fuit Matthæus, Magdalena, Petrus cum negauit, Iarros in cruce, Paulus, Maria Aegyptiaca, & alij innumeri. Cum autem uiderit peccatorem in suo peccato residentē, & nihil bonorum operum admiscētē, sed et draco super talem siccam & infructuosam animam: & quasi de illo securus requiescit. Quo sedente, bestia ascendit de mari: Cor impij, inquit Hieremias, quasi mare feruens, quod quiescere non potest. De corde sicci & aridi peccatoris ascendit bestia uoluntatis suæ, quæ est frænata & solura ad rapiendum, habet urſi pedes: ad deuorandum os leonis, nihilque relinquit malorum intactum, cor prauum scilicet, exercens ad malum. Decurrit ipsa per scapham corporis uitiorum in pelago, & uento fertur libidinibus suæ, ac per uerſorum desideriorum ubique fluctibus agitata, modo hoc, modo illud committit peccatum: illic procella incontinentiæ, illic uentus honoris, illic auaritiæ & cupiditatis unda, quasi mare feruens æstuat. Ideo dicitur habere capita septem, quæ sunt septem capitalia peccata: decem uerò cornua, quibus imperit, decemque Dei summi præcepta concutit: & decem diademata super decem cornua, quoniam cornibus, id est peccatis, quibus decem præcepta cōminuit, diademata ponit. Hæc miseris nobis habemus hodie peccata coronata, uitijs diademata imponimus: ut si quis oderit fratrem coronatur, quoniam sic decet uirum nobilem: si occidit coronatur, quoniam fecit (inquiunt mundani) ut talem uirum par erat facere: si illiſit alicui uirgini, uocatur ingeniosus, & fortunatus: si rapuit aliena, coronatur à mundo ueluti potens: & si regna aut alienā prouinciam ui & bello capit, fortis & magnanimus cognominatur: si delicatissimè edat, & serico uestitur & auro, nobilis appellatur. Ecce diademata super cornua bestię, super peccata coronata uidemus nostris temporibus, neglectam uirtutem despecta Dei præcepta. Nec desunt qui hanc admirentur bestiam: si quis regi acceptus, si quis in mundo excelsus, hunc uerentur omnes: & unusquisque se esse illum conuulsit. Utinam dicit vnus regi à consilijs esset: utinam dicit alter regis familiaris: utinam, inquit alius, regis esset concionator, aut confessarius. Itaque plerique omnes admiranur bestiam, atque illos quorum sunt crimina coronata. Præterea adorant bestiam, qui usque adeo nimis suæ uoluntati indulgent, ut nihil solidum, nihil stabile, nihil perpetuum præ illa curent: mirantes miseri & quærentes transitoria, amittunt æterna. Adorauerunt eam, inquit beatus Iohannes, omnes habitatores terrę: hi scilicet, quorum nomina non sunt scripta in libro uitæ. Inſcribamur ergo in libro regenerationis Iesu Christi, ut filij adoptiui patri nostro obtemperemus, & eius præcepta seruemus: moriemur namque nisi illi dum adhuc uiuimus coniungamur. Anima enim delicatissima est, quæ & si nō deficiat, si tamen separatur à Deo, in æternum excruciat. Quemadmodum enim alicuius, & regis familiaris ab eo despectus & pristi-

na priuatus gratia, maximo dolore cōficitur: ita & aīa egressa corpore, si à Deo separatur, perpetua morte torquetur, ipsa interim nunquā moriens: quod omni temporali morte acerbius est. Quae autem Deo coniungitur, operibus bonis ornata Dei gratia, in aeternum uiuit cum Christo: cui cum patre & spiritu sancto est honor & gloria in aeternum. Amen.

TRACTATUS OCTAVVS,

In primum cap. Beati Matthæi.

ENARRATIS generationibus quatuordecim ab Abraam vsque Dauid, item quatuordecim à Dauid vsq; ad transmigrationem Babylonis: & quatuordecim à transmigratione Babylonis vsque ad Christum dominū, cōcludit Euan gelista, *Christi autem generatio scerat. Qui pro vt dictum est ab istis descendit per veram lineam tribus Iuda, vsque ad beatissimam Mariam matrem eius de qua natus est. Quomodo autem hoc mysterium reuelatum sit sponso eius Ioseph: quomodo & ipse sponus reddatur testis incarnationis dominicæ: semper que permansit virgo hæc Dei genitrix Maria, ex sequentibus ostenditur. Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph. Desponsata tantum inquit Euangelista, vt scias incognitam, scias intactam, scias immaculatam. Quare autem dominus voluit desponsari matrem eius? Origenes inquit, quatenus hoc sacramentum diabolo celaretur, & malignus non inueniret quid virgini opponeret. Notandum est, quomodo multa celantur diabolo. Etenim in perpetua tortura exi stens, multa ignorat pressus tormentis: maximè autem cum summus dominus Deus noster vult aliquid celare illi. Nam si angeli beati, quæ Deus illis reuela re non vult, minime percipiunt: quo enim pacto dominatus diabolus capset ea, quæ dominus illi occulta esse statuit? Fortè non abs re posset etiam dici, quatenus Iudæis & mundo hoc sacramentum celatum donec suo tempore per eundem dominum nostrum Iesum Christum esset reuelandum: tum & doctrina & miraculis ostendendū. Beatus Ambrosius inquit, desponsata est viro, qui posset vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum. Tu autem qui hæc legis non ex vulgaribus verbis hanc beati Ambrosij sententiā accipias. Iustus enim non admittit sponsam iniqua agentem, nec occidit, sed dimittit: quod infra videbimus de beato Ioseph, cū dubitaret de virgine sacratissima: nempe debet beati Ambrosij verba in hæc reducere, desponsata est viro: qui vernis testis esset virginitatis virginis, & virtutis spiritus sancti, & conceptionis verbi incarnati. Nullus humanus testis post virginem adhiberi poterat clarior quā sponus, cuius præcipuè res agebatur. Impium est etiā dicere ex verbis beati Ambrosij, qui possit occidere, prout incauti prædicatores aliquando dicunt. Beatus autem Augustinus dicit desponsatam, quatenus Iudæi existimarent Christum ex matrimonio legitimo procreatum (post quod iam rite celebratum, & ed altius sit conceptus) ne si non agnoscerent patrem putatiuum parui penderent. Maluit, inquit, dominus aliquos de suo ortu, quā de matris pudore dubitare: nec voluit ortus sui fidem matris iniuriis astruendam: *Inuenta est in viro habens de spiritu sancto*. Ecce quomodo beatus euangelista testatur de spiritu sancto conceptū dominum. Inuenta autem est à beato sponso eius, cum rediret de domo Zachariæ & Elisabethæ: quam visitauit post discessum angeli, secundum quod beatus euangelista Lucas testatur: quoniam mansit apud illam quasi mensibus tribus. Trino iam mense vterus beatissimæ uirginis intumescbat, illamque interim Ioseph*

Ioseph sponus visitabat. Tandem in domum suam, parentum scilicet, reuersa est beatissima virgo: cuius vterum intumescem cum eius sponus confideraret, anxie quid facturus esset cogitabat: veruntamen *Cum esset iustus*. Ecce quod prædicimus de viris iustis, cum suspicantur aliquid sinistrum, non cogitant occidere sponas, aut vxores. vt scias illud dictum beati Ambrosij, prout supra memorauimus, non sic crudeliter vulgaribus acclamandum, tum propter sponsi beati Ioseph sanctitatem, tum præcipuè propter ineffabilem deiparæ Mariæ puritatem. *Et nollet eam vraducere*. id est, in consortium admittere, in domum suam portare, ac simul cum illa habitare, voluit occultò dimittere eam: existimans hoc melius quā illam diffamare, aut illam in domum deducere, sic pregnantem. Permittitur dubitare beatus Ioseph, vt si dem incarnationis dominicæ alruat, qui perpetuæ virginitatis deiparæ testis effectus omnem prorsus dubitationem à nobis remouit. Sic de dubitantibus dominicam resurrectionem, inquit beatus Gregorius, minus mihi de fide resurrectionis Maria Magdalena contulit, quā Thomas qui diu dubitauit. Quod beatus Leo Papa in hanc sententiā confirmauit: Gratias agamus Deo nostro, & sanctorum patrum necessariæ tarditati: dubitatum est ab illis, ne dubitaretur à nobis. Ita dubitatum est à beato Ioseph in proposito, ne dubitaretur à nobis. Qui autem confidit in domino, sicut mons Sion: non commouebitur in aeternum. Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Si Deo obsequeris, si Deum quæris, tacta in illum curam tuam. Et si orietur tempestas, destruat seculum, insurgant in te omnes principes terræ, non commouebis in aeternum. Verum enim verò, non tantum consideranda iusti & pij Ioseph commotio, & decretum dimittendi Mariam: verum & eiusdem uirginis sacratissimæ quies, māsuetudo, & spes in Deum. Huiusmodi enim erat cogitationi beati Ioseph, qua intus æstua bat, ut in facie commotionem & tristitiam non parum magnam ostenderet. E diuerso beatissima uirgo permanebat in mota: tota se committens Deo, omnem in illo fiduciam collocans. Viderat enim Elizabeth proclamantem mysterium absconditum, quod inter se & Angelum paulo ante fuerat peractum. Sic omnia in manu domini sciens esse tuta, si fortè vultum Ioseph tristem & conturbatum conspiceret, nihilominus ipsa quieta erat, confisa & in Deo secura: *Hæc autem eo cogitante, ecce angelus domini apparuit in somnis Ioseph, dicens*. Apparitio angelorum in somnis fit, motis phantasmatis, uel ipse angelus se animæ repræsentat, & loquitur in terris: & ita fixè scribit in anima id quod vult ut homo certissimè sciat, id uere per angelum factum. *Ioseph filii Dauid*. In memoriam reducit Dauid, ut reminiscatur Messiam promissum Abrææ, & tribui Iuda, ex prophetia Iacob, cum benedixit filios (prout superius diximus) & peculiariter ipsi Dauid. *Noli timere, accipere Mariam coniugem tuam*. Illam in domum tuam deducere, & cum ea simul habitare: quoniam sic decet, ita statuente Deo. te tanquam filium Dauid elegit conscium huius mysterij, & aduentus Messæ, & celatorem huius sacramenti, & nutritorem filij Dei & uirginis beatissimæ laborum sortium. Illa semper uirgo, tu cum semper uirgine uirginitatem seruabis, compos factus uoti tui: uirgo uirgini & filio eius obsequis emancipatus existes. noli timere. Nec te indignum reputes: nec arbitraris cum sis iustus, te facere rem illicitam, si in domum deducas pregnantem, cuius uterum nescis. Audi mysterium, venerare sacramentum, ad uirginis genua prouolutus adora uerum, Dei uerbum incarnatum gestantem. *Quod enim in carnatum est*. Non dicit

παρελαβει
μας
εις οικον
αυτης.

dicit conceptum, sed natum: vt cognoscat in tam paruo tempore, iam perfecti virum: quippe qui à primo suæ conceptionis momento, verus homo, & verus Deus. *Quod enim in ea natum est de spiritu sancto est.* Spiritus autem sanctus nõ corrumpit, sed conseruat: non frangit, sed sanat: claudit & illuminat: & quocũ que introierit, emundat atque sanctificat. Quid expectas futurum õ beate Ioseph, si quod in ea natum est de spiritu sancto est, quid paritura, aut quomodo paritura? *Pariet autem filium.* Non dicit pariet tibi filium, sed pariet filium: cuius ipsa sola mater, cuius solus Deus pater. *Et uocabis nomen eius Iesum.* Quod pariet uirgo considera: vt enim à spiritu sancto sine corruptione accipit, ita opera spiritus sancti & ipsius uerbi diuini exiet ex utero clauso. Quod autẽ nomen illi Deus imponat Iesum: non id casu vel ad terræ ingressum promissionis cogites: amplioris namq; dignitatis est. Deus est, cui soli, etiam ex Pharisæorum uoce, peccata dimittere concessum est. *Ipsẽ enim saluum faciet populum suum.* Tot seculis expectatus, tot prophetis proclamatus, tot figuris signatus, & peccatis eorum. Cum a peccatis audis, saluare nemo potest, nec dimittere peccata, nisi solus Deus. Deum crede incarnatum, cum Deum credis in carne. Incorruptionem crede beatissimæ uirginis sponse tuæ, & perpetuõ illam uirginem tenens adora. Confirmat nunc beatus euangelista, hanc perpetuẽ uirginitatis descriptionem beatissimæ Mariæ, ex Esa. cap. 7. dicens: *Hoc autem rotundum factum est.* Scilicet, quod in uirgine operatum est: & quod eius spõso beato Ioseph reuelatum est, ut adimpleretur: quod dictum est a domino, per prophetam dicentem: ecce uirgo in uero habebit, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum nobiscum Deus, id est, in nostra humanitate habitas simul Deus & homo. *Exurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut præcepit ei angelus domini.* Nec aliud experimentum cepit, neque ex uirgine quærens, nec à parëtib; eius. *Et accepit coniugem suam,* id est in domum suam deduxit, & eius uocauit obsequiis: fortẽ procidens ad pedes uirginis, quod sibi reuelatum fuit pater fecit: audire concupiscens, quemadmodum Deus homo factus clauderetur in sacrario uerè uirginalis. Illa fortẽ quod per angelum nuntiatum est, cum iam uideret sponsum suum edoctum de mysterio, enarrauit: & quod colloquuta est cum Elizabeth, & quod contigit de exclamatione, de laude cantici, Magnificat, instruxit: & sic beatus Ioseph admiratus, & stupefactus obsequiis beatissimæ semper uirginis addictus est. Inquit euangelista. *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum: & uocabit nomen eius Iesum.* Id est nunquã cognouit eam, permanentem uirginem in æternum: & peperit filium suum unigenitum. Miranda satis est stultitia hæretici Heluidij: ex his uerbis, non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, aliquid uelle detrahere puritati, & uirginitati Deiparæ. Vt autem primõ moneam Christianum lectorẽ: scire oportet, omnem hæreticum (quod hætenus sciam) non esse perfecte doctum, & vt uulgo dicitur literatum. Si aliqui eorum sacras literas legerint, doctores sanctos nequaquam attingunt. Si uerõ aliqui sanctorum doctorum studio incumbunt, Theologiam quam dicimus disputatiuam seu scholasticam, vt vanam irrident. Tu autem si errare non uis, quatuor ueluti pedibus fixus ambules, & gratia Dei non corrues. Primõ humiliare sub omnipotentĩ manu Dei: & captiua intellectum, iuxta Apost. in obsequium fidei. Dicit namque idem Apostolus, rationem reddens lapsus quorundam circa fidem, ad Timotheum discipulum suum Epistola 1. cap. 1. Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam: quam quidem repellẽ-

tes

tes circa fidem naufragauerunt: ex quibus est Hymenæus & Alexander. Repellentes bonam conscientiam naufragum fecerunt circa fidem: cum bona conscientia ex plurimis peccatis possit amitti. Diuus Tho. in hunc locum, & omnes, concludunt hanc repulsam esse per superbiam. Nam per hanc angeli corruerunt, & dæmones facti sunt. De hac dicitur per Apostolum Petrum & Iacobum: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et dominus: Abscondisti hæc à prudentibus & sapientibus, & reuelasti ea paruulis: id est, humilibus. Nam prudens & sapiens fuit Dauid rex, & alij, vt Esaias: sed illie prudentes & sapientes intelligendi sunt iuxta Apost. ad Rom. cap. 1. Qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis: dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Vnde & Dauid: non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam: sicut ablatus super matre sua, ita retributio in anima mea. Manifestum ergo est superbia corruere hæreticos & in hæreses prolabi. Secundo oportet sacras literas memoriter, tum etiam humiliter habere. Tertiõ doctoribus sanctis, & interpretationibus eorum, & sacris concilijs semper adherere. Quarto disputatiuæ Theologiæ, quam dicimus scholasticam, & eorum scriptoribus iruigilare & sanctiorem eorum sensum tenere, & modum loquendi eorum pro theologico sermone & lingua studiose amplecti. Si quatuor hæc habueris, confide in domino; quod gratia eius non te deseret: nec in barathrũ Heluidij impij hæretici, nec in abyssum tenebrosam aliorum hæreticorum delicias. Heluidius igitur hæreticus ipsius spiritus sancti loquendi usum ignorans, distonem, donec, peruersẽ interpretatus, illic terminum uirginitatis perpetuæ deiparæ constituit: non attendens quemadmodum spiritus sanctus per os Dauid de Christo Psal. 109. dicit. Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si ergo Christus à dextris Dei sedet, donec ponantur inimici eius sub scabellum pedum eius: deinde nõ erit ad dexteram, si dictio donec sumatur terminatiuẽ. Sicut ergo hic, donec ponam inimicos tuos: sic euangelista, donec peperit filium suum, non terminatiuẽ, sed donec pro &, consecutiuẽ: ac si diceret, & non cognoscebat eam unquam: & illa peperit filium suum. Simile reperitur. 1. Reg. 2. cum Anna pro nato Samuele canticum domino redderet, spiritu sancto afflata: Repleti propanibus se locauerunt, & famelici saturati sunt, donec sterili peperit plurimos. Si dominus famelicos non fatiat, nec repletos superbos euacuat, nisi dum sterili plurimos parit: intelligens per plurimos Indæos, & per famelicos gentium populos, cessare utique nunc quoniam iam sterili gentilitas plurimos habet filios. Donec, ibi, pro & sterili peperit plurimos. Idem est, esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Et in Psal. Habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. Idem dominus Matth. 5. Amen quippe dico uobis, donec transeat cælum & terra, iota unum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Ergo cum omnia impleta fuerint, cælum & terra desinent esse? non certe: Siquidem renouabitur aer post iudicium, renouabitur terra, sed non desinent esse. Quod autem Luc. dicit cap. 11. Cælum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt: idem est, ac si dominus dicat: facilius est cælum & terram desinere, quàm uerba mea cassari. Et cum primum non fiet: à fortiori, non pertransibunt uerba mea. Itaque dictio, donec, non est terminatiua: ut cæli & terra, uerbis domini adimpletis, corruant, & esse desinant: sed pro &, ponitur, & si transeat cælum & terra, id est, si possibi le esset transire, non est possibile uerba mea transire, & omnia implebuntur suo tempore. Similiter legimus Matth. 5. Non exies inde, donec reddas nouissi-

mum

2057
60 d' 78

Hæretici
indocli.

2057
sic sane.

num quadrantem hoc est nunquam, sic interpretatur glossa interlinealis, quæ dicitur esse spiritus sancti. Idemque dixit dominus Luc. 12. Non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas. Quod glo. interlinealis, & omnes expostiores interpretantur, hoc est, nunquã exies. Sic donec, pro &, ponit: idest, nunquam cognouit, nec postquam peperit. Idem reperimus Iob cap. 8. Deus inquit, non proiciet simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur os tuum risu, & labia tua iubilo. Si, donec, terminatiue sumatur hic, videlicet impleto ore iusti in gloria risu, & labiis iubilo, Deus tunc fauebit malignis, Deus tunc proiciet simplicem. Ponitur ergo consecutiue: idest, Deus non proiciet simplicem vnquam nec villo tempore porriget manum iniquis. Tibi autem bona operati implebitur os risu, & labia tua iubilo in gloria. Quod bea. Gre. li. 8. Moralium. c. 41. exponens ait: sic per euangelium de Mariæ sponso dicitur: & non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum: non quod hanc post natiuitatem dei cognouerit, sed quod nunquam illam contigit, etiam cum conditoris sui matrem esse nesciuit. Nam quia eam contingere nequaquam valuit, postquam redemptionis nostræ ex eius uero celebrari mysterium agnouit, de illo profecto tempore necesse erat vt euangelista testimoniu ferret, de quo propter Ioseph ignorantiam dubitari potuisset. Sic itaque dicitur: Deus non proiciet simplicem, nec porrigit manum malignis, donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo: nec enim Deus definit vnquam bonis præmia, & iniquis pœnas debitas retribuere. Bene enim Dauid id comprobatur, dicens, Psal. 44. Adducuntur regi virgines post eam, proximæ eius afferuntur tibi in lætitiâ & exultatione. Ideo enim eius exemplo virgines adducuntur Deo post eam, quoniam ipsa in æternum permanit virgo. Et Ezechiel. cap. 44. inquit: Et conuertit me ad viã portæ sanctuarii exterioris, quæ respicebat ad orientem, & erat clausa. Et dixit dominus ad me: Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir nõ transect per eam: quoniam dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi: Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram domino. Ecce portam clausam, per quã solus dominus Deus ingreditur in vterum virginis. Ecce quomodo homo Ioseph, nõ tranfit per eam nec alius homo: quoniam principi Christo est clausa, & princeps in ea sedit ad comedendum panem. Quis vnquam rex, quis princeps in porta sedet manducans? cum & mendicantes vix id faciant, sed domum aliquam ingrediuntur, vt manducent. Dicitur autem vt comedat in ea panem, quoniam id alijs expressit verbis Esa. cap. 7. dum diceret: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel: butyrum & mel commedet. Ecce iam manducat panem e manibus virginis: ecce iam melle & butyro nutritur, qui angelos pascit gloria: parnoque lacte pascitur, qui omnibus escam opportunam suggerit. Cum enim Deus bis dixerit in baptismo & transfiguratione Christi: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: cumque Deus pater hoc vnico sibi complacet filio, quomodo non mater eius semper complacentiam in tali filio habeat? & non illi summam debitamque impendat reuerentiam? Itaque vnico illo beata, non potest alium quærere, nec alium habere filium. Non audeat præcurfor aquam filio virginis super caput effundere: prohibebat enim eum Ioannes dicens: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? Et audeat Ioseph matrem illius tangere, cum esset vir iustus & sanctus? In vllam vnquam cogitationem cadere tale potest? Quod & angelus Lucæ primo, beatissimæ virginis factis innotuit, cum dixit quærenti uirgini: Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco? & si sim desponsata, uotum habeo uirginitatis? Habebat namque exemplum in Helia & Helisæo, qui non sunt coniuncti uxoribus: quod aliqui

de filijs

de filijs prophetarum habitantibus Hierico. 4. Reg. 2. affirmant. Hoc dixi, ne videatur legèri inauditum, in lege veteri aliquos seruasse uirginitatem. Quapropter satis consentaneum est, & illam uouisse beatissimam uirginem, & Ioseph eius sponsum. Respondens angelus dixit: Spiritus sanctus superueniet in te: ac si dicat ea quæ per spiritum fiunt, corpus nõ corrumpunt. Transfit enim per parietem, per portam clausam spiritus: anima siquidẽ non corrumpit, quinimõ sustentat corpus. Quod ergo fit per Spiritum sanctum omnino incorruptibile erit, & perpetuam illi uirginitatem angelus his uerbis futuram ostendit, licet concipiat & pariat in utero. Virtus etiam altissimi obumbrabit tibi. Si enim Deus uirtutem & fortitudinem suam adhibuerit hoc negotio, te utique perpetuò, etsi concipias & parias, uirginem conseruabit. Quin etiam, quod enim ex te nasceretur sanctum, uocabitur filius Dei. Filius utique Dei generatur a patre incorruptibiliter: & ita fiet, vt tui corporis integritate manente, concipias & parias, & permanas perpetuò uirgo: cum ipse sit splendor patris, & figura substantiæ eius. Splendor enim solis, non corrumpit solem, etsi procedat a sole: nec tu uirginitatis patieris detrimetum, etsi indutus carne exeat a te uerbum incarnatum. Attende enim, quoniam non erit impossibile apud Deum omnẽ uerbum. Si Deus omnipotens uult te concipere & parere, & perpetuò uirginem permanere, non erit impossibile. Omnia enim, inquit pater tuus Dauid, quæcunque uoluit dominus fecit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Fecit Deus hominem sine muliere, admiretur mundus: absque corruptione matris, natus est primus homo: fecit Deus mulierem, absque apertura hominis tult costam, & repleuit carnem pro ea. Ecce fabricatur prima mulier absque hominis corruptione. Uult Deus in te beatissima uirgo, facere hominem Christum absque tui corruptione, vt semper uirgo permanens, sis Dei & hominis mater. Si Deus uult, inquit angelus, sufficit uelle: quia nõ est impossibile apud Deum omne uerbum. At quid immoramur? ipse iniquus Mahometus in suo alchorano, non est ausus immaculatam uirginem tangere: quin etiam fatetur uirginem concepisse, peperisse, & in perpetuum uirginem permanisse. Donec ergo peperit, consecutiue pro & peperit est accipiendum. Porrò ignauitæ eiusdem Heuidij hæretici impudentissimi, de primo genito, vnico uerbo respondebimus: quod non dicitur aliorum filiorum respectu: ut probatur ex lege. Cum enim Deus præcipiat sibi offerri primogenita, oporteret expectare secundum parum, respectu cuius iste primo natus dicatur primogenitus: quod absurdissimum est. Frates autem Domini, qui leguntur in euangelio, filij sunt sororum beatissimæ uirginis. Sic enim Loth erat nepos Abraam filius fratris sui, & Abraham uocat illum fratrem, dicens: Fratres enim sumus. Idem dixit de Sara, soror mea est ad Abimelech, Gen. 20. quæ erat filia Aram fratris Abraam, vt Gen. 11. legitur. Igitur de iparam Mariam semper uirginem vnico habere filium constat in terris, qui in cœlis vnicus est Patri: cum quo & Spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum. Amen.

D INCIPIT

INCIPIT CAPVT SECVNDVM
BEATI MATTHAEI.



TRACTATVS PRIMVS,

In caput secundum beati Matthaei.



POST QVAM ergo beatus euangelista praedixit, impositum fuisse nomen Iesus Domino nato, quod octauo die dum circuncideretur puer, inditum testatur Beatus Lucas cap. 2. inducit Magos venisse adorare dominum: quod decimatertia die a natiuitate saluatoris contigisse vniuersalis tenet sacrosancta mater ecclesia, & ex euangelio satis ostenditur cum dicitur: *Cum ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudae in diebus Herodis regis: ecce Magi, quasi diceret, statim nato domino ecce Magi. Regem autem Herodem dicens, Ascalonita intellige. Alius Herodes Antipas, decollauit Ioannem, & dominum in passione veste alba illustravit. Alius Herodes Agrippa occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio: & in uinculis confecit Petrum, ut legimus in actis Apostolorum. Ille primus Ascalonita occidit innocentes: quem sacer euangelista hic adducit, ut innotescat Iudeis quibus Hebraica lingua scripsit euangelium. (cui isti Herodes essent Idumaei, & imperio Rom. Iudae subiecta: quemadmodum beatus Luc. 2. & 3. ca. ostendit, & ab imperatore Roman. iste alienigena & profelytus erat factus tetrarcha Galilae: nec tunc erat rex in Israel naturalis Iudaeus de domo Dauid) completum esse unum ex signis temporis aduentus Messiae, quod erat praenotatum in scripturis, Gen. 49. Cum enim sceptrum regale, & Messiam de tribu Iuda uenturum prophetar et Iacob, dixit: Sceptrum a te Iuda non possidebitur quando uenerit Messias: Non auferetur, inquit, sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est. Tunc enim ablatum erat sceptrum Iuda per Rom. imperatorem: & isti Herodi alienigenae concessa prouincia Galilae in gubernationem: qui ex privilegio imperatoris, regis nomine gloriabatur. Nato igitur domino in diebus huius alienigenae Herodis, *Ecco Magi*, quos nos sapientes interpretamur, Magnus enim Chaldaice idem quod sapientes latine. Sapientes uoluit illos euangelista appellare, potius quam reges, cum simul essent reges & sapientes: ut omnem ambiguitatem & suspensionem aduentus eorum tollat e cordibus audientium, cum eos audiant e tam longinqua regione deuenire ad adorandum paruulum natum: ne uel casu uel leuitati id ascribant, immo mysterio: uidentes homines sapientes ab oriente cum muneribus uenire adorare dominum. Quod autem reges fuerint, & si sancte ecclesiae consensus, quae in uniuersum eos reges appellat, sufficiat, simul & prophetia: Ambulabit reges in splendore ortus tui: & illud psal. 71. Reges Tharsis: & insulae munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent, quod in hoc festo decantat: etiam Tertullianus id asserit in libro, quem edidit aduersus Iudaeos cap. 6. & beat. Athan. in lib. de uarijs questionibus. q. 2. aperte, cum sit antiquissimus, eos reges fuisse indicat, in hac uerba: Sequitur, inquit, dies epiphaniae, quem nos trium regum appellamus diem. Non enim tempore Athanasij regum dies appellaretur*

appellaretur epiphania saluatoris, si non uerè hi magi reges fuissent. *Ab oriente uenerunt.* Si uis ab oriente respectu Hierusalem, id est, ab Idumaea, & Moab, iuxta illud Nume. c. 24. Orietur stella ex Iacob & confurget uirga de Irael, & percutiet duces Moab: tunc aduentus in diebus tredecim, in camelis & dromedariis est uia communis. Si autem quod uerius uidetur, secundum prophetiam Esa. c. 60. & psal. 71. Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes: & reges Tharsis & insulae munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducunt: intellige aduentum istorum beatorum Magorum regum, ex ipso uero oriente fuisse, per aliquos menses: uel fortè prius per annum, uel amplius, uel à die incarnationis dominicae ostensa est eis stella: & iter ceperunt per mare, deinde per terram in Hierusalem, nouemque mensibus uiam perfecerunt, diuino adiuti fauore. Hoc consonum magis uidetur, quod statim domino incarnato apparuisset stella, & in mensibus nouem uenissent. Nato igitur domino die decimatertia adoratur. Ipsi autem die duodecima in Hierusalem introierunt, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudeorum? Cogitauerunt sancti reges, cum illis in regione longinqua existentibus apparuisset stella, notoria signa contigisse in Irael: & illud esse palam in ciuitate Hierusalem, quae esset totius Iudaeae caput. Ibi igitur natus esse regem, omnes alacres & magno gaudio repleti existimauerunt, & tanquam rem notam per portas ciuitatis introeuntes, querebant ubi esset palatium, ubi regia domus? *Vbi est qui natus est?* non dicunt principum Iudeorum futurum regem, ut contigit in donibus regum (nascitur enim filius regis rex futurus post patris obitum) sed quaerunt *Vbi est qui natus est rex Iudeorum?* rex est natus non factus, non iuratus ab hominibus, sed natus rex: quod dominus eisdem uerbis respondit Pilato: tu dicis quia rex sum: ego in hoc natus sum: in regno aeternae gloriae natus: quoniam beatus a momento quo est conceptus, & natus, rex regum & dominus dominantium. Et mirum est: quomodo hoc uerbum, rex Iudeorum, quod sancti reges in Hierusalem pronuntiant, cum Pilatus id posuisset super crucem domini, postulantisque Iudaeis ne id ferret: sed potius apponeretur, quia ipse dixit, rex sum Iudeorum, nunquam acquieuit Pilatus: & qui consensit in necem domini, negauit tituli mutationem. Pronuntiatum in sacratissima natiuitate saluatoris fuerat per os horum regum. Vbi est qui natus est rex Iudeorum? Nec tollitur à Cruce Domini titulus, qui illi in suis cunabulis à regibus spiritu sancto afflatus fuerat proclamatus: Sic iam praedixerat Dauid ut notatur à beato Augustino, in titulo Psal. 56. Ne corrumpas tituli inscriptionem. *Uidimus stellam eius in oriente, & uenimus adorare eum.* Noua stella in aere creata est lucidissima, quae facile in se oculos intuentium conuerteret, uel est prophetia Balam: Orietur stella ex Iacob. Nu. 24. si isti descendentes ab illo fuere, uel fortè aliquo alio signo in ipsa stella praestens. Costat ex his uerbis stellam apparuisse illis in discessu à regnis & à domibus suis: praesertim cum infra dicitur (scilicet egressis regibus ab Hierosolyma, petentibusque Bethleem.) Et ecce stella quam uiderant in Oriente antecedit eos: non dicit quae disparuerat illis in ingressu Iudaeae, uel in ingressu Hierusalem: sed quam uiderant in oriente: & hoc magis consonat literae. Postquam enim reges isti uiderunt stellam, & uenerunt uia recta ab oriente in Hierusalem, quae ciuitas notissima erat, non opus fuit per mare & terras stellam semper ante ipsos irradiare. Quia uerò in Bethleem domus pauperculā nihil nitore, & apparatus regij habens, ignota erat: egredientibus ab Hierusalem, iterum stella, quam in oriente uiderant, antecedit eos, usque dum staret supra ubi erat puer, id est supra tectum domus ubi erat puer: uel si forte disparuerit in ingressu terrae Iudaeae, uel ciuitatis Hierusalem. *Uidimus inquit stellam eius in oriente.*

te & uenimus adorare eum. Vocationem & prauentionem gentium isti hodie profitentur, quia primitiæ gentium isti. Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis: & Aethiopia praueniet manus eius Deo: & cum plenitudo gentium introierit, Israel saluus erit. Hodie regem natum, quem Iudæa non nouit, reges annunciant: & saluatorem quæ Iudæa occidit gentes adorant. Herodes cum nomine regis gauderet, cumq; prouinciam Galilææ gubernaret, audiens regem naturalem natum, suspicatus Mefsiam temporaliter regnaturum, cum impijs Iudæis turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Quod turbatur Herodes alienigena non miror: atqui Hierosolyma omnis quid turbatur? Vide quantum intra se suas iniquas cogitationes & impietates debent reges comprimere. Nam turbato rege turbantur omnes ciues. Aduerte quantum, si virtutem se sententur reges & domini, eam subditi imitabuntur: ideoq; dixit quidam: Ad nutum regis totus componitur orbis. *Et congregans omnes principes sacerdotum, & scribas, id est doctos populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.* Palam nobis beatus euangelista ostendit, inter Iudæos tempus Mefsie de proximo expectari. Cum autem audisset Herodes regem Iudæorum natum, querit ubi Christus nasceretur: hoc & Ioan. 4. muliercula Samaritana confirmat, dicens Domino: Scio quia Mefsias venit, cum uenerit ille docebit nos omnia. Non enim mulier, quæ aquam haurire uenerat, Mefsiam iam de proximo venturum diceret, nisi hæc fama inter Iudæos communiter haberetur. *At illi dixerunt ei, in Bethleem Iudæ.* Quæ distat a Hierusalem per duas leucas. *Sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethleem terra Iudæ, nequaquam minima es in principibus Iudæ: ex te enim exiit dux qui regat populum meum Israel.* Valde enim oportet reges & principes, cum de aliqua re suos peritos consulant, ne se in aliquâ partem inclinare ostendant: nam quo se principum fauor, eod & fragiles homines scientiam conuertunt, & penitus ab ea declinant. Turbatus erat Herodes, querit ubi Christus nasci secundum scripturas pronuncietur: dicit scribæ locum, verum tacent fortiora uerba prophetiæ. Nam Michæ cap. 5. sic habetur: *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in milibus Iudæ: hucusq; congruenter citare scribæ prophetam: deinceps autem mutata sententia est, nam propheta ait: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Aliud enim est domini nari, aliud ducem esse. Sed esto quoddam in his uerbis sit parua distantia, in eo quod tacuerunt est maxima: scilicet, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Si hoc diceretur Herodi, fortè non quæreret ad occidendum dominum. forte nec pueros ingularet innocentes. Tacuerunt enim diuinitatem Mefsie, & egressum eius ab initio à diebus æternitatis. Solus nãq; Dei filius est à diebus æternitatis, ab æterno cum Patre & Spiritu sancto Dens. Tunc Herodes simulans se uelle adorare paruulum, cogitans posse illum occidere, eo quod nõ audierat æternitatem eius, qui est ante luciferum genitus. *Clam uocatis magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis. Ut per stellam sciret paruuli etatem. Et mittens illos in Bethleem dixit, ite et interrogate diligenter de puero. Ite, quoniam illic natus est. Et cum inueneritis renunciate mihi, ut et ego ueniens adorem eum. Qui cum audisset regem, abierunt: et ecce stella, quam uiderant in oriente antecedebat eos. Quam uidentes uoti facti compotes, gausi sunt gaudio magno ualde.* Per hoc scientes uerè se à Deo ductos, uerèque inuenturos paruulum in Bethleem: & gaudium uniuersæ terræ magnum fore, cum & Herodes se venturum adorare dominum dixisset. *Uisua domini ueniens staret supra ubi erat puer.* Cum autem uiderent stellam stantem supra domum, nec se mouentem, ibi puerum esse cognouerunt. *Et intrantes domum.* Ex hoc uerbo uidetur iam dominum nõ esse in præsepio, non esse in stabulo: Non enim dicit euangelista, & intrantes diuersorium,*

uerforium, sed domum: hoc coniecturatur tum quia diuersorium, & stabulum, locus erat incommodus, qui mirabiliter ad natuitatem domini fuit electus, propter immania mysteria: tum etiam quoniam propter necessitatem, beatissima uirgo diuersorium petiit: nam eo tempore omnes domus urbis occupatæ erant ab iis qui describebantur, & profitebantur nomina sua ad soluendum tributum Cæsari Augusto. Iam uerò transactis diebus tredecim, multi eorum recesserant: & ideo multæ domus vacabant, & carebant hospitibus. Ultimò, omnes qui audierunt à pastoribus quoniam nocte uiderant lumen, & angelorum cantus, & quòd illis ab Angelo dictum est: Natus est uobis saluator qui est Christus dominus, mirati sunt de iis quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Ex quo uidetur quòd aliqua matrona, uel aliquis uir pius uirgini hospitium daret, & in domum suam induceret, & à diuersorio reuocaret. Ideo beatus euangelista dicit, & intrantes domum. Quòd si aliquis uelit adhuc in stabulo uirginem beatissimam hospitari, & ibi reperiri à regibus, non contendimus: nam uerisimilior rem, & licet textus aptiorem & magis consonam sententiam diximus. *Inuenerunt puerum.* non magna stipatum famulorum caterua, non armis uallatis, sed in gremio uirginis infantem tenerrimum, *cum Maria matre eius.* Talemque aspectum matris & infantis uultum inspicientes, genitus est in eis timor, immisium uenerationis obsequium: ut nunquam talem regem, talemque reginam se aspexisse cernentes, in terram prociderint. *Et procidentes adorauerunt eum.* Quid ni miraretur beatissima uirgo? superet & Ioseph, si ibi fortè aderat? qui enim procident adorantes, quid ni pedes eius sacratissimos deoscularentur? & ad pedes matris beatissimæ prouoluti, uenerarent tantam uirginem? lachrymis suffunderentur? mirabiliter intus inflammarentur? & nouo iubilo replerentur? Non refert beatus Euangelista quæ illi beatissimæ uirgini dixerunt, quidue illa illis: tamen est uerisimile illos sui aduentus causam retulisse, & quemadmodum omnis Hierosolyma ipsorum reditum expectabat, & ut Herodes præparabatur ad adorandum puerum: Item de apparitione stellæ, ut quæ sit occultata, atque iterum ab eis uisa, & quomodo supra domum stetit: hæc forte & huiusmodi alia, Magos dixisse par est credere. *Aperitis autem thesauris suis obtulerunt domino munera.* unusquisque eorum, aurum sicut regi magno: thus sicut Deo uero, & myrrham sepulturæ eius. Quod notandum in consuetudine hæreticorum luteranorum. Ecce reges fide quærun saluatorem, uerisimam offerunt aurum, thus, & myrrham: dona & opera sunt hæc, non sola nuda fides, sed quæ per charitatem operatur. Pia hac oblatione instruxerunt nos primitiæ gentium nostri patres, fidem sine operibus non prodesse: & hoc in ipsis canabulis saluatoris: immò & docuerunt opus esse piæ, Deo & ecclesiis offerre aurum: & ipse dominus ostendit sibi acceptum, & matri uirgini, quæ hæc accepit è manibus magorum dona. Hicce operibus, non sola fide, meritum Christi prouenit in nobis: opera charitatis attingunt merita passionis Christi, per quæ augetur & gratia: sola fides non trahit ad nos gratiam Christi. Fide uenerunt in Bethleem reges, fide & operibus charitatis gratiam quærun saluatoris, obtuleruntque ei munera, aurum, thus, & myrrham. Cum autem se ad sua hospitia contulissent, & cubitum irent, factum est ut *responsa accepto in somnis, ab angelo scilicet, ne redirent ad Herodem, per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam.* In hoc responso dictum est eis, & propalatum perfidum Herodis propositum: quod uerisimile est illos retulisse beatissimæ uirgini. Quomodo enim recessissent in salutato domino, in salutata Deipara? Et cum sit ratione consentaneum in adoratione exposuisset Herodis aduentum & Hierosolymitanorum (cum ab Hierusalem per quatuor miliaria distaret Bethleem, quæ breuis distantia erat) nunc quoque in recessu de re-

de reuelatione & admonitione in somniis, ne redirent ad Herodem, consciam fecisse beatissimam virginem. Ecce mundi applausus, ecce fictiones hominū. Herodes iniquus occidere quærit, quæ adorare simulat. Quapropter sicut adorā dus solus deus cū Magis, sic & in illo tota spes totaq; reponēda fiducia est. Ecce quod procurat Herodes, non consequitur: quod quarunt pii reges, oculis cer- nunt, adorant, offerunt munera, & per aliam viam reuertuntur in regionē suā. Piē credimus beatissimam virginem hos primum fidem edocuisse: hi enim sue re primitiæ gentium, quippe primi de minimū in incunabulis adorauerunt. Idē baptizati dicuntur à beato Thoma apostolo, cui Aethiopia, & Sabba, & India in sortem prædicationis celsit, post Domini ascensionem: cui cum patre & spi- ritu sancto est honor gloria & imperium, in secula seculorum Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In cap. secundum beati Matthæi.

Quia cum recessissent, scilicet Magi in regionem suam: ecce Angelus domini ap- paruit in somniis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegy- ptum: & esto ibi usque dum dicam tibi. Hoc non accipiendum est immediatē factū post recessum trium regum Magorum. Nam primo beatissima virgo præsentia uit vnigenitum suum in templo, die vigesima septima, ab adoratione regum: & quadagesima à sacratissima natiuitate domini. Sed considerandum est, post præsentationem in templo, rumore actō per Simeonē, & Annam prophetissam, & comperto per Herodem Magos non rediisse in Hierusalem: angelum tunc ap- paruisse Ioseph, iā in Nazareth reuerso in domum propriam, vt posset necessa- ria in viam sumere, & dixisse: surge, id est, ne moreris, & accipe puerum & ma- trem eius & fuge in Aegyptum. Cōsortia enim iniquorum euitare debemus, idq; maturius. Si. n. corrumpunt bonos mores colloquia praua, multo magis corrum- pentur à consortiis prauis, diu cōmorantes & conuientes cū prauis. Vnde & Dauid separari ab inuicem prauos desiderabat, cum dixit: Zelauit super iniquos pacem peccatorum videns. De quibus Salomon prouerb. cap. 1. Fili mi si te la- ctauerint peccatores, ne acquiescas eis: si dixerint veni nobiscum, & plura quæ sequuntur: fili mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum. Quo autem iure, an sub præcepto mortalis peccati, teneatur quis recedere à so- cietate quæ inducit ad peccandum mortaliter, non est dubitandum, quin vnus- quisque teneatur Dei præcepta seruare sub peccati mortali reatu. Quod si ad transgressionem alicuius præcepti diuini ab aliquo quis inducitur, & iam ex- pertus est occidisse suasionē illius, tenetur sub peccato mortali recedere ab il- lo. Idem si expertus est præcepta sacrosanctæ matris ecclesiæ transgressum fu- ise, ex societate & suasionē alicuius non ieiunantis temporibus præceptis ab ec- clesia, vel non audientis missam diebus festiuis, tenetur sub peccato mortali re- cedere ab illo. Qui enim amat periculum peribit in illo, Eccl. 3. & 19. Qui se iu- git fornicariis erit nequam. Idem de loco dicendum est: cum quis experimen- to discit, in tali loco se non posse viuere absque peccato, tenetur illum locum declinare, quando aliās non potest euitare peccatum mortale: nam si alia via possit euitare, non tenebitur recedere à loco, sed euitare culpam. Maior autem videtur insurgere difficultas, an pro euitanda morte temporali quis possit fu- gere in regna infidelium. Ioseph enim fugit in Aegyptum, & Dauid. i. Reg. 27. ait in corde suo: Aliquando incidam vna die in manus Saul: nonne melius est, vt fugiam, & saluetur in terra Philistinorum, vt desperet Saul: cessetque me qua- rere

rere in cunctis finibus Israel? fugiam ergo manus eius: & fugit ad re- gem Gethi, ipsi, & viri eius, & domus eius. Dominus autem apostolis ait in ca- pitulo. 10. Cum autem persequerentur vos in ista ciuitate, fugite in aliam. Videtur autem dicendū, quod qui fugere vult in ciuitates infidelium, & scit non posse in tot regna Christianorum effugere persecutionem alicuius (nam si aliquo Christianorum loco possit euadere, preperam agit, & mortaliter peccat, ad in- fideles fugiens) aut talis est debilis: & timet amittere fidē, si inter infideles ha- bitet; & sic mille mortes tenetur tolerare, quā à regnis Christianis recedere. Sic dominus prohibuit descendere in Aegyptum Iudæos. Hier. 42. 43. & 44. quod lege, nota, & recole: aut est vir fortis & infractō animo, præsertim doctus & huic, si aliter euadere non potest, licet fugere ad infidelium regna. Sic descen- dit Abram in Aegyptum oborta fame in terra, Gen. 12. Descendit Isaac in Palæstinam, Gen. 26. ob panis inopiam. Quod idem fecit Iacob cum filiis suis. Gen. 46. Et beatus Ioseph nunc in Aegyptum recedit. Nam qui domini & beatissimæ eius matris fruebatur consortio, securus vbiq; habitare poterat: præcipue verò cum id ab angelo præciperetur. Idem est de apostolis prædicanti- bus, quibus dicitur: Si vos persequuti fuerint in ista ciuitate, fugite in aliam. Idem de Dauid, qui vir constans in fide erat. De fuga autem prælatorum cum persequuntur, latius beatus Augustinus disputauit Epistola 180. & diuus Tho- mas. 2. 2. de statu episcoporum differens. Si persecutio est personalis, fugere & recedere potest: si autem quaruntur omnes, expectare tenetur, & animam suam ponere pro omnibus. Videtur etiam huic resolutioni addendum. Quod si perse- cutio est personalis: veruntamen ficta & palliata, vt pastoris recessu oues per- dantur: & idem nouit pastor spiritualis episcopus, vel curatus, tenetur non re- cedere: nam perinde est ac si querantur in perditionem oues. *Et esto ibi* (inquit angelus Ioseph) usque dum dicam tibi. Beatus Ioseph securus facit, quæcunq; fa- cit: cum omnia admonitus ab angelo facit. Exemplum enim hinc satis condu- cens moribus datur nobis: vt illa faciamus, quæ nobis per Christum annunciata sunt in euangelio, & per epistolas apostolorum sancita, & per sanctam matrem ecclesiam stabilita. Quid hæretice innouas, quid moliris impia? Suscipit Ioseph quæ admonuit angelus: nec inde reuertitur, nisi rursus eum admonente an- gelo. Tu qui habes Christum, & sanctam matrem ecclesiam, ne discedas nec mouearis: nec aliud velis tenere, facerēue quā quod à Christo domino san- citum est, quodq; stabilitum est à sacrosancta matre ecclesia. *fugurum est enim, ut Herodes querat puerum, ad perdendum eum.* Peruersus Herodes timuit amitte- re terrenum regnum, & amisit cæleste: & mortuus etiam terreno regno priua- tur: sic peccatoribus contingere solet, vt dum terrena summopere diligunt, & cælestia minimè cogitant, vtrumq; amittant: & terrena, quæ morientes dese- runt: & cælestia, ad quæ non attingunt. *Qui consergens, nocte vt clam recede- ret: accepit puerum et matrem eius nocte, et secessit in Aegyptum.* Forte non desuit ali- quod signum docens viam in Aegyptum, si Ioseph illam ignorabat, si enim scie- bat, non opus erat signo, si autem ignorabat, forte dominus offenderet viam aliquo cælesti signo: quod cum non scribitur, non affirmatur. *Et erat ibi usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum est a domino per prophetam dicentem. Osce. 11. cap. Ex Aegypto uocaui filium meum. Tunc Herodes uidens, quoniam illusus esset a magis, iratus est ualde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, et in omnibus finibus eius, a bimatu, et infra secundum tempus, quod exquiserat a magis. Ideo autem occiduntur biennes pueri & infra, quoniam Herodes accusatus apud Cæsarem, recessit à Iudæa: & reuersus, recordatus Magorum, & quemadmodum non sunt reuersi ad eum, existimans dominum in Bethleem, vel in eius finibus enutriti,*

uentriri, omnes pueros occidit, ut inter illos dominus occideretur. Quod peruenit peruersum consilium? quas emisit flammam? vnum quærebatur, & tot occidit: prima eius iniqua cogitatio, & peruersa sententia fuit occidere dominum: & ecce quod tendit? quod peruenit audiuius? occidit omnes pueros, qui erant in Bethleë, & finibus eius, à biennio & infra. Ita factū videmus: in unius praua cōcupiscentia Dauid: cui si obstitet, & infiducius permaneret: nō in adulterium prolaberetur: dum enim adulterium vult celare, homicidium commisit. Iste peruersus dum vult vnū perimere, occidit omnes. Ecce quo peruenit eius damnatus animus? Ecce quantum se extendit in numero? Nam in grauitate, si occidisset dominum, grauius esset peccatū, quā occidere omnes illos pueros: quoniā deus & homo, immō super omnes innocentes innocentissimus, cuius vita excellentior quā omniū humanorum erat. Verum enim vero non modica circumstantia aggravatum est Herodis huius Ascalonitę homicidium, cum in vnoquoq; paruulo dominum extinguere cupiebat. Quod profecto maximē beatis paruulis profuit: cum enim propter dominum occiditur inter martyrum flores sacrosancta eos celebrat mater ecclesia. Nunquam enim, inquit beatus Angu. Herodes tantum prodesse potuit beatis paruulis obsequio: quāntum profuit odio: dum pro Christo occiditur. *Tunc ad impletum est, quod dicitur per Hierem. prophetiam, ca. 31. Vox in Rhama, id est in excelso audita est, ploratus ei ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.* Id est quia mortui sunt. Rachel filia Labam soror Lię, & ipsa vxor dilecta Iacob, defuncta est in partu Benjamin, sepultaq; iuxta Bethleë, prout legimus Gen. 35. cap. Quā Bethleemita, est ipsi essent de tribu Iuda, qui Iudas filius erat Lię, tamen venerabatur Rachelem, cuius consobrinus erat Iudas filius Lię, tanquam propriam matrem. Ut hinc discant hæretici lutherani venerari defunctos, & eorum reliquias custodire. Ipsi enim patroni sunt ciuitatum, & locorum in quibus conditi requiescunt: & ipsis irrogatur iniuria, quæ incolis fit, sub patrocinio eorum degentibus: vt hic habemus de Rachel, cui illata dicitur hæc occisio puerorum: & nolle consolari dicitur, quoniam consolationem matres puerorum occisorum non habebant. Veneratur sic reliquias Ioseph populus Israeliticus cum eas de Aegypto, Moyses secum deducit. In arca testamenti asseruantur reliquię: Manna tabulę testamenti, virga Aaron. Et. 4. Re. 13. cap. cum mortuus proijceretur in sepulchrum Helisæi reuixit. Veneranda igitur sunt reliquię & ossa Sanctorum: quorum animæ regnant cum Christo: cui cum patre, & spiritu sancto, est honor & gloria in æternum Amen.

TRACTATUS TERTIVS,

In secundum cap. Beati Matthæi.

DIXIMVS in calce proximi superioris tractatus, ex beato Augustino: nunquam potuisse Herodem beatis paruulis ita prodesse obsequio, quantum profuit odio: quod cum nonnunquam contingat a prauis persecutoribus, aliās fieri, duo in hoc tractatu sese offerunt perspicienda. In primis quomodo profuit bonis iniquorum malum: tunc etiam secundō quare dominus velit bonos & iustos per prauos flagellare. De primo autem considerandum bonos, magnum esse bonum in mundo: malos vero ingens malum. Quomodo Iam Hierem. 24. dicit se vidisse in introitu portę templi domini, duos calathos plenos ficis: & calathus unus ficus bonas habebat nimis, ut solent esse fici præ-

coces:

coces: & alter calathus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant eò quod essent malę. Iniqui enim ita peruersi sunt & tot malis corrupti, vt nō habeāt quicquam dulcoris, sed omnia illorum amara sunt & impia. Deus autē in hoc potentiam suam ostendit, cum ex malis valde bona & vtilia prodire facit, non ex natura malorum, sed ex diuina gratia, adiutorio & magisterio spiritus sancti. Quid enim peius dici unquam potest prodicione Iudę, & impiorū Iudæorum occidentium dominum? Ex parte quidem Iudę, & Iudæorum, malum hoc grauissimum: ex parte vero Christi, quanti & quā numerabiles sunt effectus, ex torculari beatissimę suę passionis expressi, & in vtilitatem totius mundi reconditi? & cum ecclesiam deuastaret Saulus, dicitur Ananę: Vade quia uas electionis mihi est iste: ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Hęc omnia quę Paulus passus est, ter uirgis cęsus, uelut ipse de se refert, semel lapidatus, ter naufragium passus, illi in bonum conuertuntur, quemadmodum ipse testatur ad Timot. 2. c. ult. Bonum cereram certauit, cursum consumaui, fidem seruauit: de reliquo reposita est mihi corona iustitię. Ecce coronatur pro his omnibus quę patitur. Nec pratereas lector, cū audis eum tot bona operantem: bonis his operibus repositam esse dicit coronam iustitię: non quidem eo quod credidit, sed quia certauit & perseuerauit bona operando & fidem seruando. Ut hinc memineris contra hæreticos, nihil prodesse fidem per se solam sine operibus & gratia, nec solam illam dominicę passionis ad se trahere merita. Peccauit Petrus negando dominum, sed egressus foras fleuit amare: cautior deinde redditur, nec cum amplius leges peccasse. Quod & Dauid psal. 118. insinuat, dicens: Priusquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum custodiui. Bonus Deus duplex bonum effecit & illū docuit humiliari, & eloquia domini custodire: Itaque prodest malum bonis, non ex natura mali, sed ex diuina bonitate & gratia: qui ex malis hominū potens est alia bona facere in ipsis patientibus mala, & aliquando in ipsis facientibus mala: ut in Paulo dum conuertitur, in Petro dum lachrymatur, & in Dauid cum humiliatur. De secundo autem quod proposuimus, qua ratione dominus per malos sic torquet bonos considerandum est, quemadmodum, & si gratia Dei saluamur: gratia enim salui estis: & hoc non ex vobis, Dei enim Donū est, ad Ephes. 2. tamen necesse est ex parte nostra voluntatis promptitudo. Si enim per liberum arbitrium nostrum, voluntatem obsequendi mandatis Dei promptam non haberemus: nec esset præceptum, nec obedientia, nec transgressio. Vnde quot absurda & penitus non cogitanda sequuntur, cum negat liberum hominis arbitrium Lutheranus. Quorsum enim tot præcepta Decalogi? si non sum liber ad custodiendum: ubi culpa, ubi peccatum? Verba per totam sacrā scripturam toties repetita: peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est. Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino. & Hierem. cap. 1. duo mala fecit populus meus: & me dereliquerunt fontem aquę viuę, & foderunt cibi cisternas dissipatas, quæ retinere non valent aquas: fecit, inquit, populus duo mala. Si non liber quomodo fecit? Si uero ad actum fecisse dicas, tam non fecit, sed alius in eo fecit, ad Rom. 5. Sicut enim per inobedientiam vnus hominis peccatores multi constituti: ecce inobedientiam, ita per obedientiam vnus, iusti constituentur multi. Vbi inobedientia, ibi libertas arbitrij. Et ad Rom. cap. 7. uelle adiacet mihi: ecce uoluntas libera: perficere autem bonum non inuenio: ecce indigentia gratiæ ad bene operandum. Et in Psal. 76. Vota mea domino reddam coram omni populo eius. Quomodo redderes, si non liber esses? Viam mandatorum cucurri: ecce libertatem, cum dilatasti cor meum: ecce gratiā ad bene operandum requisitam, iurauit & statui cu-

E florire

Reliquia
sanctorum
veneratur
cōtra hæ-
reticos.

Fides sola
nō prodest
sine operi
b^o, nec fru-
ctū passio-
nis domi-
ni attingit.

Liberū ar-
bitriū on-
dit & gra-
tia, contra
hæreticos.

stodire iudicia iustitiæ tuæ, quomodo iuraret? quomodo secum statueret? nisi pro eo quodd liber est. Fecit Deus hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Eccl. 15. Et ad Caim Gen. 4. Sub te erit appetitus tuus: & tu dominaberis illius, ecce expressam arbitrij libertatem. Quid hac de re ultra adiciam: tempus namque deficiet, si omnia diuinæ scripturæ testimonia afferantur in medium, quæ libertatem nobis inesse, & gratiam Dei ad bene operandum necessariam esse attestantur. Hoc absurdissimum dari sufficiat: qui enim tollit arbitrium liberum, tollit omne demeritum & meritum: & omnes æquat damnatos, & Deum summe iustum, iniustissimum constituit. Nam si liber ille nō est, & quæ facit ni & necessitate coactus facit: quare damnatur à iusto Deo? & quare grauius vnus punitur altero? Si neuter illorum euitare quod fecit mini me potuit? quare ratione ille præmiatur, si non potuit euitare, non uelle, & nō facere bonum, quod gratia Dei fecit? Cum autem hæc impossibilia sint, impossibile etiam est hominem non esse liberum. Liber es, ergo liberum habens arbitrium. Quæcunq; operabitur manus tua, quæcunq; seminauerit homo, hæc & metet, inquit apostolus: Qui seminat in carnem, de carne metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam: qui bonū scilicet facit: facientes, inquit, quæ nos facimus Dei gratia adiuti, non deficiamus. Ecce liberi sumus ad deficiendum. Non deficiamus, inquit, suo. n. tempore metemus. Procuratori vineæ dicitur: Voca operarios, & redde illis mercedem. Cum igitur voluntas nostra sit necessaria ad salutem nostram. Voluntarie enim sacrificabo tibi, & cōfitebor nomini tuo domine, quoniam bonū est, Psal. 53. tum & ipsa est quæ causat damnationem, ad Hebræ. 10. Voluntariē. n. peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis. Ecce hic uoluntarium, & liberum malum. Voluntariē sacrificabo tibi, gratia tamen adiutus. Vnde & apost. Gratia Dei mecum? Ecce hic uoluntarium & liberum bonum. Nos igitur, quibus præcipitur: diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua, & ex omnibus uiribus tuis: mirum profecto est, per quot uana distrahimur, & quibus uitiorum procellis in dies obruimur: nunc ambitione agimur, nunc mundana pompa fastuq; tumemus, nunc pulchritudine & uoluptate allesti, carni succumbimus, nunc cumulandis pecuniis inhiamus: & ut uerbo dicam, potius terrena queuis quam Deum ipsum, & præcepta eius, quibus ad æternam vitam patet ingressus, diligimus & amplectimur. Reformamur tamen & in uiam reducimur per malos & peruersos homines: dum per eos tentationum flagellis cædimur, & redire ad mentem inflictiis plagis inducimur: cumq; per iniquos homines, ea quibus affuebamus, auferuntur. Vnus enim pecunias auferit, alter uestes surripit, alius recedere à patria compellit, alius ferè vitam adimit: itaque persecutores nostri sunt admonitores, & uitæ nostræ reformatores, qui nos ad mentem redire faciunt. Redite, inquit. Esai. 46. præuaricatores ad cor. & beatus Augustinus inquit: Qui se cit te sine te, non saluabit te sine te. Nulla sic myrrha carnem à putredine seruat, quam flagellum: & persecutio iniquorum hominum à uitiis retrahit. Itaq; nostris temporibus plurimi iniqui officium flagellatorum usurpāt. Quod quidem officium proprium demonis ab initio fuit: deinde cum homines procreari cœperunt officium illis suum commisit: fecitq; illos iniquos uicarios suos. Iniqui ergo persecutores, sunt uicarij demonis, & nostri reformatores. Cæterum in eo quodd sunt pessimi uicarij Satanae illis compatiuntur: in eo autē quodd sunt reformatores nostri, illos diligamus: orantes simul, ut eo amplius cū nobis flagellentur, quam ob persecuciones quas nobis inferunt, æternaliter crucietur. Ecce duo fratres erant, atque uni illorum demon officium suum commisit:

senior

senior itaque fecit, quod per se diabolus nō fecit, occidit Abel iustum: per Hirmaelem ludentem cum Isaac, persequitur Isaac, Gen. 21. ca. Persequitur Loth pessimi habitatores Sodomæ. Persequitur Iudæos Pharaon rex Aegypti. Persequitur Dauidem Saul. Inquit dominus Matth. 5. Sic enim persequuti sunt prophetas, qui fuerunt ante nos & Ioan. 13. Non est seruus maior domino suo: si me persequuti sunt, & uos persequentur. Per istos ergo reformatores uoluntatis nostræ per diuersa distractæ, & demonis uicarios redire ad mentem nos inducit dominus, & bonis coronas gloriæ fabricatur. Itaq; uicarius demonis homo iniquus est persecutor proximi, idem reformator uoluntatis distortæ: & faber argentarius, per cuius manus dominus suis coronas gloriæ conficit. Ecce Herodes, qui nunquam beatis paruulis tantum profuisset obsequio quantum demonis uicarius factus profuit odio: fabricator crudelis coronarum paruulorum, quas illis dominus Iesus reddidit: cui est honor, gloria, & imperium, cum patre & spiritu sancto in æternum. Amen.

TRACTATUS QUARTVS,

In cap. secundum beati Matthæi.

Ex prædictis conuicimus, quemadmodum dominus & loquitur bonis ut Ioseph: & quemadmodum miseretur malis, quibus flagellati conterimur. Loquitur enim per motionem phantasiæ in somnis, ibi angelus se, & quod loquitur repræsentans: uel uisibiliter per angelum, ut Tobie, & Abrahæ Gen. 18. uel per angelum inuisibiliter, ut Moyse: cum loquitur de Rubo, Exo. 3. uel per motionem intellectus, ut Heliseo. 4. Reg. ca. 6. uel per raptum, ut Paulo. Quomodo autem misericors, & miserator dominus cum per se flagellat, pietissime hoc agit: homines uero cum persequuntur nesciunt misereri, Herodes est testis. Querens enim paruulum, occidit omnes pueros in Bethleem, & finibus eius. Propterea Dauid, dum sibi trium persecutionum daretur optio, ob peccatum superbix, in populi numeratione commissum, magis elegit in manus domini incidere, quam in manus hominum. 2. Reg. cap. ultimo. Inquit scriptura: Trium tibi datur optio: elige unum quod uolueris ex his, ut faciam tibi, dixit dominus per os Gad prophete: aut septem annis ueniet tibi fames in terra tua, aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & isti te persequetur: aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Cum autem legeris primo Paralipome non. 2. 1. cap. trium annorum pestilentiam, intellige de fame septem annorum: quam ut plurimum in fine consequitur pestifera lues ex cadauerum corruptione, & aeris mutatione pluuiarum defectu, & ob esum herbarum corruptentium hominum complexiones. Itaque quod 2. Reg. vltimo dicitur septem annis famem futuram esse, hic autem dicitur tribus annis pestilentiam, vtrunq; uideatur dixisse prophetam: & quod ibi non est pronuntiatum de pestilentia trium ultimorum septem annorum, hic positum esse. Nulla igitur relinquatur dubitatio, si id quod legitur. 2. Reg. vlt. adiungas literæ Paralipo. 1. cap. 2. 1. in hunc modum: A septē annis ueniet tibi fames in terra tua, & tribus ultimis erit pestilentia: aut tribus mensibus fugies inimicos tuos, dum te persequentur, aut tribus diebus erit pestilentia. 2. Reg. vlt. quod idem est. 1. Paralip. 21. ca. Aut elige tribus diebus gladium domini, & mortem uersari in terra tua, & angelū domini interficere in omnibus finibus Israel. Namque id est gladium domini & mortem tuius diebus uersari, ac si pestilentiam dicas. Vel etiam dicere possumus dominum, cum de pestilentia dixit trium annorum, addidisse uel triū

E 2 dierum,

Concordatur
punitio dauid.
2. Reg. vlt.
& 1. Paralip.
pom. 2. 1.

dierum, propitiatum ipsi Dauid & populo. Sicque utrunque dicens trium annorum vel trium dierum pestilentiam, vnum quidem scriptum in libris Regum, aliter in libro Paralipomenon, miseratus dominus trium dierum pestilentiam immisit, non trium annorum. Sic adimpletur sepe quod scriptum est diem pro anno: diem inquit pro anno dedi tibi, Eze. cap. 4. nec hanc scripturam conciliationem parum facies cum legeris glossas & doctores usque ad Abulen sem. Dicebat autem Dauid: ex omni parte me angustiae premunt: sed melius mihi est, vt incidam in manus domini, quia multae sunt miserationes eius, quam in manus hominum. Immisit ergo dominus pestilentiam in Israel de mane usque ad tempus constitutum. Homines enim cum irascuntur nesciunt flecti, nesciunt misereri, vt patet in Herode: qui quarens vnicum dominum, tantam stragem puerorum commisit, ac tantam crudelitatem exercuit: vt cum in bello inimicus paruulis parcat, iste totum bellum in paruulos lactantes exercens, occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius: Hac scilicet arte volens inter tot paruulos necari dominum, contra Dei consilium, & contra iura naturae. Imitatores hodie habet Herodes: qui omnia arte & solertia fieri volunt: quique miro artis humanae modo, & artificio dirigunt negotia sua, arte appetunt, & consequi uolunt praeraturam: arte institunt ipsam corrumpunt, arte fauores principum aucupantur, arte denique illos in summum extollere, & deprimere illos nituntur: relictoque naturae cursu, & Dei concursu, sua se opera extollere: & per fas & nefas ad honorum culmen perungere satagunt. Diuites quoque fiunt non sine magno dispendio plurimorum: siquidem cum vnus in se plura congerit, defraudari plurimos necesse est. Qui igitur Herodem imitantur, Herodis tandem aliquando consequentur in inferno societatem. Qui autem iuste exequentur negotia sua, qui bonos non persequuntur, maximeque adiuerint, qui populo iudicabunt, & causa viduae ingredietur ad eos, qui oculo fuerit caecus, & pede claudus, qui bucellam suam solus non comederit, qui latera nudi de lana ouium suarum calefecerit: in die mala liberabit eum dominus, conseruabit eum, & beatum faciet in terra, & liberabit de manibus inimicorum eius: nec timebit inimicos, nec testes falsos, cum dominus sit protector eius, & merces eius magna nimis. Conquerabatur Boetius profa. 4. quod testibus pauperibus criminosis & ob id damnatis, causa eius iudicabatur. Beatus Tho. ibidem & 2. sec. quaestio 7. artic. 3. dicit non debere admitti contra bonos viros pauperes testes, & infamia notatos. Nullo igitur consilio iustitiae Herodes motus, totus ira & ambitionis flamma succensus, suspicatus regem natum, debacchatur in sanguinem innocentium. *Occidit omnes pueros in Bethleem, et finibus eius abimatu et infra.* Quo autem tempore occiderit, primo tractatu diximus. Veruntamen ne nos oblivioni lector incuset, tria illi proponimus tempora secundum varietatem doctorum. Cum enim ad fidei sufficiat, quod beatus euangelista pronuntiat, abimatu & infra occisos pueros: quo tempore haec ferina immanitas perpetrata fuerit nihil interest. Beato Augustino visum est in libro de consensu euangelistarum, parum post purificationem: conijciat ex hoc quod dicit beatus euangelista: Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, post rumorem Simeonis, occidit omnes pueros. Chryf. aut secundum tempus quod exquisierat a Magis, poterant discurrisse menses tres. Abulensis autem cum Herodem absentem ex accusatione apud imperatorem introducat, cum ferme post biennium reuersum in Iudaeam, requisisset de puero & de Magis: quod cum recessisse illos eo in salutato memoraretur: mittens occidit omnes pueros a biennio & infra natos. Elige quam velis ex tribus expositionem, salua semper fide, quod Herodes occiderit omnes pueros qui erant in Bethleem

leem & finibus eius abimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis. *Et Rachel noluit consolari, quia non sunt.* id est quia occisi sunt. Hilarius tamen inquit noluit consolari, id est non necesse fuit consolari. Rachel, quauis occisi si sint tot innocentes infantes, quia non sunt plangendi, quoniam pro Christo occisi coronantur. haec tamen beati Hilarij expositio non satis concordat cum litera, cum euangelista ex Hieremia ponat testimonium. *vox in Rama, non pro loco, vt beatus Hieronymus, sed pro excelso iuxta nominis hebraicam significationem interpretatur.* *Vox igitur in excelso audita est ploratus, et ululatus mulieris Rachel,* pro matris Bethleemitarum ponitur, tanquam ipsa patrona carum: quamuis locus filio Lie sit datus in sortem Iudae: de quo orti sunt reges Iuda. *Plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.* quae ululat & plorat, & vocem in excelsum emittit, cum dicitur, *noluit consolari,* rectius videtur intelligi, & noluit consolationem ullam accipere, quoniam filij eius non sunt: quoniam infantes Innocentes occisi sunt. Huic igitur explanationi lector adhære, & benigne interpreteris beati Hilarij expositionem, si quando in manus deuenierit. hoc autem modo & scies sanctis doctoribus reuerentiam adhibere, & literas sacras exponere congrue accipiens ex praecedentibus, & sequentibus. quam interpretandi legem si obserues plurimum proficies. Dicitur autem isti beati paruuli martyres, non loquendo sed moriendo, & sicut inquit beatus Augustinus moriendo pro Christo meruerunt dici martyres sine vsu rationis. Aliqui voluerunt interpretari, non tamen recte, fuisse in illis acceleratum rationis usum. Nam sicut vsus rationis non est necessarius vt saluetur infans, nuper baptizatus: eadem etiam ratione, non requiritur in paruulo, qui pro Christo occiditur. Octo enim congerunt cause suae rationes, quibus quisque martyr dicitur. prima pro iustitia, vt Abel. secunda pro lege, vt Machabei. 3. pro salute populi, vt mors Christi domini nostri caput martyrum. 4. pro fide Christi, vt Stephanus, Laurætius, Vincentius, Sebastianus, & ceteri. 5. pro libertate ecclesiae, vt beatus Thomas Angelicus archiepiscopus Cathuariensis. 6. pro assertionem veritatis, vt Esaias Hieremias, & reliqui prophetae, qui pro veritate occisi sunt. 7. pro redargutione peccati publici, noxiui, suoque exemplo corruptentis, vt beatus Ioannes baptista. 8. pro amore Christi, vt innocentes: qui vt occideretur dominus, occisi sunt: & quia dominus quaesitus & occisus in vnoquoque illorum, ideo coronantur ab eodem domino nostro Iesu Christo: cui cum patre, & spiritu sancto, est honor, gloria & imperium, per omnia seculorum secula. Amen.

Octo modis dicitur martyr.

TRACTATUS QUINTVS,

In secundum cap. beati Matthæi.

DE FUNCTO autem Herode, ecce angelus domini apparuit in somnis Ioseph, in Aegypto, dicens. Si attenderet Herodes vitæ suae breuitatem, & felicitatis terrenæ mutabilitatem, forte melius sibi cõsuleret. Ecce ipse occidit paruulos innocentes, qui omnes sancti sunt. ipse autem miser obiit crudelis occisor, homicida immanis, perpetuoque igni traditur. Quippe rationi consentaneum est, cum Dei vltionem in vno cernimus, ceteri qui supersunt, in alieno capite, vt vulgo dicimus, corrigantur. Melius enim esset Herodi, inter paruulos pro Christo interficiã Indæis, quam homicidium perpetrare: hoc est quod beatus August. & Chryostomus multoties repetunt: maiorem scilicet persecutionem pati, qui alios persequuntur, quam ipsi persequuti patiantur. Non aliter quam cum quis vestem alicuius tantum perforare volens, se ipsum transfigit. Ita quidem & qui


bona

bona temporalia, diuitias, honorem, & vitam alicui auferre cupit, in seipsum prius gladium conuertit, ac letale vulnus animæ suæ infligit. Præterea si quis diuitias auferat, an non hoc & fures faciunt? si honorem, non ne & hunc adimit tēpus? si vitam, nonne mors hac etiam priuat? quod vtiq; natura tandem euenire oportet, id præproperè inimicus facit: nec habet amplius quid faciat. Qui igitur persecutionem facit: hoc, quod gratia consequi poterat, æternam scilicet gloriam, amittit, & præceps in tartarum ruit. *Defunctio ergo Herode parulorū persecutore: timeant persecutores innocentium, consolentur persequuti, & innocentes. Ecce angelus domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto dicens: surge et a. ipe puerum, et matrem eius, et vade in terram Israel, defuncti sunt enim qui querebant animam pueri.* Rem satis stupendam annotat in hunc locum beatus Hieronymus dicens. Ex hoc loco intelligimus, non solum Herodem, sed & sacerdotes & scribas eodem tempore, necem domini fuisse meditatores, hoc conicitur ex eo quod beatus Euangelista refert angelum dixisse, *defuncti sunt enim qui querebant animam meam pueri.* Non dixit defunctus est Herodes, sed defuncti sunt qui animam querebant pueri. Propterea plurimos præmeditatores domini necem, non solum Herodem, suspicamus: horrendum vtiq; facinus, cum ipsi sacerdotes, & scribæ Messiam, totiens in scripturis expectandum cernerent: & locum eius natiuitatis Herodi insinuarent, ministros & consultores eius fuisse necis, quod maximè infidelitatis eos arguit, prout deo annuente in cap. 2. 1. & Ioannis cap. 1. latius prosequemur. Sufficit nunc considerare, quæ eadem odum isti Iudæi Messiam expectantes, & locum natiuitatis eius ex propheta ostendentes, neci domini consentiunt: vt cognoscamus, quemadmodum contaminatis plurimum moribus, contaminatur & fides. Nam sicut in reconditorio ponorum vno corrupto pomo, quod huic adhæret etiam vitiat: ita corrupta voluntate ex multitudine & assiduitate vitiorum, multoties corrumpitur in intellectu fides. Vt rationem debitam recipientes à deo, vt in fide deserantur, quid cum multitudine peccatorum à se expellunt? itaq; relinquentes deum, deseruntur ab eo: vt prædiximus supra tracta. 8. in c. 1. Hoc est quod per os Dauid spiritus sanctus pronunciauit Psal. 68. dicens de istis Iudæis de quibus nunc loquimur: Appone iniquitatem super iniquitatem illorum, & non intrent in iustitiam tuam: delectantur de libro viuientium, & cum iustis non scribantur. Et Esai. cap. 6. quem beatus Ioannes recitat cap. 12. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos, hæc dixit Esai. quando vidit gloriam eius & loquutus est de eo. *Qui surgens accepit puerum et matrem eius.* Semper angelus, cui est cognata virginitas, nobis secreto perpetuam dei genitricis virginitatem commendat: surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, nunc iterum surge & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israel. Vt illum nutricium, non maritum sciamus: & vt filium virginis in terra non habere patrem, sed solam matrem credamus. quod & repetit beatus euangelista dicens: *Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius & venit in terram Israel.* Audiamus aut quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre eius timuit illo ire. Ecce monemur non præcipites ferri, sed omnia prudenter disponere. Renelatum est beato Ioseph, vt deduceret Christum & matrem eius beatissimam in terram Israel, verumtamen timet, audiens filium persecutoris impij Herodis, in Iudæa sceptrum tenere de manu Romanorum, & subsistit, donec iterum ab angelo. *Admonitus in somnis, secessit in partes Galilæa: & uenit in habitaculo in ciuitate Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas, quoniam Nazareus vocabitur.* Omnis enim scriptura sanctum dominum esse commemorat: ideo per prophetas & nõ per vnum prophetarum, inquit beatus

beatus euangelista: quoniam Nazareus, id est sanctus vocabitur. Vnde & Iacob de Ioseph. Gen. 49. sicut in capite Ioseph, in vertice Nazareth, qui est sanctus inter fratres suos. & Numeri. 6. dominus ad Moysen: Ista est lex Nazareth. & Moyses Deuter. 33. Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem Nazareth inter fratres suos. Et Iudicum. 13. de conceptu Sampson dicit angelus: Erit enim puer Nazarethus dei ab infantia sua. Et ipse Sampson Dalila, Iudi. 16. ait: Ferrum nunquam ascendit super caput meum quia Nazareus, id est consecratus sum domino, de vtero matris meæ. Ecce quomodo in scripturis Nazareus perinde est, ac si dicitur sanctus. Cum aut dominus sit sanctus sanctorum, & sic omnis scriptura eum commemorat: quod & angelus volens significare, virgini ait. Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius dei: ideo dominus voluit habitare in Nazareth: & quoniam ibi conceptus, illam suam patriam voluit dici, quoniam Nazareth futurum esse Messiam per omnes prophetas scriptura testatur, & si vsque in titulum Crucis suæ voluit patriam Nazareth significari, cū Pilatus scripsit: Iesus Nazarenus rex Iudæorum: cui cum patre & spiritu sancto, est gloria, honor & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS VNICVS,

In tertium caput beati Matthæi.



N diebus autem illis uenit Ioannes baptista, prædicans in deserto Iudæe, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. In diebus illis, habitationis videlicet domini in Nazareth: cum ià dominus ferè trigessimum ageret annum. Ioannes officium præcursoris incepit, prædicans in deserto Iudæe, hoc est in oppidis iuxta desertum collocatis. Quod autè aliqui interpretantur desertum Iudæe, corda Iudæorum morale est. Thema prædicationis est, pœnitentiam agite. Iam contra hæreticos luteranos, os aperuit Ioannes, qui à peccatis præteritis clamat dolere: hoc siquidem est pœnitere. qui enim pœnitit aliquid egisse, dolet quia tale fecit. Non ergo pœnitentiam tantum dicit honoris operum cum fide exercitium, & nolle amplius peccare. Sed primò includit præteritorum peccatorum displicentiam & dolorem, & commissorum satisfactionem. Appropinquabit enim regnum cœlorum. In ianuam est vitæ æternæ præmium. *Hic est enim de quo dictum est per Esaiam prophetam dicentem.* Id est, iste Ioannes est ille præcursor Messie: de quo Ioanne prophetauit. Esa. c. 40. dicens, *Vox clamantis in deserto, parate uiam domini, rectas facite semitas eius.* Hoc est venturo domino in cordibus vestris, & per fidem, & charitatem habitaturo, parate viam. Tollite a vobis auaritiam, odium, & inuidiam, vt illum possitis sine auaritia cernere, sine odio cognoscere, et sine inuidia recipere: ne peccatis huiusmodi obsecati, nec videre, nec agnoscere, nec recipere illum possitis. Hæc tria quæ explicuimus peccata, suere propria principum sacerdotum, pharisæorum, scribarum, & seniorum Israel: quibus obsecati in sua perfidia perstiterunt. Semitas eius, sacra scripturam, recto mentis oculo intueamini: vt possitis cognoscere tempus aduentus eius

Vera pœnitentia contra Luteranos.

eius, & illum verum saluatorem Deum, & regem suscipere. sci utamini, inquit. saluator illis, scripturas, quoniam illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, Io. ca. 5. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pellicæa circum lumbos suos, esca autem eius erat locustæ, & mel sylvestre.* Nouus vestis, nouus homo, nouus præco. Hæc omnia posuit beatus euangelista, ad omnem ambiguitatem suspicionis tollendam a testimonio beati Ioannis. Nam qui cilicium induebatur veste (ideo enim de pilis non de pellibus camelorum textam euangelista ait) & tali alebatur cibo, eius testimonium omni suspitione caret. *Tunc exhibet ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa, et omnis regio circa Iordanem, et baptizabatur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua:* hoc est, cum ad illum vnde quaque populus conueniret, vt peccata sua cõfiterentur: in genere se peccatores & iniquè egisse annuntiantes: Ipse Ioannes illos baptizabat in Iordane, & pœnitentiam agere suadebat: significans baptismo Christi peccata deleri: suo autem tantum disponi ad suscipiendum domini, ac cito instituendum baptismatis sacramentum. Mirum est, quemadmodum Ioannes duplicem post naufragium tabulam in suæ prædicationis initio præostendit, baptismum, & confessionem. Ergo hæretici qui baptismum Christi suscipiunt, confessionis non respuant sacramentum: cum vtriusque figuram expressam inducat beatus Ioannes, baptizans confitentes peccata sua. *Videns autem multos phariseorum, et sadduceorum, venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira: Quoniam isti sicut accedebant ad beatum Ioannem, sine pœnitentia, & confessione peccatorum: sed tantum volentes exterius aqua obliui, propter populum: illos beatus Ioannes increpat durè, vocans viperarum genimina, veneno plenos: & quasi incorrigibiles annuntiat, dum ait. Quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? eo quod Messiam Christum dominum à vobis repulsi estis, facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Opera videlicet facite, quæ vobis ad pœnitentiam conducant. Multa opera bona Cornelii gentilis illum disposuerunt ad veram pœnitentiam agendam, & Christi baptismum suscipiendum, dicente illi angelo Actuum ca. 10. Cornelii orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectum Dei. Sic alter Centurio ædificauit synagogam, & alia bona opera egit, quibus dominus misertus est eius. Luc. ca. 7. dñs. n. miserator & misericors respicit opera bona infidelium, & fidelium existentium in peccato mortali, non ad meritum nec augmentum gratiæ, siue veniam promerendam, sed vt cito homo à peccatis resurgat, & ad alia tēporalia bona. Vide quāntis se bonis priuent hæretici, non se bonis operibus exercentes: operibus igitur bonis insistere decet genimina viperarum, vt veniente domino ad pœnitentiæ fructum dispositi inueniantur. *Et ne velitis dicere intra vos patrem habemus Abram. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraæ.* Sunt qui interpretentur hunc locum de gentibus, ac si diceret: Deus potens est loco vestrum, gentium populos in filios fidei Abraæ suscitare. Arbitramur autem sic exponendum. nolite vobis placere, eo quod estis nati illius, ad quæ Messias est promissus de sua gente descendere: Potens est enim Deus, qui de humo fecit primum hominem, de lapidibus, si velit formare sibi populum acceptabilem, qui fide in filiū Abraæ transeat. Nemo tanta agatur infania, vt existimet deum, veluti ad suam ipsius utilitatem egere aliquo: Potens est enim Deus alium te doctiorem, alium potentiorem, & omni virtute præstantiorem in momento temporis excitare. Sic enim dominus Moyfi Exo. 32. cum populus vitulum quem conflauerat coleret, pollicebatur dicens: Cerno quod populus iste duræ cœnicis sit, dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos: & faciam te in gentem magnam. Nullius urique eget dominus Deus, sed omnia il-

lo re


lo re uera egent. *Iam enim securis ad radicem arborum posita est: Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur: & in ignem mittetur.* Tempus appropinquabit in quo Deus potentiam suam exercet in vobis: & qui non susceperint illum, excidentur, & in ignem mittentur. *Ego quidem baptizo uos in aqua in pœnitentiam, vt pœnitentiam peccatorum agatis.* Doceo quoniam aqua mea non remittit peccata. *Qui autem post me uenerunt est, fortior me est, potentior scilicet. Cuius non sum dignus calciamenta portare.* Sunt qui interpretentur, humanitatē tangere, quanto minus diuinitatem. Arbitramur tamen non hanc differentiam uoluisse significare beatum Ioannem: sed tantum id dici, eo quod Christus dominus Deus est. *Ipse uos baptizabit in spiritu sancto, et igni.* Vsq̄ue hodie in oriente Aethiopiæ rex, qui vulgo dicitur Presbe Ioannes, siue presbyter (quod quidem uerbum non pro sacerdote, sed pro nobili & seniore dignitate accipiendū est) tam ipse quam omnes qui baptizantur, in fronte post baptismum cauterio inuruntur: Sic accipientes uerbum, & igni, materialiter. Quorum ego aliquos sepe uidi, & domi excepi, qui hanc mihi cauterizata frontis rationem a beato Matthæo duxisse originem referebāt. Glossa ordinaria dicit: spiritu sancto hic ablui mur in baptismo, igne purgatorio in seculo futuro: Nicolaus ait spiritu sancto, & igni: quoniam post baptismum dabatur spiritus sanctus uisibiliter in linguis igneis: Vtranque ponit beatus Hieronymus expositionem. Arbitramur autem hunc locum sic intelligendum: quando ignis duplicem habet uirtutem, urendi, & illuminandi: Qui autem baptizantur ex aqua & spiritu sancto, remissionem consequuntur peccatorum: & fidem suscipiunt spem & charitatem, quibus illuminantur ad cognoscendum mysterium Christi, & ad amorem eius inducuntur. Propterea dicit beatus Ioannes quod Christus baptizat suo baptismo, spiritu sancto remittente peccata, & igni illuminante & docente per fidem ea, quæ recta sunt. Habet ergo baptizatus remissionem peccatorum & gratiam: habet & lumen fidei quo ueritatem cognoscat, habet & calorem charitatis, qua Deum super omnia diligit: & ab eo speret uirtute spei uitam æternam. Quia ergo in baptismo remittuntur peccata, & homo illuminatur per fidem, & accenditur per charitatem, dicitur baptizare dominum in spiritu sancto & igni. *Cuius uentilabrum in manu sua, & per mundabit aream suam,* id est populum Iudæorum, & omnes uentilabro uentilabit, hoc est potentia sua: quoniam data est illi omnis potestas in cœlo & in terra: & potestatem habet iudicium facere. *Et congregabit triticum in horreum suum:* bonos uidelicet in gloriā reponet, *Paleas autem combures igni inextinguibili.* scilicet, in inferno, cuius pœna est sempiterna. Iam & hoc pronuntiauerat Esai. de igne illi, cap. 33. dicens: Quis poterit habitare de uobis cum igne deuorante? aut quis habitabit ex uobis cum ardoribus sempiternis? *Tunc uenit Iesus a Galilæa in Iordanem, ad Ioannem: ut baptizaretur ab eo.* Ioannes autem prohibebat eum dicens: *Ego a te debeo baptizari, & tu uenis ad me respondens autem Iesus dixit ei: sine modo, sic decet nos implere omnem iustitiam.* Hoc est omnem uirtutem, cum baptisma tuum sit bonum, dirigens in uerum baptismum meum: quod tu à me dicis te debere suscipere. Volo ego & à te aqua baptizari tantum, non in pœnitentiam: qui auctor sum salutis & remissor peccatorum: sed ad impletionem uirtutis: & precipue ut tactu mundissimæ carnis meæ aquas constitutam materiam ueram abluionis peccatorum. *Tunc uerba Christi audies Ioannes, & eorum uerum sensum accipiens, dimisit eum,* uidelicet baptizari: baptizauit autem eum, aquam super eum infundens. *Baptizatus autem Iesus, conuersum ascendit de aqua:* qui opus non habebat doceri à Ioanne, nec aliquid Ioannes insinuare illi, qui est patris sapientia: propterea, *conuersum,* vt notat euangelista, sine mora aliqua superstitus

F sus

fus dominus aqua Iordanis, cum pedibus in flumen descendisset, ascendit de aqua. Et ecce iam testimonium redditur sacro baptismati Christi, quo baptizandi erant homines, spiritus sancto & igni. *Et ecce aperti sunt caeli, & uisus spirituum dei descendentes sicut columbam, & uenientes in super se.* Vidit hoc dominus Iesus, vidit & Ioannes, ut ipse cap. i. testatur, caelos apertos, non quod diuidatur caeli, sed aera aperta uidit, quemadmodum fit, dum fulgur emittitur: & spiritus sanctus descendens sicut columbam: non quod spiritus sanctus in columba deueniret, sed columba portendebat, spiritum sanctum habitare in Christo homine per gratiam, sublimi oratione: & in illum nunc descendere, & illi esse innocentissimum ut columba. *Et ecce uox de caelo dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Iam quod dominus praecipitur erat post resurrectionem suam de forma baptismi, Marth. ult. dicens: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij, & spiritus sancti, in baptismo Ioannis quo dominus uoluit nunc baptizari, ostenditur manifeste: hic pater in uoce manifestatur, filius in aqua, spiritus sanctus in columba.* Quod autem spiritus sanctus deueniat super baptizatum, ostendit dominus, cum dicit Ioan. 3. *Ni codemo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Pater autem reddens uocem: *Hic est filius meus dilectus, significat baptizatos in consortium unigeniti deuenire filij per baptismum adoptionis, ut haeredes sint cum unico filio eius naturali domino nostro Iesu Christo: cui cum patre, & spiritu sancto est honor gloria, & imperium in aeternum. Amen.*

TRACTATUS PRIMVS,

In cap. quartum beati Matthaei.



TUNC ductus est Iesus a spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo: Tunc scilicet baptizato domino, quod in fine tertij capituli dicitur, & uoce patris caelo delapsa: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Tunc, ac si diceret, statim ductus est Iesus a spiritu sancto in desertum, ut tentaretur a diabolo: ut inueniret eum diabolus solitarium, locumque haberet conuersandi, & colloquendi. Dominus autem ieiunabat, uigilabat, & orabat, solus erat fera rum socius. Eratque cum bestijs, inquit beatus Marcus. Ieiunabat, ut nostram ingluuiem deleteret ieiunio suo: solitarius erat, ut societates nostras iniquas diffiperet: Orabat, ut nostra peccata purgaret. Oratio ergo illa, ieiuniumque, illud uictoriam nobis contulerunt. Sic Moyses dum populum per desertum duceret, Exod. 17. Amalech pugnante contra populum Israeliticum duce Iosue cum leuaret manus Moyses uincebat populus, cum autem remisisset superabat Amalech. Sustentabant ergo manus eius Aaron & Hur, ex utraque parte. Sustentatur autem humanitas Christi a diuinitate, ne tam prolixo ieiunio, uigilia, & assidua oratione frangatur. & sicut Moyses leuatas tenuit manus usque ad uesperam, & integram uictoriam contra Amalech Israel est consequutus: sic Christus dominus usque in finem mundi, orat pro nobis: secundum quod beatus

tus

tus Ioannes ait epist. i. cap. 2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non autem pro nostris tantum sed etiam pro totius mundi.* Vide Paulus ad Hebraeos, exauditus est pro sua reuerentia. Pro nobis igitur natus, pro nobis ieiunat, pro nobis orat. Et ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nescierunt quod curarem eos, Osee. i. r. cap. *Ut curaret, & sanaret nos, uenit in desertum.* Et quemadmodum nutrici, dum paruulus infirmatur exhibetur medicina, porrigitur amara potio, syrupum, & pharmacum ut paruulus sanetur; sic dominus quasi noster nutricius, laboriosa ieiunia & in desessam uigilantia & orationem agit: non pro se, qui nihil eget, sed pro nobis. Veruntamen & te oportet de calice passionis eius bibere, ieiunare, uigilare, & orare. Audi Psalm. 74. *Hunc humiliat, & hunc exultat, quia calix in manu domini uini meri plenus mixto: Et inclinauit ex hoc in hoc, ueruntamen fex eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terrae.* Hunc humiliat: scilicet illum, qui se humiliat, factus obediens usque ad mortem: & nos exaltauit, suscitans a terra, & de stercore peccatorum: ut colloquet cum principibus gloriae suae. Calix enim in manu eius uini meri, passiones eius absque consolatione. Vide & dicebat: *Ut qui me Deus dereliquisti id est, sic talia pati, sine solatio aliquo & consolatione uoluisti: permittens hanc inferiorem mei corporis partem, ita acerrime affligi & doloribus crudelissimis angere. Plenus mixto est calix, nam & te oportet pati et poenitentiam agere, unde cum beatus Ioannes. i. r. cap. i. dixisset: Et sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato, subdit (ne cum lutheranis cogitares, sufficere tibi sanguinem Christi effusum si nihil opereris.) Si consteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Vides post Christi sanguinem effusum, apostolum praecipere saluandis, poenitentiam agere. Unde & ipse saluator ait: *Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Illa enim prima eius praedicationis uox auditur in terra: *Poenitentiam agite: appropinquabit enim regnum caelorum.* Necessum est calicem domini bibere: ut ipse dixit filijs Zebedaei: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? calicem quidem meum bibetis: Calix ergo in manu domini, uini meri plenus mixto, in nobis iam aqua consolationis miscetur tristitia, poenae miscetur gaudium & consolatione.* Ecce uideo, inquit, primicerius martyris beatus Stephanus, caelos apertos, & Iesum stantem a dextris uirtutis dei. huic canit ecclesia: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Veruntamen fex eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terrae. Si non uis ieiunare cum Christo, nec orare, nec uigilare, nec pro sceleribus tuis poenitentiam agere, fex calicis tibi referatur durissima poena inferni: bibes fexcem passionis perpetuae damnationis, quae poena est acerbior, poena martyrum immo poena Christi in sua beatissima passione. Noluisti ieiunare, perpetuam inedia, & sitim patieris. Noluisti orare, perpetuo cruciaberis exulatu. Noluisti elemosynam indigentibus elargiri, perpetuam patieris paupertatem. Noluisti poenitentiam agere, poenam perpetuam sustinebis. Igitur ut calicem mixtum bibamus, dominus ducitur in desertum: ut ipse potione amara pro nobis sumpta, nos mixtum bibamus poenitentiam agentes. Cum illo igitur in deserto secedamus, non quod omnis Christianus deserta petere debeat: ueruntamen huiusmodi uitam agamus, ac si in deserto conuoraremur. Omnem enim Christianum decet calcare honores, tenere altiora, diuitias uilipendere: & si affluant, inquit Dauid, nolite cor apponere, Psalm. 61. *Blandimenta & delicias fugere seculi, dum pura mente sanctari, ieiunare, orare, uigilare, omnibus etiam rebus conuenit.* Rex erat*

F 2 Dauid

Cōtra hereticos in sanguinem Christi poenitentiam egerim.

Dauid & surgebat è lecto eburneo, & relicto molli stratu media nocte consistebatur domino. Media, inquit, nocte surgebam ad consistendum tibi, psal. i. 8. & psal. 6. Laboravi in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Omnes enim quicquid baptizati estis, inquit beatus apostolus Paulus, Christum induistis, ad Gala. 3. Religiosos ergo talem habitum gerentes, id est Christum induentes, obseruare oportet regulam suam. Quando in baptismo interrogamur, abrenuntias satanæ, & operibus eius, & pompis eius? respondent pro nobis patrum, abrenuntio. Vota ergo nostra domino reddamus, & in desertum Christum imitemur, considerantes quæ dominus tribuit penitentiam agentibus, & quæ dæmon tanto commutat pretio, ut est anima. Nam si quis ludicra, ut speculum, & acus, pro alicuius anima uendideret, nec pro iis aliud quam animam vellet pretium, an non emptorem reputares dementem? Perpende igitur stultissimum peccatorem, qui pro arenis mundi, pro speculo falso, & pro fragili acui animam dæmoni tradit, ut in tartara trudad. Dominus autem ditissimus pro calice aque frigidae, pro veste pauperi data, pro pane esurienti fracto, pro incarcerato refocillato æternum tibi largitur præmium: cui benedictio, claritas & honor est, cum patre & spiritu sancto in æternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In quartum cap. beati Matthæi.

VIDENS salutis humanæ inimicus cacodæmon, in domino Iesu plura diuinitatis indicia: volens, si posset, nostram præpedire salutem, eum petiit, in quo dominus ieiunabat. Beatus Marcus cap. i. inquit. Erat in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur a Satana. & Luc. 4. agebatur a spiritu in deserto diebus quadraginta, & tentabatur a diabolo. Matthæus autem, & accedens tentator dixit: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Ex ijs colligitur, dominum tentari a satana alijs tentationibus. Tentare autem nihil aliud est, quam experimentum querere de iis, quæ scire volumus. Alias autem tentare est impellere in ruinam: quod scriptum est Deuter. 13. Tentat vos dominus deus uester, utrum diligatis eum: Id est, probat uos, experitur uos. Cum autem dicitur: Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat: id est, neminem impellit ut ruat. Tentabatur autem, id est probabatur a dæmone: utrum filius dei esset dominus, simulque ut illum ad aliquod peccatum induceret. Si hoc enim posset, victoriam reportaret, & illum quis esset sciret, quod ab ipso præcipue prætendebatur. Dominus autem illi semper placidum vultum ostendit: ita ut si esset filius Dei an non, planè cognoscere non posset. Angebatur enim dæmon nimis, veritatem suspensus erat: quoniam in illo signa magna diuinitatis conspiciebat. Hinc quidem hominis veri signa quamplurima intuebatur: audiens vero angelos canentes, gloria in excelsis deo, cum saluator nascitur, & pastores adorantes, suspirat deum: cum cernit paruulum uterentem, & matrem suis vberibus eum lactantem, & in præsepio reclinantem, pauperculus infans videtur. Si enim Deus, quomodo in stabulo? Si homo, quomodo Gloria in excelsis? Adorant Magi, Deus videtur dæmoni: fugit in Aegyptum, hominem suspicatur: Si deus, quomodo fugit? Si homo quomodo a Ioanne quasi homo. Si deus, quomodo baptizatur a Ioanne? si homo, quomodo vox de caelo sonat: hic est filius meus dilectus, in quo mihi

mihî bene complacuit. obsecratus dæmon hisce argumentis, vidensque dominum in deserto, experiri voluit, utrum Deus sit, an homo iustus. Et ex consulto ipse princeps militiæ tartaræ Lucifer, hanc aggressus est prouinciam, dicens: Ille sanctior vniuersis est, quos hucusque mortalis produxit stirps. sanctior prophetis, & patriarchis, pariter & Ioanne, qui eum baptizauit. Huic præ omnibus scripturæ consentiunt: operæ pretium est hunc à me aggredi, à me impelli, à me tentari, an dei sit filius nec ne. Igitur corpore aereo, habituque sumpto commodissimo: non inuenis, ne leuis videretur: nec senis, ne delirus: mediæ ætatis virum domino se obijcit: vultu pallido, oculis concavis: fingensque se auidißimum hu mane salutis dominum salutauit, tanquam in illo deserto habitans, & penitentiam agens, viquequo salus mundi veniat, cum iam tempus appropinquare cerneret. Multa saluatori proposuit, longo sermone usus: & hoc est quod dicunt euangelistæ, tentabatur a Satana. Cum autem illum superare non posset, nec scire utrum Dei esset filius an non: eum esurire videns, & fallendi ansam suspicatus habere. Si filius dei es, inquit, dic ut lapides isti panes fiant. Quare tui occisor eris? facile tibi natura, quam condidisti obtemperabit: ego quoque in te cre dens, discipulus & tui præco existam. Hæc tentatio ita grauissima fuit, ut solus Christus eam vincere potuisset. Nam quisquis aius facile dixisset, non sum filius Dei: tuncque iam dæmon sciret quod querebat, & victor euaderet. Si dixisset dominus: sum, cum esset, iam iterum dæmon victoriam reportasset: hoc est enim quod præcipue querebat, an esset filius Dei: Itaque tale responsum dandum tuit, quo nec quis esset, dæmon posset agnoscere. Solus ergo dominus victor potuit à proposito euadere: solus tale responsum dare, quo dæmon incertus abiret. Ait namque: Non in solo pane uiuit hom., sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Deuter. 8. cap. Dixit Moyses hæc verba populo Iudæorum. Dedit tibi ebum manna, quod ignorabas tu & patres tui: ut ostenderet tibi quod non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod egreditur de ore dei: id est, Deus potest quæcumque uoluerit sustentare, & ex omni quod creauit cibum facere, & cibum de caelo largiri, & sine cibo hominem posse uiuere. Non ergo necesse est facere absque necessitate, licet esuriam, ex lapidibus panem: cum herbas & radices possim manducare, & in proximis vicis etiam panem possimus querere. Potest Deus me quocumque uoluerit alere, & à me esuriam depellere. Obstupe factus dæmon, minimè coniecturari quod tentabat, ex domini responso potuit: quod colligitur ex eo, quod amplius de hac re, de pane faciendo ex lapidibus, nihil locutus est. Obmutuit enim, & intra se uolens responsionis dominicæ uerba, & eum prudentissime & sanctissime respondisse considerans: nec an sit filius Dei, vlla coniectura colligens ex proposita tentatione, confusus tacuit. Ecce iam docemur in capite nostro, de hoste triumphum agere. Cum tentamur, ad sacram recurramus scripturam. Quod si illam non capis, ad viros doctos te confer, tentationem tuam pande: illi tibi salubre adhibebunt medicamentum. Et enim ex uerbis domini conficitur animæ proprium manna, uerusque intellectus, & uoluntatis cibus. Nam nemo est, qui non tentetur dum uiuit. Ceterum cum audis tentari dominum, te tentari oportere scito: agnosce, tam fidelem esse deum, qui nos tentari ultra id quod possumus non permittet: quinimo faciet cū tentatione prouetum, ut possimus sustinere: & qui nos gratificauit in dilecto filio suo, in eius uictoriam uictores sua gratia efficiet. Vult tamen nos tentari, ut ab illo gloriam suam absque rubore postulare possimus, & vincendo coronam mereri, ut inquit beatus Paulus prima Cor. 9. Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinere: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Et alibi: Bonum certamen certauimus, reposita mihi est corona iustitiæ.

institiæ. 2. Timot. 4. Miles enim qui solummodo inter milites inscribitur, non coronabitur: eo quod est ascriptus militiæ, nisi certauerit. Non coronabitur, inquit beatus Apost. 2. Timo. 2. nisi qui legitime certauerit. Si autem vicerimus Dei gratia adiuti: primam victoriam, quam consequimur, est inimicum diabolum ita prosternere, vt amplius nos de illo tentare minime audeat. Hæc est sanior doctorum sententia: nam sunt qui dicant, quod nec nos de alio quocunque vitio amplius ille dæmon, qui a nobis deus est, tentat. Alii dicunt, quod nec aliquem hominem de illo vitio. Veruntamen primam doctorum sententiam proxime accedere ad sacri euangelii sensum in præsentem cernimus. Nam iste te nebrarum princeps dominum tentans, de illa de qua victus est tentatione, eum amplius non aggreditur. Veruntamen idem dæmon statim alias molitus est tentationes. Per spiculum ergo est, cum de alicuius vitij tentatione dæmonem superaueris, non amplius illa quidem, sed aliis tentationibus victorem aggredi. Primam vero eius tentationem ex euangelio nouimus, in rerum mutatione consistere, vt lapides panes fiat. Oportet ergo nos cautiore reddi: quoniam dæmon primum, cum quid nobis ingerit, mentem fascinat nostram, res transmutat, terrena extollit, cœlestia deprimit, & magnificere carnis oblectamenta suadet, et quæ spiritus sunt paruipendere. Vult etenim fascinator iniquus, vt lapides conuertantur in panem, omnia confusa sint, vtque pro nihilo habeatur anima, & vt corpori totum teipsum tradas. Ecce crudelē dæmonis tentationem: præstigiator est, ob idque vigilare oportet, & semper verbi domini meminisse: Non in solo pane viuunt homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore dei. Potens enim est deus corpus alere, rerum penuriam pellere, quomodocunque ipse voluerit. Tibi autem expedit curam habere animæ, deo vacare, illi que præcipue inscribere. Quod si ex officio vel statu, quoniam forte matrimonio coniunctus es, vel in seculo rex, aut iudex, seu aduocatus, vel in ecclesia prælatus, ad plura necesse est intendere: nihilominus tamen anima tua semper in omnibus deum præparat, & omnia quocunque egeris, in deum redemptorem tuum dirige: ipsi soli placere stude: neque ex lapidibus, scilicet terrenis bonis, panes factas in cibum tuum. Vigilandum tamen est, quod in tentationibus nostris, id tanquam præcipuum inimicus querit aduersum nos machinamentum; vt peccatorum complacentiam & quietem in illis habeamus. Ita vt homo quiescat in culpa, nec remorsus, & stimulum patiat in anima, immo totus sopitus prorsus lethargi patiat. Peccasse namque plurimos expertus est, & gratia dei a peccato resiliisse: Ideo quod vehementer optat, est quietē peccatori in peccato præstare, quod Dauid ostendit psal. 136. dicens: Illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos verba cantionum, & qui adduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion. Ecce quomodo Babylonii captiuos Iudeos gaudere & quiescere in captiuitate nituntur, & cantica Sion appetunt, figuram gerentes dæmonis: qui cum per letale peccatum peccatorem alitrinexerit, cantare, gaudere, ludere, & requiescere satagit, & canticum Sion, canticum securæ & quietæ conscientie in statu culpæ cantari cupit: vt sic obliuiscatur peccator periculum suum & damnationis statum, in quo degit. Cui respondendum est, quod sequitur in eodem Psal. Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? canticum quietis, canticum lætitiæ, canticum iubilii, canticum securitatis, canticum domini? Quomodo cantabimus in statu peccati, in terra culpæ, in mala conscientia? Cuius autem patriæ sumus, an cœli an terræ huius habitatores, ex tribus cognoscimus: in quibus cognoscuntur in vrbibus peregrini. Primo in sermone, nam alius sermo Hispanicus, alius Gallicus, alius Germanicus, & alius Italus. Qui igitur de terra est, de terra loquitur. Si quispiam continuo de terra loquitur, & de mūdo,

do, cuius est mundi, si de cœlo continuo loquitur & de spiritualibus, peregrinatur quidem a domino, quandiu viuunt in corpore, sed animi promptitudine & desiderio est cœli incolæ. Secundo in vestimentis cognoscitur, qui alterius nationis est. Quemadmodum qui mollibus vestiuntur, & quæ facies suas cerussa exterminant & purpuris, & semper fucatæ immo & laruatæ incedunt, huius mundi sunt ciues. Tertio, peregrini simul incedunt: si quis continuo societates gerit carnales, & associatur ludentibus, miscetur lasciuus, coniungitur semper edentibus & bibentibus & saltantibus, ex conuersatione apparet, mundi huius incolam esse, & ad ciuitatem confusionis perpetuæ pergere: & veloci gressu in infernum iter arripere. Vnde & apostolus. 1. Corin. 5. monet Corinthios dicēs: Ne commisceamini fornicariis. His autē omnibus consideratis: quod non in solo pane viuunt homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, Christo cōiungamur: Laudemus voce, vestibus honestis sectemur, conuersatione pudica imitemur: & sic victoriam atque triumphum ab hoste reportantes, cum illo cōregnabimus: Cui cum Patre & spiritu sancto est perennis gloria: Amen.

TRACTATUS TERTIVS,

In quartum cap. Beati Matthæi.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei. Si filius dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim. Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Mirabilis stultitia dæmonis hic plane ostenditur, præstigiatorum vult dominū fieri, nec obequeatus considerat: si filius Dei est, talem insaniam minime facturum: si homo, quod talē casum timere necesse est: cum ex illo certissima mors sequatur. nam pinnaculum templi, deambulatorium super tecta templi erat altissimum, nec satis manifestum est, quibus verbis ad hanc insaniam voluerit adducere redemptorem. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Cum autem dæmon talem applicuit virtutis suæ naturam, ad ducendum dominum per acra, existimauit illum ægre hoc ferre, & increpaturum: vnde posset aliquo signo vel coniectura an filius dei sit cognoscere. Dominus autem qui occidendus venerat per manus ministrorum dæmonis pro salute nostra, non reuult per manus ipsius dæmonis per acra duci: nec ipsum repulit increpationis verbo, quin potius consensit. Forte dæmon se sanctum simulans dixit: Eamus nunc in Hierusalem in templum domini, ibi enim colloquemur: & ibi famem repellere potes: quoniam ieiunus es ne deficias in via. Ego vero quia potestatem habeo a Deo per acrem ire & quocunque ducere posse, sine labore aliquo illuc te constituum. Quod cum fecisset, dominus patientissime tolerauit: & sic eum super pinnaculum templi statuens, ait: Nunc posses & tu facere, vt omnis Hierosolyma te credat Messiam et regem nominet: quod & sine periculo facies. *Si filius dei es mitte te deorsum. scriptum est enim, quia angelis suis mandauit de te & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Ecce dæmonis ignauiam. Cacodæmon audi: si filius Dei est, ipse custos angelorum est, nec habet custodem angelum: cui nec ad animæ interiora seruanda neque ad exteriorem custodiam eo indigeat. Veruntamen cum omnis præcipua victoria dæmonis in his tentationibus erat, audire a domino: sum filius Dei, uel nō sum: proposuit ut se deliciarat a pinnaculo tēpli ut si nihil patiat læsionis, eum deum reputer: si autem homo esset comminatus deficeret & moreretur. Insuper scripturam tentationi adhibuit: tum ad facilius suadendum, tum etiam quia dominus primum tentationis laquei scriptura

scriptura contriuerat : ne aliqua via posset euadere , quin ab iplo cognoscere-
tur. Versuta & satis fraudulenta tentatio est, cum quis tentatus proposita sua-
deretur agere : idq; aliquo scripturæ testimonio, non illo quidē uerē assumptum,
sed apparenter confirmatur . Cui mansuetissimus dominus scripturæ testimo-
nio verē assumpto calumniam confutauit , dicens. *Scriptum est. Deutero . 6.*
Non tentabis dominum deum tuum. Nec desunt non recte intelligentes hoc domi-
ni responsum , qui dicant , dominum dixisse dæmoni : Non tentabis dominum
Deum tuum : idest me, qui sum dominus deus tuus. Si hoc verum esset , sciret
ytique dæmon quod quærebat, nec amplius tentaret : cum iam haberet scitum
quod summopere desiderabat , an Christus dominus esset filius Dei . Igitur
ad tentabis dominum deum tuum, idem est, ac si dominus dicat præceptum est
omnibus deum non tentare, & velle experiri supra naturam, quod potest conse-
qui per naturam. Cum ergo flumen scapha, aut ponte pertransire possim : ten-
tare Deum est , si me in fluctus proiciam tanquam ab angelis custodiendum .
Cum igitur sit descensus a pinnaculo templi per scalæ gradus : tentare deū est,
& peccare , si quis se proiciat per aera, & confidat se ab angelis suscipiendum :
ita ut non offendat ad lapidem pedem suum . Iam neruosa hæc domini respō-
sio in auribus dæmonis vsque adeo fuit vt nihil amplius de hac re cum domi-
no locutus sit : nec potuit ex tentatione proposita & domini responsione coniti-
cere an esset filius Dei . Erudimur & nos ex hac tentatione , omni modo in iis
quæ per se possunt per humanam naturam, non quærere miraculū à Deo opti-
mo maximo . Cum autem in graue , & humana industria inuitabile periculū
inciderimus, tum maximè de domino confidamus, & eius nomine sacratissimo
Iesu inuocato cum Psalm. 19. dicamus : Hi in curribus & hi in equis, nos autē
in nomine Dei nostri inuocabimus : ipsi obligati sunt & ceciderunt, nos autem
surreximus & erepti sumus. Eiusdem periculū res est : si deum tentemus, quæ-
rentes miracula, ubi adest natura : & si diffidamus de Deo, ubi imminente pe-
riculo aut quauis necessitate deficit omnino humana potestas . Qui enim di-
xit : Non tentabis dominum deum tuum, ipse dixit. Psalm. 77. de Iudæis cū iter
per desertum haberent : Et tentauerunt Deum in cordibus suis , vt peterent
escas animabus suis : & male loquuti sunt de Deo, & dixerunt : nunquid pote-
rit Deus parare mensam in deserto? Isti diffidetes arguuntur. Quinimmo quod
prorsus mirandum & timendum est : cum dubitaret Moyses aquam de petra,
silice bis percussio, vt præceperat dominus, effluere posse. Nume. 20. ipse &
Aaron audiunt : Quia non credidistis mihi , ut sanctificaretis me coram filiis
Israel : non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Et sic factū est :
moritur Moyses, decessit & Aaron in solitudine , & Iosue introduxit Iudæos
in terram promissionis . Erudimur etiam, cum molestus dæmon nos plurimis
concutit perturbationibus : & ex multiplicatione , & eiusdem tentationis su-
gessione, uictoriam reportare sperat, & nos in peccatum inducere, cumq; diuer-
sarum cupiditatum aculeis omni hora stimulans , dicit : non poteris tam cre-
bram sustinere luctam, tam continuum tolerare agonem : lacereris cōtinuis
ictibus, ergo mitte te deorsum : confiteberis, iterum a culpa mundaberis, peni-
tentiam ages : Non tentabis, responde, dominum Deum tuum. Quis scit, si cō-
surgam a culpa , an moriar? quis nouit an penitentiam agam? an alijs mergar
culparum uorticibus? Peccatum enim secundum beatum Gregorium , quod
per penitentiam mox non deletur suo pondere ad aliud trahit. Nec quisquam
presumat, dum in gratia Dei est, posse sibi mereri reparationem post lapsum .
cum ipsemet dum peccat, sibi obstaculum ponit eius, quod falso sibi ascripsit,
dum esset in gratia : postulasse à Deo, & impetrasse, si caderet in peccatū, conti-
nuo

tinuo a peccato resilire . In hanc sententiam , non posse sibi quenquam repa-
rationem post lapsum mereri, quandiu est in gratia, consentiunt scholastici do-
ctores in sententiarū lib. 2. dist. 27. Quod si cocodamora non constare uiderit,
crebroq; concussos permanere inflexos : iam ad callidiora conuersus machina-
menta, blandis sermonibus corda peruertere nititur beneoperantium : laudar
utiq; eos, quæritq; plures, qui eos extollant laudibus, uenerentur vt sanctos,
admirentur eorum & dicta & facta, eosq; in pinnaculum humanarum laudum
euectos, facile in ima deijcit, ut in Psalm. 72. deiecit eos dum alleuarentur. Et
beatus Petrus . i. epist. cap. 5. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gra-
tiam. Idem ait beatus Iacobus cap. 4. Oportet igitur semper in promptu habe-
re quod dominus dixit : cum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis , dicitur,
serui inuites sumus quod debuimus facere fecimus. Et beatus Apost. Paulus
epist. 1. Corinth. 4. Quid habes, quod nō accepisti? q; si accepisti, quid gloriaris
quasi nō accepisti? Et illud beati Iacobi, Omne datū optimum & omne donū
perfectum de sursum est a patre luminū. Et quod nunc dominus dixit : Non ten-
tabis dominum Deum tuum : ne per aera & nubes inanis gloriæ præcepta ruas
in terram. Atqui continuum gloriam reddes omniau bonorum largitori do-
mino. Nec tamen adhuc securus existeris, cum egressus fueris a tentatore, ipse
uirtutibus : non quod de illis inanite gloriaris, verum eo quod non uanè gloriaris
tibi applaudas : & extollaris in eo, quod ipsam inanem & caducam laudem
spernis. Dum enim beatus Paulus, vt legimus in actis Apostolorum cap. 28.
in insula Melita sarmenta igni imponit : exiliens vipera eius inuasit manum,
quam in ignem ille excutiens permansit illæsus : ita & nos dum sarmenta , hoc
est opera nostra igni cremamus, nihil nobis lau dis quærentes, sed omnia bo-
na nostra in ignem (deus enim noster ignis consumens est) referentes , vipera
venenosus serpens manum nostram inuadit , vt de laudibus quas respiciamus
(eo quod reuimus laudari) gloriemur : & inimicus noster eo quod confessus
est gladio uirtutum , & neglectu laudis, nos incautos fauciet. Iam ergo facit
necesse est habeamus & occipiti occurramus cæco. Quamobrem existimo Eze-
chielem dixisse de statua quam uidit in medio rotarum & totum corpus oculi
plenum in circuitu ipsarum quatuor : Habemus domini saluatoris respon-
sum, habemus capitis nostri uictoriam : eo duce nostro uincente, omnes uicisse
in illo non dubitemus, nisi ignauia nostra armis depositis bellare & uincere
respiciamus. quod si eius nomen sanctum & terribile demonibus opponamus,
& ab eo gratiam & iuuamen continuo postulemus, inge sentiemus ab eo auxi-
lium ; cui cum patre & spiritu sancto est honor gloria & imperium in æter-
num . Amen .

TRACTATUS QUARTVS,

In quartum cap. beati Matthæi .



ITERVM *assumpsit enim diabolus in montem excelsum ualde : & ostendit ei omnia
regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris
me. Tunc dicit ei Iesus : Vade satana : scriptum est enim, dominum Deum tuum ado-
rabis : & illi soli seruius : Siue dæmon se simulans adhuc sanctum hoc
dixit : huc dicens se esse regionis tartaræ principem , cuiusque ho-*

mini gratissima hæc est tentatio. Poterat enim dicere se esse valde sanctum, & à Deo quicquid vellent accipere. Veruntamen verius uideret dixisse, se esse regionis Tartaræ præcipuum: & in omni loco, Iudæa excepta, adorari & coli in templis, & subiectos habere imperatores, & reges, & dominos totius mundi. Alioqui quomodo Christus crederet illum talia possidere, talia posse donare, nisi se manifestando, & quis esset propalando præsertim quum iam bis interrogasset, Si filius Dei es, dic ut lapides panes fiant: Si filius Dei es, mitte te deorsum: nunc non dicit si filius Dei es, sed tanquam homini loquitur, & illum irritauit, cogitans: si filius Dei est, forte mihi poenas imponet, loquetur potenter, cum ausus sim contra diuinitatem agere: & ex eius responsione colligam an filius Dei sit. Si autem homo est, vel credet mihi, uel non: si credet, adorabit: & sciam illum hominem esse & peccatorem: si non credet promissis, & impossibilia quæ dixi ei uideantur, loquetur mecum, & confabulabitur: quomodo possum illi ea, quæ promissi donare fortè dicet, sufficere mihi: si me dominum alicuius partis, vel regni mundi, constituat: & ex uerbis eius sciã an sit homo purus, an Deus & homo. Hanc grauissimam tentationem ad finem reseruauit: tanquam præcipuum omnium quæ proposuerat, & grauiorem, & cum de honore maximo mūdano & diuicijs ageretur, uicisse se dominum credit, si purus homo esset. Si autem filius Dei, hac via posse inuestigare & cognoscere: præsertim cum permixtam hæc tentatio haberet blasphemiam, *Si cadens adoraueris me.* Satis dolendum est quod se talem profiteretur dæmon, ac tanta se præditum potentia simulat. Quamuis facile possit dici eum, pater cum sit me dacijs, nunc etiam mentiri: mentiri, inquam, in promisso: tum quia non potest, cui uelit omnia illa donare: tum quia non potest a possidentibus auferre, & uni dare. Nam quod adoraretur in omni terra, Iudæa excepta, manifestum est. Vnde & dominus ait Ioan. 12. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras: ablato scilicet idolorum cultu, & deo saluatore cognito, & cruce domini adorata. utinam & nunc non habeat ampliore potestate in regnis dæmon, quam Christus habet reges. Dominus enim intellectu colitur per fidem, dæmonis autem uestigia, & praua monita homines uoluntate imitantur peccantes. Possident reges terreni reditus, possidet iniquitas homines. Habet rex corpora imperio suo addita: habet & dæmon corpora uitijs ei obsequentia. Habet rex homines uiribus suis illi in prælio obtemperantes: habet & dæmon animas in criminibus sibi deuinctas. Ob hæc certe causam, deberent reges Christiani perquam uelociter crimina & peccata tollere publica, & punire prauos: ne dæmon gloriatur una cum illis sceptrata tenere: & plus in regnis eorum posse quam ipsos. Dominus autem cum de honore diuino ageretur in ista tentatione: hoc est, si cadens in terram adoraueris me, ipsum Satanam a se reuicit, caute tamen: ne ipsum Dei filium compertum haberet, *uade satana,* satan aduersarius dicitur, & cuiusque homini potest dici, cum alicuius aduersatur salutem, uade satana. Sic & dominus Petro suadenti ne patreretur, respondit in cap. 17. Vade post me satana, scandalum mihi es. Non igitur ex hoc uerbo dæmon intelligere potuit, quod dominus illum tanquam Deus increparet: cum a quocunque homine posset dici, si talia illi suaderet, uade satana. *Scriptum est dæmonium Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Deutero. 6. scriptura etiam, quam dominus in sui responsi confirmationem retulit, ipsum dæmonem dubium ualde reliquit: & multo amplius uacillantem abire compulset. Non enim nouum quid, illi dominus retulit: sed quod præceptum in lege ante tot secula fuit: ne Iudæi aliquid præter Deum uiuum & uerum colerent, aut inferuissent. Harum tentationum occasionem considerare non abs re erit, quatuor

quatuor nobis tentatores esse: dæmonem, ut in Euangelio: Deum: bonum hominem: & malum etiam hominem. Deus non tentat ad malum, sed ut experimentum hominibus & mundo præbeat: non utique sibi: quando omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Gen. 22. Tentauit Deus Abraham ut immolaret filium suum Isaac: ut in eo mundus obedientiæ exemplum haberet, & omnibus innotesceret seculis, qualis esset Abraham: qui tale obsequens holocaustum offerret: quantaque fidem haberet, qui credidit immolando filium pronam Dei minime euacuari: quoniam in illo prædixerat benedicendas fore omnes gentes terræ. Credidit enim resurrecturum, ut ait Apost. Paul. ad Heb. 11. sic Deuter. 13. Tentat uos dominus Deus uester, an diligatis illum. hoc est probat, etsi ipse sciat, quales sitis: uobis ipsis uult ut innotescatis, & mundo. Iob etiam probauit dominus, & dæmoni tentandum præbuit: ut cunctis hominibus innotesceret patientia eius. Neminem autem dominus ad malum tentat, Deus enim intentator malorum est, ut inquit beatus Iacobus. Bonus homo etiam têtat ad bonum, uolens expiriri & scire quæ gerantur: ut pater filium an diligat cum: an sit idoneus, cui hereditatem relinquat. præceptor discipulum tentat, an sciat, an recolat, quæ accepit: an memoriter retineat audita, studiosus sit an ociosus. Malus homo, mala bestia, fera pessima, male têtat: sicut tentator horridus aggressor. Grauius enim & molestius tulit beatus Iob, uxoris & amicorum tentationes, quam dæmonis. Cum enim uelementer a demone cōquassaretur, nihil audiuius aliud: quam dominus dedit, dominus abstulit, si cur domino placuit, ita factum est: sit nomen domini benedictum. Ad uxorem autem dicit. Quasi una de stultis mulieribus locuta es: ad amicos autem, uere onerosi consolatores uos estis. Et Thobias cum patienter cæcitate ferret cognati eius irridebant eum, dicentes: Vbi est spes tua, pro qua elemosynas & sepulturas faciebas? Insuper & uxor irritata respondit, manifeste uana facta est spes tua, & elemosynarum modo apparuerunt. Itaque grauissimi tentatores homines, & persecutores sunt immanissimi. Videtur dæmon cum per malos homines tentat, pugnare ex equis fortissimis, & desuper tela proicere: si uerò tentat per se, pedester certat: siquidem per iniquos multo peiora & grauiora facit, quam per se committat. Vide quid fecerit, cum in cor Iudæ immisit, ut proderet dominum. Quid item in corde Iudæorum egerit: in quorum mentes immisit, adeo fixus hæsit, ut iam non posset non perficere incepta. Nam per uxorem Pilati, cum multis illam tenuisset in somnijs, iam necem domini prohibere uolens, haud potuit. Misit enim illa ad uirum, dicens: Nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum hodie per uisum propter eum. Porro in curijs regum per suos satellites peiora efficit, quam si uisibilis ipsemet inter homines conuersaretur. Confundunt isti omne fas & æquum, Suis unusquisque fauet: nec ad obsequia & labores ingentes, quibus aliquis de republica bene meritus est, oculi diriguntur. Immo illi, quibus præmiorum committitur distributio, ueluti pictores (& ut uerius dicam) iniquissimi impositores sunt. Quem enim uolunt, licet candidus sit, nigerrimis tingunt coloribus: alium rursus, & si nigerrimus, vel candore ipso candidiorem effingunt: & quod natura non facit, ipsi artificio & impostura faciunt, ut ex artibus hominibus & sine meritis uilis, alibi reddantur & cum reditibus plurimis. Ecce quanta mala perpetrant homines mali, & quas tentationes incutiunt proximis: qui & cum dæmone adorari uolent. Et licet regios istos adoraueris familiares, & in terram procideris, nec sic quidem omnia reddentur debita. Iceirco ò christiane uir Deum adora, ipsi res tuas committe, & dic cum domino Iesu; Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: cui est gloria, honor, potestas in æternum. Amen.

TRACTATUS QVINTVS,

In quartum cap. Beati Matthei.

Fides abs-
que operi-
bus mor-
tua, cōtra
lutheranos
ex hoc euā-
gelio ostē-
ditur.

T V N C reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei. Ir-
ruit in lutheranos Euangelium, præcipitat eos Christus dominus, obruunt
eos angeli. Confusus aufugit diabolus, dum audit dominum Deum tuum
adorabis, & illi soli seruias. Angeli accedunt & ministrant: qui enim dicit
seruias: idem est, ac si dicat, dum fide adoras, scito te operibus etiam inser-
uire oportere. Non enim sufficit si adores, nisi illi soli seruias. Qui enim dicit
inseruire, dicit operari. Qui dicit se alicuius obsequio mancipatum esse, di-
cit plurima illi opera placita perficere. Qui dicit seruire, dicit non peccare:
qui dicit seruire, dicit & amare: qui dicit seruire, dicit legem custodire: qui
dicit seruire, dicit bonis operibus insudare. Qui dicit, inquit beatus Ioan-
nes, se in Christo manere, debet quemadmodum ille ambulauit, & ipse am-
bulare. Ipse autem dominus noster Iesus Christus multa operatus est, prout
ipse testatur Iudæis: Multa bona opera, inquit, ostendi vobis ex patre meo. &
ad discipulos: si opera inquit, non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non
haberent. Christus operatur, luther non vult operari, sola se fide vult saluari,
solaque fide attingere merita passionis domini. Contra quem nunc dominus
dicit: Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruias. contra quem infra.
16. cap. dominus clamat: Filius enim hominis vēturus est in gloria patris sui, cū
angelis suis, & tūc reddet vnicuiq;. Quid expectas lutherane dīcturum? quid
gentes carnales decipis? quid cogitas te auditurum? tunc reddet vnicuiq; secū-
dum: secundum quid? secundum inquit opera eius. Audi iterum secundū opera
eius: audi tertio, secundum opera eius, dicit dominus: & nō secundū fidem eius
tm: quæ sine operibus mortua est, nec sola pertingit ad gratiā passionis Christi
promerendum sine sacramentis, sine bonis operibus charitatis. Audi spiritum,
per os Dauid Psal. 61. Semel locutus est Deus, duo hæc audiui: quia potestas
Dei est, & tibi domine misericordia: quia tu reddis vnicuique iuxta opera sua.
Non iuxta fidem inquit: opera respicit, requirit fidem. Si tamen fidem sine ope-
ribus illi ostendas, non reddet tibi vitam: quoniam reddit vnicuique secundū
opera sua. Audi apostolum prima Corinth. 13. Et si habuero omnem fidem, ita
vt montes transferam: omnem fidem dicit, ne quis hæreticus nugaretur dicens,
talem aut talem fidem: omnem inquit fidem, charitatem autem non habuero,
nihil sum. Nihil ergo est Luther, nihil sunt lutherani, ad nihilum hodie redigū-
tur ex euangelio & ex ore domini dicentis: dominum Deum tuum adorabis. Vt
autem scias hoc tantum non ad salutem sufficere, & illi soli seruias subiicit.
Iterum audi Paulum ad Gal. 5. Nam in Christo Iesu nec circuncisio aliquid va-
let, nec præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur: Hic fidem intellige
non quancunque, sed operantem, operantem inquam, non quodcunque opus, sed
per charitatem operantem: vt pote opera ex charitate facientem. Nam si opus
sit absque gratia, in peccato mortali factum, non prodest ad æternam vitam.
Omīssa hæc faciāmus, sufficit nunc tetigisse. latius namque deo fauente in cap.
16. & ex professo hæc disseremus. Et ecce angeli accesserunt. Etiam operibus ipsi
dominum prosequuntur, & ministrabant ei, necessaria victori Christo domino
ad edendum attulerunt, & manducati inseruiuerunt. Itaque hodie vincēte Chri-
sto, nos omnes in illo vincimus, cum pro nobis ipse tentatur & vincit. Nam in
Adam cum per diabolum fuimus victi, honorem amisimus, pariter & quietē &
vitam

vitam ipsam. In quocunque enim die (inquit Deus) comederis ex eo; morte
moriēris. Ecce honor & vita, manducante Adam, amittuntur. Quiete verò pri-
uamur, cum subdit: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. At honor hodie vin-
cente Christo restituitur nobis. vita in cruce domino moriente donatur, quæ
in gloria dabitur, beatus Io. Chrysoſt. in homelia huius euangelii inquit, Tenta-
tiones dominus ab inimico sustinuit, vt homini victoriam reportaret: non enim
necessitate, sed voluntate esuriit, vt ad huius mundi tentationē diabolulum pro-
uocaret: vt tentando dæmon eo modo quo Adam tentauit: & Christo vincēte,
nobis honorem restitueret, vnde in vituperium incidimus. Et beatus Ambros.
in Luc. c. 4. de tentationibus Christi agens, inquit: Tibi Christus, nō sibi vincit.
Et beatus Greg. iustum quippe erat, vt sic tentationes nostras suis tentationi-
bus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare. De hoc itaque
summo opere gaudere debemus, quōd in ipso vincimus (in ipso enim viuimus,
mouemur, & sumus) securiusque in nobis. in ipso ergo vincētes, quoties opus
fuerit, sua gratia victoriam consequemur. Si enim thesaurus victoriæ in nobis
reconderetur, iam esset amissus: in Christo autem repositus, tutissime asserua-
tur: & quoties fuerit opus, si postules, eius tibi gratia cōdonabitur. Etenim si in
te aduersario irruente, armatum gigantem in tui præsidium conspiceres: nonne
de illo plusquam de te confideres? Habes vtique victorem Christum, qui exalta-
uit vt gigas ad currendam viam: qui & tecum est in tribulatione & tentatione.
Gaude & confide de gratia eius, dummodo tu & arma in aduersarium sumas.
Ille tribuet gratiam tu voluntatis adhibe manum. Ille auxilium feret, tu velle
præsta. Ille succurret, tu hosti occurre, ieiunio, oratione, vigilia & elemosyna,
ac cæteris operibus bonis munitus. Et ita fiet vt quam habes in Christo acqui-
sitam victoriam, nunquam amittas. Filii quippe eramus hæctenus hominis vic-
ti Adæ, cæterum vincēte domino, iam filii effecti sumus victoris Christi. Le-
gitime ergo certemus, & gratia eius fauente victoria erit: si quidē Chri-
stianæ militiæ normam seruemus & leges: nam qui in vno regno legem alterius
regni pro se tuendo adduceret, plane ab omnibus irrideretur. Nemo ergo Chri-
stianus inferni legem producat. Est enim qui dicat in regno Christi. Inimico mi-
nime parcum. Qua id lege o Christiane? lege, inquis, humana: haud considerās
miser, quam sit turpe tibi in Christo & eius nomine cōsignato, in suo regno dia-
bolica lege vtī. Nunc rursus aliena rapiamur. Qua id lege tua in regno
Christi lex iubet donare, quæ habes pauperibus: tu vero ne dum tu a retines, ve-
rum & aliēna rapis. Legem sanē introducis regni tartarei ante tribunal regis
regum Christi: in quo decem præcepta totius Christianissimi ipsius met Dei di-
gito sunt exarata, non Vlpiani seu Iustiniani decreto sancita. Diliges super
omnia dominum Deum tuum, proximum tuum sicut teipsum. Non assumes no-
men Dei tui in vanum. Sabbata sanctifices. Non occides. Non mēchaberis. Non
furtum facies. Non falsum testimonium dices. Non concupisces uxorem, neque
rem proximi tui. Quid ergo facis contra decreta Christi, & in tui defensionem
inferni legem proponis? Non enim in vno regno legibus alterius regni in foro
iudiciario pro tribunali iudicatur: vt tibi notum sit coram Christo, nullam le-
gem admitti, nec secundum aliam legem iudicium ferri, præter illam, quam ip-
se statuit in sacrosancto euangelio, & quæ suo est digito in decem præceptis cō-
scripta. Regibus enim Deute. 17. a domino dictum est: Rex postquam sederit in
folio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, acci-
piens exemplar a sacerdotibus Leuiticæ tribus: & habebit secū, legetque illud
omnibus diebus vitæ suæ: vt discant timere dominum Deum suum, & custo-
dire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in
superbiam

superbiam super fratres suos, nec declinet in partem dextram vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse & filii eius super Israel. Prælati autem dicit Apost. 1. ad Timot. 3. Oportet episcopum irreprehensibilem esse: vnus vxoris virum, idest non bigamum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem. Matri monio autem coniunctis dicit Ioannes baptista. Luc. 3. Quid ergo faciemus? interrogabant turbæ, cum Ioannes dixisset: Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Respondens autem Ioannes dicebat illis: Qui habet duas tunicas det vnã non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem & publicani vt baptizarentur ab eo, & dixerunt: Magister quid faciemus? & ille dixit ad eos: Nihil amplius quã quod constitutum est vobis faciatis. Interrogabãt eum & milites dicentes. Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, nec calumniam faciatis, & contenti estote sti pendis vestris. A regibus vsque ad publicanos & milites statuitur norma viuendi, idest, lex conditur, euangelica præcepta donãtur, omnia reformãtur per Christum victorem. Secundum hæc igitur leges viuere hominem Christianũ decet: quando ad tribunal Christi lex alterius regni non admittetur vnquam. Nulla ibi lex tabularum mundi seruetur, nulla reperitur inferni, sola lege domini im maculata omnia diffiniuntur. Sola lege Christi vnusquisque vel ad perpetuos gehennæ ignes damnatur, vel inter ciues cœlestis regni conscribitur: in quo perpetuo regnant Pater & filius & spiritus sanctus vnus Deus. Amen.

TRACTATUS SEXTVS,

In cap. quartum beati Matthæi.

AT QVI iam alio ducendus est sermo noster, & de materia harum trium tentationum disserendum, vt paruulis detur astutia, & intellectus, ne ab inimico vincantur: quinimmo in Christo vincẽti victores & ipsi reddamur. Ipse enim Christus dominus dux & præceptor noster: cuius in pace obseruanda præcepta, cuius in proelio tentationum inuocãdum auxilium, & imitandus effectus, infans in templo præsentatur. Hinc discant parentes, filios ab infantia domino consecrare. Puer duodecim annorum reperitur in templo a beatissima matre. hinc discant pueri in his quæ domini sunt assidue occupari: discantque si opus est, percalcatur, vt inquit beatus Hieronymus, pergere patrem percalcatur & matrem, religionem intrare, seculo renunciare: summum enim genus pietatis est, in hac re fuisse crudelem. Cum autem dominus triginta annorum ætatem egisset ductus est a spiritu sancto in desertum: vt discant viri, vnusquisque secundum statum suum, ea tantum modo licere illis, quæ a recto fuerint spiritu cõfirmata. Verum enimvero hodie inter Christianos nõ parum multi reperiuntur, qui sola fide, & benevolentia, & quadam consuetudine deo satisfacere velint. Nam sicut hominem conciuem nostrum occurrentem obire salutamus, nihilq; de eo amplius est nobis curæ, non secus illi siue in altari siue in via Christus occurrat: salutant quidem & fidem credunt, et pectora tundunt: at verò nihil de eo amplius cogitant. Non præcepta seruant, non imitantur, non præceptoris insula capeßere, nec redemptori suo perpetuæ seruitutis officia rependere volunt. Virilis enim ætas exigit, a spiritu duci, euangelio configurari, Christi domini vestigijs adherere. De hoc spiritu sancto Dauid edocuit, cum esset rex, Psal. 142. inquit, Spiritus tuus bonus deducet me in terram. Et beatus apostolus Paulus, ad Rom. 8. Qui autem spiritu Dei agitur, hi filii Dei sunt. Cum autem nos

inimicus

inimicus propinquiores Deo fieri cernit, eo intricatioribus laqueos tentationum pedibus nostris conicit. Vnde & sapiens ait: Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore & præpara animam tuam ad tentationem. Sicut enim Leo si quã videt prædã fortiorẽ, & manibus eius resillire nitentem, vnghibus fortius stringit: sic dæmon quem videt e manibus eius elabi incipientem, vnghes tentationum infigit fortius, ne amittat iam elabentem. acceditque têtator, & si quam te viderit pati necessitatem, occurrit velociter, dicens: Dic vt lapides isti panes fiant. Tentatio enim que sub prætextu necessitatis offertur, eo grauissima est: quod propitiam habet naturam. Nemo enim est, qui non velit sibi succurri, si quid patiatu aduersum. Siue igitur sit esuries, siue nuditas, siue quodcunque aliud, bone Deus, quæ natura non flectitur? quæ anima non concurrit? quis fragilis immò & fortis nõ cedit? Magnopere igitur opera misericordiæ cõmendãtur a domino, de quibus habenda est in die magni iudicii Dei ratio. Quoniam si has rependimus indigentibus proximis, eos eripimus ab ingentibus laqueorum periculis, & a grauissimis têtationibus subleuamus: Recole igitur vir christiane (si habes quod des) te Christum dominum in suum cooperatorem aduocasse. Ipse enim liberabit me de laqueo venantium. Quot enim necessitatibus subuenis: scito tot adiuuasse, vt a laqueo iniquitatis eripiantur. Diuites namque secundum beatum Ioan. Chryso. nutrices sunt indigentium. Quemadmodum enim nutrici datur optimus cibus, vt crassiori lacte nutriat infantem regium: sic te deus fecit vberiorẽ vt tu proximis tuos vberiori lacte a necessitatibus vindices. Tu autem qui in ediam pateris, confer te ad domini crucem, inuoca auxilium eius, ne te deserat in tempore opportuno: & recole respõsum domini. Non in solo pane viuit homo, sed in verbo quod procedit de ore dei. In hæc prorumpere verba: Confido in domino Iesu, ipse reficiet me, non tardabit utique, qui seipsum mihi in pretium & cibum præstitit, propiciabitur mihi, & necessaria subministrare non desinet. Beatus Hieronymus inquit, materiam harum tentationum domini fuisse gulam, inanem gloriam, auaritiã siue cupiditatem: quãuis formaliter dæmonis intentio ad cognoscendum an Christus esset filius Dei, præcipue dirigeretur. Laqueos tamen hos tetendit coram domino, vt ad peccatum si purus esset homo induceretur, & sic duplex consequeretur et tentationibus malum: tum peccatum, tum etiam inuestigatio quis esset dominus: an Deus, an homo. Imprimis autem gulam obiecit: adeo enim gula rationẽ habet: sciens hoc pessimũ malum fontem innumerabilium peccatorum esse. Cibo enim vetero primus homo cecidit: cibo Esau vendidit primogenita: & populus Iudæorũ dum immoderato vitur cibo, vitulũ est fabricatus. Sedit, inquit scriptura Exo. 32. populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Tanta enim cum ex gula vitio oboriantur mala, & dæmon plura quotidie experiatur elici ex hoc fomento, crebro de gula tentat: immo legem mundo inutili cõmessationis, erapula, & ebrietatis: & hanc inter honores retulit sanctionem, vt crescente nobilitate & auctis redditibus, crescant & cibaria lautiora, vtque inter appendices nobilitatis, gula vna sit ex precipuis obseruanda. Quod è contrario dominus: Non in solo pane viuit homo. Cum autem cautiores de reddenda ratione in die iudicii discipulos redderet Luc. 21. cap. inquit: Attendite vobis ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Enarratis terribilibus signis: surget gens contra gentem, terremotus magni erunt per loca: tanquam ad euadendum omnia hæc ait: Ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Si enim dixisset: ne grauentur corpora vestra crapula et ebrietate: omnes manifestissime nossent non solum grauari, immo mori corpora, & ingentes generari infirmitates ex nimio cibo et potu: iuxta illud sapientis: In multis escis erit infirmitas, Eccl. 37. At dominus inquit

inquit corda vestra. Non enim ex gula solam corporis incurrit mortem primus parens, immo & mortem animæ. Idem Esau perpesus est, idem Iudæi idolatræ adorantes vitulum, & coram illo saltantes, & deum sic blasphemantes: Hi sunt dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Magna igitur ratio Christiano viro habenda est temperantiæ. Neque enim absque causâ tum ab Aristotele aliisque philosophis definitum est, temperantiam virtutem esse, quæ esui & potui frena imponat, tanquam illa sit totius hominis temperamentum animæ & corpori saluberrimum, & qui crapulæ & ebrietati deditus est, intemperatus dicitur, tanquam certum sit, per crapulam et ebrietatem omnium malorum eluuium provenire. Enimvero si nos fortes in hac prima tentatione cacodæmon senserit, ad spiritualia tela sese conuertit, superbiæ scilicet & gloriæ vanæ: existimans grauissimos etiam & spirituales viros in eam quam ipse incidit foueâ incidere non esse dubium. tunc extendit laqueos subtilissimos, vt de donis receptis aut gloriemur: vel Deo prout par est gratiarum actionem non reddamus: & vt despectis proximis cum Phariseo superbo dicat vanus homo: Non sum sic cut careri homines. Cum autem Dauid a peccato incontinentiæ cautiore euasisset, ecce in inanis gloriæ & superbiæ incidit retinacula, dicens ad Ioab principem militiæ eius. Vade & numera mihi Israel & Iudam: Qui gloriatus de multitudine gentis, & inaniter eleuatus de numero subditorum, a Deo percussus est plaga ingenti. 2. regum vltimo. Et Ezechias rex sanctus 4. Reg. 20. & Esai. 39. dum nuntiis regis Babylonis, uanitate ductus, ostendit omnem supellestem domus suæ, aromata, & pigmenta uaria, & unguenta, audit ex ore Esaiæ: Audi sermonem domini. Ecce dies uenient & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua: & quæ considerunt patres tui vsque in diem hanc in Babylonem. Non remanebit quicquam ait dominus. Semper enim oportet domini responsum diabolo obijcere: Non tentabis dominum Deum tuum. Omnia Dei sunt, domini est terra, & plenitudo eius: de sursum est omne bonum datum. Nichil intulimus, inquit Beatus Paulus, in hunc modum: haud dubium, quia neque auferre possumus. 1. Timoth. 6. Tertium laqueum satanas, cum hisce nos illaqueari minime cernat, ostendens bona mundi & dicens: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Hac tertia tentatione totus orbis confusus voluitur, ima supernis æquant superiora deijciantur; bellis totus mundus quatitur, lites regna non capiunt, nec iudicantium tribunalia: si quaras vnde bella, vnde lites? respondit beatus Iacobus. Non ne ex concupiscentiis uestris? Omnium enim malorum radix cupiditas, vt inquit beatus apostolus Paulus. 1. Timoth. 6. quam quidam appetentes errauerunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis. Non est radix gulæ, non radix incontinentiæ, non radix iræ, non radix superbiæ; sed omnium malorum. Non est malum quod a cupiditate non oriatur: quæ etiam facit a fide excidere. nam vt diuitijs affluat, contra fidem plurima facit, & plurimos se doloribus inserit: cruciantur enim dum vincuntur in bello, vel in lite cadunt a causâ. tu autem ô homo Dei hæc fuge, cum domino semper respondens: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Quod iuste possideo, hoc tantum me habere decerno. Has tres ingentes tentationes domino proposuit dæmon: a quo victus recessit & confusus prima deiecerat primum hominem a paradiso. secunda ipse se perimit, & in tartara ruit, ex angelo factus dæmon. tertia omnem confundit orbem, gyrat, euoluit, disturbat, & decijit: His tribus omnem disperdit hominem. Magnopere igitur est euigilandum cum se quisque aliqua harum trium tentationum aggressum viderit, ut auxiliu Christi suppliciter mente imploret: vt qui victor euasit: suis, pro quibus ipse vincit, gratiam

gratiam aduincendum donet: cui est honor gloria & imperium, cum patre & spiritu sancto in æternua. Amen.

TRACTATUS SEPTIMVS,

In quartum cap. Beati Matthæi.

Quod autem hæc tentatio vltima, quam domino cacodæmon proposuit, grauissima fuerit, & nobis difficilima ad resistendum, ostenditur ex eo, quod vltimo loco a desperato diabolo vibratur: tanquam iaculum eius fortissimu, & tanquam eius vltimum tormentum. Bene autem admonet nos beatus apostolus Paulus ad Ephes. 5. dicens. Hoc est idolorum seruitus, non habebit hæreditatem in regno Christi, & Dei. simile namque huic refert ad Colos. 3. Mortificate ergo membra uestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est finis lacrorum seruitus. Quare autem præ cæteris peccatis, auaritia dicitur idolorum seruitus, beatus Hiero. interpretatur: quoniam auertit a Deo animam, & tanquam Deum colit pecuniam. simile est illud quorum Deus venter est. quod idem apostolus ait ad Phil. 3. Quod enim quisque præ Deo, & præ cæteris omnibus veneratur, & colit id eius esse idolum cõprobatur. Cum enim hoc præcipue causetur in animo hominis auaritia, dicitur idolorum seruitus, cum etiam quia circa metalla, ex quibus constantur simulacra, versatur: tum quia quemadmodum idola habent membra, non tamẽ habet sensus, nec iuuare suos cultores valent: ita congregata per auaritiam, res sunt, carent tamen sensibus, cum illis auarus non utitur, nec iuuatur reconditis ad necessarios vsus. Quotidie experimur auaros non manducare cibaria recondita, non bibere ex dolis plenis, nec pecuniam abstrusam tangere: ut adimpleatur in eis illud Psal. mi: Thesaurizat & ignorat cui congregabit ea. Heres enim auari in uno penẽ mense dilapidat quæ a misero per plurimos annos seruata sunt, & congeita. Porro pestiferam hanc idolorum culturam apostolus Paulus, prout in superiori proximo tractatu retulimus, radicem omnium esse malorum asserit. Quamquam ex aduerso videtur insurgere illud Eccl. 10. Initium omnis peccati superbia. Etenim cum superbia sit omnis peccati initium, qua ratione cupiditas esse potest omnium malorum radix. a radice namq; arboris initium est. si autẽ radix omnium malorum cupiditas: quomodo superbia omnis peccati initium? Diuus Thomas in hunc cum incidisset locum apostoli, & rememoratus fuisset, quod initium omnis peccati superbia est: hanc difficultatem in hunc modum absoluit: Radice, inquit, alitur arbor, a uento autem rami franguntur. Initium ergo omnis peccati superbia, quoniam ipsa auertit hominem a Deo. quod autem ad creaturam per peccatum conuertatur, hoc agit cupiditas. radix ergo est, quoniam vegetat in peccato animam, & illam ad creata conuertit, & in omnem iniquitatem pullulare facit & crescere, ramosq; pessimos immitrit in hominem, immitrit in orbem. Quos beatus Greg. enumerat. 3. Moralium ca. 3. 1. dicens: Oriuntur ex hac radice pessima cupiditatis, inquietudo mentis, obduratio contra misericordiam, fraus, periurium, violentiæ, proditio, inquietudo mentis. Magnum vtique malum cupiditas est, non finens cor frui quiete, & gaudere pace. namque ex uno in alterum præcipitatur malum, nunc litigat, aliena volens suis aggregare: nunc ipsis minatur pauperibus, vt cedant bonis a se concupitis. Vincam habebat Naboth. Reg. 2. 1. quam con-

H piuir

piuit Achab, & vxor eius Iezabel: illumque occidit, vt fatiarez regis cupiditatem: nunc molitur praelia, nunquam quiescens, omniaque sibi congregare cupit nec unquam satiatur adeptis. id satis ostensum est, dum dominus in domo pharisæi, hydropicum sanat: cuius fitis eo magis exaltuat, quo magis bibit. & deridebant eum pharisæi, quoniam erant auari, ut refert beatus Luc. cap. 14. in quem locum notat beatus Ambrosius: Quid est ergo, inquit, quod intra pharisæi domum curatur hydropicus, nisi quod per alterius ægritudinem corporis in altero exprimitur ægritudo cordis? Obduratur cor à cupiditate contra misericordiam, prout cernimus in Iuda proditore: qui cum vidisset unguentum effusum super caput domini manibus beatæ Mariæ Magdalena, vt refert beatus Ioannes cap. 12. dixit. Quare unguentum hoc non venit trecentis denarijs, & darum est egenis? dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum: sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. Decreuit ergo pretium effusi unguenti rescarcire, & ob id dominum triginta vendit argenteis: cuius ita cor obduratum est, vt non emolliretur nec lotionem pedum per manus domini, nec sumptione corporis & sanguinis domini, de manu ipsius Domini: nec sententia illa terribili: vix autem homini illi per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Eadem cupiditate sacerdotum principes consentiunt Caiphæ dicenti: Si dimittimus eum sic, uenient Romani & tollent locum nostrum & gentem. Quod & Dauid Psal. 118. à se remoueri postulat, dicens: Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. non dicit & non in superbiam, non in iram, non in cætera mala: at qui & non in auaritiam: tanquam præfago spiritu pronuncians, ex auaritia sacerdotum Iudæorum & cupiditate Iudæ oriturum supremum peccatorum occisionis domini nostri Iesu Christi. Quam fraudem non committant siue aurifices, siue argentarij, siue trapezita: ad infimos vsque futores vt congregent è mercibus amplio rem pecuniam? quod non perinrium prodit ab ore vendentium, vt plus iusto uendant? & potiori dicentur pretio? Quam nam violentiam pirata ignorat? quæ illis, si possunt, aliena substantia euasit è manibus? Omnia sunt hac simulacrorum seruitutem infecta. Nemini auaritia parcat, nulli miseretur cupiditas: Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? Dic ergo o auare, dic o cupide cordi tuo, dic diabolo tentatori & detentori tuo: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli serues. Vna namque spes huic tentationi relinquitur: prout in Philosophia simile legimus, de igni qui fortius inter elementa agit, & tamen facilius ei resistitur si parua extinguitur aqua. Si autem aqua vel aer intumescant, difficilius illis resistitur. Pariter idem ait diuus Thom. 2. 2. q. 162. art. 6. de superbia, cum sit grauissimum scelus, quod facilis est resistentia: eo quod sufficit ad omnem deponendam superbiam, se ipsum aspicere inmunditijs plenum, tot infirmitatibus & necessitatibus astrictum. Quid superbis puluis, & cinis? eadem nos & cupidus obijciamus: Quid quæris cupide habere quæ Deus sub pedibus animalium posuit? terra calcatur ab animalibus & serpentibus, aurum quod quæris in visceribus terræ oritur, vt discas sub pedibus omnia, quæ tantopere cupis, subicere: cumque sub pedibus sita sint omnium bestiarum, & in corde tuo & capite non debent reponi nisi illa quæ sunt suprema, virtutes scilicet, sacramenta Dei, præcepta sanctæ matris ecclesiæ, opera bona facta in charitate, & ipse Iesus filius Dei: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

T R A -

TRACTATUS OCTAVVS,

In quartum cap. beati Matthæi,

Continens quandam refectionem super tribus tentationibus, quibus dominus se tentari permisit.

VERA profecto sunt, quæ hæcenus de his tentationibus diximus: ceterum multo plura in sacro euangelio latent, quæ hæcenus silentio præterimus, in præsentis tractatu referenda: magna quippe mysteria in hoc conspectu operatus est dominus, quæ altius sunt repetenda. Postquam igitur in Iordane a Ioanne baptizari dominus voluit, non utique in nomine patris & filij & spiritus sancti, vt ipse postmodum formam sancti baptismi instituit: sed ipsius Ioannis baptismo, nempe vt aquas ipsas sanctificaret, & propriam sacri baptismi materiam efficeret: & ea virtute aquæ reddita: sint tanti sacramenti materia, tactu sanctissimæ & mundissimæ carnis domini, & saluatoris nostri Iesu. Veruntamen adfuerunt tres diuinæ personæ hoc comprobantes. Vtpote ipse filius carne indutus humana: Pater testificans hunc suum filium esse dilectissimum, in quo sibi bene complacuit: & spiritus sanctus in columbæ specie descendens super beatissimum Christi caput. Post hæc statim ducitur Iesus à spiritu sancto in desertum. Cum enim sit Deus vbique, Deus homo factus ducitur in desertum: hostemque humani generis illic expectat, ut ex conflictu victor euades, nobis sua uictoria, uictoriam in hostem compararet. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus et quatuor noctibus postea esuriit.* Iam hæc retorquentur in Lutheranos caput nunquam ieiunantium: cum dominus quanti facere debeamus ieiunium, ostendit ipse ieiunans: Non utique vna die, sed quadraginta diebus ieiunat & quadraginta noctibus: vt sacrum quadraginta dierum Ieiunium consecraret, & os non ieiunantium obstrueret, & vt nobis daret exemplum ieiunandi, orandi, vigilandi, & bene operandi. Et quidem partes iam hic penitentia peccatoribus assignantur, si post baptismum peccatorum labe contaminentur: nempe ieiunium, oratio, & vigilia: nam de elemosyna postea intulit saluator dicens: veruntamen quod superest date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, Luc. 11. cap. His sic dispositis, accessit deceptor suis tendiculis experimentum capere volens, an dominus ipse sit Deus: sumpsitque materiam gulae, inanis gloriae, & auaritiæ siue cupiditatis, ut in superioribus tractatibus longè profectus sumus, & si non omnia complexi, quæ in hoc acciderunt conflictu. Sciebat enim satanas aduentum Dei in carne fore imperij sui ruina. Sciebat dominus Christus satanam cum tentaturum in deserto: & se quidem obtulit vt tentaretur, quemadmodum se uoluntarie obtulit ad crucifigendum. Praelium autem hoc fuisse grauissimum inde conuicimus, tum ex persona Christi resistentis, tum etiam ex seuissimo hoste Luciferi aggrediente & impugnantem: non pro quacunque prouincia, uerum etiam pro toto imperij sui iure. Totam enim potentiam demonis euertebatur, si dominus à terra exaltaretur in cruce: Ego inquit, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, Ioannes. 12. Nimirum igitur cupiens demon eum perimere (propter in illo circumspexam virtutem, multo eminentiorem, quam unquam in alio conspexerat) ne plurimos ad bonum conuerteret: timebat namque si Deus esset, ad illi necem parat, sibi euersionem & omnimodam inferri ruina. In hac tamen profunda anxietate positus Lucifer, videns dominum solum in deserto pluri-

Ieiunium,
contra lutheranos.

mis technis circūquaq; molitur experiri, an Deus sit, vel homo tantum: nullamq; fraudem, nullumq; machinamentum in expertum reliquit: Et hoc est, quod referunt sacri euangelistae Marcus & Lucas: Erat, inquit, in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur a satana. Et beatus Matthaeus. Et accedens tentator, innuens iam tentasse dominum alijs fraudibus, cum accessit ut lapides panes fierent. Ideoque illum tentatorem vocat, quod alijs iam dominum probasset argumentis. Oportet tamen, priusquam ad ulteriora procedamus, duo praecipue praenotata habere. Illud primum est, quod iam alio tractatu attigimus: dominum nostrum suae uictoriae merito, nobis uictoriam in nostris tentationibus contra aduersas potestates contulisse, & fortiores reddidisse contra diabolum, mundum, & carnem, atque omnes ramusciculos, qui ex his procedunt tentationibus, pro nobis confregisse. Per hanc igitur tentationem, duplicem uictoriam consequutus est dominus. Vicit enim sibi, cum nullatenus hostis ab eo extorquere potuit, nec signo suspicari, an esset Dei filius necne. Vicit quoque nobis, cum huius uictoriae merito nos sua membra tanquam captiui nostrum adiunxit: hostem debiliorem reddidit, nobis vires gratia sua praebuit, quibus & tentemur mitius, & fortius resistamus. Legitur enim de beato Antonio anachorita cum daemone improperasset, quid tot iurgia, tot proelia & seditiones inter homines disseminaret? respondisset daemone ipsi se conturbant: nam ego ad nihilum redactus sum per Christum. Postremo notabimus in una eademque re multa contineri siue implicite, siue virtualiter: exempli gratia: tota lex euangelica, totaque scriptura sacra implicite creduntur in hisce verbis: Credo oia, quaecumque; credit sancta mater ecclesia catholica: virtualiter autem in vno grano tritici, continentur palea, folia, spica, & plura grana tritici, quae ab illo grano exoriuntur. Pariter in his tribus tentationibus, daemone implicite, siue dicas virtualiter, ingessit oem tentationem, spurcicia carnis tantum excepta. Cum igitur dominum esuriens conspiceret: occasione nactus, accessit dicens: *Si filius Dei es dic ut lapides isti panes fiant.* Conspexerat olim daemone Moysen ieiunasse quadraginta diebus, Exo. 32. & Heliam simile perfecisse ieiunium. 3. Reg. 19. Disturbabat eum vtriusque ieiunium: veruntamen prae pollere videbat dominum sanctitate praeter Moysen & Heliam, & praeter omnem quem vniquam prospexerat hominem. Obrepserat eum pavor, timor & tremor: iccirco vndiquaqueque incertus, multa animo voluebat, suspicionibus aestuans: cum non posset pro certo habere, an Deus esset vel homo tantum. Quo autem secum incertior reddebatur, eo fortiori impetu prorumpit tentans maximis tribus tentationibus: non aliter quam cum aqua aliquo impedimento naturali effluxu retardatur: vehementiori, eo remoto, impetu proruit. *Si filius dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* In hac tentatione & sequentibus, summopere recolendum est, dominum ab omni tentatione, quae sub caelo est, fuisse tentatum, excepta tantum spurcicia carnis, quod notat diligentissime beatus Ambrosius super Lucam cap. 4. in illum locum: Et consummata omni tentatione recessit diabolus ab eo usque ad tempus. Ad tempus, passionis intellige: in quo contumelia & tormento eum inuasit. Non enim, inquit, diceret scriptura omnem tentationem consummatam: nisi in his tribus esset materia omnium delictorum: sub intellegendum est implicite seu virtualiter. Idem diuus Thomas refert in epistola ad Heb. cap. 4. prout suo loco recitabimus. Cum autem dominus respondisset. *Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei:* Verbum accipe pro re, in omni re quamcumque voluerit deus. Sic Esai. 39. non fuit uerbum, quod non ostenderet Ezechias illis, in omni domo sua. id est, non fuit res. Idem 4. Reg. 20. iisdem uerbis memoratur. Itaque sequitur Deuter. 8. uestimentum tuum

quo

quo operiebaris, nequaquam ueritate defecit: & pes tuus non est subtritus. In his omnibus ostendit deus, sine pane posse uictum suppeditare: sine lana & corio, uestimenta & calciamenta conferre: & iam elaborata conseruare. Ceterum cum dicimus in hac tentatione: omni carnis tentatione, fornicatione, dominum fuisse tentatum: scias opera carnis non tantum fornicatione, sed & alia plura hoc censerit nomine, prout refert beatus apost. Paulus ad Rom. 13. cap. Non in commestationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione & aemulatione: sed induimini dominum nostrum Iesum Christum. Et ad Galat. 5. cap. Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inuidia, homicidia, ebrietates, commestationes, & his similia. Ecce plurimae operationes carnis dicuntur, absque fornicatione, & impudicitia, & immunditia. Dempta ergo fornicatione, cum suis annexis immunditia, & impudicitia secundum beatum Ambrosium, & beatum Thomam: in hac prima tentatione implicite & virtualiter, daemone Christum dominum tentauit sub gula, de omni tentatione, quae nomine carnis continetur. Ob id autem e numero tollimus fornicationem, propter sui infimum gradum & spurciciam: quia non erat tanto congruum viro, & de cuius diuinitate diabolus suspicabatur, tam impudens & obscena proponenda quaestio. Audito domini responso, & ex scriptura tam uehementi sumpto testimonio ad refutandam a diabolo propositam calumniam: *Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei:* Obscurus & deuisus deceptor obmutuit: nec amplius de hac re quicquam locutus est. Garrulus est daemone, importunus exactor, subtilis deceptor, crudelis detentor: ueruntamen, quid posset de hac re ulterius proponere domino minimè cōperit. Tacuit ergo, & se uictum sentiens tale denuo praetexit caluniam: ducens dominum supra pinnam templi, & dicens: *Mitte te deorsum, angelis enim suis mandauit de te, ut custodiant te, nec recoluit quod sequitur super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, quod de Christo prophetatum est, & per eius gratiam iustis & electis concessum.* Haec secunda tentatio omnem includit fictionem & hypocrisim: ut uideatur ab hominibus, & ut laudem quaeratur humanam, per inanes discursus suadet auras. Omnis superbia igitur, ois ambitio, ois fictio & hypocrisis, & ois uanitas, inclusa sunt in uisceribus huius propositae tentationis. *Mitte te deorsum.* Cum enim deus summa sit ueritas, odit nimium fictionem. Spiritus enim sanctus, Sapient. capit. 1. effugit fictum, & separat se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu. Quid enim remotius esse possit ab intellectu, quam mitte te deorsum? a summo fastigio templi in terram. Abominatur enim dominus hypocrisis & simulatos homines, Matthaei. 23. octo quoque illis maledictiones imprecatur (quarum tres tantum sufficiat hic attigisse) dicens: *Vae uobis scribae & pharisaei hypocritae, quia clauditis regnum caelorum ante homines. Vae uobis pharisaei hypocrite quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum: cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae. Vae uobis scribae & pharisaei hypocritae, quia decimatis mentham, & anethum, & cuminum, & reliquistis quae grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem: haec oportuit facere, & illa non omittere.* Fugiamus igitur hanc spurcam luem: nec quisquam superioris gradum, fictionibus & hypocrisis quaeratur: alioqui sciat se maledictione domini execratum. Sint uirtutes nostrae uerae, sint ieiunia caedida: Cum ieiunatis, inquit, nolite fieri sicut hypocritae: tutes sunt orationes purae. sit conuersatio simplex: *Estote* (inquit dominus) *prudentes sicut serpentes, ad cauendum mala: & simplices sicut columbae. Sit uultus noster idem, non exterminatus: nec quaeramus quae nostra sunt,*

sed

sed quæ Iesu Christi, & quæ proximis utiliora, & omnia adijcientur nobis. Retorsit istum in dæmonem dominus a Deut. 6. sumpto testimonio: *Non tentabis dominum deum tuum.* Cum enim sit per gradus descensus, tentabo dominum, si velim per aera veluti auis uolare. Qui tentat desit maxime peccat, nequaquam igitur, hac qua tu suades via, æquum est descendere, cum sit prohibitum deum tentare. Deuictus deceptor nihil respondit amplius, totus intus dæmon concutiebatur, totus exurebatur: videns in se vtrunque telum retortum, primæ & secundæ tentationis: & obtrusam viam vtranque, quam tanto studio strauerat ad decipiendum: iamque præsumebat occultis machinis non eum deicere posse. Proinde quis sit decernit ostendere, seque domino propalare. *Et assumpsit eum in montem excelsum valde*, qui distat, vt dicitur, a monte in quo dominus ieiunium celebravit per duas leucas. Et ibi in momento temporis, *ostendit ei omnia regna mûdi & gloriam eorum*, ad sensum affirmans: illic est Asia, his diuitijs pollens: illic Europa, & Italia regio fertilissima, & militibus abundans fortissima. Illic Africa habens frumenti & equorû copiosam multitudinem: omnia mea sunt, & cui volo, do illa. *Omnia hæc tibi dabo, si cadens in terram adoraueris me.* Summam avaritiam, & summam cupiditatem domino proponit, prout præcedenti septimo tractatu diximus. Cæterum alia hic includitur diabolica fraus: inquit enim, si cadens in terram adoraueris me: id est, si a deo recesseris, & apostataueris: & me pro deo adoraueris. De fide igitur hæc maxima tentatio est, simul & de cupiditate: vt per cupiditatem temporalium ad desertionem fidei denentat. Nonne hoc est, quod proximo tractatu retulimus, ex beato Apostolo Paulo. 1. Timo. 6. Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam sectantes errauerunt a fide. Vide vt verum est quod scripsit Apost. Ecce seductor dixit: Omnia tibi dabo. Vide cupiditatem propositam & avaritiam. Vide desertionem a fide: Si cadens, inquit, in terram adoraueris me. Quod audiens dominus sapientissime respondit, & vtrumque laqueum vno verbo contriuit. *Scriptum est: Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruias.* Nouerimus igitur cum honorem Dei deijci ab aliquo certimus, vt statim obiurgemus: Vade satana, scriptum est, dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Cum enim satanas in hac tentatione se manifestasset, quis esset (alias quomodo poterat non irrideri quoddam proposuerat: Hæc omnia tibi dabo, nisi affirmaret se esse dæmonem: & illi in omni orbe Iudæa excepta, templa instituta, & sacrificia offerri) iure optimo obiurgabatur vade satana: quoniam solus Deus adorandus, & illi soli inferuire decet. Deuicit ergo dominus omnem tentationem fidei, omnem blasphemiam, omnem avaritiam: vt nouerimus illum per omnia tentatum, vt prædiximus ex beato Ambrosio & beato Thoma. Istæ tamen tentationes aures tantum Christi occupauerunt, non ita verò in cor interius transierunt, prout in nobis, dum tentamur cōtingit. Domino autem superante pro nobis, & nos in illo vincemus gratia eius adiuti: dummodo nobis sit curæ, honorem Dei præ omnibus ante oculos habere, & hanc blasphemiarum pestem ita cauere, vt siquos blasphemantes vnquam audire contingerit, illico repellamus, tam nefarium crimen serio obiurgantes. Vulgus enim existimat, nunquam se perfectam proferre orationem, nisi iuramento adiuncto: per Deum, per euangelia, per Crucem. Nosti quid dicas, cum iuras per Deum? Id perinde est ac si Deum summum, verum, omnipotentem, trinum in personis, vnum in essentia testem induco, ad comprobandum quæ sum locutus. Per euangelia, non aliud est, quam si dicas: omnem illam veritatem, quam Deus & homo locutus est, & in terra operatus est, adduco in testimonium veritatis eorum quæ prædixi. Per crucem autem idem est, ac si dicas: Crucem illam quæ tincta sanguine Christi, vexillum eius est consecratum, terribile inferno: quodq;

quodq; in die iudicij apparebit in cælo, in testem profero eorum, quæ lingua locutus sum. An non vides malum immensum? Dei offensam intolerabilem? Alij pro consuetudine solent hunc ad modum iurare: sicut Deus est Deus, ita vere locutus sum, ac ipse Ioannes in euangelio. An non attendis blasphemiam? Quæ veritas potest ita esse vera, sicut Deus, vel sicut Deus est veritas: vel prout est verum euangelium spiritu sancto cōscriptum? Alii votum vouunt Deo, alij pœnitentiam deo imprecantur: multi se discredere blasphemantur. votum vobis, quod non reddes. Deus quomodo potest penitere, aut quæ tristitia in illâ summam letitiam & gloriam incidere potest? Cur igitur negas Deum? quare dicis discredere? idem enim est ac si dicas fidem quam teneo derelinquo. O si statim cruciareris, lingua priuareris blasphemæ. Hęcine reddis domino popule stulte & insipiens? Sunt rursus qui Deum consecrant. Vide sacerdotem vt consecret, quantis indumentis sacris ornatur: quot prius deprecationes, quot gratiarum actiones, tum manifestas, tum & secretas effundit: & tu popularis omni (vt ita dicâ) momêto consecras Deû? quin potius execreris, & quasi confors huius diabolicę tentationis eiusmodi blasphemis irritas Deû. Proinde audies: vade satana in infernû, vade blasphemæ, vade & recede peccator: dñm deû tuû adorabis, & illi soli seruias. Quæ pp curam habeamus præcipuâ, extermiandâ à cœtu fidelium has tetras blasphemias: semperq; cum dño clamemus: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Post hæc verba suffusus rubore diabolus, & omnino deuictus, atque confusus discessit à domino. Inquit beatus euangelista: *Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei, & Luc. c. 4. ait: Et tunc reliquit eum diabolus vsque ad tempus: quia deinceps tetrauit illum diabolus persecutionibus pharisæorû, & scribarû: & persecutus est usque ad mortem.* Hęc enim fuit quarta tentatio. Verba eius nouerimus in deserto, si filius Dei es: in pinnaculo templi, si filius Dei es: in cruce, si filius Dei es, ex ore Principum, sacerdotum, & scribarum: descendat nunc, inquit, de cruce, & credimus ei. Quod autem in primis tribus tentationibus, implicite & virtualiter omnis tentatio includatur: & explicite & extensiuè in passione dominus patiatur, audiamus apostolum ad Heb. cap. 4. Habentes ergo pontificem magnum Iesum filium Dei, teneamus spei nostræ confessionem. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autè per omnia pro similitudine absque peccato. A deamus ergo cū fiducia ad thronum gratiæ eius: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Habentes igitur talem præfulem & pastorem, ducem, & regem teneamus spei nostræ confessionem: id est, simus fortes & stabiles in virtute bonis operibus, & fide non deficientes in tentationibus: ipse enim compatiatur & potens est. Repetitur est sæpe in his tentationibus, dominum pro nobis uicisse, vt auxilietur nobis. Ecce quod intulit Apostolus: Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. Quod idem clarior c. 2. explicat dicens: In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari. Secundû q; Deus est, semper portuit & potest: secundum autem quod homo est, in eo quod tentatus est & passus, factus est mediator Dei & hominum: ut possit eis, qui tentantur auxiliari. Tentatum autem per omnia, pro similitudine absque peccato. In hunc locum, norat diuus Thomas, omnem tentationem in his tribus includi, cum dicat apostolus: tentatum autem per omnia. Quod autem diximus, non ingredi tentationes cor Christi: hoc est quod explanat apostolus, pro similitudine absque peccato: foris tentabatur, sed non commouebatur: nos autem cum tentamur, concutimur interius, dum impellimur exterius. Itaque tentatum per omnia: idem est secundum

dum beatum Ambrosium, quod Lucas aliis refert verbis: Et consumata omni tentatione, id est materia omnis tentationis. Adeamus ergo cum fiducia dum tentamur, ad thronum gratiæ eius: ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus. Miseri, cum fiducia adeamus ad misericordiæ fontem: tentati, cum fiducia adeamus ad victorem: morituri, cum fiducia adeamus ad mortuum resuscitatum die tertia: persecuti, cum fiducia adeamus ad persecutum et vincentem: cruciati, cum fiducia adeamus ad plurimum tormentis cruciatum: Qui vitam concupiscimus, adeamus ad dominum nostrum Iesum Christum uiuentem cum patre, & spiritu sancto, & regnantem in secula seculorum. Amen.

TRACTATUS NONVS,

In cap. quartum beati Matthæi.

De uocatione prima Apostolorum.

POST QUAM traditus est beatus Ioannes baptista (Quo in loco beatus Matthæus omittit opera Christi, quæ gesta sunt adhuc beato baptista prædicante: quæ quidem beatus Ioannes euangelista refert 2. 3. & 4. cap.) secessit dominus in ciuitatem Capharnaum maritimam: ut uaticinium Esa. 9. adimpleretur, *Terra Zabulon & terra Nephthalim, uia maris trans Iordanem, Galilea gentium*: quæ sic dicebatur, eo quod Salomon, ut habetur. 3. Reg. cap. 9. dedit viginti oppida Hiram in Galilea trans Iordanem: a quo Hiram quia erat gentilis, dicta est Galilea gentium. Et hoc fecit Salomon, in retributionem auri & cedri, quæ accepit ab Hiram: pariterque censendum est, reditus harum ciuitatum dedisse Hiram non in homines potestatem: ne Iudæi auerterentur a cultu Dei. Quod si forte in homines potestatem concessit, male fecit. *Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis*, quoniam in hac prima regione incepit dominus prædicare, & dicere: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum*. Hoc idem Christi prædicationis thema, præmisit beatus euangelista cap. 3. Ioannis baptistæ prædicationis initium fuisse. Non otiosum utique datum est exemplum legentibus & prædicantibus: ne id quod dixit vnus, aliter referre erubescat: si tamen id sit perutile & necessarium. Nec ueritatem adumbrent uerbis, nec abhorreant: & in suis & aliorum oculis se inferiores existiment: cum id quod prior illorum proposuit audientibus, posterior etiam eisdem uerbis repetat. Audiant beatum Ioannem baptistam dicentem in suæ prædicationis initio: *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum*. Audiant ex ore saluatoris, cuius non est dignus Ioannes soluere corrigiam calceamenti, idem in exordio suæ prædicationis eisdem uerbis, audientium auribus acclamari: *pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum*. Contremisco, horror & stupor inuasit me, dū considero Lutheranorum demerentiam: cum audio dominum & Ioannem, talia proferentes uerba: *pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum*: Ioannem in deserto Iudæe, Christum in Capharnaum. Quorum prima prædicationis uerba tanquam tormentis bellicis concutit, diruit, & solo equant prima Lutheranorum fundamenta. Nam si sola fides homines in cælum ferret: si sola peccata dimitteret, cū proposito bene uiuendi: si sola in filiorum Dei nos faceret transire consortium: si sola merita passionis Christi attingeret: utique diceret dominus: *credite, fidem habete, & appropinquabit regnum cælorum*. Cum autem dicat, *pœnitentiam agite, opera præcipit*: lachrymas, prout in Magdalena, quaerit: orationes humiles, ut in publicano, expetit: elemosynas largissimas, ut in Zachæo, qui conuer-

sus

sus & pœnitentiam agens, dimidium bonorum suorum largitus est pauperibus, requirit. Non enim sola fide innititur meritum nostrum: non inquit, fide tantum habete, & appropinquabit regnum cælorum: sed pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cælorum. Cum autem pœnitentia in operibus consistat pœnalibus (in displicentia scilicet de præteritis, & obseruatione mandatorum Dei de futuro, ut in his tribus quos retulimus pœnitentibus ostensum est) manifeste corruit omnis Lutheranorum basis, de sola fide sibi blandientium: & per illam tantum cum bono proposito, se false iustificantium, dicente domino per Ezechielem prophetam. 20. cap. Et recordabimini ibi uiam uestrarum, & omnium scelerum uestrorum, quibus polluti estis in eis: & displicebitis uobis in conspectu uestro, in omnibus malitijs uestris, quas fecistis. Vade & Dauid: Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet: contritum per dolorem, humiliatum per opera pœnalia. Sic dominus opera pœnitentiæ Achab humilitatem dixit 3. Reg. 21. cū se iudicaret cilitio & ieiunaret, & in sacco dormiret: Ait enim dominus Heli: Nonne uidisti humilitatem Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. Opera pœnitentiæ pœnalia humilitatem appellauit, & ipsam etiam cordis deiectionem à qua procedebat. Nec prætereundum, quod dominus dixit Magdalena: Fides tua te saluam fecit, uade in pace. Prius enim dominus laudauit eam Simonem ex operibus pœnitentiæ, tanquam si ipse Simon iam alicuius lutheranorum personam ageret: Intraui, inquit, in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis terxit: osculum mihi non dedisti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: & dixit ad illam: remittuntur tibi peccata tua. Et intra se quaerentibus conuenit, quis est hic qui etiam peccata dimittit? dixit ad mulierem: fides tua te saluam fecit, uade in pace. Vide nunc qualis est fides, quæ per charitatem operatur: illa, inquam, qua opera pœnitentiæ agit Magdalena: qua lachrymis pedes redemptoris abluit. Ea namque est operatrix fides, qua ipsa madidos pedes domini capillis capitis sui tergit, qua pietatis adimplet opera, & qua redemptoris osculatur pedes, unguentoque ungit. Ut autem de sola fide nemo sibi blandi possit, sed illam porius quaereret, quæ charitate innititur & solidatur: opera charitatis, doloris & pœnitentiæ, prius enumerantur, & extolluntur in pœnitente Magdalena, posterius autem fides commendatur: fides tua, inquit, te saluam fecit: hoc est, fides charitatis, pietatis, & pœnitentiæ operibus pleua, ac si dicat, & aper te exprimat: non sola fides, non utique sola cum proposito bene uiuendi: sed illa quæ opera charitatis exercet, illa quæ lachrymas fundit, quæ osculatur domini pedes, quæque elemosynas facit unguento ungens: illa postremo quæ per charitatem operatur, hæc tantum saluare potest. Publicanus autem non audebat oculos suos ad cælum leuare, ne cum superbis rueret: sed percutiebat pectus suum. Ecce hic opera, non fides sola. Nam percutere pectus, cor comminere, animum penituntine & tristitia pro commissis sceleribus comprimere: opera sunt pœnitentiæ & charitatis. Porro Zachæus dimidium bonorum suorum pauperibus largitur. Non sola hoc agit fides, atqui opus charitatis excellentissimum, opus, inquam, non solum fidei mortuæ, sed eius quæ per charitatem uiuit perficiturque. Obstruatur ergo os loquentium inania, loquentium iniqua, seducentium carnales homines, qui scdm carnem uiam perambulant latam: quæ, prout prædixit de his dominus, ducit in perditionem. Audiant baptistam dicentem: pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Audiant dominum eandem sententiam proclamantem. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Non enim hucusque

I hæc

hæc vox audita est in terra nostra: appropinquabit regnum cælorum: ac si dñs dicat, non iam vobis terra lacte & melle fluens spondetur: non terrenum regnū, prout Regibus Israël, si obseruassent legem domini, & ceremonias eius: non longitudo dierum in hac valle miseræ, sed appropinquatio regni cælorum promittit. Nec ita promittitur, prout de Lazaro mendico patientissimo loquitur Euangeliū: q̄ portatus sit in sinum Abræ. sed regnū cælorum pœnitentibus offertur ore dñico, & cautio confirmatur de regno cælorum pœnitentibus dādo: *Appropinquabit enim regnum cælorum.* enim inquit: Sufficeret namque dicere: appropinquabit regnum cælorum. Cæterum voluit dominus, id certissime & fideliter a nobis suscipi, nec tantillum quidem suspicionis relinquere: ideo ait, *enim, quod idem est, certissime appropinquabit regnum cælorum.* Hoc autem quod in initio suæ prædicationis dandū dñs pœnitentibus pollicetur, pœnitenti latroni exhibetur in cruce: Hodie mecū eris in paradiso. Non sã absq̄ beatitudinis regno cum patribus descendes in limbum: quia cum illic deuenieris regnum cælorum inuenies, ac diuino frueris aspectu. In hoc quoque latrone aspicias in lutherum pœnitentiæ opera. Ecce cum esset cruci affixus, nihilquæ illi liberum esset, corde & lingua duntaxat exceptis: hisce in Christum conuersus totus, ad sotium latronem blasphemantem ait: Nec tu times Deum, qui in eadem damnatione es (id est, fixus cruci similiter es) & nos quidem iuste? Ecce pœnam quā patitur vt patienter pro peccatis sustinet, pro peccatis offert, & veluti iustam in arcano cordis acceptat, ore fatetur, ac publice cōfiteatur se reum esse: & lutheranus nec confessario quidem se peccatorem dignatur ostendere. Poterat latro tacere: nec enim illi, quamuis prauam vitam et iniquos actus confiteretur, veniã & descensum a cruce quisquam promiserat, sufficeretque sibi corpori cruciatus. Quis igitur illi iniunxit cordis comminationem? quis dolorem animæ? quis illum confessionem facere peccatorum compulsi? & hanc non quidem in angulo, quin potius publicam, omni astante populo? & in alterum latronem dominum blasphemantem: Si tu es Christus, salua te ipsum & nos: arguemetum inerepationis fumerere docuit, cum dixit: Nec tu times Deum, qui in eadem damnatione es, nos quidem iuste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gefsit. Vides vt non solum credit, sed etiam publice se reum fatetur, & dominū innocentem. nec aliud poterat opus, vt pote cruci affixus, manibus aut pedibus exhibere, tantummodo linguam solutam habebat, qua se reum incusat & saluari postulat: hæc regem & Deum confiteatur dominum, dicens: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Ait illi dominus, id quod in primis suæ sanctissimæ prædicationis verbis promiserat. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum: Amen dico tibi, hodie mecū eris in paradiso: quod & factum est. Prosequitur beatus euangelista initium electionis eorum, qui prædicaturi erant pœnitentiam in omnes gentes, pro vt refert beatus Luc. cap. 24. Cum dominus manducasset coram discipulis post resurrectionem, aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, & dixit eis: quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die: & prædicari pœnitentiam in nomine eius, in remissionem peccatorum in omnes gentes. Non dicit solum fidem in remissionem peccatorum: sed pœnitentiam in remissionem peccatorum, quam in omnes gentes predicaturi erant apostoli. Hos nunc in euangelio ad se trahere incipit. *Ambulans Iesus inquit iuxta mare Galilee vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus & Andream fratrem eius mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Cui cum patre & spiritu sancto gloria honor & imperium in æternum. Amen.*

T R A -

TRACTATUS DECIMVS,

In quartum cap. beati Matthæi.

Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, in navi cum Zebedæo patre eorum, respicientes et retia sua, & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum. Hæc est tertia & vltima vocatio Petri & Andree. Prima & vnica beatorum Iacobi & Ioannis Nam Petrum & Andream ter legimus a domino vocatos. Prima ad confabulationem, vt legitur Ioan. cap. 1. Erat enim Andreas discipulus beati Ioannis baptistæ, qui secutus fuerat dominū & manserat die uno apud eū, cū audiret a magistro suo: Ecce agnus Dei. Erat autem Andreas frater Simonis Petri. Inuenit hic fratrem suū Simonem: & dicit ei: Inuenimus Messiam: quod est interpretatum Christus, & adduxit eum ad Iesum. Inuitus autem eū Iesus dixit, tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Gratias ob id non minimas tenemur agere beato Andree, cum ipse fuerit ductor principis apostolorum: ipse qui illum adduxit ad dominum: ipse qui illum primo de aduentu Messie inuitavit: & qui se cum deducens ne vel trepidaret, vel ambigeret, conspectui dominico presentauit. Optimus vtrique frater, qui thesaurum inuentum non occultauit: quinimo præ gaudio fratrem suum tanti muneris non expertem reliquit, et ecclesiæ dei futurum summum Christi vicarium contulit. Discant fratres prodesse fratribus: discant amici boni amicis consulere: discant cognati sanguine et baptismo affines suos ad virtutem inducere: & iam i. los ad I. I. I. adductos, ad superiora erigere, remouere nocetia & procurare vilitia. Virtus. n. crescit coacta, augetur ipsa, absconsa vero minuitur, attenuatur celata. Sic quidem beatus Andreas sibi reuelatum mysterium minime abscondit: quin potius Petro germano pandit, tantique muneris participem reddit. Hanc igitur primam eorum vocatorem dicimus: quandoquidem iam vbi quæque inuissit Iesum, fas erat illis accedere, licitam conuersari, querere, & domini responsa suscipere. Secunda eorum vocatio est, de qua Luc. cap. 5. his verbis refert: Cum turbæ irruerent in Iesum, vt audiret verbum Dei: & ipse stabat secus stagnum Genazareth, & vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendit autem in vnā nauim, quæ erat Simonis: rogauit eum a terra reducere pusillum. Et sedens, docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altū, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecisset, concluserunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent & adiuaerent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, prociuit ad genua Iesu dicens: Exi a me domine, quia homo peccator sum. S: upor enim circūderat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant. Similiter autem Iacobus & Ioannes filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam homines eris captus, & subductus ad terram nauibus, relictis omnibus, secuti sunt eū. Iterum tamen reuersi sunt ad piscationem, cuius vsu & exercitio victu quærebant, prout nunc refert beatus Matthæus. *Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilee, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius. Non prætereundum est, quod retulit Luc. quod in solam Petri nauim dominus*

I 2 conscen-

Petri primatus.

conscenderit irruentibus turbis, & ex illa docebat: vt Petri primatum denoter, & quicquid à nauicula Petri docetur, illam esse veram & solidam Iesu doctrinam. Quin & soli Petro dicitur: Duc in altum, tanquam omnium apostolorum vertici. Ille solus piscium multitudinem copiosam in suo conclusit rete. Illi singulariter dicitur: Ex hoc iam eris homines capiens, tanquam sub cuius ditione totus subijciat orbis. O mira christi potentia, o diuinitatis ipsius irrefragabile documentum, o fidei nostræ testimoniū singulare: totus vni pauperculo piscatori subditur orbis. Impletur nauicula Petri, nō iā piscibus, sed hoibus: & Roma caput orbis Petri cathedra sublimatur, & Petrus piscator Romæ sedit imperator. Stupor circumdedit Petrum in captura piscium: stupor inuasit mundum dū Petro subijciat orbis. Hæc autē secunda vocatio, fuit ad quandam familiaritatem. Veruntamen & si tunc secuti sunt dominum, prout refert beatus Luc. iterū tamen ad piscatorem reuersi sunt. siquidem Matthæus nunc ait: *Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* In ista quidem piscatione, nihil agitur de piscibus, de quibus retulit Luc. nec de impletione vtriusque nauiculæ: nec de Petri stupore: nec dicitur Petro, ex hoc eris homines capiens. At qui vocantur ad apostolatam: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. In illa vero vocatione, de qua agit beatus Luc. dicitur: Ex hoc iam eris homines capiens. Nunc dicitur: Venite ad quam sponendi vobis piscationem, & faciam vos fieri piscatores hominum: *At illi continuo relictiis retibus, secuti sunt eum.* Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Joannem fratrem eius, in nauis, cum Zebedæo patre eorum, resicientes ratis sua: & vocauit eos. Illi autem statim relictiis retibus & patre, secuti sunt eum. Hæc enim est tertia Petri & Andree vocatio ad apostolatam, & vnica beati Ioannis & Iacobī Zebedæi. Quorum quidem obedientia edocemur, cum vocamur à domino præsto ad esse obtemperantes: nullam moram, nullamque excusationem interponere, quo minus separemur à Christo. Duplicem ergo piscatorem in hoc euangelio inuenimus: Christus enim dominus piscatur apostolos, & illos ad se adducit: apostoli piscantur homines. Quod si velimus addere tertium: & diabolus piscatur suos. Hoc autem dei proprium est, vt se communicando ad se etiā trahat: & ea est eius diuinitatis natura. Nam cum dicimus proprium esse homini ratiocinari, quoniam est rationale: ita & proprium deo est bonitas, quoniam illi à natura est diuinitatis. Cum ergo homines secundum rationem viuunt, tunc dicendi sunt viuere secundum suam naturam: cum autem contraria rationi faciunt, contra ius suæ naturæ id agere rectè existimantur. Cui igitur bonitas conueniat deo secundum suam naturam, vt refert diuus Dionysius ca. 1. de diuinis nominibus, & bonitati (secundum eundem ca. 4) proprium sit seipsam communicare: conuenientissimè quoque & Deo communicare se, proprium est. Hoc autem lucide intuemur, cum in tantum se communicauerit deus noster: quod homo factus, homines nunc ad se aduocans, ipsos piscatores hominum constituit, hunc cum persequitur vsque ad crucis exitum dæmon, credens se deglutire hominem, diuinitatis hamo intus latente capitur, deuoratur, & omni illi potestate adempta, quam in homines gerebat, piscantur ab illo detenti homines, per istos (quos nunc meminimus) piscatores hominum. Et cum, vt legitur in glossa, Tobix, dæmon cruci adlisteret expectans exitum animæ Christi, an cum iustis descenderet in limbum, dominum agnoscens: aufugit in infernum: triste ferens nuntium, & deuictos annuntians dæmones, & defunctam mortem, & cito spoliandum limbum, misero eiulatu suo principi nuntiauit. Piscatores autem nostri

nostri beatissimi apostoli rete verborum Christi per vniuersum orbem tendentes, innumerabilem multitudinem hominum concluderunt, & in gremium fidei catholicæ, & sanctæ matris ecclesiæ reposuerunt: præcipue isti primi quatuor vocati: quorum vnus afficiuit fratrem Petrum ad Christum. Petrus ipse princeps apostolorum & Christi vicarius est constitutus. Porrò Ioannes sole clarior euangelista, dilectusque à Christo: cui uirgo mater virginis commendatur in cruce. Iacobus uerò primus inter apostolos martyrii lauream meruit. Magnamque orbis partem isti quatuor euangelium Christi annuanciando peragrare: nempe, Andreas Achaïam: Petrus Pontum, Bithyniam, Cappadociam, & demum Romam atque Italiam: Ioannes beatissimus Asiam: Iacobus nostrā Hispaniam. Itaque plus hominum Christi reti traxerunt, quam vnquam suo piscium ceperint. Iure ergo in illis, quod per dominum promittitur, adimpletum est: Venite post me, faciam uos fieri piscatores hominum. Habet & cædæmon suum etiam rete, quo iniquos irretiat. Voluptas, dixit quidam, est esca malorum: quoniam per illam non minus homines capiuntur, quam pisces hamo. Hæc igitur quisquis vult non illaqueari, occissime fugiat: seque sub protectione illius submittat, de quo dictum est: Ipse liberabit me de laqueo uentantium: ne de illo dicatur quod Hieremias. Trhen. primo, fletus lamentabatur, dicens: Expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorsum, posuit me desolatam tota die morore confectam. Quod ipse dominus Iesus à nobis auerrat suæ bonitatis & pietatis, tum & meritis suæ sacratissimæ passionis, & beatissimæ matris eius, & istorum primorum apostolorum, & sanctorum omnium: cui cum patre & spiritu sancto est honor gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS VNDECIMVS,

In quartum cap. Beati Matthæi.

SALVATOR noster: qui vt gigas cucurrit viam, cuius egressus à summo caelo, nullam moram trahens, quinimmo vt prædictū est ab Esa. 8. cap. Voca nomen eius, accelera spolia detrahere, festina prædari: totus salutis nostræ intentus, deambulabat iuxta mare Galilææ, quarrens duces exercitus sui ad debellandas aereas potestates, ad subiiciendum mundū Deo, cooperatores suos, & suæ magnificentie prædicatores. Magnificentiam Dei vocamus ipsam dominici incarnationem & passionem: magnificus enim dicitur is, qui circa magna magnos sumptus facit. Quis enim alius tam magnificus, qui tales expensas impenderit pro re tam ardua, tam magna, prout est salus ipsa totius humani generis: & tales ac tantos fructus attulerit, vberimos fluuios sanguinis destuere, à sacratissimo suo corpore volens, vt inextimabili pretio, nostra salus in nobis sua gratia per sacramenta refunderetur? Si ad sumptus respicias, nullus unquam tales exhibuit. Si verè ad rem tanto pretio partam, nullam vnquam æquare poteris: ergo magnificentia maxima in nostra est redemptione per Christum exhibita. Quod & David admiratus ait: Domine Deus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. In quo admirabilis? Quoniam, inquit, eleuata est magnificentia tua super caelos. Magnificentiam vtique nemo ambigat humanitatem dici: hæc namque est, quæ eleuata est super caelos, cum diuinitas semper vbique adsit, in caelo simul & terra. Hæc quidem cum donata sit & oblata summo Deo pro reconciliatione & salute nostra magnificentia dicit. Huius ergo magnificentie generi humano exhibite, duodecim prædicatores

tores elegit: de quorū numero isti fuere quatuor, de quibus paulo ante tractatū est, qui primi vocati referuntur, Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes. Hęc est autem altera uerbi incarnati magnificentia: qua Deum homines ingeniosi & studiosi collaudant, mirantur, & gratias immensas optimo & maximo Deo referunt, nempe cum recolunt hosce homines sine scientia, sine potentia, sine diuitiis, omnem sibi subiecisse mundum: Itaque qui Athenis non studuit Andreas: rhetores, philosophos, & omni scientia pręditos vincebat. Qui bello nunquam vacauit Petrus, Romanum sibi imperium, tunc orbis totius caput, subiecit: Qui nullis diuitijs affluit Iacobus, Hispaniam uincit occisus. Qui non habuit sanguine coniunctos magnates Ioannes, totam Asiam Christo alciuit. Itaque piscatores imperatores d' uincunt. O mira Christi potentia, o sempiterna in eo latens diuinitas. Id beatus Paulus admirans inquit, prima Corinth. capit. 1. Videte uocationem uestram fratres: quoniam non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quę stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quę non sunt, ut ea quę sunt destrueret: ut non gloriaretur omnis caro in conspectu eius. His hominibus magnificentiam suam in orbem uoluit manifestari: hos elegit, & eisdem dicit: uenite post me, faciam uos fieri piscatores hominum. Non dicit faciam uos piscatores hominum, sed faciam uos fieri. Poterat namque facere ipsos continuo hominum captores. Voluit tamen paulatim disponere, ut cognoscant, quid a se sint: & quid per Christum efficiatur. Qui sua natura ingenio fragiles, non intelligebant aliquando, quę aperte a domino dicebantur: ut est illud. Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, & die tertia resurget. Addit beatus Luc. cap. 18. Et ipsi nihil horum intellexerunt: erat autem uerbum istud absconditum ab eis: & non intelligebant, quę dicebantur. Paulatim igitur eos disponit, iamque dominus resurrexerat, iam per dies quadraginta in multis signis se resurrexisse ostenderat: cum ultimo illos inire pareat incredulitatis, eo quod non credidissent eis, qui cum prius uiderant a mortuis resurrexisse. Illi imbecilles alteram proponunt causam, ut legitur Act. 1. Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Quos iterum arguit, dicens: Non est uestrum nosse tempora uel momenta, quę pater posuit in sua potestate: sed accipietis superuenientem spiritum sanctum in uos, & eritis mihi testes in Hierosolyma, & in omni Iudæa & Samaria, & usque ad ultimum terrę. Siquidem per aduentum spiritus sancti, efficiendi erant perfecti hominum piscatores: & unaquaque die per Christum dominum edocendi, ut uno alioque gradu ascenderent ad uirtutem & sapentiam, & apostolatus officium: ideo non dixit dominus faciam uos, sed faciam uos fieri per spiritum sanctum, piscatores hominum. Nam tunc unusquisque dicitur sufficienter edoctus in unaquaque arte, cum perfectum ipsius artis habet experimentum. Nobis autem datur exemplum, non repente ascendere in arcem uirtutis: sed lento gressu, & per quosdam ueluti gradus peruenire ad summum. Quod quidam obseruare nolentes, sed se extollentes facilius quàm ascenderunt deiciti sunt. Attendant isti ad discipulos domini, quos ipse quacuque hora summos facere poterat, quod tamen noluit: sed paulatim eos instruit, usque quo per aduentum spiritus sancti consummati fuere, & confirmati: faciam igitur, inquit, uos fieri piscatores hominum. Instruimur etiam per hoc, quantis debemus polleere uirtutibus, ut ad beatitudinem peruenire possimus. Quantis o Deus, discipuli tui disponuntur, ut ad apicem apostolatus

apostolatus ascendant: & in beatitudine glorię tuę sedcant, super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Quanto mundi despectu ornantur, quanto desiderio patrię cęlestis accenduntur, quanta patientia pręditi, quanta & pietate & puritate decorantur, quanta humilitate donantur. Ecce primus horum beatus Andreas: cum sibi iam imminere supplicium cerneret, crucem salutem dicens: O bona crux diu desiderata, & iam animo concupisceret pręparata, securus & gaudens uenio ad te: ita & tu exultans suscipe me discipulum eius, qui pendit in te. O quis saluaret mortem cum iam sibi ipsam cerneret imminentem? O quis dicere posset: securus & gaudens uenio ad te, o mors? Alter eius germanus apostolorum uertex beatus Petrus, cum cruce affigi precipitur a Nerone, a carnificibus petit, ut uerso in terram capite crucifigatur: quippe qui indignum existimaret, se eo corporis situ, quo dominus, crucifigi. Magnis igitur oportet nos uirtutibus adornari, si ad tantorum sanctorum consortium deuenire cupimus. Quatuorq; reperi in rege Dauid, hic merito cōscribendas, meritoque ab omnibus conquirendas & imitandas. Prima eius uirtus fuit facilitas conuersionis a commissis sceleribus: uix enim Nathã. 2. Reg. 12. uerba increpationis finierat, cum iam ex ore Dauid audiebatur: peccauit. Iterum cum populum dinumeraret. 2. Reg. vlt. priusquam a propheta Gad increparetur: ipse sibi displicens, supplicium sumit. Percussit, inquit scriptura, cor suum Dauid, & dixit ad dominum: Peccauit ualde in hoc facto: sed precor domine ut transferas iniquitatem serui tui, quia stulte egi nimis. Sunt autem aliqui, qui post quàm peccauerint, obdormiunt in peccato: & ita quieti sunt, ac si in ruitissima quapiam statione anchoram fixam tenerent. Secundam eius uirtutem patientiam fuisse legimus, ex probris inimicorum quorum ipse persecutiones a quo perferebat animo, patienterque nimis eas sustinebat. Nam cum ipse aliquando iter faceret, & malediceret eum Semei. 2. Reg. 16. & lapides contra eum mitteret, & Absai uellet ob illatam iniuriam Semei perimere, ita inquit: Quare, maledicit canis iste morituro dominum meo regi: Vadam & amputabo caput eius: ne id faceret Dauid prohibuit, dicens: Dimitte eum, ut maledicat: dominus enim pręcepit ei, ut malediceret Dauid: Dimitte eum ut maledicat, iuxta pręceptum domini: si forte respiciat dominus afflictionem meam, & reddat mihi dominus bonum pro maledictione hac hodierna. Idem cum posset bis occidere Saul in spelunca, quando eius oram chlamydis abscecidit, pri. reg. 24. & quādo ingressus castra Saul lanceam & scyphum qui erant ac caput regis abstulit. 1. Reg. 26. & a suis suaderetur, ut Saul em interficeret, ait: Viuit dominus: quia nisi dominus percussisset eum, non extendam manum meam in Christum domini. Tertia eius uirtus, compassio est, fuit enim compatiens aliorum malis & infortuniis, & alienas calamitates etiã inimicorum ipse planxit. Cum enim audiret Saulis interitum. 2. Reg. pri. qui eum ad mortem persequeretur, fleuit & assumpta lamentatione ait: Saul & Ionathas amabiles & decori quomodo ceciderunt? montes Gelboe, nec ros, nec pluuia descendant super uos, ubi ceciderunt fortes Israel. Quid enim quicquam tristius poterat dici in morte uicij amici. Idem quoque fecit in morte proditoris filij Absalon, qui se regem fecit patre adhuc uiuente: eumque de regno moliebatur deicere, seque in regni sedem collocare. Contigit autem ab exercitu Dauid, Absalon occidi: qui audita filij morte persecutoris sui, & proditoris iniqui, mœrens, & eiulatu magno incedens lamentabatur dicens: Fili mi Absalon, Absalon fili mi. Quis mihi det, ut ego moriar pro te, fili mi Absalon, Absalon fili mi. 2. Reg. 18. Hęc compassionis uirtus quàm maxime regibus & principibus & prelatis est necessaria, ad subueniendum uiduis & pupillis,

Quatuor
in Dauid
uirtutes
mirandæ.

pillis, ad subleuandum oppressos, & reprimendam viam quam maiores in populum & fragiliores exercent. Quarta eius virtus est, bonum semper vniuersale præponere particulari: quod maxime agebat Dauid. Cum enim pro numerata gente cœpisset garrire in populo 2. Reg. vlt. ipse ad dominum conuersus clamare cœpit, dicens: Ego sum qui peccaui, ego qui iniquitatem egisti qui oues sunt, quid fecerunt? conuertatur obsecro manus tua contra domum patris mei. Hæc virtus vt etiam tertia, valde necessaria est regibus, principibus, prælati, & omnibus præfectis terræ: vt vigilantiores semper sint pro bono vniuersali, pacis, iustitiæ, æquanimittatis, quam pro augendis censibus, redditibus & pecuniis: talibus enim virtutibus disponuntur ad magnum culmen gloriæ contequendū. Disposuit namque dominus his aliisque virtutibus plurimis apostolos suos, eosque confirmavit, & perfectissimos in aduentu spiritus sancti constituit, & fecit eis tunc fieri & perfici piscatores hominum. Quorum alii continuo relictis retibus, alii relictis retibus relicto & patre, securi sunt dominum. atque illi quidem quæ iure possidebant reliquerunt, nos vero relinquamus peccata, quæ nos iniuste detinent. Rete enim consuetudo peccandi recte intelligitur, qua detenti homines nesciunt retrocedere. Dicamus ergo cum psalmista: Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis iugum ipsorum. Nautis autem voluntas nostra est, qua per huius sæculi mare circumferimur, nunc huc, nunc illuc, quietum portum nescientes, neque tranquillam vllam stationem eligentes. Nos igitur sanctos hos apostolos imitemur, relictis à quibus detinemur criminibus, voluntatem nostram negantes, rationem sciantes, deique iusta adimplentes, relictis retibus & nauis sequamur dominum, nec sit qui ab hoc proposito nos dimoueat. Quin ob oculos hos sanctos proponentes & alios quam plurimos, ab omni nos detinente peccati laqueo, retinente reti expediri Christum sequamur et imitemur: præque omnibus diligamus, & feruenter crucem portemus domini, prout ipse nobis commendat, dicens: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Non crucem vtique istam quam milites ordinis diuini Iacobi & Benedicti, & hospitalis beati Ioannis baptista fixam pectori gerant: sed nostri potius abiectionem & mortificationem. Nā eorum multi quos nunc retulimus, in suam damnationem crucem illam deserunt horribile re vera dæmonis machinamentum: quippe qui olim deus per crucem, hac ipsa nunc cruce ab illis gestata in veste & non in corde, plurimos eorum secum trahit in chaos. Nō enim superbare decet, quod crucem perceptor geris. non item decet per auaritiam congregare redditus decimales, non in vxorum et filiarum vestibus fericis & prolixioribus caudis & deauratis sandaliis, aliarumque vanitatum ineptiis ecclesiæ bona consumere. Non decet inquam tibi canibus & auibus de alieno (quod aiunt) corio ludere, nec patrimonium Christi aliquid exponere. Atqui in honesta tui & tuorum sustentatione, huiusmodi redditus expendito: armis & equis semper te paratum contra infideles exhibito. Pueris autem huiusmodi conferre redditus, & illos favore intercedente strenuis militibus præponere, in distributionem iustitiam peccare est.

Veruntamen quo vertimus faciem, vt fas & æquum prospiciamus? ecce nudum & curias regum, quæ ipsius mundi profundiores gurgites & voragines sunt. Totum sex teterrimi dæmones retibus suis tenent illaqueatum. hi sunt, qui ambirioni præest caecodæmon, & qui superbiæ, item inuidiæ dæmon & odii, dæmon cupiditatis & auaritiæ, dæmon incontinentiæ & gulæ, dæmon detractionis & murmurationis. Qui hos gratia Dei potest deuincere, non se permittat ab istis alapis cædi. Nam si apostolus colaphizari se dicit a stimulo carnis, cum solum illius pateretur molestias: quomodo qui alicui prædictorum malorum consentit, non

erit, non se dicat alapis casum a teterrimo, & turpissimo dæmone? Turbata est aqua, & agitata est mare sæculi fluctibus tentationum & vorticibus peccatorum: detinenturque homines delictorum retibus. Caterum his qui præstant magnum est oitium referatum ad proficiendum pluribus. Possunt enim residere si sunt beneficiati aut prælati: nam residentia ipsa censetur iuris esse diuini. Petro enim dicitur, pascere oues meas, terque repetitur. Bonus pastor dicitur alibi, animam suam ponit pro ouibus suis: qui autem non pascit, sed est separatus ab ouibus, quomodo pro illis animam ponet? Si est minister iustitiæ, etiam magnum ostium est illi apertum, si pro iustitia certet, & neque sanguini, neque donis, quæ præuertunt corda iustorum: nec amicorum & aliorum precibus (& si sint preces regum) acquiescat flectaturque, quo minus vnicique quod suū est tribuat. Si rex est tantum prodesse poterit, quantum uolet: namque ad regis nutum omnis componitur orbis. Et sapiens ait in prouerbis. 20. capit. Rex qui sedet in solio iudicij, intuitu suo dissipat omne malum, & cap. 29. Rex iustus erigit terram, vir auarus destruit eam. Hoc verò maxime fit cum reges per se, & prælati oppida & populos visitant & circumspectant. Cum enim sol illuminat terram, eam germinare facit, ministri uerò (& si boni) sunt veluti solis claritas: quæ lucem quidem domibus infert, sed in eis & si faciant semina, nihil producit. Disruptis ergo laqueis, & relictis retibus sequamur Christum Dei filium: cui cum patre & spiritu sancto est gloria honor & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DVODECIMVS,

In quartum cap. Beati Matthæi.

RELICTIS igitur retibus sequamur dominum, laqueos dirumpamus, & soluamus vincula. Cum autem audis relictis retibus, prænosce non te vno reti ligari, verum etiam plurimis irretiri, & plurimis retineri nodis. Retibus, inquit, relictis: non reti. Quæ & si plura sunt, quatuor tamen præcipua in scriptura sacra censentur. Primum igitur rete, siue laqueum dicere malis, propria est voluntas: quod satis ostenditur ex eo quod dominus dicit: Venite post me, & faciam vos fieri. Venire enim uoluntatis est, faciam vos, gratiæ tribuitur: Quibus sanè verbis sapienter dominus nobis & gratiam suam, & voluntatem nostram designat, in vnoquoque bono opere fore necessariam. Cum dicit uenite: vos utique uenite uestra sponte, non coacte: relinquite possessa. Faciam ego uos: gratiam tribuam modo uelitis: nemini enim vim facio, & uolentibus gratiam præstabo, & uos præcedam: Misericordia enim præueniet me, Psal. 58. & præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. psal. 20. & illud sap. cap. 6. Præoccupat qui se concupiscunt ut se illis prior ostendat. Ego sum qui excito, ego qui clamo, ego qui dico, uenite post me: uos uero cum uocem eius audieritis, nolite obdurari cordibus uestris. Sed uocante domino illico relictis retibus, eum sequimini. Ecce totus præscriptus est in his sacris uerbis ordo, quo peruenitur ad dominum, in confusionem apertam Lutheranorum, & reliquorum hæreticorum negantium arbitrij libertatem, & uocationis & gratiæ potestatem. Primo enim dominus iacentes uocat, uocatus liber est ad acceptandum: ueluti ad conuiuium inuitatus, prout scriptum est cap. 22. Misit rex seruos suos uocare inuitatos ad nuptias, & nolabant uenire. Si uocationem uoluntas renuere non posset: non utiq; diceretur: & nolabant uenire. Qui ergo uenerunt? qui uolebant uenire. Cum autem uenissent illi, qui reli-

Quatuor
precipua re-
tium gene-
ra, quibus
peccato-
res irreciū-
tur.

Etis rectibus secuti sunt eum: facit eos gratia piscatores hominum. Vocat ergo dominus gratia sua: respondit voluntas, volo. Vocatis autem gratia & libere volentibus suo arbitrio, largitur primum. Propria igitur libera voluntas primum rete est, quo illaqueamur. Beatus Augustinus lib. 8. confess. cap. 5. de hoc conqueritur dicens: Suspirabam ad te domine gratatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate, velle meum tenebat inimicus, & inde catenam mihi fecerat & constrinxerat me. Profecto artissime ligatur homo propria voluntate: quam cum a nullis malorum extenderit demon, concatenatum relinquit hominem: dulciter enim quisque voluntate vincitur sua. Suaue namque venenum est, prout vis viuere, viue. Anima igitur misera suae voluntatis laqueo constructa, cum spō te deciderit, nisi adiuncta gratia surgere non valebit. Quemadmodum enim qui in praetor puteo se volēs proicit, e puteo adiutorio alieno extrahatur necesse est: Ceterum si immisso fune aut vase, eique manum adhibere nolit, a puteo non extrahetur, ita & peccans se in puteum proicit, dominus vocat & pulsat: habes funem: si tamen manum, voluntatem tuam scilicet, non adhibueris, in profundo manens deficiēs. Itaque proni sunt homines ad explendam voluntatem suam, quin immo cū faciunt, quod volunt, cumque res secundum voluntam succedunt, gloriantur: & quanto amplius cupiunt omnia ad voluntatis libitū euenire, eo minus sentiunt se ligatos, propriaque voluntate teneri: immo tunc cū quae volunt compleuerint se maxime liberos arbitrantur, cum tunc maxime praua voluntate & ferrea eius catena vinciantur. Huius ferrei nexus exemplū cernimus in nefandissimo scelere, quod perpetravit Herodes, praecipiens amputari caput beati Ioannis baptistae, quod lucide indicant verba puellae saltantis. Non enim aliud proposuit crimen, nec quicquam perpetratum intulit, quam id quod eius verba fonant dicētis: Volo ut protinus des mihi disco caput Ioannis baptistae. Herodes, inquit, quid vis? illa ad matrem quid petam? mater vult caput Ioannis abscindi: puella ait volo, illa sic volo: Herodes sic iubeo, sit pro ratione voluntas propriae igitur voluntatis venenum, quo sopita Herodias & ipse quoque Herodes tenebantur, execrabile parturiunt homicidium. Prauae autem huius voluntatis suo velle detentae, sua volitione ligatae, si causam requiras efficientem: minime secundum beatum Augustinum reperies. 12. de Ciuit. dei cap. 6. 7. & 8. Non enim, inquit, aurum est causa cupiditatis efficiens, atqui praua ipsa voluntas peruersae amantis aurum: nec speciosa femina causa fornicationis est, sed peruersa voluntas male amantis pulchritudinem. Omnis namque creatura dei bona est: bonum autem mali causa non est, quod percipimus exemplo: Duo homines cernunt diuitias: alter cupit, & rapit: alter vero, non. Si autem aurum causa existeret cupiditatis, vtrumque ex aequo cupiditas impelleret. Conspicitur ad duobus pulchra femina: alter cupit & mechatur corde, alter benedicit Deum. Si ergo pulchritudo causa esset fornicationis, aequa uterque lance prauae concupiscentiae pondus sustineret. Nō ergo quaeramus causam efficientem malae & peruersae voluntatis: quod perinde est, ac si quis quaerat uidere tenebras, & audire silentium. Tenebra enim, lucis carentia est: silentium, sonitus & uocis defectio: eodem utique modo male voluntatis causa efficiens non est, sed deficiens: deficit enim a rectitudine, deficit a luce: deficit a bono, quae nō deficit ad mala: cum omnia quae dominus fecit bona sint. Sed utique deficit male, cum relicto Deo summo bono, & recto & bono creaturarum usu, peruersae diligit aurum, terram, fundos, feminas, & quicquid bonus Deus bonum creauit in terra. Intricatissima & labyrintho similis haec voluntatis catena est: cuius si causam quaeras efficientem, non inuenies sed deficientem. Peccati ergo ipsa praua voluntas est causa efficiens. Summo opere idcirco uigilandum est, ne teneamur

prauae


prauae nostrae uoluntatis catena, nec quae uelimus festemur, sed quae suadet gratia illa agamus: nec nostram, sed Dei uoluntatem in omnibus praeparamus. Et haec est illa summa obedientiae uirtus tantopere in scripturis exaltata: Deo in omnibus consentire, & nostrae uoluntatis dissoluta & communita catena ei in omnibus subdi. Hinc illud Samuelis ad Saulē, cū quod uoluit fecit, referuans Abimelech, & eius pinguis quaeque, cum Dominus ei praecipisset omnia demoliri, pri. Reg. 15. Melior est enim obedientia quam uictoria: & auscultare, quae offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatriae nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abiecti sermonem domini, abiicit te Deus ne sis rex. Obedientia etiam Christi humanitas exaltatur, pro ut exclamat beatus apostolus Paulus ad Philip. 3. dicēs: Humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum. Propter quod totiens inter nos repetitū, & nunquam nobis plene obseruatum: & dedit illi nomen, quod est super omne nomen ut in nomine Iesu, omne genu flectatur, caelestium, terrestrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei patris. Obedientia ergo distrumpitur rete diaboli: obedientia comminuitur ferrea catena prauae uoluntatis. Obedientia & paradisi referatur, & infernus obstruitur. Obedientia Apostoli commendatur & praesignatur, cum dicitur: At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Secundum rete demonis, ab isto quasi contextum descendit: hoc est, praefigere, & statuere quaeque sibi uiuendi normam, & etiam legem sancire hoc aut illo modo faciendi. Si tu tibi propriis lineis describis vitam, propriis depingis penicillis, propriis constituis legibus, proprio exaras graphio: quae ubi ianua habitationis tuae, qua Deus possit suis in te introire praecipis? qua cum audieris disputantem & uere differentem exaudias? qua cum audieris sanctam matrem ecclesiam aliter docentem obediās? qua cum audieris praedicantem credas? Si in te fixus manes Lutherane, & tu peccator nulla commoueris uoce, nullo doctore seu disputatore flecteris, quin & sancta matrem ecclesiam catholicam audire negligis: clausisti profecto post te ianuam, qua tui dissoluentur nexu: tu tibi praefixisti legem, qua in te permanebis immobilis, & obrutus: tanquam aspis furda, quae non exaudiet uocem incantantis, incantantis sapienter. Periculosissima res est, tibi ipsi statuere legem, & instituta condere: quae cum praefixa & condita fuerint, dextera excelsi sola immutari possunt: ut uere de illis dicatur: Haec mutatio dexterae excelsi, Psal. 26. Timens enim Apostolus proprias leges demonis suasi Thessalonicenses sibi posse firmare ad omnem illorum ambiguitatem tollendam, ad obstruendam uiam propriae uoluntati, & demoni per illam ingredienti, ita illos exhortatur dicens, immo imperat praecipiens. 2. Thess. 2. Itaque fratres stete, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Quam suauis uoce praecipit illis beatus apostolus. non discedere a fide, non audire uocem alienorum, stare fixos, manere in traditionibus, quas acceperant per sermones & epistolas eius, non nouellis, fabulis & fallaciis intendere: quin potius ea tenere, quae tenet sancta mater ecclesia, & fixos permanere in eo, quod semper a temporibus apostolorum obseruatum est. Quin immo si foret possibile, angelum aliter nunciare: minime illi credere, docet idem beatus Apostolus ad Gal. 1. dicēs: Sed licet nos, aut angelus de caelo euangelizet uobis, praeterquam quod euangelizauimus uobis anathema sit. Quanta autem uigilia cauenda sit uox, uerba, & conuersatio illorum, qui non ambulant secundum ecclesiam sanctae consuetudinem, ipse beatus apostolus ad Thessa. 2. cap. 3. insinuat dicēs: Denunciamus uobis fratres in nomine domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis uos ab omni

K 2 fratre

fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Vniuscuique ergo ad scholam sanctæ matris ecclesiæ currat, non sibi legem statuat: quod ab illa ex euangelio, & ex alia diuina scriptura, & sanctis concilijs, & sanctis doctoribus audierit, obseruet, retineat, & mente condant: nec a sensu sanctæ matris ecclesiæ unquam recedat: & si possibile foret: quod angelus de cælo, siue apostolus quisquā aliter doceat. Igitur a sancta matre ecclesia rex regere regna petat: a sancta matre ecclesia princeps quisque qualiter viuere debeat, doceatur: a sancta matre ecclesia, omnes episcopi, clerici, laici, normā viuendi traditam sanctissimè seruent: sicque euadent hæresum laqueos, peccatorum retia, & Christum vocantem sequentur. Rete tertium inconsiderationis est magis, quàm actionis, omissionis plusquam commissionis. Idque non paruum immò magnum est malum, pluraque ex illo incommoda exoriuntur. Hoc est inconsideratio, & obliuio vitæ domini nostri Iesu Christi, cuiusque actionum. Quis enim consideret humilitatem Iesu, qui non in suam stomachetur superbiam? quis obedientiam illius, qui non relicta omni opinione, & omni peccato, voluntati Christi subdatur? & collum iugo eius suauiter submittat obediens? Quis ad puritatem illius respiciens, spurcam fornicationem non vilipendat? Quis eius ieiunium considerat qui non temperans esse velit? Quis cum orationem contempletur, qui orationi vacare non cupiat? Quis eius probra animo versans, inimico non parcat? Quis patientiam cernens, non æquo animo aduersa ferat? Quis eius passionem & mortem memoria recolens, non illico quæ in mundo sunt prorsus aspernat, pro peccatis strictam penitentiam agat? Quis eius gloriosam resurrectionem & ascensionem ruminet, & non totus desiderio futuræ vitæ, & cælestis patriæ accendatur? Vnicuique præsentaneum remedium est contra omnem mundum, contra omnia carnis oblectamenta, contra omnem seculi sublimitatem, consideratio vitæ domini nostri Iesu Christi. Nec enim ita diabolus est memoria hominum hanc aboleret, si contra omnia eius machinamenta hoc efficacissimum non fuisset remedium. Vnde & apost. ad Heb. 12. ca. Curramus, inquit, ad propositum nobis certamē aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum: qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis dei sedet. Et cap. ult. propter quod & Iesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum, extra castra improprium eius portantes. Aspicientes igitur in Iesum, improprium eius semper portantes, memoria recolentes, & moribus imitantes: omnia tela & retia, & laqueos inimici infringere & euadere poterimus. Quartum rete diaboli est, cum peccator vinculis amoris detentus, seu timore perterritus alligatur. Sunt enim quidam: qui cum fortè disputantem audierint vel legentem siue concionantem, compunguntur, & fatentur doctorem vera quidem dicere: veruntamen si male oblata restituant, nimium defraudari: si inimico reconcilientur a turba seculi contenti & vituperari: si a praua societate separentur, nimio amore non posse vna hebdomada se continere, quin iterum in pristinam reuertantur labem. Rete hoc, laqueus iste, dæmon iste, non eiicitur nisi ieiunio & orationibus: quin etiam elemosynas indigentibus impartiri, & ad aliquem sanctorum sese conuertere, eiusque auxilium implorare, & ecclesiæ sacerdotes adhibere, sacrificia pro se offerre, & orationibus seruorum dei se commendare. Nouit enim dominus potentia sua, & misericordia sua talibus m. ederi: dummodo perseuerent pulsando, nec deficient persistendo. Persequatur apostolus Paulus ecclesiam Dei: quoniā arbitrabatur ita se obsequium præstare Deo: pro quo beatus Stephanus orationem

tionem fudit, dum lapidibus obrueretur, ipseque Satulus vestes lapidantium asseruaret: qui postea subita luce de cælo tactus, in terramque deiectus: leo alioquin sæuus, vt mansuetus agnus vocem emisit, dicens: Domine quid me vis facere? Vides Magdalenam, mundi amore captam: quæ accedens ad Christum, & eius ad pedes prouoluta amoris dei vinculis irretitur. Telonio occupatus beatus Matthæus reliquit telonium, & secutus est dominum. Zachæus, vt tradit Luc. 19. cap. cupiens uidere Christum, quia statuta puillus erat, ascendit in arborem ficomorum, quem cum uidisset dominus ait: Zachæe festinans descende, quoniam hodie in domo tua oportet me manere. At ille suscepit eum gaudens, largissimasque elemosynas fecit, pauperibus donans dimidium bonorum suorum: & si quem fraudauerat quadruplum reddes. Tu igitur qui peccati tui suorum: & si quem fraudauerat quadruplum reddes. Tu igitur qui peccati tui amoris vinculis alligaris, nec laqueos confringere vales: timoreque obtupefactus, raptā restituere times: parcere inimicis trepidas: curre ad Christum, ascende in arborem non ficomorum, sed vitæ arborem saluberrimam, Crucem videlicet domini: Clama, ora, ieiuna: potens est enim deus comminuerè anulos ferreos catenæ tuæ, & rumpere nodos retis tuæ. Tu autem liberatus, innumerabiles gratiarum actiones domino refer, cum Dauid dicens: Dirupisti domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: Et relictis continuo retibus, cum his quatuor beatis apostolis sequere dominum. *Et circuibat Iesus, post uocationem istorum beatorum quatuor apostolorum, totam Galilæam docens in synagogis eorum: & prædicans euangelium regni: id est, bonum nuntium. Quod scilicet regnum Dauid aduenerat sempiternum, cuius non erit finis: & quod regni cælestis donatur credentibus & penitentiam agentibus. Et sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo. utpote medicus vniuersalis. In hoc. n. se Christum deum manifestabat, cum dicit euangelista: quod omnem languorem, & omnem infirmitatem sanaret dominus. Nam vt autor naturæ omnia quæcunque uolebat perficere poterat. Et abiit opinio eius in totam Syriam: & obrulerunt ei omnes male habentes, uariis languoribus & tormentis comprehensos: & qui demonia habebant, & lunaticos, et paralyticos: et curauit eos. Quoniam autem tot uiderant miracula, & tot beneficijs oppingerantur, Secuti sunt eum turba multa de Galilæa, et Decapoli, et de Hierosolymis, et de Iudæa, et trans Iordanem. Tantis igitur turbis congregatis incepit Christus dominus legem euangelicam tradere: prout sequenti capitulo quinto continetur: multis prius miraculis perpetratis, quibus uerba confirmarentur: cui est honor, gloria & imperium cum patre & spiritu sancto in æternum. Amen.*

TRACTATUS PRIMVS,
IN CAPITVLVM QVINTVM
BEATI MATTHAEI.



IDENS autem Iesus turbas, & tempus opportunum ad legem ferendam, aperiens os suum. Phrasis est sacrae scripturae Iud. 11. dixit Iepse, quoniam nouerat occisurum, quicquid illi uictori de prelio reuertenti primum occurreret: aperuit enim os meum ad dominum. & Iob. 3. cap. Post haec aperuit Iob os suum, & locutus est. Psal. 77. Aperiam in parabolis os meum. Eccle. 39. Aperiet os suum in oratione. Et actorum. 8. dicitur: Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens a scriptura ista, euangelizauit illi Iesum. Iterumque Actorum. 10. Aperiens autem Petrus os suum dixit: In veritate comperi quoniam non est personarum acceptor Deus. Docebat eos dicens. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Beati pacifici, quoniam filii dei uocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati estis, cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersum uos, mentientes propter me.* Grassante in homines daemonis rabie, totus penè orbis lethaliter sauciatus eius saeuitia iacebat: nullaq; alia lex obseruabatur in mundo, praeter illam quam cacodæmon intulerat orbi. A rarissimis hominibus Iudæis colebatur Deus, lege lata per Moysen. Imposuerat autem diabolus leges octo hominibus, quibus omnem penè ad se traxerat mundum: tyrannicoque regimini ultra omnem tyrannum genus premebat humanum. Primam tulit legem de acquirendis & congerendis diuitijs, qua omnem auaritiam intulit mundo. Tum aliam de non toleranda iniuria, quin potius retaliandam calumniam condidit, qua plurima perpetrata sunt homicidia. Alia de humana seu mundana lætitia, & nunquam pro peccatis lugendum inualuit, qua omnem demolitus est contritionem & poenitentiam peccatorum. Aliam uerò induxit de non obseruanda iustitia, tum uirtutis, tum etiam quā dicimus commutatiuam & distributiua: qua omnem abstulit ueritatem, induxitq; mendacium & hypocrisim. Aliam etiam promulgauit de non exhibenda elemosyna, sed quod proprijs commodis sit insistendum: qua negauit omnem in pauperes misericordiam. Quintam praecedente praecone conclamauit, ut unicuique liceret pro voto concupiscere, cor immundum quoquod uellet gestare: qua libidinibus totum repleuit orbem. Aliam quoque pestiferam legem discordiæ & seditionis disseminauit: qua bellorum strage & crebris ruinis mundum concussit. Aliam septimam pronuntiauit, de non ferendo incommodo, et propter uirtutem illato: qua etiam plurimos uiuentes in ruinam induxit. Vltimam tandem octauam iure stabiliiuit perpetuo: maledicenti maledicere, in improprietatem impropria retorquere, sauire, & quo quis posset modo de dam-

no illato uicisci. His tantis cladibus iacentem mundum, uolens piensissimus saluator noster manu & doctrina caelesti leuare: uidens turbas ascendit in montem, octoque e contrario pronuntiauit sanctissimas leges, strauit beatissimas uias, & mundissimas semitas: quarum obseruatione unusquisque a gladio daemonis, tanquam scuto protectus securus undequaue incedat, beatus uiuat, felix moriatur. Et quāquam in unaquaue harum beatitudinum, diuersis nominibus praemium pronuntietur semper intelligendum est illud praemium, quod in prima beatitudine pauperibus spiritu, & in ultima illis qui propter iustitiā patiuntur promittitur: quoniam uidelicet ipsorum est regnum caelorum. Quod autem in principio dicitur de unaquaue uia, Beati, perinde est, atq; illud Psal. Beatus uir qui non abiit in consilio impiorum: Beati omnes qui timent dominum: Beatus uir qui timet dominum: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Quae omnia eodem modo oportet intelligi: hoc est qui talia uel illa operatur, in uia est beatitudinis: per semitam graditur, peruenitur ad caelestem felicitatem. Quemadmodum si quis in papyro depictum lineis aedificium templi manu gestaret, quaerenti quid manu tenes? recte responderet, templum: neque enim lapides, ligna, & calcem tenet, sed ipsum lineis descriptum templum. Sic qui pauper spiritu est, qui mitis, qui misericors, qui luget, qui pacificus, beatus dicitur: non quod sit in regno felicitatis aeternae, sed qua gerit felicitatis in se imaginem & similitudinem ciuium beatorum: quandoquidem per semitas, quibus in patriam caelestem peruenitur, ambulat. Quas octo beatitudines uerè dixerim, signa beatæ praedestinationis esse. Quandoquidem doctores sancti quatuor coniecturalia signa ex diuina cuderint scriptura, quibus se unusquisque coniectari potest in gratia persistere. Nam hoc pro certo habere, repugnat sapientiæ dicenti Eccles. 9. Sunt iusti & sapientes & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit. Et beatus apostolus Paulus inquit Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. 1. Corin. 4. Hæc enim enumerantur: libenter audire uerbum Dei, ex illo saluatoris Ioan. 8. Qui ex Deo est, uerba dei audit. Promptum se experiri ad omne opus bonum: cum autem in memoriam commissum peccatum incidit, eodem momento dolere: ultimo cum se experitur propositum habere non peccandi, etiam si totus sibi exhiberetur orbis. Octo autem praedictas beatitudines sic coniecturaliter dixerim signa esse beatitudinis consequendæ: quandoquidem dominus pauperes spiritu dicit beatos, & ipsorum esse regnum caelorum pronuntiat. Si igitur quisq; se experiat uerè pauperem esse spiritu, uel uerè se esse mitem, siue uerè pro commissis lugere peccatis, aut uerè esse misericordem: iam profecto coniecturam habet, adepturum se futuram felicitatem. Siquidem ore domini illa dicatur: Beatus pauper spiritu, Beatus mitis, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Neque silentio praetereundum quod dominus in initio suæ beatæ praedicationis & euangelicæ lege promulgationis, non solum poenitentiam praedicat: immo has octo beatitudines longo sermone profequitur: quæ omnia in operatione consistunt. ut hinc Christiani nouerint, quanto feratur impetu euangelium in lutheranos, solam fidem saluatricem statucentes, & solum ad merita passionis Christi peruenientes: cum beatitudo & poenitentibus promittatur: nunc autem & operantibus: cuiusmodi sunt qui paupertatem sponte se statant, mites, & qui bene faciunt inimicis suis, misericordes, & elemosynas largientes, lugentes, & iustitiam esurientes, quæ omnia operibus perficiuntur. Bone Deus, quantopere nos bonis operibus vacare consiliit, exhortatur, & praecipit: & nō de sola fide inaniter iactari sinit: cum tot beatitudines, tot semitas in regnum caelorum ducentes, quæ adimple-

Fidē nihil
pdesse si-
ne opibus,
ostenditur
contra Lu-
theranos.

tur operibus, & per quas sine opere minime pergitur, nobis eligēdas proponat. Optime ergo beatus notat euangelista in principio *Videns Iesus turbas*, ac si diceret: noluit illis quæ agenda sunt ad salutem ostendere, quod & fecit. Nam homines vident homines: neque illis bona, eo quod illos cernant, tribuunt. Dicunt enim adinvicem qui versantur in curiis principum: apexit te Papa? apexit te rex? ille vero respondet, etiam: Veruntamen quotidie plurimi aspiciuntur, & sorte nulli aliquid confertur. Prospicere Dei est facere, videre Dei donare est: neque enim vnquam Deus aliquem videre dicitur, cui non bona tribuat: Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorū. Cum audis Christum habere oculos in iustum: scito quoniam aures eius est prona in precem eius: Respexit enim dominus ad Abel & ad munera eius. Respicere dei approbare est, & bona rependere. Ad Cain autem & ad munera eius non respexit, Gen. ca. 4. Respexit, inquit deipera semper virgo Maria, humilitatem ancillæ suæ: sequitur quod illi largitus est: Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *Videns ergo Iesus turbas*. Ecce octo ostendit beatissimas vias, quibus in diuersum nitentes contra diabolica machinamenta, pergamus in celestem patriam: ecce vt nos munit virtutibus, quibus tanquam scuto fortissimo iacula ignea excipientes victores simus in beatissimā Dei nostri fruitionem: Ascendit autem in montem, vt ab omnibus videri & audiri commode posset: præaltissimas enim leges & supremas in cœlum vias, e monte alto enuntiare & aperiri decebat. Vaticinium enim Esaiæ. 4. ca. sic habet: Super montem excelsum ascendet tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Hierusalem. Cum autem hoc de annuntiatoribus euangelii sit prænuntiatum voluit & ipse dominus etiam in montem ascendere: & ex illo præcelso loco, suæ premam pronuntiare euangelicam legem. Datur postremo fidelibus exemplū in altis commorari, non in terrenis cor fixum, & animum depressum habere, sed oculos ad Deum leuare, cor ad superiora erigere, amorem illic reponere, vbi non pigeat unquam amare. Humilis & deiectus dicendus est quisquis ille sit, quanquam regia polleat dignitate: qui cum excelsus dicitur, ipse per terram graditur, & cum potens appellatur, a vermibus defunctus corroditur. O fallax celsitudo mundana, & a virtutis tramite diuersa potentia. Qui per terrena sparsus, terrena cogitat: & de terrenis loquitur, pro terrenis tandem moritur. & mortuus ille potens vermiculo fit inferior: a verme enim cōsumitur cibus vermium. Ascēde ergo in montē, esto pauper spiritu, & ecce dicitur tibi, beati patres spiritu, quoniā reges constituemini regni perpetui, quoniā ipsorum, inquit, est regnum cœlorum. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* *Beati pacifici, quoniam filii dei uocabuntur.* Itaque in hoc seculo qui vitam beatam, & quietam degunt, in futuro regno gloriæ coronantur in æternū. Tantis enim modis virtutum promittitur omnibus beatitudo, & regnum cœleste in fine. Ecce quanto præmio donantur, quantoque nomine in præsentī vita extolluntur obseruatores euangelicæ legis. Nunquam enim talia lex promisit Moysi: nunquam talia sunt in lege naturæ pollicita. Ostenditur Christus dominus verus deus in his verbis, quodque ipse verus sit Messias, cum suæ legis obseruatoribus pollicetur in præsentī summi honoris fastigium, dicens: Beati pauperes spiritu, Beati mites, Beati misericordes, Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. In futuro autem ipsam perpetuę diuinitatis visionem consequentur, cum ait: Quoniam ipsorum est regnum cœlorū. Quis enim potest in hac vita hominem in talem euehere statum, vt illum dicas beatum, nisi ille qui solus altissimus est, & qui potest retinere hominem ne ex præalta rupe labatur: Qui cecidit, dixit Boetius, stabili non erat ille gradus. Vir

tus

eus enim euangelicæ obseruationis, hominem in tali statu constituit, vt vere dicatur in alto situs. Quis enim deiectior pauperibus est? hi autem si uoluntarie se tradunt inopiæ, beati sunt: tanquam, inquit beatus Paulus, nihil habentes & omnia possidentes. 2. Cor. 6. Insuper & illis pronuntiat regnum cœlorū. Nullo .n. termino ambitus cœlestis patriæ circumcingitur, nullo cōcluditur loco, nullis coartatur spatii. In domum vero regum terrenorum, si pauperulus agricola, cilicino & atrito ingrediatur caputio, non talem hominem capit aula: domus autē Dei pauperes capit, humiles, deiectos, & mendicos nō aspernat. Portatur enim ab angelis mendicus, qui iacebat ad ianuam auari diuitis, in Abraæ sinum. Luc. 16. Capit etiam reges, Dauidem, Iosiam, Ezechiam, Ludouicum Francorum regem, & alios quam plurimos diuites, si misericordiæ operibus exercentur. Ecce habes: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiā consequentur. Capit Aethiopes: Aethiopia præueniet manus eius deo. Psal. 67. Omnibus lex euangelica datur, ab omnibus obseruari potest masculis & foeminis, Iudeis & græcis, sapientibus & simplicibus, philosophis & rusticis. In hoc .n. super omnem aliam legem mirabilis ostenditur, & ab ipso deo ore suo deproptā, quæ ab oibus possit suauiter obseruari. Iugum enim nō ait dñs, suaue est, & onus meū leue. Non est iugū legis mosaicæ, de quo beatus Petrus dixit: Iugū quod nec nos neque patres nostri potuerunt portare: verum iugum suauē, onus leue. Non enim absque causa prænotauit beatus euangelista: Apetiens os suū: quanquā hæc sit scripturæ diuinæ phrasis. Veruntamen uidetur prænotare secundum beatum August. ille .n. suo ore legem tulit, ille loquitur qui antea loquebatur per angelos Moysi & Abraæ, & qui toties per prophetas loquebatur Iudeis: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In quintum cap. Beati Matthæi.

QVID autem de vnaquaque harum beatitudinum intelligendum sit, longissimè a quam plurimis scriptoribus expositum est: propterea breuiter, quem reputamus verum sensum explorantes, ad reliquias huius capituli quinti partes deuenimus. Beati, inquit, *pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Si autem dominus dixisset: beati pauperes, nulla superesset questio: cum uerò addit spiritu, omnis in primis expellendus est ab hac beatitudine, qui diues fieri cupit, siue necessaria possideat, aut certè nihil habeat. Potest enim mendicus, diuitias concupiscere (ut ferè contingit) & talis diues spiritu, & pauper victu dicendus est: non pauper spiritu. Ille ergo est pauper spiritu in hac beatitudine prima inclusus, qui amore Christi relictis opibus, vel quidquid possidet abiciens, audum in cruce positum sequitur dominum suum: Omnis etiam uerus religiosus, qui seculo renuntiauit: quis; in monasterio constitutus, bona tēporalia minime querit: quinimmo gaudet reliquisse omnia, verè dicendus est pauper spiritu. Hanc beatitudinem in frontispicio aliarū posuit dñs, quoniam verè est apostolica uirtus: nāq; ipsi beatissimi apostoli relictis oibus seculi sunt dñm. Ad hanc igitur beatitudinē ille perueniet, qui spretis oibus sequitur Christum: nihil tēporale, deinde concupiscens. Ideo dicitur spiritu, quia non tñ relinquit omnia, verum et nihil concupiscentiæ bonorū terrenorū eius animæ adhaeret. Itē pauper spiritu, secundū beatū Aug. dicitur humilis: qui seipsum non possidet, & si ille est, qui oibus relictis tēporalibus bonis, et sibi ipsi vile scit: cū primā ueram spūs paupertatem possideat, nimium utiq; prodest illi hæc

I secunda.

secunda, Placuit aliis dicere pauperes spiritu esse illos, qui & si possideant bona temporalia, nihil horum recordantur: ut potè quibus hæc ita & corde absunt, ac si penitus ea non haberent: iuxta illud Psal. 61. Diuitiæ si affiant, nolite cor apponere. Alii vero dicunt pauperes spiritu, qui seruo magno & accenso desiderio concupiscunt relinquere omnia propter Christum: & cum nõ possint, quoniam alio iugo ligati tenentur: ut sunt matrimonio coniuncti, vel astricti filiis: spiritum tamen promptum habent, quinimo vehementer desiderant omnia pro Christo relinquere, & occasionem adesse concupiscunt ad id peragendũ. Vtrosque equidem arbitror concupiscere pauperes esse spiritu, & pauperes spiritu dici desiderio: quanquam adhuc ad tam excelsum beatitudinem & apostolicam virtutem nõ peruenierint (quemadmodum & martyrem dicimus desiderio, quinimo seruo percipit & vitam finire pro Christo, non tamen martyr absolute dicitur, nec eius obitum tanquam martyris celebrat factofacta mater ecclesia) tunc autem peruenient, cum actu omnia pro Christo relinquẽtes, nihil deinceps nec opere nec voluntate & spiritu de temporalibus concupiscant. Quod manifeste dominus consuluit iuueni, dicens: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes: & veni, & sequere me. Nam qui omnia pro Christo respuit, nihil actu possidens, si tamen voluntate concupiscit habere, cum obliuiscitur mendicis diuitias desiderantibus, diuitem appellandum censeo. Rara igitur & excelsa beatitudo hæc est, & tanquam sublimis posita est a domino in capite omnium beatitudinum: *quoniam ipsorum est regnum caelorum*. Vide clementiam domini saluatoris: ne forte hoc audito admiratus expauesceres, dicens: equis poterit saluus fieri? septem alias apposuit beatissimas semitas: per quas, licet diuitiis affluas, dummodo cor non apponas, sed distribuas indigentibus, pergas feliciter peruenire tandem in supernam & æternam felicitatem. *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram*. Beneficere habere aliquis ad inimicum potest dupliciter: aut quidem mala non inferendo, quod patientia præstat: aut certe, quod maius est, faciendo bona: hoc est esse mitem. Quæ virtus & euangelica est, & excelsa, de qua dominus dicit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Mitis, inquit, sum: non enim malum pro malo infero, immo vero bonum pro malo reddo, & inimicis meis plurima beneficia confero. Eiusdem sacratissimam matrem voce magna extollit ecclesia dicens: Virgo singularis, inter omnes mitis. *Quoniam ipsi possidebunt terram*, hoc est patriam veram suam cælestem, & simul seipso: cum neque per inimicos disturbari possint. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Pro luctu quem habent ista beatitudine prædotati, de peccatis in deum commissis, a se siue ab aliis, & ingenti desiderio quo feruent nihil culpæ in illis & in proximis reperiri, ob id dicitur, *Beati qui lugent*: nempe qui inter tot adueria animæ lugent, iuxta illud quod dictum fuit a domino Samueli. i. Reg. 16. Quotisque tu luges Saul? cum ego spreuerim eum, nõ sit rex. Non vti que la chrymis Samuel flebat Saulem, verum tristitia & angustia eius casum lugubri animo ruminabat. Qui igitur videns tot incommoda, tot animarum euerfiones tot peccata: tristatur, angustatur, & nihil in Dei offensam fieri concupiscit, Beatus qui luget dicitur, secundum illum apostoli. 2. Cor. 7. Quæ enim secundum Deum tristitia est, penitentiam tum salutem stabilem operatur. *Quoniam ipsi consolabuntur* in gloria utriusque ubi omnes vnanimitè Dei voluntati sunt deuoti. Interim lugentes clamemus: fiat voluntas tua sicut in celo & in terra. *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam*. Hoc est, qui iustos omnes homines esse desiderant & hos iustitiam tum commutatiuam tum distributiuiam in omnibus asseruare. Quod quidè non vtiq; exoptant, sed quemadmodum famelicus vel sitibundus cibum, & potum suum desiderat: pari etiam modo isti beati esuriunt & sitiunt iustitiam

iustitiam in omnibus obseruari, & ab omnibus custodiri, omnesque homines iuste & bene agere. *Quoniam ipsi saturabuntur*: in gloria scilicet, ubi oēs sunt iusti & sancti: ubi omnino iustitia a summo & iustissimo deo inuolabiliter effoditur. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Hi sunt qui omnino proximorum commodis inseruiunt, prout Iob dicit cap. 29. Pes sui claudod, oculus sui ego, & latera pauperum calefacta sunt de uelleribus ouium mearum: neque sufficit ad beatitudinem hanc quæcunq; rerum, temporalium administratione. Operæ enim pretiũ est omnibus indigentibus subuenire, hospitalem esse, & cætera necessaria proximis suppeditare, beati Martini exemplo: qui cum omnia in huiusmodi operibus expendisset, & sola illi chlamys superesset, nudo pauperi obuiam eunti illam arrepro gladio diuidens, dimidiam partem largitus est, & reliqua se contexit. Qui enim viderit, inquit beatus Ioannes epist. 1. cap. 3. fratrem suum necessitatem habere, & clausit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Itaque qui sic inseruit pauperibus Christi ut vere misericors dici mereatur, præ excelsam consecutus est beatitudinem: neque solum id, verum & misericordiam consequetur, & illi centuplum retribuetur. Ecce a misericordie deo quemadmodum rependitur misericordia misericordibus: Tu donasti pecuniam, tibi donatur felicitas: saturasti famelicum, tibi angelorum cibis suppeditatur, non quidem ad horam, prout tu pauperem refecisti, sed in æternum. Nudum cooperuisti, tu splendore & fulgore plusquam sol consuscantibus in æternum amiceris. In domo tua terrena hospitem suscepisti, & tu in celesti aula recipieris a domino. Vita temporalis necessaria proximis subministrasti, tibi retribuetur æterna. Igitur beatus es, quoniam misericors misericordiam consequeris. *Beati mundo corde*: Huiusmodi est, qui nihil impurum admittit, qui fide rectè credens, spe fidenter sperans, & charitate totius operibus bonis intentus, nihil coquinatum consensit in corde, nihilque immundum retinuit mète. Rara & præ excelsa hæc beatitudo est, sacratissimè deiparæ & sacris virginibus peculiaris. Ipsi ergo ita purissimi deum videbunt: & quanquam ab omnibus beatis deus videatur (nam ipse obiectum est beatissimum totius beatitudinis) isti tamen corde mundi & corpore, sequuntur agnum quocunq; ierit, tanquam ob omni sordè purgati. Immo quoniam purificati ut primum ex ergastulo carnis exierint, nullo interposito impedimento deum vident, & eo fruuntur. Hæc munditia cordis non tantum de illecebris carnis censenda est, sed de omnibus maculatur anima. Qui autem sic spiritum possident immaculatum beati sunt, quoniam ipsi Deum videbunt in æternum. *Beati pacifici quoniam sibi Dei uocabuntur*. Hi sunt, qui ne pace vera cordis & proximorum priuentur, plurima patiuntur incommoda: non quod non sint prælia iusta, quibus se tueatur Christiani principes, dum alter in alterum insurgit: & vnus quisque illorum se bellum gerere putat: etiam litigantes qui se iustitiam habere existimant. Veruntamen isti qui beati pacifici dicuntur, omne prius patitur incommodum quam pacem deserant: præ cogitantes quoniam deo gratissima hæc virtus est, quæ pro fesceninis saluatori nato ab angelis canitur. Hanc moriens Christus dominus in piensissimum legatum suis reliquit, dicens: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, nõ quomodo mundus dat ego do vobis. Hac tandem a mortuis victor resurgens discipulos salutauit dicens: pax vobis. Quod neq; semel fecit, quinimmo repetiuit dicens: pax vobis. Et die octaua cum beatus Thomas cum aliis discipulis esset, iterum ad eos ingressus dominus inquit: Pax vobis. Vbi nunc sunt Christiani bellatores? vbi digladiatores? vbi percuissores? vbi litibus conuentus forenses replentes? & pro quacunq; minima relitigantes? Audiant dominum dicentem: beati pacifici. Audiant & illud rursus:

Qui vult tecum in iudicio contendere, & tollere tunicam tuam, dimitte ei & pallium. Ne pacem ladas, ne te disturbes, ne in odium proximi incidas. Audi beatum apost. Paulum. Cor. cap. 6. Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? scio utique aliquem iuste pro re sua litigare, vel iuste iniuste requisitum se in iudicio defendere, prout dixi de bello iusto. Noui tamē difficillime tales posse ad hanc ingentis perfectionis beatitudinem peruenire: quibus dicitur. *Beati pacifici quoniam filii dei uocabuntur.* Hos deus filios charissimos tanquam patris veros imitatores, in caelesti gloria collocabit. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Qui probra, irrisiones, carceres, bonorum rapinam, flagella & mortem (si opus est) tolerat aequo & iniusto animo ne virtutem, fidem, seu charitatem amittat: & omnia vultu placido & serena facie sufferre non renuit, ne legem dei violet, & a Christo domino separetur, hic beatus est: & veluti similis pauperi spiritu, qui sponte omnia pro Christo relinquit. Siquidem & isti qui persecutionem patiuntur propter virtutem, ne iustificatione priuentur: & propter iustitiam, ne in deum peccent, omnibus bonis & honoribus, insuper & vita spoliantur. Nam ut ex animo proiciunt a se temporalia bona, ita quoque isti ex animo ablatione temporalium & vitæ, si opus est, sustinent. Quo circa utrisque idem proponitur primum: *Quoniam ipsorum est regnum caelorum.* *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me.* Hæc ideo non annumeratur inter octo prædictas beatitudines, quoniam eadem fere continet, quæ in octaua proximè explanata. Isti enim qui propter dominum patiuntur: non dubium est, quin pro iustitia patiantur. Ne enim a Christo separentur, a quo omnis nostra iustificatio est, quique fons est inexhaustus totius virtutis & bonitatis, & deus verus, a quo bona cuncta procedunt, patienter omnia mala & incommoda sustinent. Veruntamen quoniam beatissimi apostoli plurimas persecutiones passuri erant propter Christum, voluit dominus illis specialiter hanc dirigere beatitudinem, ne deficerent in persecutionibus: scientes se exinde fore beatos, & ingentem sibi mercedem acquirere, in regno caelorum illis retribuendam. Quod autem ait mentientes propter me: existimo a domino additum, ut scirent omnia signa & mendacia esse, quæcunque audirent ab inimicis sibi imponi: non crintque dominum ante illis omnia quàm euenirent prædixisse: & hoc signum suæ diuinitatis esse manifestum. Tertio autem nequis Christianus pessimè viuens, dum obiurgatur, respondat: *Beati estis cum maledixerint vobis homines, quoniam e contrario illi reuertitur clausus: cum dominus dicat, mentientes.* Nam si verum est quod tibi o Christiane detrahitur, te ipsum corripe, castiga & corrige gratia eius dei & domini nostri Iesu Christi: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, &c.

TRACTATUS TERTIVS,

In quintum cap. beati Matthæi.

P R A E O S T E N S A est nobis charissimè omnis via sanctorum, per omnium sanctorum sanctissimum dominum Iesum Christum, per quam & ipsi beati, qui eo fruuntur & fruuntur in posterum, inceserunt: per quam qui gradientur, cum ipsis consequentur supernam felicitatem. In ipso enim suæ predicationis exordio, Christus omnia sciens (ut pote cui omnia nuda & aperta sunt) voluit omnes dirigere, quotquot saluandi sunt: & illis vias ostendere, per quas

recto

recto tramite in caelestem beatitudinem tandem peruenire possent. Qui omnium conditionibus volens consultum iri, & vnicuique secundum suam sortem viam aperiri, octo proponit semitas, per quas incedens ad salutis portum perueniat: & qui non potest per omnes octo incedere, per vnam saltem illarum gradiat: quandoquidem charitate comite, & poenitentia a peccatorum sorte purgatus, quicquid se vni harum commiserit, diuenit in beatorum consortiū. Fecit igitur dominus, quemadmodum famulo ea imponit & præcipit, quæ secundum vnicuique militi seu vnicuique famulo ea imponit & præcipit, quæ secundum suam virtutem vnusquisque commodè ferre potest. Si enim vna sola proponeretur via, vel paupertatis spiritus, vel tollerantiæ & persecutionis propter iustitiam: quis diues, qui rex, quis huius seculi princeps per has posset verè incedere? Tali igitur temperamento vsus est dominus: ut vnusquisque inuenire posset in his beatitudinibus viam, per quam secundum suum statum seu conditionem incedat. Statum seu conditionem appello, nõ illius qui est in peccato mortali. Nam quæcunque sic affectum necesse est a pessimo illo statu, & ab illa miserissima inferni conditione recedere. Atqui si quis forte prælatus est, religiosus, conjugalis astrictus vinculis, diues, pauper, virgo, aut vidua, horum appello conditiones, horum dico status. diuersos: quibus omnibus a peccatorum labe purgatis, nec deficiente charitate, via sternitur a domino, qua possint dirigere gressus suos, ad foelicitatis æternæ tramitem. Vnicuique igitur panditur uia regia, qua tuto incedat, qua recte ducit in empyreum caeli. Nemo ergo torpore langueat, nemo rebus terrenis & fortunæ ludibrijs innitatur: nemo inicitia & ignorantia excusationem prætendat, quia nemini conceditur excusatio, cum palam sit omnibus euangelium. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum: Beati iustes, quoniam ipsi possidebunt terram.* Has primas duas beatitudines apostolis sanctis & apostolicis viris proprias esse ipsa verba domini manifestant. Namque hi sunt verè pauperes spiritu: qui relictis omnibus, nihil unquam terrenum cogitauerunt, quique inimicis bona semper consulentes, & bona pro malis reddetes ipsos dilexerunt, quàm plurimos bonis & commodis nunquam non persecuti. Quoniam enim beatissimi apostoli per omnes has octo viam fecerunt beatissimas semitas: & cum nihil possiderent, et plurimas in sanctos pauperes collectas facientes, illos reficiébant: et de illis verè dictum existimari possit: *Beati misericordes: veruntamen has duas primas beatitudines, veluti illis maximè proprias, attribuimus: quod in his crebrius se exercuerint, quodque vehementer quodam studio eas sint persecuti.* Summa namque cura veram paupertatem spūs amplexi sunt: & mitissimos se inimicis & persecutoribus exhibuerunt, semper pro illatis malis bona reddetes. Porro patriarchis, prophetis & poenitentibus beatitudo iustus tribuitur. Quanto enim iustu Loth Sodomorum pessima crimina persequebatur? Item & Abraham, qui tantis orationibus dominum obsecrauit: si forte decem iustos inuenisset, Sodomorum & Gomorrhæorum parceret ciuitatibus. Quantis precibus Moyses domino pro populo Iudæorum deprecatus sit, crebro legimus in scripturis. Samuel iugebat Saulem: Hieremias Hierusalem: Helias Achab: & Dauid, exitus, inquit, aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Defectio tenuit me pro peccatoribus, derelinquentibus legem tuam. Ecce sua & aliena lugent facinora; suam & aliorum querentes salutem. Quæ confessoribus propria est beatitudo. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Ipsi namque summopere quaesierunt & suam & aliorum salutem ad monitionibus, & quàm plurimis alijs virtutum exemplis & exercitiis. Nolo. n. dicebat beatus Augustinus plebi suæ, saluari sine vobis. Beatus quoque Martinus exclamat: *Dñe si adhuc populo*

pulo tuo sum necessarius, non te caelo labore in: fiat voluntas tua. Imitati sunt isti beati confessores apostolum Paulum ad Phil. c. 1. ubi dicit: Coartor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter uos. Innuptis, viduis, matrimonio iunctis, diuitibus quibuscumque, omnibusq; habentibus huius mundi substantiam propria beatitudo est. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam conseruauerunt.* Diuitibus huius seculi ait apost. 1. Timot. vlt. præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. Et dominus: Thesaurizate uobis thesauros in celo. Et Lu. ca. 11. Veruntamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt uobis. Et Dani. ca. 4. ad Nabuchodonosor ait: Quamobrem rex cõsilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordius pauperum: forsitan ignoscat Deus delictis tuis. Et Angelus Raphael ad Tob. c. 12. Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna magis quã thesauros recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa esse quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam. Cordis autem munditia, propria uirtus est uirginum: quam summopere optabat sibi concedi Dauid, cum orabat: Cor mundum crea in me Deus. Virgo enim, ut ait apost. cogitat quæ domini sunt: quomodo placeat Deo: propterea cor mundum gerit, quoniam illi uicicia cura est, quomodo placeat superno sponso. Agnus enim purissimus & uirginis filius candida quærit corda & receptacula omni ex parte munda. De uirginibus dicit beatus Ioan. in Apoc. ca. 14. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coniuuati: uirgines enim sunt, & sequuntur agnum quocunque ierit: & psal. Adducentur regi uirgines post eam. Beatitudo pacis regibus & principibus uiris, ideo attribuitur: quoniam cum bella gerere possint, à bello abstinent: ut suum summum regem regum Christum imitentur & dominum, cui princeps patris ab Esa. cap. 9. inter cetera nomen imponitur, quoniam cum Dauid dicitur: Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis. Natiua igitur principis uerè Christiani uirtus est, pacè seruare: qui nec mutuas in dispendium uitæ prouocationes, ab iratis & ambitiosis hominibus permittat fieri: nec huiusmodi certaminibus capiatur unquam, ex quibus mutua pax quoquomodo turbari possit. Si fieri potest, inquit apost. ad Rom. cap. 12. quod ex uobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. Et cap. 14. Itaque quæ pacis sunt sectemur. Ideo uerò potentibus hæc beatitudo tribuitur: quoniam qui imbecillis est & impotens, pacem quidem seruat, necessitate coactus: qui uerò potentia pollet, cum id agat ex animo, plurimis sese exponit incommodis, ne pacis dissoluantur uincula. Idcirco filius illius dicitur, qui cõsit omnipotens, & possit omnia nutu suo vel momento delere, conseruat, sustiner, & parcat ad se reuersis. De martyribus dicitur: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Ipsorum enim hæc beatitudo censetur, qui ne uerterentur a fide, a charitate & spe: non tantum sunt bonis priuati, uerum & uita. Immania tormenta passi sunt, lapidibus obruti sunt, secti sunt, gladio occisi sunt: alij igne combusti, alij mari submersi. Transferunt per ignem & aquam (ut ait Dauid) & eduxit eos dominus refrigerium, quoniam ipsorum est regnum celorum. *Gaudete et exultate, quoniam merces uestra copiosa est in caelis.* Multiplex est merces, quoniam multipliciter inseruitur Deo. copiosis uis copiosa fundamētum respondeat ciuitas condecens est. Multiplicibus beatitudinibus, multiplex et præmium retribuitur. In domo patris mei (dixit dominus alibi) mansiones multæ

Contra Lutheranos
fundamen
ta.

multæ sunt, Ioan. 14. Gaudeamus igitur, quoniam unicuique copiosa merces promittitur. Cum autem audis mercedem, euersum Lutheranos unum fundamentum agnosce, qui sola fide nituntur. Etenim ubi merces datur, mercenario datur: mercenario autem operatur, laborat, insudat, meretur: nec utique sola fide bene uiuere, ut lutherano placet, proponit. Ecce habes opera necessaria ad salutem requiri. Nomen nãq; mercedis hoc necessario importat: Opera uides, meritum considera. Habemus ergo ex uerbis domini: Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in caelis: Opus habemus & meritum. Labefactatur ergo lutheranorum basis, cum non solam fidem sufficere dominus exprimat, dicens: Merces uestra copiosa est in caelis. Qui enim non operatur, sed tantummodo (ut lutheranus fingit) soli innititur fidei; per illam uolens ad se trahere meritum sanguinis Christi, non est mercenarius, non operatur, non eius merces est copiosa in caelis, sed tenebrosa eius erit anima in infernis. Socios enim habent quam plurimos daemones, qui nihil unquam operantes boni, nihilominus credunt & contremiscunt. Gaudeant igitur uiri catholici, cum eis maledixerint homines, & persecuti fuerint eos propter Christum: quoniam merces eorum est copiosa in caelis. Nec silentio prætereundum, tot beatitudines, totq; eorum nomina exprimi à saluatore in suæ diuinæ prædicationis initio. Beatitudinem namque omnis homo natura appetit. Cum ergo dominus quemadmodum ad hanc perueniatur, & in quo hæc consistit, palam ostendat beneficium celeberrimum hominibus contulit. Si enim quis sitibundus, & qui iam præ siti interiori ardore nimium æstuaret, nec ubi loci fontem esse nosset, nec uiam qua illuc peruenire posset: & is alique inueniret, qui & fontem illi & uiam ostenderet, an non toto uita decursu tali suo duci deinde esset? Cum igitur naturaliter beatos nos esse interiori æstu desideremus, neque in quo beati esse possimus cognosceremus, nec etiam uiam sciremus: miserus nostri saluator noster in hoc euangelio, & suæ prædicationis exordio, beatitudinis fontem in celo esse, & uiam qua illuc perueniatur, ante oculos ponit. Quod autem naturaliter omnes beatitudinem appetant, & Plato, & Arist. plurimis in locis affirmant. Beatus Aug. li. 10. ciuit. dei. c. 1. Beatos esse, inquit, omnes homines uelle, omnium certa sententia est, qui ratione uti possunt. qui autem sint, vel unde fiant, dum humana quærit infirmitas, multæ magnæque controuersie excitatæ sunt, dum enim in diuersis rebus quesita est felicitas, nec inuenta, soli Christo gratiæ rependendæ, qui nobis beatitudinem in ipso Deo esse ostendit, & quo illuc perueniatur demonstrauit. Quæsierunt plurimi in magno strepitu dominationis humanæ felicitatem: & ecce Alexander, qui præ omnibus orbi dominatus est, anno sui imperij duodecimo extinctus est. Plurimas diuitias congregauerunt Aegyptiorum reges: nemo tamen inde felix euasit, siquidem omnes perierunt. Regnum Persarum & Medorum florebat, & tandem transit ad Macedones, a Macedonibus ad Assyrios, ab Assyriis ad Romanos, quousque in fluxum delatum est, in regnum utique Christi, cuius non erit finis. Qui cum sit dominus omnium, non temporaliter regnare uoluit, sed spiritaliter. Plus enim est animabus quàm corporibus dominari, plus uirtutes largiri, quàm diuitias: plus regnum donare cœlesti sine sine permanens, quàm dominationem terrenam impartiri: maxime uero, cum nec ipsa terrena alicuius abscque eius nutu donentur, prout ipse testatur, dicens: Nec solum arboris cadit sine nutu patris uestri. Et alibi: Dominus pauperem facit & ditat, humiliat, & subleuat, 1. Reg. 2. ca. Hæc Dauid considerans, Psal. 62. Sitiuit, inquit, in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Anima enim hoc uno duntaxat æstuat desiderio, ut beatitudine perfruat: & hanc non alibi quàm in te cognoscit

Mundi im
perij tran
sit, non ali
ter hinc i
de impul
sum, quàm
dominationem terrenam alicui
pila reple
ta aere,
manu for
ti percussa
iactatur.

cognoscit posse haberi: veruntamen quàm multipliciter tibi caro mea. Beatus Aug. cum in hunc incidisset locum: Quàm multipliciter, inquit, sicut caro quàm multipliciter fatigatur? anima sicut visionem beatificam & fruitionem: sed caro cum multipliciter sicut, variè fatigatur: fatigatur mortalitate infirmitatibus, aestu, frigore, fame, siti, dolore, grauedine, passibilitate. Et ideo concupiscit immortalitatem, agilitatem, impassibilitatem, subtilitatem, claritatem, societatem iucunditatem, multiplicia namque hæc sunt. Curramus igitur per has nobis à domino expositas semitas, gradiamur per has vias, tunc satiabitur appetitus noster: insatiabilis, quem intus gerimus: quem nullè vnquam diuitiæ, nulla unquam potentia, nullū unquam gaudium explere & quietū efficere potuit. Nā solus hoc prestare deus potest, & eius filius dominus noster Iesus Christus, cui cum patre & Spiritu est honor, gloria & imperium. Amen.

TRACTATUS QUARTVS,

In quintum cap. beati Matthæi.

Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante nos. Ne ergo miremini, quod dixi vobis: beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Sic enim iam pridem consueuerunt facere Iudæi, sic nouit facere mundus his, qui sibi veritatem prædicare non trepidauerunt. Latenter dominus innuit apostolis, prophetas de eius aduentu prædicasse: cum illi deum venturum, apostoli dominum venisse mundo nunciauerunt. Et apostolos dicit persecutionem passuros, quemadmodum prophete qui fuerunt ante illos, eandem veritatem prædicantes, & eadem vitia fugere homines exhortantes. Eadem reprehensuri estis flagitia, propter quod eadem passuri estis incommoda: sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. *Vos estis sal terræ, quod si sal euaserit, in quo salietur.* Ego vos elegi, ut per vos condiantur homines, quemadmodum & sal omnia quibus vescimur conduntur. Si ergo vos pertimmeritis persecutiones, si necesse formidaueritis: & pressi diro eius timore, vel persecutionis molestia succubueritis, ad nihilum vltra commodi eritis. Nam & sal si virtutem salendi amittat, ad nihilum vltra prodest, nisi ut conculcetur, cum neglectum fuerit & proiectum. *Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi super montem posita: nec accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Quatuor his rebus apostolicos viros similes facit dominus, sal, luci, lucernæ ardenti, ciuitati super montem posite: Sali, quia doctrina euangelica est sal totius sacræ scripturæ, totiusque virtutis. Quæcunque enim scripta sunt in veteri lege & prophetis & psalmis, condimentum à Christo acceptum: quoniam de ipso omnia scripta, & propter ipsum figurata, & per ipsum cõplera sunt. Qui & ipse ait, Lu. 4. Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi & prophetis & psalmis de me. Cum autem apostoli prædicaturi essent Christum in vniuersum orbem, vti que sal terræ dicuntur: quoniam ipsi sal totius veteris legis & prophetarum, id est Christum in mundum sparsuri erant. Quin & ipsi sal sunt, quoniam per doctrinam eorum à putrefactione peccatorum mundus eximendus erat, & nouo sapore virtutis salendus. Lux mundi dicuntur, quoniam per verbum eorum tenebræ idololatricæ expellendæ, & lux qui Christus est illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, introducenda. Quod autem dicitur de Baptista: non erat ille lux, sed vt testimonium præberet de lumine:

lumine: de apostolis autem dicitur: Vos estis lux mundi, non vti que contraria sententia est, quinimmo eadè. Nam de Ioanne dicitur: Ille erat lucerna lucens & ardens. Io. cap. 5. Sic ergo accipiendum est quod dominus dicit de apostolis: Vos estis lux mundi: quemadmodum quod dixit de Ioanne: Ille erat lucerna lucens & ardens. Apostoli pariter lux mundi sunt, id est lucernæ ardentes & illuminantes. Non erat ille lux, non erat ille Messias, non erat ille Christus: non erat lux vera, quæ per se illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: nam hæc lux Christus solus est. Veruntamen apostoli sunt lux mundi, hoc est portantes lucem quæ Christus est in vniuersum mundum. Ac si faculæ portitori diceret: tu es lux mea, non vti que ferens faculæ lucet, sed lucis portitor est. Apostoli lux mundi dicuntur: quoniam lucem in totum orbem detulerunt. Vnde & subditur: *Nec accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio: sed super candelabrum.* Hoc est in eminenti loco ecclesiæ. Reuera Io. 1. Apoc. septem candelabra septem ecclesiæ sunt, dixisse sibi angelus refert. Propterea ciuitati in alto sitæ comparantur. Ipsi enim beatissimi apostoli primum & supremum locum obtinent in ecclesiæ. Ait enim beatus apost. Paulus. 1. Cor. 12. Et quosdam quidem posuit dominus in ecclesiæ primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores. Notandum autem quod a salis similitudine incepit dominus, quoniam iam pridem in lege Leui. cap. 2. præceptum fuit: Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies: nec auferes sal fœderis dei tui de sacrificio tuo: in omni oblatione offeres sal. Sal enim discretionem significat, iuxta illud apost. ad Colof. 4. Sermo vester semper in gratia sale sit: conditus vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere. Omnis enim virtus sine discretionemora periculosa est. Arist. namque ait. 6. Ethic. Inclinationes virtutum sine prudentia, sunt sicut corpus forte, motum sine luminoso. Quanti verò discretionis defectu in ipsis virtutibus corruerunt, omnibus iam periculum est. Quidam enim tanta se abstinentia & vigilia macerauerunt, vt in dementia incidierint: alij tantis se flagellis fauciauerunt, ut propè se interfecerint: alij de se nimium confidentes mulierularum cõfabulationibus vltra modum dediti, in carnis immunditiam prolapsi sunt. A discretionem igitur & prudentia apostolica incipit virtus. & a salis similitudine nostri beatissimi duces imbuuntur: qui quidem sal in lege tantopere commendatur. E contrario autem per prophetam Ezech. cap. 16. de Hierusalem dicitur: Non es aqua lota, nec sale salita: quoniam immunda & sine discretionem prudentiam operabatur. Ingentem etiam apostolorum virtutem dominus nobis voluit ostendere: cum eos saltem dicat, lucem, lucernam, & ciuitatem in excelso positam: nimirum vt cognoscamus quanta sint virtute præditi viri illi, qui tantis rebus comparantur. Sal mundi sunt, lux orbis sunt, lucernæ ardentes & illuminantes, & ciuitas præexcelsa. Qui ergo inspidus & imprudens es, eorum eruditæ sapientia satage. Qui in tenebris vitiorum fordescis, splendoribus doctrinæ eorum illuminaberis. Quintus dubitas, quemadmodum te venire decet: lucernæ sunt in ecclesiæ positi, ad illuminandum: quorum si vestigiis hæreas, in directum haud dubio gradieris: si pauidus es, & mundi seu tyrannorum minis terreris, ciuitas sunt præexcelsa: ad quorum si confugas exemplum nihil pro Christo faciendum formidabis. Sic ergo luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in caelis est. Cum illos dominus tam præexcelsis rebus comparasset & publicis: ciuitati scilicet constitutæ in monte, luci, lucernæ super candelabrum posite, & salis in interiorum eorum opera reflectit partem: vt quidquid operis mundo intulerint, non sibi sed Deo operanti per eos referant: non suam querentes gloriam, sed patriæ æterni.

Cōtra tres
articulos
lutheranos
Euāgelii.

æterni. Quod imitatus beat. Apost. Paul. ait 1. Cor. 3. Itaque neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid: sed qui incrementum dat Deus. Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis: Sic enim quidquid agat apostolus, Dei ædificatio & agricultura est conuersus. Videant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cælis est. Cum audis, sic luceat lux uestra, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cælis est: agnosce in lutheranos apertam sententiam, & manifestam eorum damnationem. Non inquit, uideant fidem uestram: atqui opera uestra bona. Non enim fide sola saluus quis esse poterit. Quapropter prænosens dominus Iesus, quæ per inimicum seminanda erat zizania: in suæ sacratissimæ prædicationis initio, cauere nos docet a falsis dogmatibus. Vt uideant, inquit, opera uestra bona. Et dicens uestra, ecce iam liberum ostendit arbitrium. Si enim non essent in nostra potestate, non utique dicerentur uestra. Cum igitur uicit uestra, nostra esse opera bona & libera docet. Cum autem ait: Et glorificent patrem uestrum, qui in cælis est, gratiam innuit. Ab illo enim præcipue opera bona procedunt, in quem referri dominus ipse præcipit. Quis enim alius nisi benedictus deus meus rex Christus, qui docet manus ecclesiæ suæ sanctæ ad prælium, & digitos eius ad bellum, tribus in uerbis euerteret tres Sanctæ machinas? Patrem igitur nostrum glorificemus, qui in cælis est: cognoscentes a gratia eius esse, quidquid boni facimus. Videant homines opera nostra bona, non tantum fidem. Sciamus nos liberè operari, cum opera bona nostra esse ueritas asserat. *Nolite putare, quoniam ueni soluere legem aut prophetas: non ueni soluere, sed adimplere.* Ac si dicat, non legis solutor sum: sed quoniam omnia lex & prophetia in me adimplentur, sancta est lex officio suo: & quidquid in lege præcipitur (cum omnia sint mei figura, & protestationes mei aduentus in mundum, & per meum sanguinem me omnia mundaturum) nõ euacuatur: immò suum proprium & uerum consequitur finem. Quemadmodum si quis li neis in tabula ducem uenturum, & Remp. liberaturum, cum omnibus signis & prodigijs, quæ esset operaturus, depictum gestaret, adueniente rege, & operante omnia, quæ signata in tabula sunt, non utiq; tabulæ fractor immo adimpletor diceretur. Sic dominus Iesus, omnia quæ figuris & mysticis typis in lege agebantur adimplens, non solutor sed uerus legis adimpletor dicitur, & est. Propterea addit. *Amen quippe dico uobis, donec transeat cælum et terram, iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Omnia enim adimpleta sunt, quæ traduntur scripta in lege Moyſi, & prophetis, & psalmis de domino. Iudicium finale restat, de quo dominus similem sententiam protulit dicens: Cælum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt. *Qui ergo soluerit unum de mandatis istis minimis.* Quæ supra annotauit nomine iotæ & apicis, prout faciebant Iudæi, qui plurima legis non obseruabant: & illorum doctores, qui dicebantur scribæ, & religiosiores qui dicebantur pharisæi, & sic alios docebant: *Minimus uocabitur in regno cælorum, qui autem fecerit et docuerit.* Hoc est omnia humiliter obseruauerit: hic magnus uocabitur in regno cælorum. Quoniam in lege nec apex iotæ ociose præcipiebatur. Quippe omnia figuram gerebant & præ se ferebant præmonstrationem venturi Christi saluatoris. Qui enim legi aliquid detrahebat, uel aliquid ociosum illa esse arbitrabatur, signum aliquod tollebat: quo protestabatur aliquid speciale, quod in aduentu Christi faciendum foret. Quod autem hic uideatur uerus huius literæ sensus comprobatur quod statim dominus intulit dicens. *Dico autem uobis, quia nisi abundauerit iustitia uestra plusquam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Ipsi soluunt minima legis, & aliquando graniora: prout deo minus

minus de illis dixit cap. 23. Super cathedram Moyſi sederunt scribæ & pharisæi: omnia ergo quæ dixerint uobis seruate & facite: secundum opera uerò eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. Quapropter non imitandi, quoniam solutores sunt legis. Cum autem legem non faciunt, suo exemplo sic docent homines, & minima hæc asserunt: magna uero quæ ipsi addiderit legi: proluxam scilicet orationem sub prætextu sanctitatis, ad penetrandas domos uiduarum, lotionem manuum & uasorum creberrimam (nisi enim lauentur ca. 13. Deus illis improperat: prout de illis prophatum est Sapientia. 2. Circumueniamus iustum quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris: & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit scientiam se Dei habere, & filium Dei se nominat. Cum igitur necesse erat, omnia quæ in lege de Christo scripta, siue typis sacrificiorum, oblationum & holocaustorum, siue prophetiis adimpleri: & cælum & terram non transire, quin omnia completa in illo fuissent: tolerantibus plura, & docentes sic homines iniqui scribæ & pharisæi, & sua mandata & traditiones introducentes, minimi reputantur apud Deum. Qui autem omnia compleuerit, magnus habebitur. Quoniam omnia magna & minima legis in Christo Iesu domino nostro & per ipsum completa sunt. Nec est aliud nomen datum sub cælo, in quo nos oporteat saluos fieri: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUINTVS,

In quantum cap. Beati Matthæi.

MORALE est quod hic dominus dicit: Qui soluerit unum de mandatis istis minimis, id est, consilijs: & sic docuerit, minimus uocabitur. Qui autem non solum præcepta sed consilia obseruauerit, hic magnus uocabitur in regno cælorum. Quomodo autem dicantur minima consilia, cum præceptis grauiora sint, forte dicitur: quoniam sine illis, qui uoto non est restrictus eorum altius obseruando præcepta, saluabitur, secundum illud domini: si uis ad vitam ingredi serua mandata. Mat. 19. Quod autem dominus in his præcedentibus uerbis de lege Moyſi agat, non autem de euangelica, ostenditur ex eo quod dicitur. *Nolite putare quoniam ueni soluere legem, sed adimplere.* Ecce quemadmodum de lege Moyſi loquitur. Sequitur continuo. *Amen quippe dico uobis, donec transeat cælum et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant:* hoc est compleantur. *Qui ergo soluerit unum de mandatis istis minimis:* legis scilicet de qua loquitur oportet intelligi: *minimus uocabitur in regno cælorum, qui autem fecerit et docuerit: hic magnus uocabitur.* Quod confirmatur in eo quod sequitur: *Dico autem uobis, quia nisi abundauerit iustitia uestra plusquam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Per legem euangelicam dominus nunc decernit, quemadmodum lex uetus est intelligenda. Lex enim uetus iniquis cogitationibus pœna non adiunxit. Hinc est quod scribæ & pharisæi, homicidia, adulteria, & fornicationes in corde peccata esse non existimabant. Sic delusus populus Iudæorum (cum non cohiberet lex cordis occulta, & si prohibebat) cordis munditiam negligebat. Vt autem uerba hæc non subobscura uideatur: illud dicimus prohiberi lege, quod cauetur in lege: illud autem cohiberi, quod non tantum cauetur, uerum etiam agenti pœna

M 2 trans-

transgressionis imponitur. Prohibeat igitur lex iram, & cordis inimicitiam, non tamen penam infixit, præterquam occidenti, adulterantis, & his similibus. Nunc verò saluator noster euangelicæ legis conditor ait. *Nisi abundauerit iustitia uestra plus quam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum celorum.* Quod & David prophetizauerat dicens: *Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Innocens manibus, inquit, & mudo corde. Innocentiam exigit dominus non operis tantum, verū etiam cordis. Ea propter declarat dominus, quæ iustitia est hæc, quæ super pharisæorum & scribarum iustitiam sit necessaria. *Audistis inquit quia dictum est antiquis, non occides.* Quod scriptum est Exo. 20. & Deuter. cap. 5. *Qui autem occiderit reus erit iudicio.* Hoc est per iudicem damnabitur & occidetur. *Ego autem dico uobis: quoniam omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Hoc est, qui animo deliberato statuit occidere fratrem, idem apud Deum meretur supplicium, ac si occidisset. Nam si illo præcogitato & statuto in corde homicidio & illo in fratrem detentus odio diem extremum elauscrit, æterno supplicio cruciabitur. Videtur enim hæc domini sententia fauere illorum sanctorum doctorum opinioni, qui asseuerant, iniquum exteriorem actum nihil malitiæ addere super interiorem: pariterq; idem censuerit de bonis operibus esse dicendum. Quoniam reus erit iudicio, dicitur de homicidio: rursum, reus erit iudicio, nunc pronunciat saluator de animo fixo occidendi. Quod & confirmat, cum dicit de mœchia: *Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iā mœchatus est in corde suo.* Mœchiam cordis eodē cetero uocabulo, quo & exteriorem fornicationem. Aduertendum tamen horum doctorum sententiā, non ita crudam ante oculos statuendā. Cum n. asseuerant exteriorem actum, non apponere bonitatem aut malitiam super actum interiorē, nō ideo uelle sentire, q; nō grauius peccat actu occidens hominē, quam qui statuit in corde id perpetrare scelus, non tñ occidens: quin fatentur grauius eū peccare, qui fornicator actus, quam qui corde statuit. Atqui illic maior malitia: & in bono opere, hoc maius meritū, si opere subuenias inopi, quā si corde cōpatiaris, nihil illi largitus. Hinc prouenit quod actus interior redditur intensior: dū ira prorūpit in homicidium, dū mœchus prolabitur in fornicationem, quam cū in solo corde retinetur. Ideoq; simul hæc duplex retinenda sententia est: & q; actus exterior nō addit bonitatem aut malitiam super actū interiorē: & q; amplius meretur is, qui exteriora bona impendit proximo quā qui elargiri cupit: quodq; grauius peccat, qui actu occidit, quam qui animo tñ id destinat facere. Hoc autē non ab exteriori actu, sed ab interiorē prouenire: quoniam actu peccans superabūdat malitia interius, & actu bona faciens plus in corde charitate flagrat. Se autem dñs verū deū ostendit, cum ait *ego autem dico uobis*, non quemadmodū Moyses, hæc dicit dñs: & propheta, *Audite uerbum dñi: atqui ego ipse deus & dñs dico uobis*, ego qui Mosaicam legem per angelum dedi, ego legis conditor, ego qui legem protuli, subobscura, & non bene a uobis percepta legis arcana pandō. *Quia omnis qui irascitur fratri suo.* Ira hic accipiēda est pro ea, quæ uere ira dicit, cū quis aō deliberat malū grauiissimū occisionis, mutilationis siue graue aliud nocumentū inferre pximo. Hic reus erit iudicio, perinde ac si occidisset, mutilasset, nocumentum notabile intulisset. Quanta autem ratione id promulget dominus, facile ex eo percipitur, si cum cordis arcani inspectorem consideremus. Homo enim quæ exterius apparent uidet: dominus autem cor intuetur. Si ergo tu inimici animum ita perspectum haberes, ut ibi iam te occisum, mutilatum, aut aliam quamuis iniuriam passum omnino cerneres, an non pro illata necce, aut pro dato malo aliud malum inferres, & quoque

poies

posses modo etiam vindicare? aut si probus esses, an non fugam arriperes, ut tantum posses malū euadere? aut si rex & index, an non punires? ita sanē. Deus igitur summus iudex tibi annunciat, etiam cordis iniquitates se puniunt: cum ipsi non aliter pateat homicidium & adulterium, quod in corde geris, diuinam legem transgressus, quam si opere in conspectu totius orbis illa patrafesses. Propterea ipse solus debitam peccato multam retribuit. Etenim reges & iudices seculi, cum quis occidit aut rapuit, eum suspendunt: Deus autem animam cruciat, quæ prius peccat: & uoluntatem & cor punit, quæ prius occidit: deinde corpus cum resurrexerit, tanquam malorum instrumentum torqueri iubet. Quod si conuertaris & confugas ad pœnitentiam: non quidem corpore comminutum, sed contritum corde & humiliatum, animaque gemente, & se cruciante a crimine conuersum requirit. Hic uerus est legislator: hic uerus malorum punitor, ac uerus bonorum & uirtutum remunerator. Hic est ille qui ait: *Ego autem dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Qui autem uerbum contumeliæ prolocutus fuerit *racha*, *reus erit confilio*: hoc est a plurimis supplicium mereri pronunciat. *Qui autem fauere, reus erit gehenna ignis.* Eius namque iniquus animus iam se coram omnibus propalauit, ideoque coram omnibus in æternū torquebitur: & extra rationis terminos, fratrem suum repulit, proinde cū obsecrum habebimus rationis vsum apud inferos cruciabitur. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius reconciliari fratri tuo: & tunc ueniens offeres munus tuum.* Ex hac domini sententia confirmatum habemus uulgatum illud apud theologos nostros, quos scholasticos dicimus. Quodcunque opus bonum in peccato mortali factum non esse Deo acceptum: proinde nec uitæ æternæ meritum. Ecce ut non accipitur a deo munus ab illo quisquis est, qui fratri nocumentum intulit: si recordatus tale ei damnum intulisse, non prius cum fratre suo reconcilietur. Habemus etiam alteram diuorum theologorum sententiā: peccatum scilicet omnino oblitum (facta prius requisitione sufficientissima omnium commissorum) si in confessione non est relatum, non obesse, quo minus pœnitens deo reconcilietur, & in gratiam redeat, ac digne eucharistiam sumat: dummodo postea illud, cum in memoriam incidit, confiteatur. Ecce enim dominus dicit: *Et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te: ac si dicat, quod si non recordaris offer.* Confirmat dominus orthodoxorum sententias in hisce uerbis, patiterque increpat et confundit lutheranos, cum dicit: *Tunc ueniens offeres munus tuum.* Munera deus suscipit offerentium in altari. Altare habes contra hæreticos nolentes altaria esse in ecclesia. Approbat dominus omnium munuscula pie offerentium in lege euāgelica, quam ore proprio pronunciat dicens: *Ego autem dico uobis tunc ueniens, offeres munus tuum.* Nec mirum quod & altare habet, & munus accipit oblatum in euangelio: qui iam in ipso mundi primordio respexit ad Abel & ad munera eius, Gen. 4. Et post diluuium a Noe accepit super constructum altare oblatum sacrificium: & odoratus est deus odore iuauitatis. Præterea sequitur monitio eorum quæ perdixit. *Esse consentiens aduersario tuo cito, dum es cum illo in uia.* Hoc est quantum uiuis, concede precanti ueniam: & te ut parcas oranti. Quemadmodum enim ille tenetur reconciliari tibi prius quam offerat munus suum: tu etiam qui læsus es, aduersario tuo consenti, dum uiuis: ne ob illatum damnum odium in corde retineas: Sed si ipse ueniam postulari remitte odium, desine ab ira, & derelinque furorem. Noli malignari: ne aduersarius tuus cum ad genua prouolutus postulari tibi reconciliari, si non feceris,

ris,

ris, hoc illius factum tradat te iudici Deo, qui omnia prospicit: & iudex ministro tortori demoni, qui te in perpetuum carcerem cruciandum tradat. Perpendere etiam necessarium est quod dominus dicit: *Si tibi recordatus fueris, quod frater tuus habes aliquid aduersum te.* Habet, inquit, aliquid aduersum te. Si enim fratri intulisti damnum: & læsus frater ignorat, quis ille est, qui eum læsit, rescarcere vtique illatum damnum teneberis: non te tamen prodere: ne nouum scandalum & indignatio læsi contra te oriatur. Cæterum si falsis testibus, aut aliquibus inditiis, alius quiuis proximus opera tua damnetur: tanquam illator illius mali reuera teneberis rescarcere damnum & incommodū, quod passus est ob malum a te perpetratum. Quod autem dominus ait, de machia in corde cum dicit. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, aut manus tua, erue, abscinde: Intelligendum est de occasione peccati, non de erutione siue amputatione membri. Tūc enim oculus dexter eruitur, manus abscinditur, cum remouetur locus, ne illuc accedas vbi animam periclitari semel expertus es: obstruitur oculus, ne illam inspicias, quæ dudum incautum cupidine fauciauit: comprimitur manus, ne literas amatorias seu munuscula mittas. De libello autem repudiij, Deut. 24. in hunc modum habetur. Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudiij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Istam sic repudiatam permissum erat alteri nubere. Idque propter duritiam cordis Iudeorum & crudelitatem, ne vxores occiderent, permittebat Deus. proinde quid obseruandum sit in euangelij ca lege, ostendit dicens, *Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa facit eam mœcham: & qui dimissam duxerit, adulterat.* Oportet autem hæc domini uerba fideliter, prout a domino dicta sunt, perpendere. Non enim ait, quod dimissa ob fornicationem possit alteri nubere, & non vtique: & si poterat secundum legis permissionem ob fœditatem dimitti. Ego autem dico, non licere vobis vxores dimittere ob fœditatem aut quauis alia causa, excepto si fornicetur: & sic dimissam quicumque duxerit, adulterari. Qui autem illam ob aliam causam dimiserit, eo peccat grauissimè: quod mulierculæ occasionem præbet huc illuc vagandi, & mœchandij. Iterum audistis, quia dictum est antiquis: *Non periurabis. reddes autem domino iuramenta tua.* Leuit. 19. cap. Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Hoc perperam intelligentes iudæi, in secundum decalogi præceptū: Non assumes nomen dei tui in vanum, peccabant vane iurantes vbique, cum non peierarent: nihil se mali facere arbitantes: quos corrigit dominus dicens. *Ego autem dico vobis, non iurate omnino, nec per calum, nec per terram. Sic autem sermo uester: est est, non non. quod autem his abundantius est a malo est.* Inquit beatus August. non dicit malum est: nam ait Hieremias cap. 4. iurabunt, ait dominus in iustitia, & iudicio, & veritate: Concurrētibus is tribus iurare licitū est, quin immo aliqñ necessarium: sed a malo est, hoc est a malo iurantis faciliter: vel a malo non credentis, quapropter alter iurat. *Audistis legem talionis, oculum pro oculo, dentem pro dente.* Leui. 24. Si quis mulieri prægnanti iniuriam inferret, si crucifisset oculum aut dentem, idem reddebat. Quæ lex talionis amplificata est Deut. 19. *Ego autem dico vobis, non respicere malum: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Id est, secundum animi preparationem esto paratus alia tolerare grauiora. Non tollit quin absque odio zelo per iudicem puniat illum, sed quod percutientem non percutiamus. Habet contra hereticos negantes bellū in turcas & cæteros. Non enim resistit malo qui arbitrium iudicis, ad quem causa spectat, inuocat. Sic etiam rex defendit Christia-

Christianos suos, ne amissis corporibus, animæ simul fidem amittentes & gratiam, perpetuæ damnationi cum ipsis infidelibus adiudicentur. Non prohibetur hic aliud, quàm particularis iniuriæ retaliatio: non autem eius, quæ fit in Deum, in fidem, in sacramenta, & in ecclesiam catholicam: qualis est vis seu bellum infidelium & hereticorum in Christianam Rēp. Propterea dominus signanter dixit: Si quis te percusserit in dexteram maxillam, noli resistere malo, reperiens inimicum: quin etiam esto paratus, alia pro Christo probra tolerare. *Et ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tollere, dimitte ei & pallium.* Hoc est, sine odio sine ira prosequere ius tuum, paratus si iustum fuerit dare illi & pallium. *Et quicumque angustauerit te mille passus, uade cum illo & alia duo.* Hoc est si necessitas urgeat, & suadeat charitas. Vt si ille rogauerit: o frater nescio viam, obsecro incede amplius: aut dicat, o frater oppido lassus sum, reddam tibi: dimitte iumentum tuum ultra abire. *Qui autem perit a te, da ei: & uolenti mutuari a te, ne auertaris.* Hæc omnia sunt charitatis Christianæ dogmata excellentissima. Quæ omnia habent iustitiam suam, habent (vt ipsa etiam domini uerba insinuant) interpretationem suam, & modum. Nam si quis non habet quod mutuet, aut illud sit alienum: nec poterit, nec licebit ei mutuari. Si item incedit angariatus mille passus, & si ultra progrediatur, incidendum sit in latrones: aut angariati vxor vel filius nuacientur proximè morituri, non est æquum ire alia duo. Non igitur absque ingenti necessitate postulabat Dauid Psal. 118. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Ac si postulet & dicat. Vis domine legem tuam custodiam ex toto corde, ne quando aberrem, da mihi intellectum, quo illam scrutari possim: & sciam quando conducat præbere sinistra maxillam dexteram percipienti: quando relinquere pallium contententi pro tunica: quando duo millia abire ultra mille passus cum angariante: quando petenti retribuere, & a uolenti mutuari non auerti. Habent igitur hæc suas causas, prout prædiximus, quibus illa facere obligamur. Habent & casus suos, cum nec nobis possibile est ea facere, vt pote si nõ habemus: si aliud occurrat grauius adimplendum præceptum, vt dicebamus de periculo prædonum, de morte propinqua vxoris aut filij angariati. Omnia tempus habent, dummodo omnia fiant in obsequium & impletionem mandatorum Christi: cui cum patre & spiritu sancto est gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SEXTVS,

In quintum cap. beati Mattheij.

AUDISTIS quia dictum est, diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos uestros: benefacite his qui oderunt uos: et orate pro persequentibus et calumniantibus uos, ut sitis sicut patris uestri, qui in caelis est: qui solem suum oriui facit super bonos et malos: et pluit super iustos et iniustos. Si enim diligitis eos qui uos diligunt, quam mercedem habebis? nonne et publicani hoc faciunt? et si salus aueritis fratres uestros tantū, quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt? Estote ergo uos perfecti, sicut pater uester caelestis perfectus est. Pessimas in duxerant cōsequētiās ex diuina scriptura scribæ & pharisæi. Legimus enim Leui. 19. cap. Diliges amicum tuum sicut te ipsum: quem locum ipsi flexerant sic, ergo odio habebis inimicum tuum. Quam uerò male odium inimici sequatur ex dilectione amici, dominus ostendit dicens: Audistis quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis perperam

perperam deduxisse scribas & phariseos odium inimici: ex eo quod præceptum sit diligere proximum amicum. Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri, qui in caelis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos; & pluit super iustos & iniustos. Nullam qua euadas reliquit dominus viam: cum ad dilectionem inimici patrem coelestem in exemplum adducit. Si enim super inimicos suos beneficia sua tam copiose effundit, ut nec aere, nec sole nec pluuia, priuètur ipsi & eorum segetes: & cum sit dominus omnium & nullius egeat, inimicos diligit, & illis multa impartitur bona: Misereris omnium domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti, inquit Sapientia cap. 11. Quomodo tu hominico odire vis inimicum? & persequi persequentem? & mala imprecari te offendentem? Vide Deum, considera omnium dominum, quemadmodum inimicis suis largitur cibaria, honores, solem suum: terram suam germinare faciens, & ipsos damnatos in esse & vita seruans. Melius enim est illis esse, quamquam infernali cruciantur poena, quam omnino non esse. Nec te disturbet, cum audis dominum dicentem de Iuda: Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Non dicit, si factus, si creatus, si genitus non fuisset homo ille: atqui ait, si natus, hoc est si editus in lucem non esset, sed abortiuo in ventre matris periret. Quemadmodum illud quod Iob dicit: Fuisssem quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum. Conseruat igitur dominus pietissimus in esse & vita, demones & damnatos inimicos suos: & super viuentes peccatores solem suum facit oriri, & pluuiam super terram effundi, ut germinet, vitæque hominum quantumuis iniquorum necessaria proferat. Deus igitur cum sit omnipotens, & bonis inimicos suos afficiat: tu homo etiam inimicos tuos dilige, bene fac his qui te oderunt, precare pro persequentibus, & calumniantibus, ut filius sis patris qui in caelis est. Nam si rex te in filium adoptaret, & regni etiam hæredem constitueret, ea conditione apposta, ut inimicum diligeres, & illi bene faceres: profecto non inimicum, sed amicissimum cum reputares, ex cuius dilectione tantus tibi honor ac tanta prouideret hæreditas. Quanto magis inimicos diligere debes, cum dominus te in filium recipit, & regni æterni hæredem efficit, si inimicum diligas & bona tribuas. Nec te excuses friuola quadam oratione, qua mundani homines se euangelio existimant satisfecisse, & intercessoribus satis respondisse. Cum enim viri docti siue religiosi exposcunt ab aliquibus, inimicis eorum veniam, reconciliationem & pacem: & inducunt dominum nostrum Iesum Christum pro suis inimicis crucifixoribus, orasse patrem: Ipsi tanquam aliquid se dixisse existimantes respondent: dominus Deus est, ego autem homo sum. Ex ore igitur tuo confusio tua deducenda est, & quanta teneris ratione inimicum diligere & lædenti parcere. Si enim rex sumptis scopis domum purgaret, & diceretur militi, accipe scopas & emunda domum: vide quid rex & dux tuus potentissimus fecerit: nonne ab omnibus irrideretur, si responderet, rex hoc fecit, quia rex est: ego autem homo pauper sum? Propterea igitur in te retorquetur oratio tua. Si enim rex domum purgat, tu homo id facere non erubescas. Sic autem in istos nolentes inimicos diligere clauum retorquendum censeo. Si enim Christus dominus cum sit Deus parcat inimicis, orat pro inimicis, diligit inimicos: tu homo cum sis, quod rex tuus facit, tu facere minime ambigas: nec friuola oratione peragere renuas. Magnus enim honor tibi accedet, cum in filium Dei adoptatus, & in hæredem regni æterni ea propter constitueris. Cæterum cum plura hic apposta sint verba, oportet nunc exploremus quæ ex præcepto, quæque ex consilio a domino sunt prolata. Duplicem igitur continet

tinete partem hoc præceptum de dilectione inimicorum. Et quidem prima affirmatiua est: diligite inimicos vestros: quemadmodum & præceptum, diliges proximum tuum sicut teipsum. Quem utique adimplere non dubitant, quisquis diligit inimicum, prout diligit proximum. Altera vero negatiua. Hæc autem est, non odire inimicum: nam odium e corde repellere vbi que & semper, & eo semper siue ad semper tenemur. Qui enim odit fratrem suum; homicida est, prima Ioan. cap. 3. Propterea non odire, semper & ad semper tenemur: diligere autem sicut cæteros, & subuenire cum extremam patitur necessitatem, sub culpa lethali astringimur. Qui enim habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauerit viscera sua ab eo: quomodo charitas dei manet in illo? Filioli mei non diligamus verbo, nec lingua, sed opere & veritate, prima Io. cap. 3. Hoc autem est quod do minus dicit: *Benefacite his qui oderunt vos*. In aliis autem necessitatibus subueniendum est, quemadmodum & aliis proximis, ex consilio. Veruntamen non extremam reputes necessitatem, nisi cum iam quis sit in extremo halitu constitutus. Tunc enim & si subuenias, forte iam nihil quod auxiliaris proderit. Illam autem dicito necessitatem extremam, cum probabiliter nisi opem feras in magnum dispendium vitæ, honoris, vel salutis proximus tuus incurret. Ex hac vna regula medici gratis tenentur talibus ex præcepto operam suam impendere, & pharmaca necessaria gratis subministrare: & aduocatus talibus ex præcepto gratis patrocinari. De signis autem dilectionis inimicis exhibendis tenenda est beati Thomæ sententia. 2. 2. quæst. 25. art. 9. Sunt enim quedam peculiariora, quæ exhibentur amicis: confabulationes, de ambulationes, simul edere, & his similia. Hæc cum neque tenemur in præcepto amicis, pariter neque inimicis huiusmodi dilectionis signa exhibere iubemur. Sunt autem & alia, quæ in communis exhibentur hominibus, prout salutare se mutuo, dum iniucem sibi occurrunt: & eiusmodi similia generalia signa, quæ omnibus exhibentur. Hæc subtrahens inimico mortaliter peccat: quoniam illum & cæteros id uidentes scandalizat, & illum odium in corde habere iudicant. Et sic intelligendi sunt doctores, qui asserunt signa dilectionis inimicis ostendere, non esse præcepti: nempe signa illa peculiariora, quæ amicis & necessitudine quadam nobis coniunctis exhiberi solent. Nam generalia signa, ea scilicet quæ indistincte omnibus exhibemus, etiam inimicis sub reatus poena sunt exhibenda. Sicque accipiendum est quod dominus dicit. *Si saluaueris fratres vestros lanam, quid amplius facitis?* Hoc est quid magnum facitis? quid amplius infidelibus facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? *Estote ergo perfecti, sicut & pater uester coelestis perfectus est*. Bis sententiam hanc retulit in patrem, ut sitis filii patris uestri: & estote perfecti, sicut & pater uester coelestis, ut de inimicis uindictam sumere desistamus, immo & diligamus: memores, quod in domo patris familias, optime dirigentis famulos suos, non licet percutere famulum, nec odire seruum: similiter in domo patris filiorum optime dispositorum, non licet germano frater odire, uel percutere: quinimo faciens a patre vel domino obiurgatur & punitur. Optime igitur benedictissimus pater familias Deus præcipit non rixari consertos, non se odire iniucem, percutere, vel perimere: quinimo ad Deum referre, & ipse punit. Nec suspicetis, bonam suam ideo facere causam, qui persequantur proximos: quoniam dominus misericors est. Memorare quod superius dixit, quod offerentem munera ad altare ire prius necesse sit recõciliari fratri, quæ læserat: aliis nolle munera accipere. Quod & beatus apost. Paulus ad Rom. 12. diuino est sensu interpretatus, dicens: Non uos metipfos defendetes

Extrema
necessitas
quæ dicat.

Quæ tenemur
medici
gratis cu-
rare, & ad-
uocati pa-
tratinari.
Quæ signa
exhibenda
sunt inimi-
cis.

charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit dominus. Sed si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Non igitur existimet, qui persecutionem patitur, se a domino deferi: neque ex parte persecutis se dominum constituere: qui potius ex parte est patientis persecutionem: & nisi persecutor definat a persecutione, & persecuto reconcilietur, dominus vindictam sumet eò seuiorem, quò iustior & potentior est deus homine. Obseruemus igitur domini mandatum, inimicos diligamus, ore mus pro persecutibus, bene faciamus odientibus nos, ut simus filij patris: cui cum filio & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS PRIMVS,
IN CAPITVLVM SEXTVM
BEATI MATTHÆI.



AT TENDITE, ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem uestrum, qui in cælis est. Cum ergo facis elem. synam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in uicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Cum enim plurimis uirtutibus fulgere suos dominus uelit, totque beatitudinibus decorari, & tanta eos cordis munditia pollere prædicasset, & etiam dilectionem ad inimicos. usque protraxisset: ne ista facientes mercedem æternæ retributionis amittant, intentionem in bonis operibus habendam sacro sermone definit, dicens: Attendite quæ prædixi uobis: ne illa faciatis, ut ab hominibus collaudemini, alioquin mercedem non habebitis apud Deum. Iustè sancita hæc lex est, a iustissimo Deo promulgata, & a philosophis etiam concessa. Nam Arist. finis, inquit, est primus intentione, & ultimus in executione. Et opera moralia (secundum ipsam, & omnes philosophos) bonitatem & malitiam sortiuntur a fine. Itaque finis propter quem operamur, operibus moralibus dat esse & nomen. Qui enim ob uanitatem ieiunat, ieiunium eius uanum est. Qui ut collaudetur ab hominibus, in aliquod opus largas expensas impendit: expensæ eius ab hominibus collaudatæ in illam uocum uanitatē protinus euanescent. Igitur uanitas superbiæ filia, opera bona transfert in uanitatis finem: a quo & esse uana & uanitatis nomen accipiunt. Præcauere hanc pestem bonorum operum corrupticem dominus suos uolens ait, Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem uestrum, qui in cælis est. Patrem iterum repetit, ut nouerint filij, plus placere debere patri, quam cuiusque alij homini: patrisque suæ præmiam gloriam referat dicens: qui in cælis est: ut bona facientes, plus complacere uelimus tantæ maiestati, & propter tanti Dei amorem vacare bonis operibus, quam propter aliquam creaturam, quantumcumque illa sit admirabilis & excellens. Nam que madmodum si præsentē rege, & tota procerum regni sui.

sui caterua, & etiam adstante agricola rustico, miles strenuè in inimicum irrueret, magnaque agilitate huc atque illuc discurreret: & intenta uoce proclamans se non propter regem, non propter nobiles regni, sed propter illum rusticum talia agere: reuera non tantum illum a rege præmium consequeretur, uerum etiam irrideretur, & ab omnibus nullius momenti homo reputatus, extra consortium nobilium exterminaretur. Ita qui adstante Deo & tota cælesti curia, dum operatur quodcumque bonum, siue se abstinet a quocumque malo, id propter rusticum mundum facit, nullum a deo opt. max. consequitur præmium: quinimmo irridetur, & extra consortium filiorum Dei exterminatur. Mirabiliter autem dominus in tribus operibus penitentia exemplum ponit, eleemosyna, oratione, & ieiunio: ne frustra his intenti (quibus aliis peccatis debita exsoluuntur poenæ, redimuntur cruciatus, si ad Deum ipsum referantur) cum propter homines fiunt, & merito careant, & eadem qua fiunt uanitate euanescent. Nullum subterfugium hoc in loco relictum est Lutheranis, quominus confusionem euadant, audientes dominum eleemosynam, orationem, & ieiunium approbantem, & qua facienda sint intentione dirigentem. Coartantur siquidem a duobus in prædictorum scilicet approbatione, tū etiam in operum bonorum præcepto de faciendâ penitentia & satisfactionis opera, & constituitur, qua initianda, & qua sunt intentione finienda. Te autem faciente eleemosynam, noli tuba canere, ut hypocritæ in synagogis & uicis, sed nesciat sinistra tua, quid facias dextera tua. Tanta a laude hominum intentione remota agantur, ut ipsa sinistra manus, ignoret, quid dextera largiatur, ut soli deo placeat, ut gloriificet patrem uestrum: uidentes opera uestra bona, propter ipsum deum, & non alia intentione facta. Ut sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui uidet in abscondito reddet tibi. Itaque quantumcumque postulum nostra opera bona ab ipsis oculis hominum subtrahamus. Cum autem talis se offerret occasio, quod necesse sit in publico fieri opus bonum: ueluti si infirmum iacētem in uia, uel a latronibus semimortuum reperias proximum, in solum Deum dirigatur intentio tua, & propter eius amorem facias opus necessarium publicè, totusque animus in deum feratur, quatenus nesciat sinistra tua inter homines, quod facit dextera tua propter deum. sic erit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Et cum oraris, non eris, sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus. Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Quod autem dominus eleemosynam facientibus, & orantibus, & ieiunantibus, ut ab hominibus collaudentur ait: receperunt mercedem suam. Hoc est: alia non retribuetur eisdem merces, quippe quam desiderauerunt iam sunt adepti, nempe ab ipsis hominibus collaudari, in pretio haberi, sancti reputari. Finem ergo quem concupierunt sunt consecuti: idcirco; mercede contenti sint, propter quam laborauerunt, & stipendio, propter quod bona coram hominibus factitarunt. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum: & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Quod autem hæc de resecta & secreta cordis intentione in Deum dirigenda sit intelligendum (quoniã aliquando publica est oratio necessaria, sicut cum conuenimus in ecclesiam) opera ipsius re demptoris ostendant, qui & pernoctasse in oratione dicitur: & in horto orasse coram discipulis, auctus ab eis quantum iactus est lapidis, ut refert beatus Lucas. Et publicè in Cruce pro crucifixoribus orauit, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *grauis autem, nolite multum lo-*

Cōtra Lutheranos, de opibus penitentia, oratione, eleemosyna, & ieiunio

qui, sicut ethnicus faciunt. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur; Nolite ergo assimilari eis. Hoc est cogitantes quod non exaudiemini, nisi multiplicaueritis verba. Scit enim pater noster quid opus sit nobis, ante quam petatis eum. Cui cum filio domino nostro Iesu Christo, & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In sextum cap. Beati Matthei.

CVM de oratione, & de eius intentione, quo dirigenda sit audissent apostoli dominum differenter: refert beatus Lucas, cap. 11. dominum orasse: & ut cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum (nisi bis velis, quod vnus petiit, ceteros postulasse) domine doce nos orare, quemadmodum Ioannes docuit discipulos suos. Huic interrogationi respondit dominus, quod sequitur. Sic ergo vos orabitis: Pater noster. Aduertendum igitur contra hereticos: quod cum dominus discipulos orare doceret: & inquisitus secundum Lucam, doce nos orare, respondit: Sic vos orabitis: Pater noster: uocalem illos orationē docuisse: Qui etiam in horto orans voce, dixit. Pater mi, si possibile est. Orauit quoque in Cruce, ut refert apostolus ad Heb. cap. 5. Qui in diebus, inquit, carnis suæ preces, supplicationesque, ad eum, qui possit illum saluum facere a morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Et cap. ultimo, nos docens voce orare, inquit: Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper deo, fructum labiorum consentientium nomini eius. Et hymno dicto, inquit Marcus, ca. 14. exierunt in montem Oliuarum. Et Eccl. 41. de Dauid: Et stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos, & dedit in celebrationibus decus. In Psal. autem sæpe repetitur: Cantate domino. Et, Voce mea ad dominum clamaui. Oremus itaque, mente, oremus & voce. Approbans utique dominus uocalem dei laudem, oris orationem instituit: quæ tanto præ ceteris excellentior est, quanto ex ore filij dei nascitur instituta. Quis enim patris voluntatem nouit, nisi filius? & filij & spiritus sancti sicut filius, & cui uoluerit filius reuelare? Cum igitur una eademque sit uoluntas patris, & filij, & spiritus sancti, illam præ ceteris orationem Deo gratam fatemur, quæ ore ipsius filij dei discipulis proponitur. Altior ergo præ ceteris esse dignoscitur. Quin & efficacior, & deuotior, & impetrator necesse est sit, quæ ab ipso domino constituitur. Petrus Chrysologus Rauennæ episcopus, cum de hac ageret, inquit: Hodie quod audituri estis, stupent angeli, mirantur cælum, pauet terra, caro non fert, auris non capit, mens non attingit, tota non potest ferre creatura, ego dicere non audeo, tacere non possum: Pater noster. Beatus Augustinus ait: Solent petitori beneuolentiam captare: hic autem dicitur Pater noster. Beatus Ioan. Chrysostomus inquit, In isto exordio dominus dicendo, Pater noster, reducit nobis in memoriam, quæcumque pro nobis fecit. Et nos dicendo, Pater noster, eadem illi commemoramus. Quemadmodum pro nobis carnis adsumpsit naturam, natus, educatus, passusque est: & sacramenta pro nostra salute instituit, quod prædicauit euangelium, quos sustinuit labores. In memoriam nobis reducit, cuius filii effecti sumus per gratiam, credentes in eum: ut non liceat de genere a tanto patre filium: nosciturque ad quam sit adoptatus hæreditatem, qui Deum patrem uocare præcipitur. Etenim quis auderet tali nomine deum opt. Max. appellare: si a proprio filio, qui est in sinu eius, non sumeret fiduciam cum patrem uocandi? Qui

cum

cum tot epitheta in huius orationis exordio permittere posset, uelut: Omnipotens, qui es in cælis, sanctificator nomen tuum: Creator omnium, qui es in cælis. Domine tremende, qui es in cælis: hoc pietatis, amoris, dulcedinisque nomen præposuit, Pater noster. Sic enim dei viscera ad miserationem propitia, & corda nostra in amorem & obsequium multo amplius prouocantur. Quis enim patrem appellet: qui non se uinculis innumeris, iugibus & obsequiis astringi cognoscat? Quis patrem cum dicit, non summam reuerentiam, & obedientiam, patri exhibendam fateatur, eiusque præcepta plurimum obseruanda fore agnoscat? Confidit filius, quidquid iuste postulauerit, non negandum: sic mutuo, dicendo patrem, & deum prouocat ad præstandum, & se incitat ad tanto patri parendum, eiusque uoluntatem in omnibus obseruandum. Pater noster, inquit, non pater mi. Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, dicit qui solus natura est filius, solus ex utero ante luciferum genitus. Pater noster dicimus nos, quoniam omnes per gratiam credentes, in consortium filiorum dei sumus adoptione suscepti. Beatus Ioannes Chrysostomus inquit, dicendo Pater noster, & non pater mi, denotauit charitatem, communia bona querens: ut sciamus, non pro nobis solis orandum, non pro bonis peculiariter tantummodo postulandum. Cum enim pro multis oramus, pro nobis efficacius impetramus. Charitas enim, quæ non querit quæ sua sunt, tanto plus proficit, quanto pro pluribus multiplicatur. Reuera cum Salomon in sui regni initio, a domino postulare dicitur. 3. Reg. 3. Dabis ergo seruo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum. Quis n. potest indicare populum istum, populū hunc multū? placuit ergo sermo corā dño, quod Salomon rem huiuscemodi postulasset. Et dixit dñs Salomoni: Quia postulasti uerbi hoc, & non petisti tibi diuitias, nec diuitias, aut animas inimicorū tuorum: sed postulasti tibi sapientiam ad discernendū iudiciū: ecce feci tibi secundū sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens in tñ, ut nullus ante te similis fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet & gloriā: ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis a retro diebus. Cum ergo postulat bona populo, utilia sibi et impetrat, diuitias & magnitudinem. Maxime ergo impetratiua sunt hæc uerba: Pater noster: & quæ cor nimis (quod uelut cera liquefcit) ad misericordiam flectunt: dñ Deum patrem memorant, & summam præferunt erga illū obedientiam, prout Isaac Gen. 22. Cum enim diceret Abrahæ: Pater mi, ille respondit: Quid uis fili? Ecce, inquit ligna & ignis, ubi est uictima holocausti? sicque se alligari & super struem lignorum cõponi permisit. Similiter & Iacob cum a matre suaderetur, ut properaret ad gregem, hędumque; afferret, ut illa pararet cibos patri suo, ut ab eo inscio pro Esau benedictionem acciperet, respondit: ne forte pater meus putet me uelle sibi illudere, & inducat maledictionem in me pro benedictione. Ecce quanto tremore ueneratur hoc nomē, pater. Queritur autē dñs per Malachiam prophetam cap. 1. de nobis, dicens: Filius honorat patrē, & seruus dñm suum. Si ego pater, ubi est honor meus? Si autē dñs ego sum, ubi est timor meus, dicit dñs exercituum. Cum igitur Deus dominus sit & pater, amplius uult a nobis diligi & honorari, quàm timeri. Quapropter præcipit in orationis exordio, patrem se appellari nostrū. Ferre cū non posset Moyse populi sui ingratitude Deuter. 32. Cælum contestatur & terrā, dicens: Audite cæli quæ loquor, audiat terra uerba oris mei. Tunc ad populum, qui deū nec colebat ut patrem, nec timebat ut dñm, conuersus ait: generatio praua & peruersa, hæcine reddis dño popule istre & insipiens: nunquid non ipse est pater tuus quod possedit, & fecit, & creauit te? Si autē Moyse potuisset dice

re tunc

re tunc populo Iudgorum, quod & nos possumus populo Christianorum, multo amplius vti que vociferaretur & exclamaret. Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit, fecit, creauit, & in cruce moriens redemit te? hæcine reddis dño, tot irritans iuramentis? tot afficiens ignominii & blasphemis? tot cupiditatibus & foeditatibus odiisq; præcepta eius confringens? Vide quid ipse dicat: Vos filii, vos amici, vos pro qbus, tot proba, tot irrisiones, tot flagella, deniq; horrendi Crucis supplicii sustinui: Vos in quâ sic orabitis: Pater noster, quoniam ego pater vester sum, pater meus pater vester est. Orabitis igitur pater noster: vt recordemini, quæ & quanta pro vobis feci: & que vos cum sitis filii facere decet. cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS TERTIVS,

In sextum cap. beati Matthei.

Qui es in caelis. Proposito pater noster in orationis vocalis initio: de quo patre nobis prædixit, explicat dicens; Qui es in caelis. Cælum & terram ego impleo, dicit dominus: & cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, Esa. 66. Dicit autem cum vbi que sit: Qui es in caelis: quoniam in cælo, & seipsum cuiusmodi sit, & maiestatem gloriæ suæ ostendit communicatq; beatis: pariterque nobis, quo tendere debemus, insinuet. Genus enim non per creationem, at qui per regenerationem de cælo trahimus: inque cælestem patriam veluti manu ducimur per sacramenta: quousque euacuetur quod ex parte est, & proueniat quod perfectum est: fideiq; sacræ visionis diuina succedat, beate spei consecutio: & charitatis perfectæ dei finitio retribuatur. Oporteret igitur, qui patrem habere in caelis dicimur, omni virtute conari, ad illam peruenire patriam, in qua pater noster habitare dicitur: vt assistentes tanti patris conspectu, paterni simus hæreditatis consortes. Ceteri studeamus admodum cælestium ciuium mores, linguam, vestes componere. Sic enim nonimus facere, viros prudentes: qui cum in exteris nationes, veluti in Italiam, Germaniam, aliamve prouinciam sint migraturi, & illuc per aliquod annos commoraturi, linguam illius gentis indefesso labore scire festinant, vestes ad morem patriæ aptant, & reliqua necessaria diligenter comparant. Nos igitur cum simus filii patris in caelis habitantis: linguam, mores, vestes, & cætera secundum cælestem patriam præparemus: & ad morem cælestium ciuium concordem, puri, sine auaritia, sine dolo hic vitam degamus: in dei laudibus linguam exerceamus, & in gratiarum actione continuo persistamus: vt tandem ad patrem, qui in caelis est, felices filii proueniamus. Quod dominus in Abraæ exemplo prænotauit, dicens Gen. 15. Postquam enim illi præcepit Gen. cap. 12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam demonstrauero tibi: eduxit eum foras, & ait illi: Inspice cælum, & numera stellas eius, si potes: sic erit semen tuum. Credidit Abraam Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ecce iubetur Abraam suscipere in cælum, cum semen illi promitteretur: vt se & semen eius per gratiam & charitatem credentes, ciues se sciant futurorum patriæ cælestis, & ait illi: Suscipe cælum, & numera stellas eius, si potes: sic erit semen tuum. Credidit Abraam Deo, & reputatum est illi ad iustitiam: & viuam semper intelligas fidem, per charitatem operantem.

Fidē quoties audis, & filios hæredes regni patris, qui est in caelis. Diximus autem per charitatem credentis saluari, ad denotandum morem sacræ scripturæ. Vt quoties necesse est in fidem audieris, & iustificantem, prout hic: Credidit Abraam Deo, & reputatum est illi ad iustitiam: & viuam semper intelligas fidem, per charitatem operantem.

operantem: Suscepta enim est ab omnibus dialecticis regula: quod analogi per se sumptum stat pro insigniori significato. Exempli gratia: homo dicitur de mortuo, picto, & viuo. Quod si dicas alicui, hominem occurrisse tibi in via: non sane intelliget mortuum, nec in tabula pictum, sed hominem viuum tibi occurrisse, illico assentiet. Ita uero cum sit fides mortua, quæ sine charitate operibus retinetur a malis: & uiua quæ cum charitate & bonis operibus possidetur a bonis: cum tu audis fidem, illam intellige, quæ per charitatem uiua & bonis operibus tenetur a fidei Abraam, retinetur a ueris Christianis, respuitur a pessimis Lutheranis. Sed de hoc copiosius disputabimus, cum annuente Deo ad 16. ca. beati Matthei. & vltimum beati Marci deuenerimus: Aspice igitur in cælum, tu qui egressus es de terra tua, terrena despiciens: & animaduerte, quod tibi a Christo domino proponitur in principio orationis, quam tibi corde & uoce offerendam tradidit, dicens: Pater noster qui es in caelis. Cum igitur audis Qui es in caelis, non tantum te illuc ascensurum cogites, uerum & tanti patris & Dei nostri omnipotentiam considera: quoniam excelsus dominus, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit. Potens es domine, inquit Dauid, psal. 88. & ueritas tua in circuitu tuo: tu dominiaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio uirtutis tuæ: dispersisti inimicos tuos. Tui sunt cæli, & tua est terra: orbem terrarum & plenitudinem eius tu fundasti, aquilonem & mare tu creasti: Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentia. Etenim uides quanta potentia pater tuus qui in caelis est, polleat: nam quidquid mouetur, & est, nutu moderatur suo. Igitur festinemus ad tantum accedere patrem: conemur summo studio eius: adimplere præcepta, ne nos beatissime uisionis suæ tãquam indignos reiciat. Quod autem dicitur Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: existimo eo prophetatum, quod in monte Thabor transfiguratus est dominus, ubi & uox patris intonuit. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Mons autem Hermon, ex uno latere ad Iordanis ripam est constitutus: ubi baptizato domino, similis etiam uox audita est a beato Ioanne baptista, & ab ipso domino Iesu Christo: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: In nomine igitur eius scilicet unigeniti filii Dei, Thabor & Hermon exultauerunt. Deus enim uirtus est Christus, & potentia. Proinde timeamus omnipotentem, super omnia diligamus benignissimum patrem, tantis nos beneficiis afficientem. Filii enim patris diuitis: & potentis, nimium student eius parere, mandatis, & in omnibus se promptos obsequiis exhibere: ne forte iratus pater illum a tantis bonis excludat. Quinimo allectus plurimis obedientiæ operibus, illum non tantum hæredem, uerum etiam in præcipuam bonorum partem hæredem instituat. Pater enim illius filij, qui bona paterna dissipasse traditur in euangelio: alteri eius filio frugi, redempti de agro, ac domum nolenti ingredi præ tristitia, eo quod audisset patrem lætatem & conuiuium facientem pro reuersione filij, perditit: ait: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Oportuit autem gaudere, quoniam hic frater tuus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est, Luc. 15. Ecce quemadmodum dicitur filio, qui nunquam ab obedientia excidit patris: Omnia mea tua sunt, quasi illum iam in uoto præhæreditas, & perditio filio proposuisset: quamuis & peccatricem sobolem cõuictam recepit, & filij reuersione lætatus est. Nunquam ergo a mente decedat: Pater noster qui es in caelis. Sic enim fiet, vt qui tantum patrem, & hunc in caelis esse, in initio dominicæ orationis dicimus & fatemur, tales nos illi exhibeamus.

mus filios, quales ipse habere expetit: vt ab eius hereditate nullatenus excludamur: cui cum filio, & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QVARTVS,

In sextum cap. beati Matthæi.

SANCTIFICETVR *nomen tuum*. Prima hæc petitio est, quam dominus præcepit postulari: atque in capite ponitur, tanquam præcipua omnium, & ad gloriam summi dei atque nostrum profectum maximè necessaria. Quod autem nomen hoc sit, quod tantopere postuladum est sanctificari, nunc est indagandum: cū in diuina hac obsecratione haud distinguatur. Obscurè enim dicitur: Sanctificetur nomen tuum, celans quod nomen hoc sit, quod petimus sanctificari. Esaias. 41. cap. ait: Ego dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculprilibus. Quod autem dicit, alteri non dabo, filium excipit. Pro eo enim dictum est alteri: & non, nulli dabo, vt innuat filio dari: alteri scilicet, præter quàm tibi. De quo in initio eiusdem capituli dixerat: Ecce puer meus electus, quem elegi, complacuit sibi in illo anima mea. In quem locum beatus Hieronymus ait: Sacra scripturæ proprietatem vehementer admiror: omnes enim transfulerunt verbū, haberi, id est, alteri, quàm tibi filio equidem. Nam si vellet omnes excludere & filium, non diceret alteri, sed nulli. Legimus etiam Gen. 32. cum luctaretur angelus cum Iacob, & cum superare non posset, id est, nollet (nam posset vtique superare) percussit femur eius, & claudicabat Iacob. Quo designatur, Iudeos cum Christo luctantes, percussos in neruo, vsque in hodiernum diem claudicare: quousque adimpleatur illud vaticinium, Esai. 10. (quod etiam refert beatus apostolus. Paulus ad Ro. cap. 9. & 11.) Si fuerit numerus Israel tãquam arena maris reliquæ saluæ sient. Quod Dauid explicat, dicens: Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem, Psal. 58. Timens enim valde Iacob Esau, munera præmisit, & cum iam prope esset, adorauit septies pronus in terram. Mirabile gestum. Nonne Iacob tu benedictus a patre, & potioribus bonis dotatus, cui inter cætera corde præfago a patre Isaac dicitur: Esto dominus fratrum tuorum, & incurrentur ante te filii matris tuæ, cur igitur times Esau fratrem tuum? & ante illum septies incuruaris? Iam designabat Iacob quod dictum fuerat a patre fratri suo Esau: Tempus enim veniet, cum excutias & soluas iugum eius de ceruicibus tuis: quoniam scilicet quo tempore suscepit Christus gentilitatem, repudiati Iudæi sunt. Idè quoq; p̄signauit Noe, Gen. 9. cum dicit de Iaphet, de quo orta est gentilitas: Dilatet dominus Iaphet, & habitet in tabernaculis sem: de quo originem traxerunt Iudæi. Quod tempus concupiscens Dauid Psal. 107. & prænosens hoc in aduentu Christi futurum: In Idumæam, inquit, extendâ calciamentum meum: mihi alienigenæ amici facti sunt: quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vsque in Idumæam? Et alibi precabatur hoc, dicens Psal. 136. Memor esto domine filiorum Edon in die Hierusalem: cum scilicet veneris in Hierusalem ad Iudeos, memor esto filiorum Edon, filiorum Esau recordare gentium. In ea vtique lucta, quam superius referebam, cum Iacob ab angelo rogaretur: Dimitte me, aurora est, Christo dicenti Iudæis: Ego sum lux mundi, quid me queritis interficere? Locutus Iacob ait: Dic mihi nomen tuum. Quod & dixerunt Iudæi: Quousque animam nostram

Gentiu fides, & Iudeoru reprobatio p̄ figurantur in Iacob & Esau, & Noe filii.

nostram tollis? Situ es Christus, & dic nobis palam. Cui angelus. Cur queris nomen meum, quod est mirabile? Moyses autem dum ad Pharaonem iturus esset, nomen domini mittentis quæsiuit dicens, Exod. 3. Ecce ego uadam ad filios Israel, & dicam eis: Deum patrum nostrorum misit me ad vos. Si dixerit mihi, quod est nomen eius, quid dicam eis? Dixit dominus ad Moysen: Ego sum, qui sum. Sic dices filius Israel: Qui est misit me ad vos. Inscribitur enim ab Hebræis Ieouat, quod Exo. 6. dicitur Adonai: ne nomē ineffabile denotantes, & proprietate diuinæ essentia nominaretur: quod Græci *θεοσ* *υπακουστος* dicunt, hoc est, quatuor literarū nomen. Dauid autem de hoc nomine sanctificando, non tamen quale nomen sit, nominando dicit: Deus in nomine tuo saluum me fac. Et iterum: Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine dei nostri inuocabimus. Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus. Et alibi: Laudate pueri dominum, laudate nomen domini. Et iterum: Sanctum & terribile nomen eius: Laudate nomen domini, laudate serui domini: Psallite nomini eius quoniam suauē. Et sacratissima uirgo huius nominis meminit in illo suo cantico dicens: Fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen eius. Nemo tñ, quod est hoc nomen: nomē, inquam, hoc sanctum, suauē, terribile & admirabile in vniuersa terra, dicere est ausus. Celatum utique est, & quatuor signatum literis. Hoc deus, Ioan. 17. dicit se manifestaſſe hominibus: Pater, inquit, manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Nomen autem quod manifestaſſe refert in sacro euangelio, nomen est unius essentia, & trium personarum quod dominus noster semper sine principio, & absque fine, a nullo dependens, per se est. Et cum sit in essentia vnus, trinus in personis: hoc nomen est ineffabile, nomen quod Dei filius mundo manifestaui, dicens: Ego & pater vnū sumus, Ioan. 10. Pater in me manens, ipse facit opera, Io. 14. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, Ioan. 10. Si autem non facio opera patris mei nolite credere, si autem facio opera patris mei operibus credite: vt sciatis & credatis quia pater in me est, & ego in patre, Ioan. 10. Ad cæcum autem a natiuitate, cui visum dominus donauit, Ioan. 9. cum dominus diceret: Tu credis in filium dei? Cæcus respondit: Et quis est domine, vt credam in eum? Et dominus cæco ait: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit ei Iesus: principium qui & loquor uobis, Ioannis. 8. Conuincuntur hæretici tantis his testimoniis, dicentes dominum nunquā se manifestaſſe verbis dixisse, esse filium Dei: cum totiens repetit. Ego & pater vnū sumus. Ego in patre, & pater in me est. Et cæco: qui loquitur tecum ipse est. De sancto autem spiritu ad Nicodemum ait, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Et Ioan. 16. Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret uobis omnia, quæcunque dixerō uobis. Ab utroque autem procedere notatur sanctus spiritus, cum dominus dicit: Quem mittet pater, ecce a patre. In nomine meo: ecce a filio procedit. Et ille de meo accipiet, hoc est, a me procedit, & annuntiabit uobis. Et iterum Ioan. 15. Cum uenerit paracletus, quem ego mittam uobis a patre. ille testimonium perhibebit de me. Dixerat prius: quem mittet pater in nomine meo: Nunc denotans a se procedere sicut a patre, ait: Quem ego mittam uobis. Vt autem non separaret processionem a patre, inquit: Quem ego mittam uobis. Non a me tantum, atqui quem ego mittam uobis a patre. Tandem Matthæi ultimo præcipit discipulis suis dicens: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filii, & spiritus sancti: ubi tribus nomi-

Dicit dñs se dei filiu contra hæreticos. *Ioan. 17. 19.* id est eiusdè substantia.

Spūs sancti processio a patre & filio. Ergo deus ē, in quē desiderat angelus prospicere, dicit beat. Petr.

natis personis, suisque propriis nominibus explicatis, unitatis essentiae manifeste confirmat, dicens: In nomine. Si enim ab essentia diuiderentur personae, diceret utique in nominibus. Cum vero dicit: In nomine, reuera vnum esse deum verum, trinum in personis, vnum in essentia, benedictissimum in secula, sacrosancto suo ore dominus mundo manifestat, & confirmat. Ceterum non praeterendum, quod sancti doctores & alij scholastici, in tertiam sectionem collectoris sententiarum libri. 4. commemorant: Quod scilicet in hoc nomine Iesus implicite tota Trinitas signatur, & inuocatur. Propterea asseuerant apostolos (prout legitur Actuum cap. 2. r. 8, 10. & 19.) in initio germinantis ecclesiae, baptizasse in nomine domini Iesu, ex dispensatione speciali, credentes quod tota Trinitas personarum in hoc sacratissimo nomine Iesus designatur implicitè. Quamquam aliis doctissimis viris placuit, id quod legitur: Baptizati sunt in nomine Iesu, locis in Actis apostolorum proximè citatis, sic baptizatos: In nomine patris, & filij eius Iesu Christi domini nostri, & spiritus sancti. Hoc igitur est nomen, quod est super omne nomen, secundum apostolum, ad Phil. 3. Quoniam in illo tota Trinitas signatur in essentia: unitate: Vnus igitur benedictissimus dominus in essentia, trinus in personis, nomen est, quod sanctificandum postulamus. Quod utique bifariam a sanctis nostris doctoribus explicatur. *Pater noster qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum.* Nomen tuum, quod est, vnus Deus pater & filius & spiritus sanctus, sanctificetur: secundum beatum Aug. & beatum Thomam ab omnibus sanctum cognoscatur & colatur. Sanctum enim secundum beatum Thomam opusculo. 7. illud est: quod non habet aliquod terrenum admixtum, & in se est firmissimum. Homines enim, cum habent plurimum terrae mixtum, dum viuunt, sancti dici omnino non possunt. Habent enim fragilem adhuc substantiam, quae facile ruere potest a virtutis culmine, quamuis excelso sint in loco collocati. Angeli vero in sui primordio plurimi ceciderunt, quoniam in se non erant firmissimi, & si nihil terrenum illis inhærerat. Etenim solus deus firmissimus est, quippe in se manens, semper idem ipse est. Firmi sunt & beati, qui in eius visione & fruitione firmantur. Ille igitur solus firmus in se, ceteri vero in illo firmati. Solus & ipse sanctus vni in sequentia angelici thematis sacrosancta mater ecclesia concinit, dicens: Quoniam tu solus sanctus, tu solus dominus, tu solus altissimus. Tu solus sanctus ex te, & solus dominus: ceteri sancti per te. Per te enim reges regnant, principes imperant, & potentes discernunt iustitiam. Nomen ergo tuum, quod nullius egens, neque in alio sine per alium, sed in se sanctissimum est, sanctificetur. Cognoscatur a se ipso esse sanctissimum, esse independentem, & vnum esse in essentia qui alioqui trinus est in personis. colatur & adoretur a Iudeis, paganis, & ab omnibus infidelibus. Nec sit super terram homo, qui te non agnoscat vnum in trinitate, & trinum in unitate, colat, veneretur, adoret, tua praecepta custodiat: & in te per vnicum filium tuum dominum nostrum Iesum Christum manens, & peccatorum per sacramenta remissionem accipiens, plenus bonis operibus quod de te fide credit, per speciem videat in aeternum. Beatus autem Cyprianus & Ioan. Chrysost. hanc primam deprecationem alio discurrunt sensu, quodammodo sensui primo simili. Dicunt utique, sanctificetur nomen tuum: hoc est, in nobis. Qui enim tale nomen nouimus, sancti in illo sumus. & nomen tantum intra cordis arcanum sanctificetur a nobis. Sancti igitur sumus, quoniam nomen sanctissimum Dei patris & filij & spiritus sancti cognoscimus vnus substantiae, essentiae, voluntatis, potentiae: iuxta illud Leuit. 19. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum dominus deus uester. Tanquam si cui habenti reconditas sanctas reliquias crucis domini nostri, siue alicuius

sancti,

sancti, diceretur: munda reconditorium illud, in quo reponis reliquias sanctas: nullus sit minutissimus puluis, nulla ibi vel modica araneae sila lateant, rosas & floribus consperge, odoriferum redde sacrarium, in quo talia includuntur. Purget ergo Christianus mentem, cor mundet, animam diuersis virtutum floribus aspergatur, qui tam ineffabile, sanctum, terribile, & admirabile nomen gestat in fronte & corde: nomen, inquam, patris & filij & spiritus sancti, vnus veri Dei. *Sanctificetur igitur nomen tuum.* Ab omnibus cognoscatur, colatur, & veneretur. Et nos in ipso sumus sancti, quoniam tam sanctum nobis nomen manifestatum est: secundum illud apostoli ad Thimotheum. 1. cap. 4. Hæc est autem voluntas dei sanctificatio uestra. In similitudine autem quam proposuimus sanctificationis nostrae, de reliquiis in sacrario reconditis, liber hic aliqua breuiter uerba facere, ne cum in hunc locum aliquis forte Lutheranus incidere, obtrectare incipiat, quod plurimum deseramus honoris sanctorum reliquiis. Quos profecto, qui habitat in caelis irridebit, & dominus subfannabit eos: & loquetur ad eos in ira sua, cum nesciunt quae loquuntur, nec quae affirmant. Mandauit Ioseph moriens in Aegypto, Gen. ultimo, & adiurauit fratres suos dicens: Dominus uisitauit uos: apportate ossa mea uobiscum de loco isto. Mandat Ioseph de ossibus suis fratribus, quod non obliuioni tradidit Moyses: Legitur namque Exo. 13. Cum Moyses ab Aegypto exiret cum filijs Israel, tulit quoque secum ossa Ioseph: eo quod adiurasset filios Israel dicens: Uisitabit uos dominus, afferte ossa mea hinc uobiscum. Venerat uero Moyses & filij Israel defuncti Ioseph ossi, & Christianus non uenerabitur sanctorum pro Christo occisorum reliquias? siue ligni minutissimam quaque particulam, in quo Christus dominus humani generis est operatus salutem: quodque sanctissimo suo corpore & sanguine dicatum est, & plus quam margaritis ornatum. Tace, obmutus hæretice: & tu exosulare & uenerare sine cunctatione Christiane sanctorum reliquias. Quid respondere poteris Lutherane ad summi Dei dispositionem? quoniam in arca illa tantopere celebrata, nihil aliud quam reliquiae includebantur. Locus autem ille dicebatur sancta sanctorum. Quod si quaeras, quid in illa arca includebatur, corpus Christi, aut crux Christi: respondet tibi apostolus Paulus ad Hebr. 9. Arcam circumtectam undique auro, in qua erat urna aurea habens manna, & uirga Aaron, quae frondeuerat, & tabulae testamenti. Videas obseruatas reliquias & contextas: sancta quoque sanctorum dictum locum, in quo hæc asseuabantur. Attendamus quid ossa sanctorum praestent: quantumque sint ubique ueneranda, ex. 4. Reg. 13. Cum enim quidam sepulchrum effoderent iuxta conditorium, in quo ossa prophetae Helisei includebantur, ad sepeliendum cuiusdam cadauer: subito cernentes latrunculos, ac timore perterriti, cadauere in sepulchrum Helisei proiecto, fugerunt. Cum autem defuncti corpusculum tetigisset Helisei ossa, subito reuixit homo. Tanta sunt uirtute ossa sanctorum praedita, quod salutem & vitam eorum contactu dominus concedat. Sic apud Ephesum, dum ibi commoraretur apostolus Paulus, ut legitur Actuum. 19. uirtutes non modicas faciebat dominus per manum Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria & semicinctia: & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Per uertis Pauli tactum sanantur infirmi, exeunt spiritus nequam: ad tactum ossium Helisei reuixit mortuus. Summo igitur cultu sunt reliquiae obseruandae, uirgianti custodiendae animo, deuoto uenerandae affectu. Sic enim honorabitur, quem uoluerit Christus honorare: cui cum patre & spiritu sancto est gloria, honor & imperium in aeternum. Amen.

In sextum cap. beati Matthæi.

ADVENIAT *regnum tuum*. Hæc est secunda petitio orationis dominicæ: supplicatione deuotissima postulans, post nominis domini sanctificationem & manifestationem, regni eius aduentum. Ne autem alicui iuxta quorundam hæreticorum sententiam in mentem ueniat, pro defunctis sanctis orandam esse, ut intrent in gaudium domini sui: tanquam sint detenti a visione diuina, quousque omnis electorum numerus compleatur (Praue namque intelligunt illud Apoc. cap. 6. Vidi sub altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant: & clamabant voce magna dicentes: Viquequo domine sanctus & verus non iudicas, & non uindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? Et datae sunt illis singulae stolae albæ. & dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt sicut illi) addit: *Fiat uoluntas tua, sicut in celo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Et cæteras postulationes, quæ dum peregrinamur domino offeruntur: & quibus non indigemus post mortem. Veruntamen ex ipsis uerbis beati Ioannis catholicè legentibus, & eorum sensum excutientibus, uera expositio patet. Nam cum dicit datas unicuique singulas stolas albas, diuinam in hoc uisionem & fruitionem ostendit beatus Ioannes: reliquam uero stolam corporis resuscitati tunc dari, cum omnium fuerit electorum numerus completus. Quod & infra cap. seq. iterum manifestat dicens: Post hæc uidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum in conspectu agni, amicti stolis albis: & clamabant uoce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum & agno. Cum enim sint ante thronum Dei, & sint in conspectu agni, Deum utiq; clara uisione conspiciunt. & beata glorificatione fruuntur. Quod & dominus Luc. 22. cap. expressis uerbis pollicitus est latroni ad se conuerso dicens: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Non tempus dilatat: atqui hodie mecum eris in paradiso. Et alibi: querētibus Saduceis, cuius esset futura uxor in resurrectione, quæ septem habuerat uiros fratres, respondet: in resurrectione, nec nubent, nec nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in celo. Angeli autem, dicit infra. 18. cap. semper uident faciem patris mei, qui in caelis est. Semper ergo electi, qui resurrecturi sunt uident, postquam purgati & digni sunt habitis sanctorum consortio, faciem patris qui in caelis est. Et Ioannes. 10. Oues meæ uocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego uitam æternam do eis. Verbum præsentis temporis posuit non futuri: ut manifestet, cum è corpore anima iusti egreditur, & omnino peccato careat (alioquin purgatorij igne purgabitur) nulla interposita mora diuina frui uisione. Quod & apostolus Paulus manifestans, suis uerbis ostendit ad Phil. cap. 1. dicens: Coartor autem è duobus desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter uos. Sperabat beatus apostolus Paulus cum dissolueretur à nexibus corporis, sine mora frui Deo: qua propter dicit dissolui, & esse cum Christo. Itaq; cum dominus docet secundam hanc obsecrationem offerri: Adueniat regnum tuum, pro nobis uiuentibus. hoc postulandum palam ostendit. Nam qui defuncti sunt & purgati in purgatorio sine mora, postquam fuerint purificati,

purificati, Dei beatifica uisione in æternum fruuntur. Adueniat regnum tuum, inquit beatus Aug. & Petrus Chrysologus, hoc est manifestatur hominibus: ut hic tecum regnent per gratiam. Neque. n. poterunt regno gloriæ perpetuò associari, nisi hic cum Christo regnent per gratiam. Dicimus. n. Deum regnare per gratiam in anima, & rursus animam regnare per gratiam in hoc seculo cum Deo. Nam & dæmonè regnare super iniquos per peccatum dicit scriptura Iob 41. ca. Ipse est rex super oēs filios superbiæ. Et beatus apost. Paul. ad Ro. 6. inquit: Non. n. regnet peccatū in uestro mortali corpore. Peccatores igitur hos habent reges, peccatum & diabolus. Regnantq; cum rege suo subditi horum iniquorum regum. Adueniat domine in nobis regnum tuum: ut tu in nobis regnes per gratiam, & nos utique tecum conregnemus per idem donum gratiæ. Regnum tuum non perturbatur plurimis hæredibus: nec enim potest inui quod est infinitum, & esse possideatur a pluribus. Beatus Chrysostomus & Cyprianus aliò hæc uerba deducunt, dicentes: Adueniat regnum tuum, hoc est a regno gloriæ tuæ nulla rationalis creatura excludatur. Saluentur omnes domine, posteaquam nomen tuum sanctissimum illis fuerit notum, atque id ipsum coluerint, & in se sanctificauerint, regni tui participes sint. Nullus qui est anima rationali præditus pereat. O immensa charitatis postulatio, quæ nullum a se excludit, siue sit Iudæus, siue idolatra, Mahumetanus, aut hæreticus. Omnes amplectatur, extensis dilectionis brachiis: Omnibus supernam felicitatem exoptat. Pro omnibus anxia est charitas, neminem uult perire. Hoc est quod exposuit beatus apostolus Paulus. 1. ad Timot. 2. cap. & quasi hanc secundam domini postulationem explanans dicit: Obscero igitur primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt: ut quietam & tranquillam uitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram saluatore nostro deo: qui omnes homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Unus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Ecce enim quibus uerbis beatus apost. orationem fieri pro salute omnium commendat: quoniam quidem deus uult omnes saluare, & Christus tradidit seipsum pro omnibus. Quantum ergo ex parte Dei nostri est, sufficienter omnibus salutem per Christum exposuit. Qui autem æger est accedat, baptizetur, sanetur: qui baptizatus est uitam transgat in omni pietate & castitate: Et enim lægwidus qui non uult medicum aduocare, quin etiam respuit se aduentem, nec salutem recipit, nec excusationem habet. Propterea dominus fugillans Iudæos, dicebat: Si non uenissẽm & locutus eis non fuissẽm, peccatum non haberent: nunc autem excusationem nõ habent de peccato suo. Omnibus igitur thesaurus salutis expositus est. Sacro sancta mater ecclesia omnibus pandit aditum, Iudæis, Paganis, Mahumetanis, & hæreticis. Quin & pro omnibus publice preces effundit, in illo sacra commemoracionis die, quo saluator brachiis in cruce extensis, mundum reconciliauit patri, secundum illud uerbum apostoli: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. 2. Cor. c. 5. Adueniat igitur regnum tuum, ac uoce & corde a domino postulemus, nequis pereat. Quinimo omnes agnita ueritate, quæ Christus est, per gloriam ipsius salutem consequi mereantur: cui cum patre, & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

Hominum
peccatorū
reges.

TRACTATUS SEXTVS,

In sextum cap. beati Matthei.

FIAT voluntas tua, sicut in celo & in terra. Tertia petitio dominicæ orationis in medio ponitur petitionum, tanquam cor in medio corporis viuificans omnia membra. Hæc enim sal est, quo condiendæ sunt cætera huius sacramentalis orationis postulationes, & qua salienda est omnis alia quæcunque precatio. Sic enim dominum ter orasse in agone legimus: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Veruntamen nõ quod ego volo, sed quod tu vis. Iterum autem: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me: sed non quod ego volo, sed quod tu. Tertio autem: Pater, si vis transfer calicem istum a me: veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Exemplum autem nobis præbuit dominus: omnem orationem, obsecrationem, & postulationem nostram his verbis concludi, hoc claudi sine: fiat voluntas tua, sicut in celo & in terra. Propterea scriptum est Nu. 18. Pactum salis est sempiternum coram domino tibi ac filiis tuis. Namque omnis oratio hoc condimento potest offerri domino: fiat voluntas tua. Non enim quæ postulo quodcumque illud sit, sic volo: tanquam me velim præferre diuinæ tuæ, o deus voluntati. Veruntamen cum ignorem quod mihi vile, quod tuæ præcipue sit placitum voluntati cum gratiarum actione petitio mea coram te cum effunditur, non quod ego flagito, sed quod tu vis, adimpleatur, vt fiat voluntas tua sicut in celo & in terra. Iure autem & dei maxima misericordia hoc nobis præcipitur. Vaga namque voluntas nostra, & per mundi campos fugitiua huc & illuc discurrit, nullamque stabilem nouit requiem: quam merito Arist. cæcam in regno animæ dixit. Nulla aut cæco iustior lex imponitur, quã cū illi præcipitur, nec sine duce discurrat, nec sine direttore vegetetur. Iustissimè igitur cæcæ & uolubili uoluntati præcipitur, quod quid postulaueris hoc duce dirige, hoc sine concludi: fiat uoluntas tua, sicut in celo & in terra: nõ quod mea uult uoluntas, sed quod tua fiat. Hæc petitio exigit per quam maximas gratiarum actiones Christo domino reddit: quandoquidem sua maxima misericordia uoluit ipse director esse cæcorum nostrorum uotorum, regulator desideriorum, adimpletor postulationum nostrarum. Quando enim præcipit, non nostram sed suam fieri uoluntatem: quid aliud iubet, quã uelle omnia bona, iusta & profutura nobis concedere? cuius uoluntas semper recta est & stabilis, te stabile & rectum constituere non dubites: & quidquid hoc pacto discretionis, salis scilicet impetraueris, tibi nõ nociturum confide, cum tu non tua uelis fieri, at qui domini Dei tui omnibus adimpleri uoluntatem. Quidquid igitur postulaueris: quamuis sit vt nomen Dei ab omnibus agnoscat, & colatur, vt regnum eius omnibus adueniat, & salus eius omnibus pateat, hoc sine momento concludas: Veruntamen domine fiat uoluntas tua, sicut in celo & in terra. Nihil profecto ita ualet animam in tranquillitatis portum adducere, quã cum ad hanc uirtutem perueneris, quod a te ipso separatus nihil te aliud sentias uelle, præter quã quod Deo gratum existit. Vt nihil tua sponte uelis, totus Deo commissus, totus Deo pendens, totus de Deo summe confusus. Hoc corde, hoc uoce clames, & dicas: Non mea uoluntas domine, sed fiat uoluntas tua, sicut in celo & in terra. Tunc enim securus erit, qui talis fuerit: siue ad summam redactus pauperiem, siue ad summam diuitiarum, vel etiam regni cunctus fastigium, siue ad subleui depressum statum. Hoc beatus apostolus Paulus nouerat, cum ad Philip. 4. cap. dicebat:

Summa est
anæ quies,
nihil uel-
le, quã quod
deus uult.

cebat: Vbiq̃ & in omnibus constitutus sum & satiari, & esurire, & abundare & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat. Hoc Iob sustinuit in summa paupertate: hoc cõtinuit ne superbiret in sublimitate, diues quippe erat inter orientales, cum Deus dixit diabolo: Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra: homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo? Cui Deus post summam pauperiem diuitias duplicauit. Hoc confortauit discipulos, cum apud Cæsarem non possent beato apostolo Paulo suadere, ne abiret in Hierosolymam: quoniam illi Agabus propheta uincula ibidem parata Dei spiritu pronunciauerat. Actuum. 21. cap. Et cum ei suadere non possemus, qui uimus dicentes: domini uoluntas fiat. Quid enim aliud sonant uerba illa benedictissimæ deiparæ Mariæ. Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum uerbum tuum: quã fiat uoluntas tua, sicut in celo & in terra. Cæterum cum ignoremus futura bona & mala nostra, ubi omnia Dei uoluntati submittimus, in illum omnium dubiorum nostrorum & incertitudinis nostræ effectum coniciamus. Valde enim ignorantes sumus, & parum nouimus: siquidem tanta est ignorantia nostra, vt nullus sit theologorum, philosophorum, rhetorum, Iurifconsultorum, medicorum, qui mihi de una perquam breuissima interrogatione respondeat. Quæro igitur hodie ab unoquoque homine quantumcunque scientia prædico: Quid, obsecro dicas: cras futurum est? Ecce iam totus orbis, huic nescit respondere uerbo. Quapropter maximè necessaria nobis hæc postulatio est, Domine fiat uoluntas tua, sicut in celo & in terra. Nam quatuor sunt, quibus totus rotatur & uoluitur orbis, & quod tanquam quadriga uehit omnes homines: & de uoquoque horum nihil certum dicere potest omnis homo: Hæc sunt, honor, diuitiæ, uita, delectatio. Hæc rota est omnium uiuentium filiorum Adam. Cæterum horum quatuor singula uermem suum habent corrodetem radicem. Quæ admodum legimus in libro Ionæ propheta: qui cum hedera ab æstu solis tegeteretur, modicus quidam uermiculus corrodens radicem hederam arefecit. Honor detractores habet & inuidios corrodentes, & instabili detrahentes honori, & denigrantes candidæ conscientie viros. Hos ueruntamen comminatur beatus apostolus Paulus. 1. Corinth. 10. cap. dicens: Nec murmuraueritis sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Et ad Galat. 5. Si inuicem comeditis, & inuicem mordetis, uidete ne ab inuicem consumamini. Hoc dicit Apostolus, ne ab inuicem consumamini, quoniam usus detrahit huic, & hic alteri, vt re uera raro inueniatur, cuius non sit alio modo denigrata fama. Cum igitur honor tantis comburatur linguarum flammis: ille qui nihil aliud curat, præterquam in omnibus semper dicere, fiat uoluntas tua: infirmus & instabilis mundi conditione, firmus & stabilis permanet in Deo fixus. Vnde Eccles. cap. 27. dicitur: Homo sensatus in sapientia manet sicut sol, nam stultus sicut luna mutatur. Vidi ipse propriis oculis quosdam aulicos, uiuentibus duobus regibus: quorum quidam in prioris regis uita sublimis fuerant, & omni felicitatis mundanæ fastu tumentes: filio uero regnante nimis fuere deiectioni & spreti. Ita & qui præcellabant in uita huius postremi regis, eo tandem mortuo, ualde despecti ab omnibus & contempti fuere. Vixerat enim vnus quisque eorum secundum desideria sua, nõ domini Dei sui uoluntatem quæsierat: ob idque perinde ac luna mutati sunt. Cæterum quã incerto fluant meatu diuitiæ, nouimus omnes: nec spiritus sanctus per os David fallere potest cum dicit: Thesaurizat & ignorat cui cõgregabit ea. Nam ferè semper auari hæredes, prodigi sunt, & dissipatores totius substantiæ, quã miser auarus acquisiuit iniquè, & iniuste retinuit. Hic igitur

igitur vermīs atarorum est, scilicet hares eius. Delectatio autem & vita habent oppositam mortem. 2. Reg. 14. Dixit anus quædam ad Dauid: Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur. Tota igitur rota mundi, curus & auriga eius decidit: honor ab inuidis & detractoribus denigratur: diuitiæ ab hæredibus dissipantur: delectatio & vita a morte perimuntur. Quid igitur aliud poterat sapientius præcipi homini, quàm omnia lubrica, vana & instabilia, incommutabili Deo fixa voluntate committere: nihilque honoris, nihil diuitiarum, nihil delectationis & vitæ velle; verum in omnibus semper mente, corde, & voce dicere: fiat voluntas tua, sicut in celo a beatis, qui nihil volunt præterquàm quod tu domine vis, & in terra pariter impleatur, per te Iesu Christe mundi saluator: Cui cum patre & spiritu sancto, est honor gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SEPTIMVS,

In sextum cap. Beati Matthæi.

PANEM nostrum *super substantialem*. Lucas. 11. quotidianum, *da nobis hodie*. Postquam dominus præmisit Dei nominis sanctificationem & cultum: regnū suum venire ad nos præcepit optare, atque adeo obsecrationem tertiam summe necessariam de eius adimplerione voluntatis instituit: alimentum corpori necessarium præcipit postulari, dicens: Panem nostrum *super substantialem* & quotidianum *da nobis hodie*. Quod autem *super substantialem* dicit beatus Matthæus: & quotidianum beatus Lucas: vtrumque dixisse dominum par est credere. Regula enim est receptissima: cum idem sermo diuersimode traditur a sacris euangelistis, vtrumque dominum repetisse. Prout facile est considerare Lucæ. 11. Cum immundus (inquit) spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa. Matth. capit. 12. dicit, arida. Iterum Lucas: Et cum venerit inuenit eam scopis mundatam. Matthæus verò: Inuenit eam uacantem scopis mundatam & ornatam: Intelligendum ergo est omnia simul dominum dixisse: Ambulat per loca inaquosa & arida: & cū venerit inuenit eam uacantem scopis mundatam & ornatam. Possent & alia plura adduci exempla. Pariter vero de hac petitione existimandum est quòd vtrumque dixerit dominus: Panem nostrum *super substantialem*, & quotidianum, *da nobis hodie*. Et quidem *super substantialis* vocatur, quoniam a domino deo largitur: quotidianus vero, quoniam eo quotidie indigemus. Porro Hebræa lingua hic habet zegula: hoc est præcipuum: tanquam nobis maxime necessarium & ad sustentandam humanam uitam præcipuum alimentum: Græci vero dicunt *ἐπιούσιον* hoc est *super substantialem*, eo quod donat nobis desuper *super substantiali*. Nam quantumvis laboret agricola, vomere profcindat terrā, electa semina iaciat: nisi ea deus solis & pluuie temperie nutriat, ad nihilū redigetur. Beatus Aug. & beatus Tho. huius petitionis duplicē referunt sensum. Primo. n. dicit panē nostrum quem postulamus nobis quotidie dari, verbum dei esse, quo anima vegetatur & nutritur. Porro nimis pura necesse est sit, eius qui dicantis & audientis, cuiusmodi esse debet.

In Græco
τῷ ἐπιούσιον
habet vter
q; euang.
Regulæ cō
cordantiæ
euangeli
starum.

Intentio s
dicantis &
audientis,
cuiusmo
di esse de
bet.

edē sua: edat & bibat, quæ sunt apud auditores suos, secundum domini mādātum, Lucæ capit. 10. Ordinavit dominus, inquit beatus Paulus. 1. Corin. 9. qui euangelium annunciant, de euangelio viuere. Auditores verò non curiositate aliqua ducti, sed ut proficiant, accedant ad verbum Dei audiendum. Aequalis enim periculi res est: cum & prædicator per Dei verbum temporalia quærit, & qui audit non ut proficiat, sed ut aures delectet. In corde meo, inquit Dauid, abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi, non ut delecter in verbo, nec ut aures deliniant uerbum, atqui ut non peccem tibi. Hoc igitur studio dei verbum audiendum est, hoc & prædicandum: ut a peccatis & vitiis conuersi, soli Deo placere nitamur, ipse iniquo mundo. Minatur autē dominus mundo per Amos prophetam. 8. cap. dicens: Ecce dies veniunt, dicit dominus, & immittam famem super terram, non famem panis, nec sitim aque; sed famem audiendi verbum domini, & commouebuntur a mari usque ad mare, & circuibunt ab Aquilone usque ad orientem quærentes verbum domini, nec inuenient. Alij præcipuum panem dicunt his uerbis intelligi diuinissimā Eucharistiam, sacramentum scilicet corporis & sanguinis domini. Istum diuinissimum panem, inquit beatus August. postulari, cum dicitur: panem nostrum *super substantialem*, da nobis hodie: tanquam insinuans, quotidie sumendum esse ad animæ refectiōem. Et miratur quòd in ecclesiis orientis iam non communicatur quotidie. Quamquam & ipse alibi dicit: Quotidie celebrare, nec laudo nec uitupero: omnibus tamen dominicis diebus communicandum exhortor. At uero alibi dicit: Accipe quotidie, quod quotidie tibi proderit, sed sic uiue ut quotidie merearis accipere. Etenim sacerdotes quotidie communicantes, purissimam tenentur agere vitam, ut quotidie mereantur accipere. Illis siquidem & uirgini beatissimæ concessum est corpus domini contrectare, hinc inde uolere. Et illam quidem uisibiliter infantē manibus gestans nutriuit, lactauitque ubere sacro: sacerdotes uero inuisibiliter contrectant manibus, consecrant uerbo: & inuisibilis uisibiliter sumitur, alicui specie suboccultatus, populoque largitur. Quanta igitur puritate nitere animum deceat, qui sic deo familiariter conuersatur, nec lingua dicere, nec calamus exprimere ualet. Veruntamen tria ingentia mala, ob indebitam corporis domini susceptionem, beatus apostolus Paulus. 1. Corin. 11. affirmat. Postquam enim asseruit, corpus & sanguinem domini sub speciebus panis & uini contineri, & præcepit probare se, hoc est confiteri peccata sua: quisquis uellet edere de pane illo, & bibere de tanto calice, infert: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Plurimi re uera infirmabantur ex indebita sumptione corporis domini. Alii autem imbecilles & languidi reddebantur, alij è uita migrabant. Nec sacerdotes celebrantes indigne, & fideles indigne sumentes, his pœnis non se puniendos existiment: quin dabunt pœnis his acerbiores cum iniquo Iuda in inferno. Beatus August. iterum & beatus Thomas opusc. 7. & beatus Ioan. Chrysost. iam literæ huius petitionis propius accedentes, dicunt hanc quartam orationis dominicæ deprecationē de pane corporali utique agere. Voluit enim dominus nos securos de cibo & potu corporali reddere, cum ab ipso potentissimo & ditissimo conditore nostro hoc postulamus. Diues enim est in misericordia, quippe cuius oculi in pauperem respiciunt. Qui & ipse nullius eget, ut sibi retinere uelit: effundetque abunde necessaria. Proinde animum hominis erigit in ueram confidentiam & cognitionem. Scire enim necesse est, Deum optimum maximum hæc omnia unicuique prestare: & quòd solus ipse potens est donare, qui solus potens est creare. Oculi omnium, inquit Dauid, (non tantum hominum, ve-

Vita pura
celebran
tis.

rum iumentorum, uolatilium, reptilium, piscium, & omnium uiuentium sub cœlo) in te sperant domine: & tu das illis escam in tempore opportuno. Aperi tu manum tuam, & imple omne animal benedictione, Psal. 144. Si igitur dominus nō se auertit à pullis coruorum inuocantibus eum, nec ab omni animali, quin illis tribuit escam in tempore opportuno: tu homo hæc audies, confide in domino: & dic cum Dauid: Deus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit, Psal. 22. Porrò dominus passioni proximus. Luc. 22. dicit suis discipulis: Quando misi uos sine pera, & faculo, & calciamentis: nunquid aliquid defuit uobis? At illi dixerunt, nihil. Sic quoque legitur Danie. cap. 14. Cum inclusus in laeu leonum retineretur Daniel in Babilone, Abachu propheta ductus per cinnamum ab angelo, ei prandium asportauit, quod paraauerat suis mesforibus. Et Helias. 3. Reg. 17. pascitur a coruo manè & uespere, pane & carnibus. Beatus uerò Cyprianus illud Psal. 36. Inuorior fui etenim fenui & non uidi iustum derelictum, nec femem eius querens panem: de cibario pane exponit, tota die miseretur & commodat: quod enim pro Dei honore pauperibus elargitur, hoc Deo redditur, cui mutauit. Ab illo ergo postulemus omnia necessaria, & panem supersubstantialem & quotidianum, quo quotidie indigemus, recipiemus utique. Quoniam munificentiſſimus est deus noster, & replet omne animal benedictione. Quod ipse nobis per unicum filium suum dominum nostrum Iesum Christum concedat: qui cū eo & spiritu sancto uiuit, regnat & imperat in æternum. Amen.

Qui pauperibus distribuit.

TRACTATUS OCTAVVS,

In sextum cap. beati Matthæi.

ET dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hanc quintam postulationem noluit dominus arbitrio nostro relinquere exponendam: ipse enim eius interpretatus est verum sensum, tanquam author eiusdem obsecrationis. Ait enim post dominicæ orationis finem: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet uobis pater uester cœlestis delicta uestra: quod si non dimiseritis hominibus, nec pater uester cœlestis dimittet uobis peccata uestra. Ita enim interpretanda & exponenda est petitio hæc: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nullam autem harum postulationum dominus repetiuit, hac tantum excepta. uoluit enim arctius hanc memoriæ nobis insigere, tanquam peccatorum remissionem regulam. Ideo post finitam sacram dominicam orationem iterum repetit, & per se explanat vim huius postulationis, & necessitatem, quasi diceret: Attende te, uigilate, & quod dixi, cum poscitis quid agatis perspicite. Si enim dimiseritis hominibus, quæ in uos peccauerunt: & pater uester cœlestis dimittet uobis peccata uestra. Quod si non dimiseritis hominibus, nec pater cœlestis dimittet uobis peccata uestra. Cauti estote, & sic percipite & interpretamini, quod docui orandum: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quemadmodum enim bonus pater filiis præcipit pacem: & eis qui iurgia excitauerint indignatur: nec illos placide intuetur, amplexatur, & suscipit, quousque in concordiam & amicitiam redeant, & mutuo sibi ignoscant: ita & Deus non uult, quæ in illum commisit peccata remittere, nisi tu & fratri te offendenti remittas odium, rancorem, indignationem, furorē, & ultionem abiicias. Cum autem dimisisset Ioseph fratres suos, largi-

tus.

eus munera ait, Genes. 45. Ne irascimini in uia. Eccles. 28. Remitte proximo tuo peccanti in te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Beatus Ioannes Chrysostomus uehementer in hunc locum miratur, lætatur, & uere aureo ore uerba exaggerat: eo quod audit ex ore domini peccata ignosci. Si enim dimiseritis, inquit, hominibus: & pater uester cœlestis dimittet uobis peccata uestra. Cæterum id quod norat, merito summa lætitia excipiendum uenit. Quis enim nuntius, quis iam inter mortuos adnumeratus pater aut frater poterat domum ingredi nostram, quem tam ingenti gaudio susceperemus, quam hoc uerbum domini: Dimitte nobis debita uestra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Quod ore proprio dominus interpretatur: Si dimiseritis, inquit, hominibus, & pater cœlestis dimittet uobis peccata uestra. Creauit enim ut essent omnia, ait Sapientia cap. 6. sanabiles fecit nationes orbis terrarum. Ergo illud beati Pauli apostoli ad Heb. cap. 10. ita sanè percipiendum est, cum dicit: Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam ueritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: sed terribilis quedam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Non enim accipiendum est, dicere apostolum peccantibus non esse hostiam pro peccatis. Si dimiseritis, inquit, peccata proximis, dimittentur & uobis. Quinimo penitentiam agite & appropinquabit regnum cœlorum. Et corporis domini sacramentum, qui digne sumit, in Christo manet, & Christus in eo. Et qui manducat hunc panem uiuet in æternum. Non relinquitur ergo hostia pro peccatis iis, qui post acceptam notitiam ueritatis aduentus Christi & factus fidelis, abnegat fidem factus apostata: quoniam hostiam pro peccatis, quæ corpus est domini, negat. Hostia legis antiquæ, si Iudæus est, nihil omnino prodest. Sacrificia idolorum, si quis ad idololatriam reuersus est, nulla sunt: nam & ipsum idolum nihil est. Nulla ergo talibus relinquitur hostia pro peccato: sed terribilis iudicij ignis consumptio. Notandum uerò est, non dicere apostolum, non relinquitur penitentia pro peccatis, sed tantum non relinquitur hostia: id est, non habet hostiam, quam pro peccato offerre possit: qui negauit Christum & offerre respuit. Vetera sacrificia deserunt esse, idolorum nihil profunt oblationes. Habet tamen apostata, quandiu uiuit, penitentiam: quam si conuersus amplexus fuerit, iam ab ecclesia susceptus hostiam habet, sacrificium corporis & sanguinis domini, quod offerat pro peccatis. Quod autem super omnia in his uerbis domini: Dimitte nobis debita uestra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: attendendum existimo, illud est: quod in arbitrio uniuscuiusque nostrum dominus delictorum remissionem reliquit. Nam si dimisero debitum proximo, iam uerbum domini habeo, quo dicam Deo: Domine dimitte mihi peccata mea, sicuti ego dimisi in me peccanti. Quin ueluti firmisimum pignus domino reddam illud, quod ipse ait: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet uobis pater cœlestis delicta uestra. O immensa, o inenarrabilis dei nostri charitas. Perpende obsecro: quantum distet, quod tu in Deum committis scelus, ab illo quo te offendit peccato conuersus. Tu quidem homo morri obnoxius, scatenens miseriis, undique dolore & infirmitate obscissus, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: at uero Deus infinitus, immensus, omnipotens, creator & redemptor tuus, usque a Deo diligit te & illum, qui in te peccauit: ut in se commissa crimina iam uelit parcere, dummodo fratri tuo quod in te commisit peccatum ignoscere sis paratus & uelis. Dimittet igitur, in summam maiestatem quod patraſti peccatum: quod ratione obiecti eius in quem committitur, Dei scilicet, habet obiectiuam quandam infinitatem. Si tu dimittis proximo in te commissum scelus,

Nō relinquitur hostia pro peccatis, quæ accipiendū.

Corpus ad
qd utile.

quantuscumque sis, audi ipsum dominum tibi dicentem: Pulvis es & in puluerem reuerteris. Et quanquam secundum animæ rationem in æternum uiuas, quæ lance quæso adæquare poteris finitam creaturam ad infinitum Deum? Memineris autem hoc corpusculum huic vni rei vtile esse, quod probra in illo sustinens, & illud pœnitentiæ macerans, indulgentiam impetras delictorum. Si enim corpus non esset, quo ieiunium celebrares, cui elemosynam exhiberes, & in te peccanti remitteres, non essent profecto martyres, non virgines, non uigiliæ, non peregrinationes. Ad hæc igitur perferenda, corpus tibi vtile est. Quæ nisi feceris, iam tibi erit inutile, & terre, quod aiunt, pundus: quin immo, quod pœius est, perditionis causa & instrumentum. Si enim cerneres hominẽ nitido & pingui insidentem equo, ipsum vero hominẽ squalidum & macilentum: nonne miratus accederes, isque uerbis corripes? Cur equum usque adeo pinguem & nitidum geris o homo, cum ipse macie & squalore. ita sis affectus? Ad eundem modum & ei, qui corpori indulget nimium, obici potest: Cur animam habes debilem & macilentam, peccatisque deformem & conspurcatam: corpus uero cur ita comptum & nitidum? cur illud tot ciborum delictis & uoluptatibus curas, tot monilibus ornas, tot pigmentis componis? Quod una tantum in re tibi erit vtile: nempe, ut probra subitines habeas quod dimittas proximo, & remittatur tibi, si quid in summum Deum peccasti, ut in illo ieiunia, flagella & uigiliæ exercens per illas pœnas delictorum consequaris ueniam & remissionem. Habes enim genua, quæ flectas: manus quas ad Deum tollas: labia & linguam, quibus summam Dei maiestatem & benignitatem exores: & oculos quibus lachrymas fundas, uocem qua dicas: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, per Christum dominum nostrum: cui est honor, gloria & imperium cum patre & spiritu sancto in æternum. Amen.

TRACTATUS NONVS,

In sextum cap. beati Matthæi.

ET ne nos inducas in tentationem. Sexta hæc petitio cum sequenti septima & vltima, liberationem a tentationibus & a malo obsecrat, secundum illud Psal. 90. Ipse liberauit me de laqueo uenantium, & a uerbo aspero. Tot enim laqueis dæmon strauit mundum, atque adeo crebris nos aggreditur tētationibus: totque ad inuadendum utitur armis, quot habemus in corpore membra: nunc visu, nunc risu, nunc auditu, nunc gustu, aliisque innumeris modis, quos sequi longissimum fit, iugulat homines. Ingentes enim machinatorum ruinas, ex paru is tentationibus: & tanquam in huiusmodi proelio exercitatissimus, minimo aliquando calculo, fortissimam funditus euertit domum. Deo igitur suppliciter & assidue offeramus id quod nunc a domino edocti sumus: Et ne nos inducas in tentationem. Pro cuius perspicaciori explanatione quatuor notanda sunt, quæ breuiter perstringentur: quoniam de his superius iam diffusius diximus, cum in 4. cap. de tentationibus, quibus dæmon in deserto tentauit dominum, ageremus. Illud igitur primum scire conuenit, quod Deus noster ad peccandum neminem tentat. Deus enim, inquit beatus Iacobus in sua epistola canonica cap. i. neminem tentat: intentator enim malorum est: Vnusquisque uero tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus. Secundo sciendum, quod tribulationibus deus tentat aliquando ad ipsius tentati profectum,

& ut

& ut mundo innotescat, quali sit iustitia præditus is, qui a deo illatam tentationem suffert. Sic Deus tentauit Abraam, ut eius fidem imitaremur, & obedientiam: sic permisit tentari Iob & Tobiam, ut eorum nos patientia agnosceremus. Tertio sciendum, tribulationes tentationes uocari: eo quod contingat aliquando tribulatum peccare. Sic dominus dixit Petro, Iacobo & Ioanni, cum ad orandum se ab eis aliquantulum semoueret: Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Quod iterum ad eos ueniens, & dormientes reperiens repetiuit, dicens: Vigilate, quid dormitis? & orate, ne intretis in tentationem. Passionis suæ grauissimam tribulationem, discipulis tentationem fore prædixit: quod & Petro prius significauit, dicens: Simon ecce Satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum. hoc est, ut uos hinc inde percuteret, & circungyraret & conuolueret: quemadmodum in cribro euoluitur triticum. Ego autem, inquit dominus, rogauit pro te, ut non deficiat fides tua. Veruntamen omnes discipuli aufugerunt, relicto domino, & deseruerunt fide, quousque dominus resurrexit, & iterum illos restituit. Quod & facturos prænuiciat: Omnes uos, inquit, scandalum patiemini in me in nomine ista: scriptum est enim, percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam uos in Galilæam. Quarto aduertendum est, dæmonem nihil posse, nisi Deo secreto suo iudicio permittente: quod manifestissime in Iob ostendit. Nam cum in illum dæmon ob sanctimoniam magno concitaretur odio, se nihil posse in illum falsus est, dicens deo: Nonne tu uallasti eum, ac domum eius uniuersam per circuitum: sed extendit paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Cui rursus dominus: Ecce uniuersa quæ habet, in manu tua sunt: tamen in eum non extendas manum tuam. Quando autem uoluit percutere illum in corpore, iterum facultatem postulat, dicens: Mitte manum tuam, & tange os eius & carnem: Cui dominus: Ecce, inquit, in manu tua est: ueruntamen animam illius serua. Bis permissionem a Deo postulat Satan ad tangendum Iob, tum in substantia, tum in carnes. Legio etiam dæmonum, cum a domino præciperetur exire de homine, sic ab eo postulat Matth. 8. cap. Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis dominus: Ite. At illi exiuerunt abierunt in porcos. Colligimus ergo ex præcedentibus adnotatis, deum neminem tentare, ut peccet: permittit tamen aliquando tribulari, & per dæmones tentari bonos occultissimo suo iudicio, ad uirtutis culmen: ut Iob, Tobiam, Abraam, & his similes. Alios tentare dicitur, inquit Petrus Chrysologus sermone 67. & 70. cum obstinate seutes ad laqueum abire relinquit, minime obuias. Sunt enim quidam, qui tanto impetu in malum feruntur, ut a domino sæpius reuocati, non acquiescant. Sunt qui charitatis vincula omni hora solucentes, nolunt a peccatis desistere: quin immo belluino quodam furore insanientes, non cessant peccata accumulare peccatis. Hos autem dominus tentare dicit, dum iam illos fastidians, abire in prauas suas uoluntates finit, iuxta illud Psal. 80. Dimisit eos in desideria cordis eorum, iubunt in adinventionibus suis. Hos ita dimissos apostolus Paulus ad Ro. i. traditos appellat, dicens: Tradidit illos deus in desideria cordis eorum. Tradidit illos deus in passionem ignominie. Tradidit illos deus in reprobum sensum. Quod & David Psal. 68. aliis uerbis significat: Appone, inquit, iniquitatem illorum, & non intrent in iustitiam tuam. Ac si dicat, sine illos abire, tētari, & sibi ipsis placere. Hoc ergo est quod oramus: Et ne nos inducas in tentationem, id est, non permittas nos tentari a dæmone. quin immo obuia, tribulationem expelle, reprime dæmonem, siste nos per prauas discurrentes

vias:

vias: & paternā pietatē seruā, ne decidamus in cæcā voluntatis nostræ profundū chaos, & in immensam peccatorum abyssum. Namque te volente, non nocebit dæmon: te cohibente non rapiet: te defendente, non præualebit: te denique reprimente, non detruet in tartara. Igitur o pater noster, qui es in cælis, & si nos propter multiplicem iniquitatum nostrarum congeriem, debitas meremur luere pœnas, & à te in desideria cordis procurentes dimitti, tradique in reprobū sensum: tū tamen memor vnigeniti filii tui, & acerbissimi illius, quod pro nobis suffulit crucis tormentum, ne nos inducas in tentationem. De ipso siquidem vaticinatus est Esaias cap. 49. Nunquid obliuisci potest mater infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa obliuiscerit, ego tamen non obliuiscor tui: in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper. In manibus enim suis descripsit nos Deus: cum in carne sua sanctissima, tanquam in cedrina tabula, sanguine pro atramento, clauis pro calamo, descripti sumus. Sermones quoque suos concupiscebat Iob scribi stylo ferreo in plumbi lamina. Verum indelebiliore descripti sumus stylo in Christi manibus. Ne ergo nos cum tentatos videris o summe pater a diabolo permittas vinci, & praua nostra voluntate abduci. Quin tu o Deus omnipotens obuia, cohibe: & ne nos inducas in tentationem, per merita passionis vnigeniti filii tui domini nostri Iesu Christi: cui tecum & cum spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS,

In sextum cap. beati Matthæi.

SED libera nos a malo. Amen. A malo damnationis perpetuæ, a peccato, a dæmone. Hæc enim dicuntur per antonomasiam mala. Vltimum malum est a Deo opt. max. perpetuo separari. Ingens etiam malum peccatum lethale, quo separamur a Deo, quoadusque rite, dum viuimus, per pœnitentiam deleatur. Est & dæmon hostis exitialis, qui vt in æternum damnatus est, ira etiam nos ad similem damnationē perferre tētat, & omne, quo ad potest, procurat malum. Beat. August. & beat. Thomas opusculo 7. afferunt hanc præcationem de dæmone intelligendam, cum dicimus: Sed libera nos a malo. Si autem a malo perpetuæ damnationis intelligatur: quomodo liberamur. attendendum fuerit, & breuiter perscrutandum. Io. 8. inquit dominus: Seruus autē non manet in domo in æternum: Filius autem manet in æternum. Si ergo vos filius liberauerit, vere liberi eritis. A libero ergo filio liberamur a malo. Et Ioannis 10. Oves meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum Christus igitur liberator est, redemptor & saluator noster. Ipse ne damnaremur (vt inquit beatus Petrus, epist. 1. 2. ca.) peccata nostra pertulit in corpore suo super lignū, vt peccatis mortui, iustitiæ uiuamus, cuius liuore sanati sumus, iuxta Esa. 53. ca. vaticiniū: Omnes nos quasi oues errauimus: vnusquisque in uiam suam declinauit. & dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Et apostolus ad Colos. 2. Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans uobis omnia delicta, delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. Et ad Ro. 8. cap. Lex enim spiritus uitæ in Christo Iesu, liberauit a lege peccati & mortis. Nam quod impossibile

erat

erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatū in carne. Et cap. 6. eiusdem epistolæ ait: Liberati autem a peccato serui facti estis iustitiæ. Et ad Heb. cap. 9. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi. Et eadem epistola cap. ultimo: Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exciamus igitur ad eum extra castra, improprium eius portantes. Ecce notat operum pœnalium exercitium: quoniam Christus passus est. Et beatus Petrus, Act. 1. 5. cum dixisset de gentibus: Fide purificans corda eorum, statim adiunxit: sed per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Per Christum igitur liberatos esse, & per sanguinem eius constar, quod in credentes nos deriuatur per gratiam & sacramenta. Sacramenta enim eius uasa sunt gratiæ. De baptismo dicitur, Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. Et ad Ro. 6. inquit apostolus: An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Et cap. 5. Sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in uitam æternam? Et ca. 6. Quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia dei per Iesum Christum. Et prima Cor. 15. Gratia dei sum, id quod sum. Et ne longo hoc protrahamus sermone (quoniā deo fauente primum cap. beati Lucæ latius pertractandum est de iustificatione per gratiam, fide supposita, tanquam radice & fundamento: gratia autem tanquam iustificationis uera forma, per quam iustificamur, & sine qua quātuncunque habeamus fidem non iustificamur) sufficit nunc quod dictum est: & quod dicit beatus apost. ad Ephes. 2. cap. Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificabit nos Christo: cuius gratia estis saluati. Igitur per Christum de manu inimicorum nostrorum liberati, nō dixit in illo credamus tantum. Sed quid sanctus Zacharias pater beati Ioannis baptistæ doceat, aduertamus: Seruiamus illi, inquit, in sanctitate & iustitia, omnibus diebus nostris: Gratiam hic & opera bona ostendit, cum dicit, in sanctitate & iustitia. Est enim iustitia uirtus, quæ omnia in uniuersum opera bona complectitur. Sanctitatem autem per gratiam adipiscimur, vt prædictum est: cuius gratia estis saluati. Ex hoc autem suboritur illa nunquam satis sedata quæstio. Quare ergo si Christus pro omnibus mortuus est, prout dicit apost. 2. Cor. 5. & 1. Timot. 2. dominus uult omnes homines saluos fieri: cur non omnes consequuntur salutem? non omnes liberantur a malo damnationis perpetuæ & a peccato? Quinimmo deus ait: Multi sunt uocati pauci uero electi, Matt. 20. In quem locum huiusce quæstionis referuamus solutionem, & de præscientia, prædestinatione, & reprobatione, qua suggessit dominus resolutionem, nunc sufficiat dicere. Receptissima est illa sanctorum theologorum sententia de diuina uoluntate, quæ in se una cum sit sanctissima & iustissima, dicitur in effectu duplex, signi & bene placiti: siue uoluntas antecedens & consequens. Deus enim omnibus salutem uult, & Christus pro omnibus sufficienter mortuus est. Non tamen beneplacitum est illi in peccatoribus persistenter in peccato: & consequenter, qui moritur in peccato mortali, non saluabitur: quod culpa peccatorum fit, non defectu pretii, quo redemptus est. Quin uero defectus illius est, qui fe a dei gratia per culpam subtrahens, ac libero suo arbitrio in ea persistans, renuit uocante deo conuerti. Quemadmodum si quis in præaltum deiecit puteum, & ab amico demisso fune, nolit adiuuere manū, vt extrahi possit, culpa sua profecto illic morietur demersus. Aliquit etiam non merentur

Voluntas
signi & bene
placiti

**Tripliter liberat
Deus a malo.**

tur adiunari a Deo multiplicatis sceleribus, prout proximo superiori tractatu diffusius disseruimus. Qui enim dimittuntur, in desideria cordis eorum traduntur: hoc est, relinquuntur a suo reprobo sensu abduci. Libera igitur nos a malo o pater omnipotens, ne damnemur a peccato, ne peferueremus: a demone, ne superemur. Tripliciter enim Deus suos a malo liberat, prohibes scilicet ne eueniat. Hæc vero maxima misericordia est, quam postulabat Dauid Psal. 36. Custodi nos domine, inquit, ut pupillam oculi, & sub umbra alarum tuarum protege nos. Et Esa. 49. Sub umbra manus sue protexit me, in pharetra sua abscondit me. Rarissimum hoc priuilegium est, & quam paucissimis conceditur. A malo autem penali nemo excipitur. Omnes namque qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. 2. Timo. 3. Alios autem liberat, faciendo ne noceant, quæ superuenerint mala: prout Esa. 43. dicitur: Noli timere, quia redemi te, & uocaui nomine tuo: meus es tu. Cum transferis per aquas, tecum ero. & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne; non combureris: & flamma non ardebit in te. Alios denique liberat, licet plurima patientur incommoda, post peccatorum procellam, seu post immissionem tentationum per demones, eos tranquillos faciens, reddens pacem spiritus, & multiplicans bona. Prout fecit in anima vere poenitenti, qui leguntur in euangelio: & eorum quos experimur quotidie ab iniquitate conuersos. In corpore uero, prout fecit Iob, Tobia, & alijs, quibus reddidit plura, quam in tribulationibus persecuti amiserant. Misericors igitur, & miserator Deus, in his breuissimis septem obsecrationibus omnia illa complexus est, quæ ad Dei honorem, & ad futuram & præsentem vitam spectant. Neque ulla unquam poterit Deo offerri iusta postulatio, quæ sub aliqua harum septem non includatur. In quo & mirabilis hæc deprecatio est, ut quæ planè indicet, à nullo alio tam breuiter tamque luculenter confici posse, præterquam a filio Dei domino nostro Iesu Christo: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS VNDECIMVS,

In sextum cap. Beati Matthæi.

Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Amen dico uobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua: ne uidearis hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito. Et pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Contra ieiunium quod hæretici garriant, non habent: cum ieiunium dominus, quod in deserto opere celebrauerat, nunc uerbo approbat dicens: Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritæ. Verum ieiunium a ficto distinguit. Approbat uerum, cum præmium pollicetur ieiunantibus, dicens: Et pater tuus qui est in abscondito reddet tibi: Et cum ieiunare pura intentione suadet, dicens: cum ieiunatis. Et infra ca. 9. Querentibus discipulis beati Ioannis baptiste: Quare nos & pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? At illis Iesus: Nunquid possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis sponsus est? uenient enim dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. En quemadmodum approbat Deus ieiunium suorum discipulorum pariter & Ioannis. Nec eis improperat quia ieiunant, cum illos sæpe ieiunatos post eius abcessum denunciaret. Et cap. 11. reprobans Iudæorum pernicitiam ait:

ait: Cui similem existimabo generationem istam? Venit enim Ioannes non in aeducans, nec bibens, & dicunt: demonium habet: Sanctitatem Baptistæ ostendit ex abstinentia. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicit: Ecce homo uorax. Se autem non commendat ieiunio, cum sit sanctus sanctorum, & quadraginta diebus iam ieiunium consumauerit. Qui sæpe etiã ieiunabat, cum pernoctaret in oratione. Et Ioan. 4. Cum Samaritanam mulierem alloqueretur, rogabat eum discipuli ut manducaret: quibus respondit: Ego alium cibum habeo manducare, quæ uos nescitis, de conuersione uisquam Samaritanorum dicens: Quapropter ut multi conuenterentur, cum publicanis & peccatoribus nonnumquam edebat. Et beatus apost. Paulus 2. Cor. 6. cum illos exhortaretur, ne gratiam Dei sine fructu honorum operum apud se reconditam occultaret, inquit: In omnibus exhibeamus nos, sicut dei ministros, in multa patientia. Et cum alias uirtutes enumerasset, inquit, in uigilijs, in ieiunijs. Et Actuum. 13. Ministrantibus autem illis domino & ieiunantibus, dixit illis spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes impo-nentesque eius manus, dimiserunt illos. Et Acto. 14. Cum recessissent a Lystris & Iconio Paulus & Barnabas, & cum constatuissent illis presbyteros & orassent, cum ieiunijs, commendarunt eos domino, in quem crediderunt. Ter igitur ieiunium apostoli Pauli & Barnabæ, atque aliorum qui ibi commemorantur, commendatur a scriptura. Plura alia testimonia de approbatione Ieiunij recensentur in sacris libris, quæ longum esset adducere. Nolite ergo ieiunare, quemadmodum & hypocritæ, qui exterminant facies suas. Ut enim exterminatus a patria longe discedit, sic eorum facies a natua forma degenerat. Pallidum enim sultu colore, uultu squalido, & cœcauis oculis, nimiamque tristitia præferentes, hominibus se ieiunantes ostendunt: ut illos miretur populus, & præ cæteris ueneretur. Beatus Ioannes Chrysost. in hunc locum conuenitur, quod in sua ciuitate aliud inuenit genus hypocritæ: ieiunabant propter homines, & faciem exterminabant: eius uero ciues cum luteranis non ieiunabant, sed ieiunium simulantes incedebant læti, & faciem lauebant, & ungebant capita. Noua ex ueteris diabolus elicit, hæreses iam sopitas rediuiuas suscitatur. Mirantur homines, ueruntamen iam olim præcesserunt hæreses lutheranicis similes, quæ in sacris sunt damnatæ concilijs. Quid autem conueniuntur, quod ecclesia præcipit ieiunia celebrari? Cum Moab & filij Amon insurgerent contra Iosaphat, ut 2. Paral. 10. cap. legitur, Iosaphat timore perterritus, totum se contulit ad rogandum dominum, & indixit ieiunium uniuerso Iuda. Præcepto regis obseruatur ieiunium, cur non potius obseruandum, cum præcipitur ab ecclesia? Præcepit Saul non comedere populum usquequo uicineretur de Philistæis, & non manducauit uniuersus populus panem. Ionathas autem filius eius cum paulinum mellis gustasset, illi minati sunt oculi eius ad discernendum se male fecisse, & pater ait: Applicante huc angulos populi, & scitote, & uidete per quem acciderit peccatum hoc ho die. Pœccat Ionathas & iubetur interfici, quoniam contra regis edictum panis mellis gustauerat: nec dominus illi uult responsum præbere. 1. Reg. 14. Peccat & ieiunium soluens contra prohibitionem ecclesiæ. Eidas inducit ieiunium. 1. Esdræ. cap. 8. Rex Ninie, cum audiret Ionam dicentem, adhuc quadraginta dies & Ninie subuertetur, præcone acclamante præcepit dicens: Homines, & iumenta, & boues; & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aqua non bibant, & obseruatum præceptum: cur non potius ieiunium ab ecclesia indictum obseruari debet? Dominus per Ioclem. 12. cap. Conuertimini ad me, inquit, in ieiunio, fletu, & planctu. Et paulo post: Sanctificate, inquit, ieiunium.

ieiunium. Bis refert dominum ieiunium præcepisse. i. quidem cap. & ad quem ergo dies ieiunij statuere attinet, nisi ad illam immaculatam, ac sine ruga ecclesiam sanctam, quæ est columna & firmamentum veritatis. i. Timo. 3. Et illis quibus dicitur est (apostolis scilicet, & ecclesiæ suæ) a domino: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem seculi. Et iterum Ioan. 14. Ego rogabo patrem, & alium paraclætum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis. Iste spiritus veritatis, qui manet cum ecclesia domini in æternum, iste edocet eam cum Raphael archangelo, Tobia. 12. quod bona est oratio cum ieiunio. Et beatus Luc. 2. cap. de Anna vidua dicit: quod non discedebat de templo, ieiunij & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Nunc porrò theologiam adducemus ratione, qua traditur: Quandoquæ aliquod præceptum in lege naturæ vel scripturæ reperitur, non habens tempus præcisum, nec in sacra scriptura expressum, per ecclesiam interpretari necessarium esse. Habet enim illa spiritus sancti assistentiam, prout prædiximus. Præceptum est in lege decalogi: Sabbata sanctifices. Et ipsa etiam naturalis lex edocet hominem, debere ipsum aliquando suum considerare auctorem: sed quomodo hoc adimpleatur præceptum, in lege decalogi minime expressum est: quanquam Iudæis nonnullæ circumstantiæ traditæ sunt, de operibus laboriosis non agendis. Præcipit ecclesia audire missam, ut Deo debitæ gratiarum actiones reddantur, & ne opus seruire eodæ die facias. Obedire sub peccato letali teneris, quoniam declaratio est legis illud præceptum. Ieiunare, abstinere a cibo & potu, aliquando naturale præceptum est: cum quis scilicet vel tentatur a carne, vel iracundia exagatur: denique quotiens cernit parum abesse, quin per peccatum corruat, ex nimio cibo & potu. Cum autem hominum turba hæc non possit satis perpendere, sancta mater ecclesia ieiunare præcipit, & abstinere, ut possis deo uacare, & a peccatis desistere: maximè verò in quadragesima, & quatuor temporibus anni, secundum illud Zach. propheta, cap. 8. Hæc dicit dominus, exercituum, Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium, & in læticiam, & in solemnitates præclaras. Hinc etiam & vigiliis sanctorum solemnitatum, sancta mater ecclesia, ut purius celebrentur, ieiunare statuit. Nullus igitur adeo sit demens, & infano furore percitus, qui tantis exemplis scripturæ sacræ adductis, terga verrat, oculos claudat, aures obturet. Quin tantis obediens testimonij deuotissimè ieiunia celebret lætus, & non exterminata & rugata fronte: ne illud domini audiant: Amen dico vobis receperunt mercedem suam, qui sicutum hypocritarum fecerunt ieiunium. Etenim cum laudes hominum tantum quæsierint, constitutum a se finem sunt consecuti. Quippe quos populus sanctitate præditos reputans, magnis euexit laudibus. Tu autem cum ieiunas imitare Christum dominum ieiunantem, & ieiunium statuentem, Moysen & Heliam ieiunantes, beatum Ioannem baptistam, & ipsius discipulos, & domini apostolos, & discipulos: tum & ieiunantem Dauidem, qui ait: Ego autem cum mihi molesti essent, inducbar cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam. Psal. 34. Item psal. 68. Operui in ieiunio animam meam. Et Psal. 108. Genua mea infirmata sunt a ieiunio. Vnge & caput tuum, & faciem tuam laua: nec aliquo affato iudicio, insar hypocritarum, videri velis ieiunans hominibus, sed patri tuo qui est in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi optimum circūspexit, optimusq; retributor. Cor. n. inspicit deus, & interiora scrutatur, ac penetrat voluntatis arcanum. Qui quidem bonorum nostrorum non eger. Quæ autem propter illum præcipit faciamus, non suis comodis, sed nostris

stris consulti. Nouit. n. ipse quanto suos afficit præmio, quanta retributione honorat, qui propter eum bona facere uolunt. Ipsemet est retributor, ipsemet est præmium. Ne autem in inanè aerem opera euanescent nostra, hortatur, & petit, præcipitq; omnia illa in eum, tanquã in omnium postremum sine referri. Ut ipsius gratia cum ipsum in præmium habere mereamur. O immensa charitas, o amor sine medio, o ineffabilis dilectio, quæ sibi retinens nihil, omnia sua & nostra in nostram utilitatem conuerit. Disce o homo fratrem tuum diligere, disce tua pauperibus elargiri, disce auaritiam fugere, disce non retinere terrena, quinimo impartire, quæ possides, indigentibus: disce quam tibi vile fuerit tua in communes ecclesiæ usus conferre: præsertim cum cernis dominum deum tuum & se, & sua tibi tradere: & tua non in suam, sed in tuam potius utilitatem conuertere. Omnia igitur quæcunq; feceris bonæ, in solam dei laudem fac, & ieiunia cum sanctis celebra. Venerare sanctam matrem ecclesiæ catholicam, ieiunia tot edocet oraculis præcipiente. Scito hanc per paraclætum spiritum sanctum in æternum doceri, & per filium omnibus diebus illi assistentem, usque ad consumationem seculi regi & gubernari: cui cum patre & eodem spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DVODECIMVS,

In sextum cap. beati Matthei.

NOLITE thesaurizare vobis thesauros in terris, ubi erugo & tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, & furantur: thesaurizare autem vobis thesauros in celo, ubi nec erugo, nec tinea demolitur: & ubi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Veris nos diuitis diuites esse cupientes Christus dominus noster, qui omnia nouit sapientia sua, cautus nos reddit: ne thesaurum nostrum in parum tuto loco recondentes, amittamus. In terra namq; ait esse uermes & fures, ut rutum usque in hodiernum diem ab aliquo horu duorum, thesaurum in terra condens, nemo reddiderit. Cæterum hos uermes, nō existimes debiles esse: quin scito, quod erugo hæc, & tinea hæc, omnia corrodit, omnia detorat, omnia consumit. Hi siquidem uermes sunt tempus, dies & horæ, & ipsa minutissima momenta temporis. Nam quid paulatim exitu adfert, omnè quicquid est rerum indefinenter atterens & consumens, nisi tempus? Quid ita silenter surripit, & possidentem a possessis abstrahit, & illum tandem nihil habentem, & uita spoliatum, nudum in terram deicit, nisi tempus? Cuius si spatia quæras, uerius id quod deficit enumerabis, quàm quod existit. Nā si quis te percontetur: Heus tu o bone, quot agis annos ætatis? & si uerè & recte sic interroganti respondere uelis, non dices: annos, natus sum quadraginta: immo quadraginta mihi defunt anni: quia iam consumpti à uerme præteriere. Respondet alius, quinquaginta se habere annos, quos iam non habet. Nullum enim habemus annum præsentem, non mensem, non diem, non horã: quin potius nos ab illis ipsis recedimus, pernicissimo gressu aliorum tendentes. Ut hinc uerissime Aristotelem sensibile credam, cum dicit de tempore non habemus nisi Nunc. Quod sane Nunc vix dum prolatum, recedit euanescitq; ut nufquam ad nos redire, nec etiam nos ad illud transire liceat unquam. O ualde eaduca & labilis ætas, o uermis, o tinea, cui nec reges resistere possunt. Quod si furem mortem intelligas, non absere erit. Nam quis iugatum è manibus mortis euasit? Quis non ab illa correptus? Quis non prostratus? Post-

quam enim lata sententia est in genus humanum. In quacunq[ue] hora, inquit Deus, comederitis, morte moriemini: & protoplastus est transgressor factus: stratum est (inquit beatus apostolus Paulus) omnibus hominibus semel mori: Et post hoc iudicium, ad Hebr. 9. Optime igitur consulit Opt. Max. Iesus Deus & saluator noster, ne thesauros nostros reponamus in loco, temporis transeuntis verminis obnoxio. Et ne sub umbra mortis omnia surripientis constituamus. Quapropter thesaurizemus nobis in celo, ubi thesaurus repositus adseruatur: nec a tempore velut a tinea, & ab æruginè consumitur: nec a morte velut a fure inuaditur. In hunc locum beatus Iohannes Chrysostomus commendans domini hoc salubre cõsiliu[m], inquit: Cuius tibi probaretur consiliu[m]: lata in duos sententia est, quibus præcipitur patriam excedere: illius, qui in loco a quo recedere cogitur, thesauros ingentes congerit: an illius, qui omnia illò occulte mittit, ubi reliquum uitæ conficere necessarium est: utriq[ue] huius recta est intentio, prouida ratio, & prudens vigilantia. Igitur cum nobis ab isto recedendū sit incolatu[m], nec esse est eò, quòd ituri sumus, thesaurum mitte re: ut sic nobiscum asportantes illum, non omnia nostra furibunda surripiat mors, vel tempus irreuocabile deuoret. Siquidem prudentis est, ad illum ad quem pergis locum, nusquam reuersurus, plura tecum ferre: inque eò a quo discedis, vel omnino nulla, vel pauca relinquere. Neque enim si puer es aut iuuenis, & alter fenece: ob id protinus iudices illum, citius quàm te, illum migraturum. Quod ferinde est, ac si in domum figuli ingressus, de vasis fictilibus que ras, quòd nam illorum firmius sit? Nam illico tibi figulus respondebit ridens: cū omnia sint testacea, & in eodem versentur periculo, quòd illorum prius è manu in terram ceciderit, id prius frangi non esse dubium. Similem igitur casum habent mortalia corpora nostra. Lutea enim plasmata sumus, pariterq[ue] omnes ex æquo proximi morti, infantes, pueri, iuuenes, senes: Habemus, inquit beatus apost. Paul. 2. Cor. 4. thesaurum istum in vasis fictilibus. Corpora namque nostra vasa fictilia dicit. Quæ multipliciter communiuntur, alii podagra alii uertigine capitis, quidam pulmonis ulcere, nonnulli iecoris vel splenis inflatione. Sicq[ue] fit, ut per tot partes pateat mortis via, quot possidet membra corpus. Cum autem mors sit inuitabilis, vnicum sane remedium in nostra est potestate. Possumus namque illam vtilem nobis reddere, & quibus voluerimus optimis illam coloribus pingere. Dicebat Balaam: Morietur anima mea morte iustorum, & sicut nouissima tua horum similia. Si uis cum Deo cognitione mori, uiue & exercere in Dei amore. Sic te inueniet tuus vltimus dies, quemadmodum vixeris tuos dies. Vnus utiq[ue] nobis proponitur in morte saluator latro, ne aliquis de salute, quamdiu uiuit, desperet: & unus quidem, non plures ne ausis pernerse uiuere. Itaque cum audis in hora mortis saluum latronem, confide, nec desperes. Cum audis vnum duntaxat, ne male uiuèdo discurras, time. Sic utiq[ue] uitam bonis adornans operibus, bene morieris, & quietum conserueris finem. Thesaurizate ergo uobis thesaurum in celo: ibi enim in tuto uobis reconditis. Dominus namque bonis nostris non eget. Operum ergo nostrorum finem, præcipit Deus, in illo constituamus: ut omnia quæ facimus, in nostram uertantur utilitatem. Quatuor certe media reperiuntur in sacro euangelio, quibus in Deum dirigimur: quasi quatuor doctrinæ & cathedre sapientiarum quibus in Deum ferimur, & in illum semper tãquam in finem deducimur. Prima est fides uiua, charitate & bonis operibus sociata. De hac per totum euangelium legitur satis, cuius nomen quotiens inueneris, de fide uiua operante, non de mortua siue ociosa intellige: prout supra tractatu tertio in hoc. 6.

Quatuor
mediis in
deum feri
mur.

cap.

cap. ostendimus. Cum enim Actorum cap. 15. beatus Petrus diceret. Fide purificans corda eorum: ne per illam solam quis præseruet se esse saluandum, subiunxit: sed credimus per gratiam Iesu Christi saluari, sicut & illi. Secunda est imitatio Christi: sub qua comprehenditur bona institutio puerorum, educatio in omni uirtute: tenerum namq[ue] virgultum, quo uolueris flexes: durum autem stipitem, si flexeris confringes. Illum ad Christi imitationem secte, hunc dola, rescinde superflua, complana aspera, emolli dura, tumentia æqua: senescentes in peccatis suauiter a malo reuoca, ne dum vis auertere illos a malis, ad deteriora labantur. Aliquando tamen ferro & igne his opus est: quatenus formidine pœnæ a malis abstrahantur, qui suauis monitione redire contemnunt. Prudentis medici est, vnicuique secundum eius naturam, adhibere medicamenta. Omnes tamen ad Christi imitationem cogedi. Christianus nanque sine patientia, charitate, elemosyna, oratione, humilitate, castitate solo nomine gloriatur. Tertia doctrina est frequentatio sacramentorum. Hæc enim utilissima sunt medicamenta ad omnem expellendum languorem, omnem prauam exterminandam consuetudinem, excitandam seueritatem, conferendum robur, comparandam uirtutem, consequendam gratiam. Quarta doctrina est meditatio uitæ & mortis, resurrectionis & ascensionis domini Iesu. Concaluit cor meum intra me, & in me, & in meditatione mea exarscit ignis, Psal. 38. Qui his quatuor doctrinis se exercuerit, utiq[ue] in omnibus deum habebit præsentem: & in illo semper suarum rerum scopum, & finem constituet, thesaurizabitq[ue] thesaurum in celo: ibique cor fixum retinebit. Nam ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum est. Si igitur in celo omnem thesaurum reponis, tam cor tuum ibi stabili mansione quiescet. Porro ex prædictis colliguntur tres, quas sacri theologi uocant penitentiæ, satisfactorias. Hæc sunt oratio, ieiunium, & elemosina: non a quocunq[ue] inuenta, sed ab ipso domino saluatore nostro prædicata, & a sanctis euangelistis scripturæ tradita. Oratio dominica instituitur cum septem petitionibus, omne id continens quod postulari potest. Ieiunium statuitur, & quanta sit puritate celebrandum præcipitur: non quemadmodum hypocritæ, sed lota facie, & uncto capite, ut soli deo ieiunans placere uelit. Ad elemosynam sermo exhortatur præcepto, cum thesaurum in celo recondi præcipitur. Namque manu proiicere in celum pecuniam, nemo potest: Nulla enim est tam fortis dextra, quæ quantumcunq[ue] ueluti collybitæ & campores literis, in celo condunt quas illis largimur elemosynas. Quodcunq[ue] inquit dominus, uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Matth. 25. Et psal. 111. Disperit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculo seculi. Sic ferunt respondisse beati Laurentii Decio Imper. cū thesauros ecclesie pauperibus impari uisset: Facilitates (inquit) ecclesie quas requiris, in cœlestes thesauros manus pauperū deportauerunt. Obstruatur igitur os loquentiu iniqua, cõfundantur negantes tres hæc penitentiæ satisfactorias. Credant catholici a domini ore didicisse ecclesiam hunc loquedi modum, hanc pro peccatis satisfaciendi normam. Orationibus igitur iustus, dominum in iugiter obsecremus, & beatos cum illo qui cœlestes spiritus hominum & angelorum precemur, ieiunia obseruemus, elemosynas indigentibus ministremus, consecratas has tres satisfactorias pro peccatis partes ore dominico custodiamus. Quando nulla apposta tam grauis pœna peccato est, quæ nõ oratione, ieiunio & elemosyna remittatur, gratia domini nostri Iesu Christi: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

Tres partes satisfactorias pro peccatis a dño instituta: ostenduntur.

TRA-

In scriptum cap. beati Mathæi.

Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum modio habebit, & alterum diliget: aut unum suscipiet, & alterum contemnet. Non potestis dea servire, & mammonæ. Postquam dominus cor dixit illic esse, ubi suum quicque thesaurum reconditum habet: intentionem hominis ad se deum dirigens, oculi tenebrorum similitudinem adfert: *Lucerna, inquit, corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit: Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebrae sint: ipse tenebræ quantæ erunt?* Si enim oculus non cernit, & lippitudine albugineus tenebre facit, corpus tuum ambulabit in tenebris: ad eundem modum si intentio hominis iniqua fuerit & obscura, omnia quæ fecerit tenebrosa erunt. Ne quis uero sibi persuasum habeat, se posse Deo servire & mundo, unum e duobus eligere necessarium esse ostendit. Si enim mundum, & ea quæ in ipso sunt diligis, a Deo recedis: si autem Deum diligis, omnia in ipsum referens, ipsi soli placere studes, & deum possides, & nihil tibi deerit. Scito, quod si te Deo committas, & illi soli seuias, omnia tibi necessaria ministrabuntur. Non potestis deo servire & mammonæ, hoc est in diuitiis. *Ideo dico uobis, ne solliciti sitis anime uestre, quid manducetis: nec corpori uestro quid induamini.* Quietis Christianæ hæc sacra uerba nos admonent. Vult. n. dñs suos Christianos a cæteris differre gentibus. Vult illos tranquillâ degere uitâ, quietâ possidere aiam, nõ virgeri curis, nec cogitationibus angere. Ipse se offert ad curam illorum gerendâ, & eorû negotiorum se constituit moderatorem. Est enim sollicitudo studium superflue adhibitum ad aliquid consequendum, secundum beati Thomæ sententiam. 2. 2. q. 35. Hæc autem quoniam tripliciter illicita est: dominus a suis remoueri iubet. Prima ea est iniqua: cum quispiam, dum modo temporale aliquid consequatur, nõ discernit, quibus id possit consequi mediis: quin immo siue per usuram, siue per simoniam siue per perurium aut fraudem protulerit, querit: & si adeptus sit possidet, retinet, letaturque. Quam sit iniqua hæc sollicitudo, facies eius ostendit; nec opus est illam plurimis coarguere uerbis. Alia sollicitudo est, quæ non iniquis mediis querit ad se trahere temporalia, sed usque adeo vehementi studio occupatur in procurandis terrenis, quod aueritur a spiritualibus: & nihil de Deo cogitans, nec sollicitus de bonis animæ, & totus se temporalibus dedens, inque illis nimis intentus; tepidus atque lenus ad omnia quæ dei sunt, & eius salutis utilia, languet. Prima igitur sollicitudo omnia iniqua agit, vt terrena consequatur. Secunda nihil boni agit, cum omnino sit homo absorptus in temporalibus acquirendis. Porro tertia sollicitudo trepidat, ne si faciat quæ bona sunt, & se totum deo committat, defectum in temporalibus patiatur. Quapropter renuit spiritualibus inseruire rebus, timens si nimium temporis in his consumserit, se defraudari terrenis, plusque de sua vigilantia & sollicitudine confidit, quam de dei cura. Qui & si uerbis interrogatus iure se id animo minime cogitare, factis inicitia non potest. Volunt omnes isti solliciti domui dei præesse: & illi anteferrî, qui dixit: ne folium arboris cadit, sine nutu patris uestri. Quos dominus benignissime quatuor rationibus arguit, simulque ostendit, si omnem in illum sollicitudinem proficiamus, nihil omnino nobis temporalium rerum unquam deficere. Prima igitur est. *Nonus anima plus est quam esca? & corpus plus quam sumentum?*

sumentum? Qui enim hæc tam præclara dedit; quomodo illa minima in horum comparatione non præstabit? Equidem cogitare non ualeo, cur ita sumus admodum solliciti temporalium rerum, cum experiamur ipsi in nobis habere animam rationalem, quæ omnes mundi diuitias antecellit. Pariter & corpus nostrum sensibus perquam pulchris dotatum cernimus, quod uel ipsa effigie & nobilitate cætera animantia antecellit. Cum igitur adepti simus hominum formam, neutiquam dubitemus omnia ad hæc necessaria ab horum largitore tribuenda. Quis enim rex, qui in sui regni ducem uel committit aliquem creat, & non illi ad hanc dignitatem tuendam & conseruandam, si non habet, præclara munera tribuat? alioquin illum non in statum eminentiorem constituet. Deus autem & dñs noster, cum nos ad sui imaginem & similitudinem fecit, inque adeo supremum statum euexit, non dubitandum, quin dabit escas qui dedit animam. Tribuet utique & uestem, qui donauit corpus. Secunda ratio est. *Respice uolatilia cali, quoniam non serunt, nec metunt, neque congregant in horreis: & pater uester celestis pascit illa. Non ne uos magis pluris estis illis?* Si enim Deus bruta sic alit, nec auicula decidit a conspectu Dei: tu homo quomodo existimas, quod Deus qui sic bruta curat, tui (cui omnia subiecit, oues & boves, uniuersa in super & pecora campi, volucres cæli & pisces maris, qui perambulans semitas maris) non maiorem curam geret, & pro te sollicitus erit? Sic enim propheta dixit: Dominus sollicitus est mei, Psal. 39. Et Psal. 54. omnibus consulit, dicens: Iacta cogitatum tuum in diuitiis, & ipse te enutriet. Propterea certissime crede, si tu de Deo tuo sollicitus sis, & eius obsequiis deditus, nihil tibi unquam deficere. Tertia ratio est: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque uent. Dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut unum ex istis, si enim forum agri quod hodie est, & cras in cibarium mittitur, deus sic uestro: quanto magis uos, modice fidei? Nulise ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Prorsus omnem ambiguitatem hæc ratio ex animo tollit. Cum enim Deus & dominus noster herbam agri tot perfectissimis pingit coloribus, tanta odoris suauitate replet: & sit omnipotens, qui talia tribuit destinatis ad iumentorum cibaria & fomenta cibari, cur non potius de hominibus ipsis, sub quorum pedibus hæc omnia calcanda dedit, curam geret? Cur non potius illis pabula & uestes subministrabit? Quod autem ipsa nostra sollicitudo nihil adiciat, si desit, ipsemet deus dicat his uerbis: *Quis autem uestrum cogitans, potest adiciere ad statum suam cubitum unum?* Cum tu igitur & si cogitans & te uigilia & sollicitudine torques, nullum incrementum tibi potes ipse præstare: quomodo, eo quod te curis exerceas (si desit diuinum placitum) adicies facultatibus incrementum? Igitur nolite solliciti esse de cibo, potu aut uestibus, nam hæc gentes inquirunt. Quarta ratio est: *Scit enim pater uester quia his omnibus indigetis. Queritis ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur uobis.* Quis enim habens patrem diuitem cui sit obsequissimus, de necessariis est sollicitus? Profecto nemo, modo sanæ sit mentis. Pater igitur carnis sollicitus est pro filiis, & Deus suorum obliuiscetur? pater opt. Max. potentissimus, ditissimus, qui omnia quæcumque uult potest, & omnia fecit: Scit enim, inquit, quia his omnibus indigetis. Querite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur uobis, & condonabuntur, cum mandata domini custodieritis. Hæc est regni iustitia, si facientes domini uoluntatem, eius obseruamus præcepta, & in eius perfitamus, gratia, bonis operibus semper intenti. Idcirco non se Deum aut dominum dicit: sed utique scit pater uester celestis quia his omnibus indigetis. Vt cum audis patrem omnem


De decimis & annatis solvendis, contra lutheranos.

omnem in eum, secundum beati apostoli Petri sententiam. 1. cap. 5. proiicia sollicitudinem. Quoniam ipse est, inquit, cura de vobis. Si enim haberes chirographum dirissimi mercatoris, quo tibi ad prescriptum diem aliquot aureorum millia polliceretur daturum, an non securus dormires? Securior esto, cum audis ex ore domini: Quærite primum regnum dei & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis. Nec te exemplum ab aliquibus adductum de Iacob patriarcha, qui nimium prima fronte videtur sollicitus, in dubium trahat, cum dixit Gen. 28. Si fuerit dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi dominus in Desi: & lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus dei, cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi. Hæc enim Iacob sollicitudo non secum euoluit, quærens quid agat, quove modo panem comparet ad edendum, & vestimentum quo opperiarur requirit. Ceterum omnem suam sollicitudinem in Deum proiciens, cum ipso loquitur, Deo cor suum pandit, verbo oratione effundit, Deum obsecrat. De eius manu accipere cibum & vestem & prosperitatem expectat. Illi se soli committit, nullum alium adiutorem quarit. Nullum hominem mercatorem requirit, non ad nundinas sollicitus properat. Atqui si fuerit, inquit, deus mecum, si illi placitum fuerit, mihi condonare cibaria & vestes, & prosperè reuertar in domum patris mei, erit mihi dominus in desi: cognoscam quod dominus me non deserit: quodque omnipotentia sua, qua deum se mundo ostendit, creans & gubernans omnia, memor est mei. Quemadmodum & David obsecratur, dicens: Esto mihi in Deum protectorem, Psal. 30. id est omnipotenter me protege. Et lapis iste vocabitur domus dei, cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi. Gratus ero, cum donaueris: donui tuæ reddam decimas. Iam pater eius Abraam Melchisedech decimas obtulit, Genes. 14. Cum autem in hunc locum obiter venimus, longius hanc reperamus decimarum oblationem: cum non desint, qui irrideant lutherani decimarum populi oblationem. Iam præmissimus Abraam se decimantem; & Iacob hæc voto deo offerentem, non sine numinis diuini instinctu. Quod beatus apostolus Paulus in epist. ad Heb. 7. confirmat dicens: Hic enim Melchisedech; rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obuiant Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuisit Abraam. Et Paulo infra, inquit: Intuemini autem quantum sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Ahraam patriarcha. Et quidem de filiis Leui sacerdotium accipientes, mandatū habent decimas fumere à populo secundum legem. Cuius autem generatio non annueratur in eis, decimas sumpsit ab Abraam. Et hic quidem, decimas mortentes homines accipiunt. Considera quotiens decimas repetit beatus apostolus condonari sacerdotibus. Et deus in euangelio Matth. 23. Væ vobis scribæ & Pharisei, hypocrite, qui decimatis mentam & anethum & Cymini; & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidē: hæc oportuit facere, & illa non omittere. Vides quemadmodum Deus approbat decimarum solutionem, cum dicit: Oportuit illa non omittere. Si enim non tenerentur homines decimas soluere sacerdotibus, diceret dominus: Hæc oportuit facere, & illa omittere, hæc est, illam decimationem. Cum autem præcipit illa non omittere, decimarum solutionem vtiq; approbat. Cæterum audiamus nunc legem & prophetas: Exod. 22. Decimas & primitias tuas non tardabis offerre. Et Leuit. vii. Omnes decimæ terræ, siue de pomis arborum, siue de frugibus, domini sunt, & illi sanctificentur. Omnium decimarum bouis & ouis & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimarum venerit,

rit, sanctificabit domino. Hæc sunt præcepta, quæ deus mandauit Moyfi & filiis Israel in monte Synay. Et Nu. 18. Filiis autē Leui dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis. Et Deut. 14. cap. Decimam partem separabis de cunctis frugibus, quæ nascuntur in terra per annos singulos. Et Ezech. 2. cap. 10. Ipsi Leuitæ decimas accipient ex omnibus ciuitatibus operum nostrorum. Et 2. Paralip. cap. 31. Rex Ezechias contractis idolis, demolitis altaribus simulachrorum, præcepit populo, vt darent partes sacerdotibus & leuitis, vt possent vacare legi domini. Quod cum percrebuisse in auribus multitudinis, plurimas obtulerunt primitias filii Israel frumenti, vini, & olei: mellis quoque, & omnium quæ genuit humus decimas obtulerunt. Et eccles. 35. in exultatione sanctifica decimas tuas. Et Ezech. 10. Ibi quæram primitias vestras, & initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris. Et Malach. 3. ca. Reuertimini ad me, & reuertar ad vos dicit dominus exercituum. Et dixistis: In quo reuertemur? Si affiget homo deum, quia vos configistis me? Et dixistis, in quo configimus te? In decimis & primitiis. Inferte omnem decimam in horreum meum, sit cibus in domo mea, & probate me super hoc dicit dominus, si non aperuero vobis ca tarthactas cœli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam. Ecce quot testimoniiis ius decimarum munitur, tum ex euangelio, ex apostolo Paulo, tunc ex lege & prophetis. An iustum sit quenquam lutherum magis au dire quam deum; iudicet æquus lector. Quod autem lutherani detrahunt annatis, quas beneficia accipientes reddunt summo pontifici, nulla illis suffragatur ratio: cum expresse Deus Nu. 18. cap. præcipiat minoribus sacerdotibus decimam partem reddere summo sacerdoti ex decimis, quas accipiunt a filiis Israel decimatus. Præcipe, inquit, leuitis, atque denuncia, cū acceperitis a filiis Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerre dño, id est decimam partem decima, & date eam Aaron sacerdoti. Cum autem hoc in singulos annos in sancta ecclesia non fit per minores sacerdotes, statuerunt pontifices in oblationem pro suis necessitatibus subleuandis: quamprimum quis beneficium ecclesiasticum consequitur, aliquam decimarum partem pendere summo pontifici. Et hanc oblationem dicunt annatam, siue annuatam: quoniam singulis annis in lege dabatur, nunc semel in primo anno offertur. Queramus igitur in omnibus regnum Dei, & hæc omnia adicientur nobis. Nequis sit sollicitus de crastino. Crastinus enim dies sollicitus est sibi ipse: sufficit dies malitiam suam: hoc est ipsa dies secum ducit instabilitatem. Finit namque & rapido raptu tempus dilabitur: & cum nos uiuere credamus, illa dies ita nos fugit, atque adeo disparet, vt nusquam in sempiternū illa eadem sit futura. Si hæc omni die consideratio per horam intra cordis arcanum obreperet: nec solliciti essemus, nec anxiam degeremus vitam, & omniaque nostra, & nos in manus redemptoris nostri semper reiciētes, læti vitam ageremus gratia eiusdem: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

Annatarū origo, quæ summo debetur pontifici, contra lutheranos.

TRACTATUS VNICVS,
IN CAPITVLVM SEPTIMVM
BEATI MATTHAEI.



DEVS & dominus noster Iesus Christus postquam, prout in precedenti cap. continetur, affectus & opera nostra in ipsum dirigere docuit: in principio huius quemadmodum nos erga proximos habere debemus ostendit, dicens. *Nolite iudicare, & non iudicabimini, a deo scilicet. Nolite condemnare, & non condemnabimini. In qua enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensuraueritis, remetietur vobis.*

Manifeste indicat Deus peccare illos qui in deteriorē partem proximorum facta interpretantur: illa scilicet quae manifeste per se non sunt praua. Namque iniqua opera manifesta non iudicat, qui nouit & condemnat. At vero illa quae vel bona sunt, vel bono aut malo animo fieri possunt, in deteriorē partē interpretari malitia est, atque adeo peccatum graue, quantum opus quod iudicas, si male fiat, iniquitatis praesert. Si tu ergo iudicas proximum, a deo iudicaberis: in quo enim iudicio iudicas illum, in illo quoque a deo iudicaberis. *Et remetietur vobis*, inquit. Quoniam forsitan iusto Dei iudicio sit, ut qui male iudicat, ipse etiam ab aliis male in hoc seculo iudicetur: & tandem nisi poeniteat, a domino Deo damnetur. Quoniam autem dei iudicium, quo in ignem aeternum, qui temere alios iudicat, nisi poeniteant, damnatur: acerbius est ea poena, quam patitur ille de quo tu temere iudicas in hoc seculo: fortasse ideo dicitur, *Et remetietur vobis*. Hoc est quod apostolus Paulus optimē de euangelio edoctus prohibet, ad Ro. cap. 2. dicens: Propter quod inexcusabilis es, o homo, omnis qui iudicas: in quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas. Et eadem epist. cap. 14. inquit, Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicat. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? domino suo stat, aut cadit, stabit autem: potens est enim deus statuere illum. *Quid autem uidet festucam*, Interpretandum est, quam utique iudicas in oculo fratris tui, & irabem in oculo tuo non uides? *Aut quomodo dicit frater tuus: Frater sine eiciam festucam de oculo tuo: & ecce iras est in oculo tuo? Hypocritas, eice primum irabem de oculo tuo: & tunc uidebis eicere festucam de oculo fratris tui.* Aliorum operum per scrutatores se primum percutari oportet. Non enim consentaneum est, parua in fratribus oculatus inueniri, & magna in se ipsis non considerare. *Nolite dare sanctum canibus nec mis* *tis margaritas uestras ante porcos.* Non decet immundis purissima sacramenta ministrari, nec sublimiora euangelis fidelibus proponere. Sic usus est beatus Paulus apostolus Actuum 14. Lystris cum uellet fidem praedicare, non a peralibus sacri euangelij, sed a comaruni sensu incepit, dicens: Et nos mortales sumus, similes uobis homines, annunciantes uobis, ab his uanis conuerti ad Deum uiuum, qui fecit caelum & terram, mare, & omnia quae in eis sunt. Qui in praeteritis generationibus, dimisit omnes gentes ingredi uias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de caelo, dans pluuias, & tempora fructifera: implens cibo & letitia corda eorum. *Et Act. 17.*

Cum

Cum esset Athenis, & a sapientibus quaereretur de eius doctrina, stans in medio, Areopagi dixit: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitioniosiores uos video. Praeteriens. n. & uicens simulachra uestra, inueni & aram in qua scriptum erat: Ignoto deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio uobis. Hinc Paulus argumentum sumpsit, & praedicationis thema: Primum illis unicum deum annuncians, deinde deuenit ad Christum dominum, quem noluit dei filium nominare, sed tantum suscitatum a mortuis: & ut poenitentiam agant, quoniam in viro hoc iudicaturus est orbem terrarum in aequitate. Sic oportet illos docere gentes, qui ad aliquas eorum regiones deuenierint. Ne porci euan gelicas margaritas & mystica dei sacramenta pedibus conculcent, & uelut canis diripiant praedicanter. Ab uno igitur deo incipiendum, a creatione & prouidentia, qua gubernat omnia Deus. Cum his assenserint, trinum utique in personis & unum in essentia paulatim inferre decet: quo possit peruenire ad incarnationem unici filij dei. Deinde non subito praedices uerbum caro factum, prius animae ostende immortalitatem, deinde hominis primi peccati & mortem, & tunc induces deum misericordia motum, & filium suum mittentem: eo quod aliter iustitia, quae deo semper cum misericordia coniuncta inest, rationem suam habere non poterat, nec misericordia sua. Et sic effectum esse, ut pro nobis Christus iustissime patri summo debitam nostris peccatis poenam perfolueret: & iustitia omnimodo adimpleretur in morte eius, & nos miseri a diaboli potestate per Christum iustissime & misericordiosissime eriperemur. Tunc adducatur sacramentorum doctrina, & reliqua fidei nostrae mysteria: quae sancta proponit catholica & orthodoxa ecclesia: sicque fiet, ut margaritae non conculcentur a suis, nec canes docentem diripiant. *Petite & dabitur uobis: quae uis & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis.* Culpa non accipientis, est negligentia petentis: cum de uoluntate dantis non dubitatur. Exemplum inducit dominus de filio a patre postulanti. *Si ergo uis cum sitis mali, uos bonae dare filijs uestris: quanto magis pater uester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se?* Scripius nos patrem in caelis habere repetit, ut in illum omnis noster semper dirigatur affectus. *Omnia ergo quaecumque uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis.* Haec est enim lex & propheta. Illud enim a natura insitum, quidquid tibi uis fieri, alteri facias, & quod tibi non uis fieri, alteri non facias. Generalis igitur regula est, omnia quaecumque uis ut faciant tibi homines, idem & tu fac illis. Vis tibi remitti iniuriam, & tu illam remittes. Vis cum deficiat dentur tibi bona, & tu indigentibus tribue necessaria: uis neminem tibi nocere, neminem laedere? nec tu etiam noceras aut laedas proximum. Vis uxorem tuam & hereditatem a nemine concupiscere? & tu concupiscere aliena noli. *Uitae per angustiam portam, quia lata portae & spatiosa uia est, quae ducit ad perditionem: & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta portae, & arcta uia est, quae ducit ad uitam: & pauci sunt qui inueniunt eam.* Iam nunc in caelum, si possem, intentius exclaimarem: optaremque hanc Christi uocem in toto terrarum exaudiri orbe. Cui enim angustam portam & arctam uiam uite diceret dominus: & latam & spatiosam portam & uiam perditionis, praedicaret: peccatores hoc esse haereticorum dogma, ut latam portam & spatiosam uiam insipientibus proponant hominibus, statim subiunxit dicens, *Attendite a falsis prophetis, quasi dicat, qui aliter praedicantur sunt uobis, latam dantes portam, spatiosam ostendentes uiam, falsi sunt utique: & si uenerint ad uos in uestimentis ouium, adducentes prauo suo sensu & peruerentes tunc sacri euangelij uerba, & apostolorum sanctorum epistolas: nolite illis credere: quoniam intrinsecus sunt lupi rapaces.* *A syn-*

R. 2 negli-

Norma
qua sit in
delibus p-
dicandū.


Αγγὼς -
229.

Contra lu-
thcranos
onidit chri-
stus ma-
gram esse
fide, debi-
lem, & in-
firmam.

negligunt, & putant se sola saluari fide, & per illam tantum merita passionis Christi attingere. A fructibus eorum cognoscetis eos. Non præstant fructus; nolunt opera. Numquid colligunt de spinis uinas, aut de tribulis ficus? Spine sunt; tribuli sunt; nullum opus; nullum fructum præstant: de sola radice fidei inaniter gloriantur. Igitur ab eorum operibus cognoscetis eos. *Non omnis qui dicit mihi, domine, domine, intrabis in regnum cælorum: sed qui facit uoluntatem patris mei qui in cælis est.* Audi operatorem: qui facit inquit, non qui credit, tantummodo dicens, *Christe, Christe, prout lutherani faciunt. Multi in illa die, quando sci licet iudicaturus sum, dicent: Domine, domine, nomen in nomine tuo prophetauimus; demonia eiecimus; & in nomine tuo uirtutes multas fecimus?* Et tunc constitebor illis: *Quia nunquam noui uos: Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem.* Hic uides eiecitur lutherum cum omni sua caterua dicentem: *Christe domine, Christe domine, nec operantem.* Vide nunc quod tibi proponit fides catholica: sine operibus, & gratia, non te sola fide saluari posse. *omnis inquit, qui audit uerba mea hæc, & facit ea. Audit & facit. Aduerte factorem: Aduerte operatorem. Et facit ea, assimilabitur uiri sapienti, qui edificauit domum suam super petram, quoniam nulla vi tempestatum diuelli potuit. Qui autem audit lutherum, qui audit euangelium, & non facit, & non operatur. Et non facit ea, similis est uiro stulto, qui edificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, & flauerunt uenti, & ueruerunt flumina, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna.* Hic etiam malos Christianos oportet intelligi, qui fidem habentes, charitate nec opera habent. Cum hæc Deus dixisset. *Admirabantur turbæ super doctrinam eius, inquit euangelium. Erat enim docens eos sicut potestatem habens.* Hoc est tibi liberè, tum sanctè, tum uerè, tum uerbo penetrans corda eorum. *Non sicut scribæ & pharisæi, non sicut hæretici deprauantes scripturas, atque tanquam ueris legislator, uerusque deus: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in ætèrnum. Amen.*

T R A-

TRACTATUS PRIMVS,
IN CAPITVLVM OCTAVVM
BEATI MATTHAEI.



VM autem descendisset Iesus de monte, secuta sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus ueniens adorabat eum dicens: Domine, si uis, potes me mundare. Sequebantur domium turbæ cum propter miracula, tum propter doctrinam eius. Prædictum enim per Oseâ legimus: *Viuemus in conspectu eius: sciemus sequemurque, ut cognoscamus dominum.* Cum enim opificium Dei simus, utpote ad eius imaginem & similitudinem conditi, tunc uerè nostrum obire munus uidemur cum dominum sequimur: Si enim uideres œconomum regis nunquam aulâ ingredi, sed per agros deambulare, huc atque illuc per ciuitatis uias discurrere, nonne mirareris? Obstat pence igitur, cum audis beatum Aug. dicentem: quod Deus fecit hominem propter te, & cætera propter hominem: & ipsos uides hoies parû aulam Dei frequentare, ægre ad illud accedere, uix ingredi. Merito igitur turbæ sequuntur dominum, cum descendit de monte. Præcipue .n. cum Deus factus est homo, cum ad nos uenit è cælis. Inclinauit cælos, inquit Dauid, & descendit: multiplice lege tenemur ad dominum accedere, & illi adherere semper, & nunquã recedere. Leprosus autem pronus adorabat eum dicens: *Dñe, si uis, potes me mundare.* Magna huius uidetur fides si inter illos (quos prout dixit supra in fine c. 4. beatus euangelista, Deus sanauit: Sanans, inquit oem languorè, & infirmitatè in populo) nemo fuit a lepra curatus. Tunc .n. iste primus est huius infirmitatis sanatus languidus: & cum aliunde non haberet exemplum, dicens: *Si uis, potes me mundare, fidè diuinitatis uidetur habere.* Et si posset dici, non Deum suspicatum fuisse: sed uirum sanctissimum: præcipue, si ante eum aliquis fuerit a lepra sanatus. Prima sententia magis apta uidetur sacri euangelii literæ, eo quod respondens leproso pro uoto dñs, ait: *Volo, mundare.* Ac si dicat, quoniam confessus es, quidquid uelim posse: hoc .n. soli deo inest, uolo. Ut autem experientia uideas quod credidisti, me scilicet posse quæcumque uolo, mundare: & subito mundatus es. Discant principes, in pauperes oia quæcumque possunt facere bona. Discant et non oia uelle quæ possunt, sed illa potius quæ iusta sunt & cõsentanea róni. Non .n. dixit iste leprosus: *Si potes, uelis: me oia quæ possumus, illa faciamus,* Ceterum ait. *Si uis.* Ea quippe uelle proprie dicimus, quæ secundum rónem volumus. Voluntas .n. a rónè soluta, non uoluntas, sed iniquitas dicenda est, fex & bulla uoluntatis. Infirmitas & tribulatio hinc uincit est documentum ut non eam, quæ uolunt, salutem, & quæ desiderant libertatè, a Christo dño absolute postulant: sed oïno de dñi bonitate consili dicant: *dñe, si uis, potes: non dico, ut facias quod ego uolo, sed quod tu.* Si uis, potes sanare & ab omni tribulatione eripere. Cum enim uolueris tunc mihi proderit salus, tunc a tribulatione creptio. Utiles reperiuntur infirmitates & labores ad tria: Per dolores enim & inualitudines purgantur peccata, & excitantur uirtutes. Infirmitas & tribulatio non uanitatibus, non cibis & uestibus delectatur: non ludis & mundanis solatiis tripliciter indulget: orat, & gemitibus a deo entice contendit eripi ab angustia, qua pre-
Tribulatio pcedit tripliciter.

mitur: & lachrymis & singultibus id efflagitat. Tertio coelestem patriam desiderare, & presentem vitam abhorrere & despiciere faciunt. Concupiscit enim homo liberari a tantis doloribus, percipit eripi a tot flagellis, & iam se desiderat in illam deuenire patriam, ubi nullus dolor, ubi nulla angit infirmitas, sed omnia sana & libera, omnia lata & prospera semper habentur. Et confesum mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris, sed uade ostende te sacerdoti, & offer munus tuum, quod praecepit Moyses in testimonium illis. Duo praecepit Deus nunc leproso, ne cui dicat: & ut se sacerdoti ostendat, & munus a lege iniunctum offerat. Ne cui dicat: interpretantur beatus Hieronymus, & beatus Hieronymus, ne se de recuperata salute iactaret: enarrans omni volenti audire, se sapienter orasse, & talia uerba dixisse, quod dominus ad illa eisdem responderet uerbis: Si uis potes me mundare. Volo, mundare: ex quo edocemur, nos non nobis inquam, non nobis, sed nomini domini dare gloriam. Abulensis ait, hoc praecepisse dominum, ne occupatus in sua responsione salutis, negligeret se ostendere sacerdoti, & offerre. Quod autem praecepitur se ostendere sacerdoti (quod etiam aliis decem leprosis dominus iniunxit, prout refert cap. 17. beatus Lucas) peccata confitenda sacerdotibus, deus in lege ueteri praefigurans nunc in noua statuit. Et offerre iubetur: quoniam peccator, qui libere sacerdoti sua confitetur peccata opera satisfactoria pro peccati iniuncta adimplere tenetur. A mara profecto haec interpretatio lutheranis, & quidem illa uerissima. Qua de re luculentius, annuente deo, tractabimus, cum in 17. cap. de uenerimus, ubi de poenitentiae sacramento agimus, & sacramentalem confessionem a Christo domino institutam ostendimus. Oblatio autem, quam leprosi secundum legem offerre tenebantur, hoc ipsum manifestat. Legimus enim Leuit. 14. Hic est ritus leprosi, quando mundandus est. Adducetur ad sacerdotem, qui egressus de castris, cum inuenerit lepram esse mundatam, praecepit ei qui purificatur, ut offerat duos passeris uiuos pro se, quos uesci licitum est, & lignum cedrinum uermiculumque & hyssopum. Et unum ex passeribus immolari iubebit in uase fictili super aquas uiuentes: alium autem uiuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum, qui mundandus est, septies, ut iure purgetur, & dimittet passerem uiuum, ut in agrum uolet. Die autem octauo, assumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absque macula, quae cum similia & oleo & in multis caeremoniis iubentur offerri: & sic homo rite mundabitur. Duo passeris qui iubentur offerri, anima & corpus sunt. Tristitiam enim in anima, & dolorem de peccatis habere: tum & corpus, quo peccatum per aliquem ex eius sensibus est perpetratum, ieiuniis, & aliis afflictionis operibus punire decet. Iubetur occidi in corde culpa, super aquas uiuentes, lachrymas ueras intellige: in uase fictili, id est ex corpore morituro manantes. Et in duplicentia passer uiuus, corpus utique intingit in hoc dolore, ne deinceps talia facere auit: cum cedrino ligno, hoc est in cruce domini: & cocco, memoria sanguinis eius: & passer uiuus, corpus inquam, in his tinctus poenis, flagellis, ieiuniisque, in memoria passionis & sanguinis domini euolet in campum, recedat enim ab omni consortio, quod illum ad peccandum induxit. Et in die octauo, hoc est, post iugem in bono perseuerantiam, offerat duos agnos, custodiat scilicet duplicem innocentiam, unam intus in corde, alteram uero extra in opere: & ouem anniculam absque macula: Est enim ouis fructuosum animal: quippe quae lac, lanam & agnos possessori praestat: ferat & peccator uberrimos, ad instar ouis, bonorum operum fructus: & quos tempore leprae peccatorum deperdidit, deinceps cumulatum domino reddat. Tuncque indefinenter cum propheta clamitet:

Exitus

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Similam & oleum offerat, hoc est misericordiae opera in indigentibus hilariter exerceat, & sic rite mundabitur. Non enim tantis caeremoniis lepra mundaretur morbus, & per sacerdotem agnosceretur & purgaretur, nisi peccatorum & poenitentiae expressa esset figura. Et cum sacerdos huiusce morbi praeter ceteris iubetur esse cognitor & medicus, manifeste ubique declaratur, peccata quae uere sunt lepra animae, a sacerdotibus agnoscentia, & per sacerdotes fore curanda, & uirtute passionis domini per sacramentalem absolutionem remittenda, & operibus per poenitentiam iniunctis salutaribus reddenda. Quae omnia per manus sunt sacerdotis, quoniam ipse haec omnia arbitrat & iubet facienda: & per leprosum offeruntur, quoniam ipse est qui adimplere tenetur iniunctam a sacerdotibus poenitentiam. Quod si haec, haereticis, erecto, ac superbo supercilio dicas moraliter interpretata, interim tu literam da cum luthero, & responde: quare potius leprosi, tantis caeremoniis, selectisque oblationibus mundari iubentur, & hoc non per manus medicorum, quorum interest de his cognoscere, sed potius per manus sacerdotum praecipuntur mundari: si non aliquid mysticum designaretur in sancta ecclesia per manus sacerdotum ex praepcepto Christi, in mundatione peccatorum faciendum? cui Christo domino cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in aeternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In octauum cap. beati Matthaei.

CUM autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego ueniam, et curabo eum. Et respondens centurio, ait: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum die uerbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites: et dico huic, uade, et uadit: et alio, uenit, et uenit: et seruo meo, fac hoc, facit. Audiens autem hoc Iesus, miratus est, et sequentibus se, dixit: Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem uobis, quod multi ab oriente et occidente ueniunt: et recumbent cum Abraam et Isaac et Iacob in regno caelorum: filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium. Et dixit Iesus centurioni: Uade, et sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora. Quod autem de hoc centurione refert beatus euangelista Matthaeus, accessisse ad dominum, & postulasse paralyticum seruo suo salutem: & dominus cum se praesto uenturum diceret, replicasse: Non sum dignus ut intres sub tectum meum: Beatus Lucas capit. 7. explanat, non per se, sed per seniores Iudaeorum id fecisse Centurionem illum, cuius uerba haec sunt. Centurionis autem cuiusdam seruus male habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudaeorum, rogans eum, ut ueniret, & saluaret seruum eius. At illi cum uenissent ad Iesum, rogabant eum solliciti, dicentes ei: Quia dignus est, ut hoc illi praestes: diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse aedificauit nobis, Iesus autem ibat cum illis. Et cum iam non longe eilet a domo, misit ad eum centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari: Non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres, propter quod & me ipsum non sum dignum arbitrat, ut uenirem ad te: sed dic uerbo, & sanabitur puer meus. Sic ergo accipiendum est omni ambage semota, quod beatus Matthaeus dicit: uenisse centurionem non per se, sed per Iudaeorum

Iudæorum seniores, prout refert beatus Lucas. Et cum ait dixisse centurionem: Domine non sum dignus, ut intres sub testum meum: per amicos quos misit, ad dominum hoc dixisse. Ipse ergo centurio dixit amicis: Ite & dicite domino, ne vexetur ad me venire: nō enim dignus sum, quōd intret sub testum meum. Summa namque scripturam sacram interpretandi ratio illa est, cum per alium locum eiusdem sacræ scripturæ scriptura ipsa interpretatur. Cum igitur beatus Mat. dicit centurionem uenisse ad dominum, accipiendum est per suos nuncios Iudæorum seniores primo, deinde per amicos. Maxime cum beatus Luc. dicat: Propter quod & me ipsum non sum digni arbitratu ad te venire. Cū ergo uenisse dicitur: per suos amicos, qui ab eius ore uerba referrent fideliter, accessisse intelligendum est, neque hæc sic intellecta aduersa censentur: cum ea quæ ex ore nostro per nuncium dicenda alicui præmittimus, per nos dicere utique conuincimur. Quod autem deus ait: Non inueni tantam fidem in Israel: placet beato Hieronymo de illis intelligi, quibus tunc Deus predicabat, non autem de fide præcorum patrum & uicentium apostolorum. Beatus Ioan. Chrysost. id accipiendum existimat, referentem personam hominis gentilis centurionis: qui prophetis & scripturis muniebatur, iudæis. Quemadmodum si aliquam philosophicam sententiã rusticus dicat, nunquam tale aliquem philosophorum dixisse dicimus. Abulensis tamen propius literæ accessisse uidetur: Ait namque: In his quibus miracula salutis operatus sum, in quibus omnibus fides est necessaria, non inueni tantam fidem: cum iste profiteatur me ubicunque sim, posse sanare, & in exemplum se adducat dicens: quod seruis imperata perficere necessarium est, & a prohibitis abstinere: sic deus posse in morbis, & in omnibus: & remouere infirmitates, & facere quæcumque uellet. Naturam autem tanquam suo auctori in omnibus illi obedire. Videtur etiã posse uere dici: non inuenisse dominum tantam fidem in Israel, quanta inuenit in gentibus: quoniam iste fuit gentium primus quæ recepit dominum post beatos reges: de quibus dixit beatus euangelista. 2. ca. & primus ex gētibus in quibus dominus miracula operatus est. Gessit quæ gentium typum, cum dicit se esse indignum in cuius domum descendat deus, cum per apostolos populus gentium fidem suscepturus erat. Huic interpretationi fauere uidetur, quod dominus subiunxit dicens. *Dico autem uobis, quod multi ab oriente & occidentem ueniet & recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob* gigantes significans: *Fili autem regni Iudæi scilicet, eicientur in tenebras exteriores.* unde in hoc quod præc. sit: Non inueni tantam fidem in Israel, nationem gentium comparare uidetur nationi Iudæorum: & ampliore fidem inuenisse in gentibus, quàm inuenerat in Iudæis. Itaque populus gentium in centurione significatur, & huius populi fidem præponit fidei populi Iudæorum. Fuit tamē aliquorum ex Iudæis fides præstantissima, prout patet in apostolis cernere. Exemplo huius centurionis docemur, quantum de domino considerare tenemur. De sperans uero, tanquam misericordiæ dei contemptor, reputatur a beato Thoma Et Scotus tales dicit ad credendum sollicitandos, quoniam ex defectu fidei dilabuntur. Si enim firmiter crederent, & deo confiderent, non desperarent. Illud ueruntamen animaduertendum est: quemadmodum despondere est diabolicum, ita pariter præsumere absque meritis & gratia saluari, maxime esse perniciosum. Arrogantia superbissima & diabolica reputaretur, a rege cui nunquam aliquid obsequii præstitisset, munitum castrum pestulare: nec sanæ mentis quisquam ab illo mercedem expectat, cuius opus non nouit. Docet insuper centurio iste, cuiusmodi curam domini debent exhibere famulis: quæque pietate in ægritudinibus illis medici. Docet adhibēdos medicos, ac præcipue

S. Tho. 2.
2. q. 14. art.
2.
Scot. in 3.
dist. 26.

capue illum supremum animarum Christum deum, in principio infirmitatis, sacramento confessionis præuio: mox eucharistiam illis facere administrari, de quæ suis si quæ sunt disponere, & sacramento sacræ extremæ unctionis per ecclesiæ ministros eos iungi. Qui enim suorum (inquit beatus apost. Paulus. 1. Thimot. ca. 5.) maxime domesticorum curam nō habet, fidem negauit, & est infidelis deterior: in hoc reuera, propterea quod infidelis natura edoctus facit: Christianus uerō, qui charitate pollere præ cæteris debet, suos nonnūquam negligit. Summam igitur curam tenemur adhibere his, qui nobis ministrant, & sub nostro patrocinio degunt. Qui enim molles est (inquit Salomon prouerb. 18.) & dissolutus, frater est sua opera dissipantis. Molles sunt desides, qui nec malis resistit, nec de bono solliciti sunt. Dissoluti sunt qui nullo astringuntur uinculo: neque illos dei amor & proximorum, nec dei timor impellit ad suæ salutis & suorum curam gerendam. Sunt ergo isti germani sua inuicē, opera dissipantes. Nam quidquid hodie operantur, crastino deperditur: quemadmodum si ædificantem uideres, quem hodie extruxit parietem, crastino demolientem. Haud aliter isti sic molles & desides, nulloq; uinculo alligati, omnia bona dissipant, cum terrena tum & cœlestia. Bonus autem centurio de salute serui sollicitus, dominum fide magna adit, firmiter namque omnia eum posse confidit: & sanatus est seruus eius, uirtute & potentia domini nostri Iesu Christi: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS TERTIVS,

In octauum cap. beati Matthæi.

PVERO centurionis sanato, Christi domini se diffundit diuinitas, ad sanitates plurimis agris largiendas. Ingressus domum Petri, eius focum febricitantem continuo sanat: & uespere dæmonia eiicit, uerus deus, & omnibus languidus sibi oblatis sanitatem præstat, uera salus, ut adimpleretur, quod dicitur per Esaiam prophetam alientem. cap. 53. *Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit.* Deinceps autem qui legis hunc Esaiæ locum, non de peccatis intelliges, sed de infirmitatibus corporalibus, quas Deus misericors & miserator curauit. Nam de peccatis in eodem cap. habes: Ipse autem uulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, cuius liuore sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, unusquisque in uiam suam declinauit: & posuit dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Videns autem Iesus uerbas multas circum se, iussit discipulos parare nauiculam ad transfretandum. Et accedens unius scriba, ait illi: *Magister sequar te quocunque ieris: Cui dominus. Vulpes foveas habent, & uolucres cæli nidus: filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Adco magnam sponte Deus pro nobis suslinere uoluit pauperitatem, ut se auius pauperiorum & animalibus dicat. Quod prænotans beatus apostolus Paul. 2. Corin. 8. inquit: Propter nos egenus factus est, cum esset diues: ut illius inopia uos diuites essetis. Filium autem hominis cum audis, uirginis intellige filium, uel filium terre, id est corpus habens terrenum siue Adam. *Attus autem de discipulis eius, ait illi: Domine dimitte me primum ire, & sepelire patrem meum.* Hoc est esse cum patre meo, quousque diem extremum claudat. *Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Tu qui sequeris dominum, uiues. Sequere ergo uitam. Qui mortuam ui-

tam degunt, ipsi oculos parentum claudant morientium. Et ascendente eo in nauiculam, quam preparari præceperat, Sequuntur enim discipuli eius: & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus, ipse uero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine salua nos, perimus. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis modicæ fidei: Tunc surgens imperauit uentis, & mari: & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic, qui a uenti & mare obediunt ei? Si propter flagitia hominum Christus dominus dormiat, nisi excitetur, Christiana resp. periclitabitur. Aduertere tamen necessarium esse prædicantibus prælatis, & orbis moderatioribus, aliquando a cœtu hominum separari. Importuna namque est hominibus spiritualibus, secularium hominum turba. Sunt enim plerique eorum importuni negociatores, rerum temporalium curiosissimi exquirtores, auditores uerbi & non factores. Hoc est quod beatus apost. Paul. 2. ad Theff. 3. dicit: De cætero fratres orate pro nobis, ut sermo dei currat, & clarificetur, sicut & apud uos: & ut liberemur ab importunis & malis hominibus. Secessit ergo dominus turba relicta, & lassus dormit. Ut autem omnibus innotescat, quâvis obruamur periculis, si dominus suæ pietatis oculos nobis clauerit: ecce dormiente domino iam valida suboritur tempestas, spumat æquor, extolluntur in cœlum undæ, fremit furibundum mare, impletur nauicula fluctibus, pauent apostoli, timore magno perterrentur discipuli, mortem obuersari ante oculos cernunt. Bene tamen sibi consultum putant, dum ad auctorem omnium Christum recurrunt: quanquã fidelius illud fecissent, si flexis genibus, coram humanitate dormiente, ipse diuinitatem semper vigilantem orarent, ut tantis periculis illos eriperet. Ecce, inquit David, non dormitabit, nec dormiet, qui custodit Israel. Somno fessos artus reficiebat Christus, cæterum uigilabat uerbum in principio Deus. Suscitauerunt igitur eum dicentes: Domine, salua nos, perimus. Si ille non saluos non fecerit, sane peribimus. Solus enim saluare potest, solus auxiliari, & a seculi huius eripere fluctibus. Quis enim euadere posset procellam mundi? seculi ventos? prædones superbiæ? fluctus iræ? spumas carnis? nisi valida manu Christi adiuuetur, & excitetur. Cæterum piensissimus dominus, cum ita procellis iratum mare uidisset, ac penè demersam nauiculam ab inuidantium aquarum impetu, primo carpit suæ diuinitatis sopitam in corde discipulorum fidem: Quid inquit timidi estis modicæ fidei: Quicquid a me nõ fecerunt, quandiu perseuerat mecum, haudquaquã perire potest: turbari potest, mergi non potest. Iam hic reuera fluctuantis ecclesiæ typum ostendit: quæ quantiscunque fluctibus quatitur, insurgat in eam seculi huius tempestas, se uiant uenti, hæreticorum conuitiis blasphemetur, tyrannorum, infidelium turmæ minentur: ipsa tamen secura persistet, donec ponantur inimici eius sub sca bello pedum spongi eius. Tunc ad mare conuersus deus, increpauit dicens: (p. ut refert beat. Mar. c. 4.) Tace, obmutesce. Subitoque siluit mare, sedata est tempestas, complanati sunt fluctus, & facta est tranquillitas magna. Mirati sunt homines obedientiam aquarum, & uentos uerbo obtemperantes: & dicebant, Qualis est hic, quia mare & uenti obediunt ei? Subitas mutationes mirantur homines in fide exigui: qui autem validam fidem habent, ingratarum actionem soluunt, considerantes clementiam dei, attendentes eius in peccatores mansuetudinem. Non admirantur mirabilia domini, eum omnia posse firmiter credunt: sed admirantur clementiam, benignitatem, & patientiam: pariterque laudant & glorificant dominum omnipotentem tale operantem. Transmisso mari, applicuerunt ad regionem Gerasenorum, quæ est ex altera parte huius maris, ex aduerso Capharnaum. Ibi que Occurrerunt ei duo homines habentes da-


monia,

monia, de monumentis exeuntes, seu nimis, ita ut nemo possit transire per uiam illam. Dæmones secundum suam naturam affectus & effectus consequuntur sunt. Optigitur & omnipotens Deus Max. iustissimè illos pro peccato suo punit, naturalem tamen non aufert effectum, reprimittque eorum potentiam. Ipsi dicuntur seui nimis & loquaces: alter erat mutus: alius furiose in ignem & aquam puerum deiciebat. Clamauerunt isti: Quid nobis & tibi Iesu fili dei? uerum huc ante tempus torquere nos? Nec dæmones isti illum credebant filium dei, cū neque eorum princeps in deserto hoc potuit a Christo domino experiri: Veruntamen tentantes, rogabant eum, ut fineret illos in porcos ingredi. Ecce quanta est Dei uirtus, & dæmonis inbecillitas. Nec enim in porcos ingredi poterunt absque permisso Dei. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & magno impetu illos in mare proiecerunt. Suffocati sunt sues, fugerunt pastores in ciuitatem: exierunt ciues, & rogabant eum, ut transiret a sinibus eorum. Sunt aliqui deuoti uiri, & pietatis speciem præferentes, qui tamen Christum sequi nolunt sine porcis, id est sine temporalibus. Vtque enim gaudent, & spiritu & diuitiis. Quippe Christum se querere dicunt, & temporalia cõgregant: omnino similes istis Gerasenis, qui noluerunt Christum in suis sinibus sine suis: quem alias cum porcis nedum eiicerent, uerum & retinere. Eorum autem uoto annuit sapientissimus deus, & ascendit iterum in nauiculam, & in Capharnaum rediit: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS PRIMVS,

IN CAPITVLVM NONVM

BEATI MATTHÆI.



ROGANTIBVS Gerasenis dominum ut a sinibus eorum recederet, quoniam uolebant Deum cum temporalibus, aliis non: prout in ultimis præcedentis tractatus uerbis notauimus. Ascendens Iesus in nauiculam transierat. Iterum mare transiit a Genezareth in Capharnaum, quæ ita dicitur ciuitas ob assiduam in illam conuersationem. Cum autem esset in domo in qua hospitabatur, secundum Mar. 2. cap. & Luc. 5. Ecce offerrebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et non inuenientes, qua parte eum ante dominum statuerent, ascenderunt, secundum Marc. & Luc. supra te dūm, & sub motis tegulis submiserunt illum ante Iesum: qui a quatuor secundum Marc. c. 2. portabatur. Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphematur. Et cum uidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus uestris? Quid est facilius, dicere: Dimittantur tibi peccata tua? an dicere: Surge & ambula? Vs autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam. Videntes autem sub terræ

vunt, & glorificauerunt deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Luc. 5. Quia vidimus mirabilia hodie: Et Marc. 2. Quia nunquam sic vidimus: Hinc collige quantum pro salute animæ agendum sit: cum pro paralytico, & paralyticis & portantes eum, nihil faciendum relinquunt. Alienum. n. cōscendunt tectū & tegulas auferunt. Si igitur p̄ nihilo laboris impenditur, quid pro salute animæ, quæ est hominis totum, prætermittetur intactum? Nihil enim est salus, nihil honor seculi, nihil diuitiæ: si quidem vere illud dicitur nihil, quod in nihilum ferre reducitur. Considera honores quemadmodum euanescent, diuitiæ vt relinquuntur, corporis salus quomodo morte vna cum vita finitur. Et tunc recte cum Dauid dices: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis, Psal. 75. Hic rerum temporalium summam Dauid reduxit ad nihilum: Et nihil inuenerunt, inquit, in manibus suis. Non enim illa æstimaui vt centum, nec vt decem, denique nec ut unum sed vt nihilum. Et ego (inquit idem alibi Psal. 72.) ad nihilum redactus sum, & nesciui. Attende igitur postremam seculi vanitatem. Pro nihilo bella mouent reges, prælia committunt duces, mutuisque cædibus se fecant homines. Pro nihilo mortalium plurimi ad tribunalia iudicum polixas intendunt lites: non pauci immensa transmittunt maria, uigilant, & duro & rudi aluntur pane. Si vero quæras, quid inde tadem sunt consequuti? illud in promptu est: Nihil inuenerunt oēs uiri diuitiarum in manibus suis. Cum igitur omnia temporalia in nihilum redigantur, anima autem in æternum uiuat, quid non, quæso, pro salute animæ sit faciendum? Atqui paralyticus iste, & eius portitores cū tāta pro illius salute faciant: in eo edocent nos, quanta cura & sollicitudine proximorum animarum salus sit procuranda. Ista siquidem pietate ducti in altum subleuant paralyticum, & illum deiectis tegulis, apertoque tecto intromittentes statuunt ante dominum. Videns autem dominus fidem illorum. Etiam paralytici fidem oportet intelligas. Nam aliàs non se permetteret super tectum ferri, moxque submitti, si non ipse crederet salutem se a domino consecuturum. Euangelista uerò basilatium fidem notauit, non paralytici: quia ipsorum fuit consilium, eum per regulas domino præsentare, est aliter nequiuissent, adeo feruens & constans fuit fides illorum, & charitate repleta. Attende autem contra hereticos, pro proximis & amicis opera facta prodesse. Cum enim audis dominum Iesum inuentem fidem portantium paralyticum, & eorundem peregrinantium e paralytici domo in hospitium domini: ex eo fit manifestum prodesse uiam, admissum laborem, proficuum deprecationem, receptamque fidem. Videns, inquit, Iesus fidem illorum. Pro paruulis baptizandis faretur pedagogus fidem, & dum quæritur a paruulo octauo die natus: Credis in deum patrem? respondit patrinus, credo. Credis in Iesum Christum dei filium? ait, tenens, credo. Credis in spiritum sanctum paracletum ex patre & filio procedente? respondit leuans paruulum, credo. Credis sanctam & apostolicam unam ecclesiam? similiter pro paruulo respondens, credo. Quoniam intuitus est Deus paralyticum portantium fidem & acceptauit, non tantum in salutem corporis, quin etiam & animæ, cum dicitur: Videns Iesus fidem illorum dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Interueniendi ergo meritum habent sancti, iusque impetrandi. Ne igitur procaciter loquaris hæretice: fateri necesse est proximo posse proficere, & ante dominum bona opera, & obsecrationes pro proximis oblatas prodesse. Quod si in terra uidens Iesus fidem illorum, salutem paralyti cōdonat: quanto magis a beatis cum illo in glōria collocatis exoratus, præstabit? Fili, inquit, remittuntur tibi peccata tua. Deus solus potens, rex regum & dominus dominantium, non modo

Contra hereticos, de oratione sanctorum.

peccata

peccata non impropere paralytico, uerum etiam filium uocat: quod quidem diuinum est. Nemo enim inimicum, aut illum a quo sit offensus, si coram statuat, filium uocat, peccata remittit: semperque dominus potiora postulatis donat. Salutem enim corporis poscebat iste: prius donatur animæ, deinde quod petit præstat. Dominus radicem & originariam debilitatis huius paralytici causam intuitus, prius peccata remittit: cum propter peccata hoc illi accepisse non dubitemus: Idcirco dominus fontem infirmitatis prius purgandum statuit, deinde paralytici fluxum inde manantem. Et quidam de scribis & pharisæis, vt etiam ait (beatus Luc. cap. 5. dixerunt intra se: hic blasphematur. Quis (inquit idem beatus Luc. illos dixisse) potest dimittere peccata, nisi solus Deus? In hoc secundo recte cogitant: in primo autem ipsi blasphemant, cum dominus Iesus ipse est Deus. Et cum uidisset Iesus cogitationes eorum, qui solus nouit perspicue hominum cogitationes: (cum solus Deus secundum theologorum sententiam, anima possit illabi: Angeli uero per Dei reuelationem, ignis, uel coniecturis, cogitationes hominum cognoscunt: demones per exteriora signa & coniecturas) ait illis. Vt quid cogitatis mala in cordibus uestris? quid est facilius dicere, dimittantur tibi peccata tua, an dicere: surge & ambula? Secundum ipsos scribas & pharisæos perspicuum est, facilius esse dicere: Remittuntur tibi peccata tua. Quoniam aliud est dicere remittuntur, aliud siquidem est remittere. Næque remittere solus Dei est: Dicere autem remittuntur, quisquis mentiri potest. Ideo quoniam secundum vos, difficilius est dicere: Surge, & ambula: & quoniam in procinctu uidere est, an paralytici ambulet, an nō: & sciatis hoc mains, quod est remittere uere peccata, quod solus Dei est, & huius mee diuinitatis testimoniū adduci irrefragabile, faciā illud maius secundum sensum uestrum; quod est in integram paralyticum restituere ualentudinem. Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: tunc ait paralytico, Surge uille lectum tuum, & uade in domum tuam. Non solum autem te pristinae restituo ualentudini, uerum etiam tantum uirum confero, ut qui modo portabaris a quatuor, iam tu te ipsum & lectulum, in quo ferebaris baiules. His auditis erigit sese homo eodem momento, super humeros lectum imponit, totisque uiribus restitutus, abiit gaudens in domum suam. Mirati uero sunt inuicem, & deo laudes reddebant qui dedit potestatem talem hominibus. Adhuc tamen Iudæi cæci non perceperunt, ex tam infallibili eorum argumento: quis potest dimittere peccata nisi solus deus, Christum dominum uerum esse Deum: qui in testimonium peccatorum a se paralytico remisit, ipsum in integram restituit sanitatem. Quo certe miraculo se deum esse manifestissime comprobauit: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In nonum cap. beati Matthei.

Et cum transiret inde Iesus, uidit hominem sedentem in teloneo, Mattheum nomine. Sicut aliàs beatus Paulus de se dicit. 1. Thimot. 1. Qui primus blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, sed & misericordiam Dei cōsequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Et prima Corint. 15. Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus uocari apostolus, quoniam persecutus sum

sum ecclesiam Dei. Ita beatus Matthæus, nunc se adducit sedentem in teloneo, exigentem et recipientem uectigalia, tributa, & exactiones publicas. Si autem hac a Romanis aut a Iudæis fuisset imposita, non scribitur. Sufficit namque id munus & exercitium publicis tributis & exactionibus esse accommodatum, quod uix absque culpa exerceri potest, & Reipublicæ est odiosum, nec obitur nisi ab hominibus lucris temporalibus deditis. Tanto igitur odio sua peccata prosequuntur sancti, dum uiuunt, ut non modo in se errata continuus fletibus & gemitibus & afflictionibus puniant, verum etiam omnibus innotescere uelint se peccatores exitisse: ut quid ex se sint, quid per misericordiam Dei consequuti fuerint, omnibus manifestetur, ex his duobus Deo Opt. Max. gratiæ referantur: qui peruersos ex se, facit sanctos per gratiam suam. Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israel, ipse dabit uirritem & fortitudinem plebi sue, benedictus deus, Psal. 67. Quapropter beatus Thomas prima. 2. Iustum, inquit, deus aliquem faciens, magnum opus facit: magis quam creasse coelum, ex parte siue ex magnitudine rei factæ, quoniam ordinatur iustus ad uitam æternam: ex parte modi agendi, maius est ex nihilo facere aliquid. *Et ait illi. Sequere me. Et surgens sequutus est eum.* Verisimile est, notum fuisse beato Matthæo miraculum paralytici: quod mox præcesserat, & alia signa quæ Christus dominus operatus fuerat in Capharnaum: & audiuisse dominum prædicantem. Quod si non audiuit neque signa uidit: sufficit hæc uox: Sequere me. Non enim sedebat Paulus; quinimo per uiam pergebat, spirans minarum & cædis in discipulos domini. Et cum audiret: Saule, Saule quid me persequeris? tremens & stupefactus inquit: Domine quid me vis facere. Non enim uox dei uox est alicuius hominis, cui possis si ipse uelis resistere. Ita enim hominem adit, ita cor occupat, sic ingreditur animam & totum concutit hominem: sic tamen ad se uoluntate libere trahit, ut libere captus sequatur dominum: in illum liberam uoluntatem flectens, quam captiuam ante & obnoxiam peccatis gerebat. Nec dicas, quomodo iste una uoce: alia beatus Paulus, alia beatus Petrus sequuti sunt dominum? & Matth. diuitias, Paulus furor, Petrus nauiculam sic sponte relinquunt? Vox enim Dei est: Dauid Psal. 28. Vox maiestatis intonuit, deus super aquas multas. Vox domini in uirtute: vox domini in magnificentia: vox domini confringentis cedros: & confringet dominus cedros libani. Et comminet eos tanquam uitulum libani. Si enim uentus fortissimas turres euerit, si procella altissimas rupes decidere facit, si inundans flumen domos ruinat, si ignis deflam comburit syluam, & summa celeritate cõsumit: (Hæc omnia creature dei & eius factura sunt, & tantam vim fortissimis corporibus inferunt) quanto magis uox domini cor conterit, animam uertit, hominem mutat, & in illam partem uoluntatis libertas uergit, ad quam uoce domini homo uocatur. Vox tonitruui tui in rota, sagittæ tuæ transeunt, inquit Dauid Psal. 76. Inspirationes, motiones tuæ domine transeunt, uox tonitruui tui in rota totum circumdat hominem. Quo effugiat non habet, liber ueruntamen seruus efficitur ueritatis & uirtutis, qui captiuus fuerat mendacii & iniquitatis: *Et sequutus est eum.* Luc. ca. 5. addit: Et relictis omnibus secutus est eum. Existimo rationem reddidisse beatum Matthæum creditoribus, si quos habebat: & disposuisse de suis rebus secundum Deum, qui tunc uere pauper effectus, & sibi retinens nihil, sequutus est dominum Iesum. Nunc autem surrexit post Christum, deinde sequutus est eum: fecit enim illi in domo sua conuiuium beatus Matth. quem unicum ex apostolis legimus in conuersione excepisse dominum in domum suam, & illi ad conuiuium inuitalisse. In domum tamen Petri præcedenti cap. legimus dominum introisse, & focum sanata Petri, illa domino ministrasse. Cæterum in conuersione

uersione beatus Matth. unicus in hoc inter cæteros apostolos, conuiuium domino apparuit in domo sua. *Et factum est, discumbente eo in domo:* cum scilicet hæc res innotuit publicanis: qui alias in domo beati Matthæi de more conuenerant: *Ecce multi publicani & peccatores uenientes, discumbebant cum Iesu, & discipulis eius.* Mira mansuetudo & inestimabilis benignitas Iesu. Non dedignatur publicanorum & peccatorum cateruam, duplici exemplo nos commonefaciens, ne scilicet dedignemur peccatores, nec illos a nobis tanquam indignos repellamus: & cum nos in peccatum incidisse nouerimus, ad fontem purissimum, in quo peccata lauantur, non vereamur accedere: cum nunc uideamus publica nos & peccatores discumbere cum Iesu. O imperferutabile iudicium Dei: cum peccatoribus & publicanis manducat dominus, & peccatorum consortium non aspernatur: è diuerso phariseos relinquit, de sanctitate sibi nimium arrogantes: & qui in oculis hominum sancti iudicantur. fallax enim iudicium hominis iudicia autem domini uera, & iustificata in semetipsa. *Et uidentes pharisei, dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister uester?* Hoc tanquam aspernantes & dedignantem dicebant: quemadmodum & alter dixit phariseus, Luc. 7. Cum peccatrix mulier ad domini pedes prostrata eos lachrymis irrigabat: Hic si esset propheta sciret, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Vera iustitia (ut inquit beatus Gregorius) habet compassionem, falsa autem dedignationem. *At Iesus audiens ait: Non est opus ualentibus medico, sed male habentibus.* Hanc a domino prolatam sententiam nemo potest inficiari. Non enim medici ingrediuntur domum, ubi nullus reperitur morbus: sed illas potius frequentant domus, ubi sunt languidi, de more illos uisitantem. Quod & ad Xenodochia languentium pauperum se conferunt, quantumcunque celebres sint medici. Cum autem Christus uenit cœlestis medicus, cum peccatoribus ideo manducat & bibit, ut animarum uitia sanet. Quod si magna laude dignum illum arbitraris medicum, qui cum sit diues, & forte regius protomedicus, pauperis infirmi domum ingreditur: cur non potius Christum summis extollas laudibus, quod ad pauperes dignatus sit peccatores descendere, & eorum introire domos, & misericordiam facere cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti. *Emtes autem discite quid est, scilicet quod scriptum est in Osea cap. 6. Misericordiam uolo & non sacrificium.* Misericordia enim domini plena est terra. Sacrificium autem ueteris legis huius misericordie typum gerebat in sanguine: quoniam Deus in mundum ueniens misericordiam redemptionis suo sacro sanguine effuso in peccatores resperfusur erat. *Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores.* Addit beatus Luc. cap. 5. ad penitentiam. Itaque & si omnes iusti per gratiam Christi iustificuntur præuia fide: uocatio tamē ad penitentiam solis peccatoribus necessaria fuit. Illud est quod beatus apostolus Paulus primo Timoth. ait: Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus uenit in hunc mundum, peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Omni acceptione dignus utique sermo est, cum audiamus ex ore domini, qui peccatores fumus: Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad penitentiam. Quæ perfecta appropinquabit regnum cœlorum, gratia domini nostri Iesu Christi: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS TERTIUS,
In nonum cap. Beati Matthæi.

Quæstio domino proponitur a discipulis Ioannis, quare eius discipuli non

h non ieiunent. Approbatur per dominum ieiunium contra lutheranos, cum ait: *Aufertur ab eis sponfus, & tunc ieiunabunt*: De commissura uero panis rudis & uini noui adducit exemplum, ad significandum, quousque noui fierent per aduentum spiritus sancti, sic paulatim deducendos esse ad summam perfectionem: qua adepti, tunc ieiunarent altiora & pretiosiora ieiunia, cum a cibis, tum ab omni quod foedare animam possit: *Et loquente ad eos, ecce princeps uisus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine filia mea modo defuncta est: Veni & impone manum tuam super eam, & uiuet*. Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius. Marc. 5. cap. ait: *Filia mea in extremis est*. Luc. 8. dicit nomen huius archifsynagogi esse, Iairus: & quod unica ei filia erat ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur. Itaque quod dicit beatus Matth. sic accipiendum est: dixisse Iairum archifsynagogum: *Domine filia mea in extremis est, & existimo modo esse defunctam: Sed ueni, & impone manum tuam & uiuet*. Et surgens Iesus sequebatur eum. Facilitas domini ad omne opus bonum edocet nos nihil inmorari, cumque rogamur a proximis non manus steriles & vultum demissum ostendere: quinimmo lætos postulata præstare hilari facie, opereque faciendo. *Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim, accessit retro, & tetigit fimbriam uestimenti eius. Dicebat enim in se: Si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero*. Hæc secundum Luc. ca. 8. omnia sua in medicos erogauerat: & secundum Marc. ca. 5. ne quicquam profecerat, sed deterius habebat. Ecce, ut sine Deo uana est omnis medicina. Optime igitur stabilitum est per ecclesiam, & in cap. Cum infirmitas, de penitentiis & remissionibus, iure sanctum, ne prius medici infirmis corporalia tribuant medicamenta, quæ peccata sua consistantur sacerdoti, & domini corpus suscipiant. Infigitur, nisi sapius propter delicta infirmitatis pœna. Cum uero causa infirmitatis remoueat, re uera facilius sanitati ægrotus restituetur. Fimbriam tangere cupiebat: siue id dicat pro inferiori extremitate uestis, siue pro fimbriis, quas in lege Nu. 15. dominus filiis Israel præcepit, consutas in marginibus pallij connectere. Locutus est (inquit) deus ad Moysen dicens: *Loquere filiis Israel, & dices eis: ut faciant sibi fimbrias per quatuor angulos palliorum, & ponant in eis vittas sacynthinas: ut recordentur omnium mandatorum domini*. At Iesus conuersus. Cum illa tetigisset uestimenti eius fimbriam, secundum Luc. cap. 8. tetigit fluxus sanguinis eius. Et ait Iesus: *Quis me tetigit?* Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: *Præceptor turbæ te comprimit & affligunt, & dices: Quis me tetigit?* Dominus autem: *Tetigit me aliquis, nã & ego noui uirtutem de me exisse. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens cecidit ad pedes eius: & ob quam causam tetigisset, coram omni populo indicauit: & quemadmodum confestim sanata sit. Inquit, beatus Matth. At Iesus conuersus, uidens eam dixit: *Confide filia, fides tua te saluam fecit*. Adhuc illo loquente (inquit Luc. cap. 8.) venit quidam ad principem synagogæ dicens ei: *quia mortua est filia tua, noli uexare illum*. Iesus autem audito hoc uerbo respondit patri puellæ: *Noli timerè, crede tantum & salua erit*. Prosequitur beatus Matth. *Et cum uenisset Iesus in domum principis: & uidisset iuuenes, & turbam tumultuantem, dicebat: Non est mortua puella, sed dormit*. Quemadmodum dixerat de Lazaro, Ioannis. 11. *Lazarus amicus noster dormit, de morte dicens. Et deridebant eum (inquit beatus Luc.) scientes, quia mortua est. Verè enim mortua puella iacebat. Et cum eiecta esset turba, & assumens tantum secum, prout ait Luc. Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem & matrem puellæ: tenuit manum eius, & dixit: *Puella surge, et surrexit continuo*. Et secundum Luc. iussit illi dare**

Medici
egris con-
sulat ut sa-
cramenta
percipiât.

dare manducare. *Et exiit*. secundum Matth. *scilicet hæc in uniuersam terram illam*. Et si à granissimis & sanctis doctoribus hæc puellam nouerimus designare peccatores occultos, quos dominus suscitauit: iuuenem autem illum, de quo Luc. 7. qui ad portas ciuitatis Naim suscitatur, peccatores publicos: Lazarum autem, Ioannis. 11. affluens factos peccatis, & in illis confensentes: tamen non abs re dicitur, hæc puellam significare Iudæorum populum, quem dominus in domo patris suscitauit: & iuuenem illum signare gentilem populum, qui publice idola colebat: & extra ciuitatis portam deferebatur, quia contra naturæ legem uiuebat: Lazarum autem designare Iudæos, qui iuxta finem seculi cõuertentur: qui eo usque increduli permanentes, reliquæ salutæ sicut. Ex his tamen propinquius literæ accedentes illud ponderant, quod dum dominus euocatur ad Iudæam puellam suscitandam, altera prius a profluio sanguinis sanatur: ex quo denotari uolunt, quod dum apostoli ad prædicandum Iudæis uiam salutis a domino destinarentur, & illis non credentibus domino, nec discipulis eius, apostolos cõuersos esse ad gètes. Populus igitur gentiū sanatur in uia & transitu: postea uerò cõuertentur Iudæi, secundum illud Esa. 10. Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquæ cõuertentur. Ex eo beatus apostolus Paulus ad Ro. 11. Nolo uos ignorare fratres mysterium hoc, ut non sitis uobis ipsis sapientes: quia cæcitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Tempus autem huius cõuersionis Iudæorum signat Malachias cap. vlti. dicens: *Ecce ego mittam uobis Heliam prophetam, antequam ueniat dies domini magnus, & horribilis: & conuertet cor patris ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forte ueniam, & percutiam terram anathemate*. Itaque antequam Deus ueniat ad iudicandum orbem, & ignis ante ipsum præcedat, & inflamet in circuitu inimicos eius, Psal. 96. Helias uenturus est. Qui Helias adhuc uiuere creditur, siquidem uiuus in curru igneo raptus est, prout legimus 3. Reg. 2. cap. Et sic commuiter exponitur illud Apoc. 11. cap. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti faccis: de Helia, & Enoch, qui legitur translatus a domino uiuens, Gen. cap. 5. Hi enim prædicaturi sunt tempore antichristi: & ad prædicationem horum duorum testium, legis naturæ. Enoch, & legis scriptæ Helig. Iudæi credent in Christum; & cõuertentur ad euangelicam legem gratiæ. In hac sententia sunt beatus Athanasius in epist. ad Ro. cap. 11. supra memorato: & beatus August. lib. 20. de ciuitate Dei cap. 29. Item beatus Cyrillus in Ioan. cap. 5. & beatus Greg. lib. Moralium. 8. Horum autem Iudæorum misera bilem cæcitatem, quæ usque in illam diem perduratura est, noui nostris his temporibus præcipue inniti cap. 13. libri 4. Esdræ, ubi sic legitur: *Et quoniam, inquit, uidiisti eum (scilicet hominem quandam, quem in capite proposuit somnij sui) colligentem ad se aliam multitudinem pacificam: hæc sunt decem tribus, quæ captiue factæ sunt de terra sua in diebus Osæ regis, quem captiuum duxit Salmasar rex Assiriorum: & translulit eos trans flumen, & translati sunt in terram aliam. Hos dicit transisse per flumen Euphratem, & uocari regionem illam Arsareth. Inde illos dicit Esdras in nouissimo tempore exituros. & ex illis dicunt qui hodie sunt Iudæi, uenturum, quem expectant, pseudo messiam: cum de hoc nulla in litera illius cap. mentio fiat. Ceterum quoniam Iudæi per Satanam obcæcati, ut eorum merentur delicta, recepturi sunt Antichristum: eo quod dominum Iesum uerum Dei filium, & uerum sibi Messiam in lege promissum non receperunt: & quoniam hoc somnium Esdræ perperam interpretantur, rei ueritatem in confusionem illorum*

T pandam.

Contra Iu-
dæos, de
sommo Es-
dræ.

pandā. Liber igitur ille. 4. Esdræ nec in Hebræo habetur, nec inter canonicos recipitur ab ecclesia: & tertius similiter. Primus autem Esdræ & secundus, & in hebræo habentur, & inter canonicos ab ecclesia recipiuntur. Somnium etiā dicit fuisse, & non reuelationem, cui nulla adhibetur fides. Cæterum quoniam ab aliquibus dicitur, Iudæos sub Salmanasar captiuos, non omnes fuisse reuerfos in terrā Iudæ: sed illuc apud Assyrios permanisse nulla necessitate cogente, respondebimus debili huic fundamento, & proteruæ Iudæorū opinionis. In primis igitur palam ostenditur captiuos Iudæos reuerfos fuisse in terram Israel, Tob. vii. qui & ipse fuit tunc captiuus. Prope erit, inquit, interitus Ninive, non enim excidit verbum domini: & fratres nostri qui dispersi sunt a terra Israel, reuertentur ad eam. Ecce quemadmodū necessariū est lateri vel omnes reuerfos, vel certe plurimos ex ipsis, quī etiā nō omnes a minori vsque ad maiorem in captiuitatē denensisse verisimile est. Memorandum igitur, quomodo post mortem Salomonis scissum est in duas partes regnum Iudæorum. 3. Reg. 12. Roboā filius Salomonis regnavit in Hierusalem super tribum Iudæ & Beniamin. Hieroboā seruus Salomonis super alias decem tribus. Et Roboā rex Iudæ nominatur, Hieroboam rex Israel. Reges vero Iudæ, qui ex stirpe Dauid descēdebāt rectā linea idolatrarunt aliquādo, plurimīs ex ipsis veri dei cultores permanētibus. Reges autē Israel a primo vsque ad nouissimū idola coluerūt. quādo captiui sunt a Salmanasar rege Assyriorū. 4. Reg. 17. Sed esto, quōd captiui sint decē tribus Israel, quōdque aliqui ex ipsis nunquam redierint ad Samariā, quorsum hæc ad Messie aduentum? qui promissus est a Deo de tribu Iudæ, & stirpe Dauid venturus, Psal. 131. Iurauit dominus Dauid veritatem, & nō frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponā super sedē tuā. Psalmus iste vt colligitur ex præcedentibus & consequētibus, de Messia loquitur. Propter Dauid seruum tuum, nō auertas faciē Christi tui. Et parauit lucernā Christo meo. Neque unquā aliquis Iudæus negauit Messia de tribu Iudæ, & generatio ne Dauid uenturum. Sic autem & ipsi (prout habetur Matth. 22. cap.) responderunt quæretī domino: Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Et Iacob Gen. ca. 49. venturum Messia de tribu Iudæ protestatur spīritu prophetico, de venturis filiis suos erudiēs, hæc verbis: Iudæ te laudabūt, inquit, fratres tui: manus tuæ in ceruicibus inimicorū tuorum, adorabunt te sicut filij patris tui: catulus leonis Iudæ. Ad prædam filij mi ascendisti, requiescēs ac cubiuiti vt leo & quasi leæna, quis suscitabit eum? Nō auferetur sceptrū de Iudæ, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentiū. Ligās ad vineā pullum suum, & ad vitē filij mi asinā suā. Lauabit in vino stōkā suam, & in sanguine vūe pallium suum. Pulchriores sūnt oculi eius vino, & dentes eius lacte cādidiores. Qua ergo fronte dicunt Iudæi ex captiuis per Salmanasar vēturum Messia cum tribus Iudæ nō sit captiua, neque unquā venerit in regnum Assyriorum, nec unquam Euphratem pertransierit. Etenim tribus Iudæ captiua fuit in Babylone annis septuaginta, sub Ioachim rege Iudæ, prophetante Daniele & Hieremia plangente. Quo tempore decem tribus iam descendērant in Assyriorum captiuitatem. post autem annos septuaginta reuersa est tribus Iudæ & Beniamin in terram suam. Quod reuelatum fuit Danieli cap. 9. ac simul annunciatum est illi tempus aduentus Messie, & occisionis Christi, & desolationis Hierusalem. Dicente Gabriele archangelo. Daniel, nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo. Ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animaduerte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sūnt super populū tuum, & super vrbe sanctam

sanctam tuā, vt consumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sēpiterna, & impletur visio & proferia: & vngatur sāctus sanctus Hierostij. Scito enim & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem usque ad Christum ducent hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit eius populus, qui cum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vnā: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in tēplo abominatio desolationis: & vsque ad consumationem & finem perseverabit desolatio. Expressa hæc propheta est, de aduentu Messie post hebdomadas septuaginta, quarum quælibet annos continet septem, prout habetur Leui. 25. Quo tempore a captiuitate babylonica numerandō, anni quadringenti nonaginta supputantur: Occisionem domini expresse vaticinatur: & venturum Romanorum ducem Titum ostendit, & desolationem templi vsque in finem mundi duraturam. Quod & Nu. 24. Balam vaticinatus est, dicens: Orietur stella ex Iacob, & confurget virga de Israel. Venient in triceribus de Italia, superabunt Assyrios, natiūntque Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt. Cum autem manifestissimum sit, Messiam de Tribu Iudæ, & genere Dauid venturum, & tempus aduentus eius describitur: non est quod suspicentur Iudæi de Israelitico populo decem tribum capto posse unquam oriri Messiam, cum tribu Iudæ & generationi Dauid sit a Deo promissus. Ex decem autem tribubus vel omnes vel fermē omnes Iudæi reuerfi sunt ex Assyriorū captiuitate in terram Israel: vel plurimi in regno Ozæ remanserunt, prout contigit in captiuitatibus fieri. Itaque quando venit deus noster Iesus Christus verus Messias, ex omni tribu Iudæorum erant habitantes in terra promissionis. Quod ostenditur Luc. cap. 1. Fuit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de uice Abiā, & uxor eius Elisabeth de filiabus Aaron. Cum audis in diebus Herodis regis Idumæi, memineris ablatum fuisse sceptrum Iudæ iuxta prophetiam Iacob: Non auferetur sceptrum de Iudæ, & dux de femore eius: donec veniat, qui mittendus est. Et ipse erit expectatio gentium. Cum audis sacerdotem de tribu Leui, scito vel non captiuos omnes ex decem tribubus, sed ex omni tribu. habitatam fuisse terram promissionis, quo tempore Deus dignatus est in terram descendere: vel omnes ex captiuitate reuerfos. Legitur etiam At. 1. Erant autē in Ierusalem habitantes (hoc est, qui conuenerant ad diem festum Pentecostes) utri Iudæi religioſi ex omni natione, quæ sub cælo est: Parthi & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiā, Phrygiā, Cappadociā, & Pamphiliā, Pontum & Asiam, aduenē Romani, Cretes & Arabes. Quo manifestissimē comprobatur, reuerfos esse a captiuitate omnes sub Salmanasar captiuos, vel potiorum eorum multitudinem. Quod verbis etiam id magis manifestantibus beatus Iacobus in sua canonica epist. cap. 1. asserit, dicens ijs qui crediderant ex omni tribu in Christum dominum: Iacobus Dei & domini nostri Iesu Christi seruus duodecim tribubus, quæ sunt in dispersionem, salutem. Et apostolus Paulus ad Agrippam, Acto. 26. Et nunc in spe, quæ ad patres nostros promissionis facta est a Deo, sto iudicio subiectus: in quam duodecim tribus nostræ, nocte ac die deseruientes sperant deuenire. Certe beatus apostolus Paulus, nisi essent duodecim tribus in Iudæa, non diceret in spe Messie, Deo seruire nocte ac die. Constat autem duodecim tribus tunc

habuisse terram promissionis in regno Israel: alioquin non scriberetur a tam sancto viro duodecim tribus, si decem deessent. At vero quid immoramur: cum impossibile sit, ex aliqua de decem tribubus Israel, nec de Balamina, quæ connumeratur cum Iuda sub rege vno venire Messiam. Hoc enim soli tribui Iuda, & ex illa tribu vni familiæ radicis Iesse, Dauid scilicet filio eius, à Deo facta est promissio. Egredietur, inquit Esai, Virga de radice Iesse, & flos de radice eius accedet. Et iterum, radix Iesse, qui stat in signum omnium populorum: ipsius gentes deprecabuntur. Hinc igitur non est possibile, ex tribubus decem captiuis sub Salmanasar posse venire Messiam: cum ex sola tribu Iuda & genere Dauid sit de Messia facta promissio. Porro ex tribu Dam, quæ vna est ex decem tribubus prodidit pessimus Antichristus, quem miseri Iudæi suscepturi sunt, secundum quod ait dominus Ioannis 7. Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Venit Christus in nomine patris sui: quoniam secundum scripturas Dei ore prolatus, & tempore a prophetis præscripto venit: & illum non susceperunt Iudæi. Venit Antichristus in nomine suo, & illum recipient. Quod autem Iudæi dicunt venturum Messiam cum potentia temporalis, legant Zachariam cap. nono: Dicite, inquit, filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi manufactus, sedens super asinam & pulum filium eius subigalis. Quod in die, quæ Dominus sedens super vtrūque iumentum ingressus est Hierusalem, adimpletum est. Et Esai. 62. c. inquit: Dicite filiæ Sion: ecce saluator tuus venit, ecce mercus eius est eo, & opus eius coram illo. Ut autem opus eius scires dici passionem, qua redemptum est genus humanum, sequitur: Quis est iste qui venit de Edon, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua gradiens, in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcanti solus. Ecce quod dixerat Iacob de Iuda (quod supra adduximus ex cap. 49. Gen.) de qua tribu prophetauit venturum messiam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vnae pallium suum: denotās sanguinem dominis, quo torum eius sacratissimum corpus tinctum est in passione sua. Secundus autem aduentus ad iudicandam erit in nube cum potestate magna & maiestate: quamuis regnet per suos Christianos cum magna potentia, quoniam ipsi potentissimi & ditissimi reges sunt, ipsaq; Roma caput orbis summo parer pontifici. Solus enim Christus dominus (prout dicit beatus apostolus Paulus prima Timo. 6.) rex regum, & dominus dominantium. Et Apoc. 19. Et habet in femore, & in vestimento scriptum: Rex regum, & dominus dominantium. Itaq; pauper est Christus in suo primo aduentu, ditissimus tamen prodigiis, miraculis, & uirtutibus, perq; suos potentissimè regnans. In secundo verò aduentu apparebit iudicaturus viuos & mortuos, potentissimus cum maxima maiestate. Ad decem autem tribus iterum sermo noster recurrat. Siue ergo dicas Esdræ somnium apocryphum, siue fatearis aliquos ex decem tribubus inter Assyrios permanisse: nihilominus constat ex omni tribu, quæ sub cæle est, vixisse Iudæos in terra promissionis: siue hi sint ex reuerfis à captiuitate Assyriorum, siue sint ex his, qui fugientes antequam ceteri in seruitutem redigerentur, seruari sunt. Nihil ergo ad aduentum Messiae hoc testimonium facit: quinimo contra ipsos Iudæos semper scriptura pugnat: quæ expressè multis in locis, Messiam de tribu Iuda ex Dauid genere venturum testatur. Quæ quidem tribus Iuda non fuit vnquam inter Assyrios capti: quæ captiuitas solas decem tribus Israel comprehendit, non tribum Iuda, & domum Dauid, & genus eius. De qua tribu, & de quo dauidico genere dominus Iesus Christus natus & passus est, & resurrexit tertia die, &

ascendit

ascendit in cælum, & venturus est iudicare viuos & mortuos. Qui verus Deus Messias ostenditur tum per sacram scripturam in eo verè impletam, tum ex doctrina eius, tum & miraculis innumeras, & nunquam ab alio sic effectis: tum etiam a sacramentis ab eo in salutem nostram institutis, à Spiritu sancto testimonium reddente in die Pentecostes, & ab eodem vsque hodie gubernante ecclesiam suam. Quod autem proteruè retorquere Iudæi nituntur illud Osæ cap. 3. dicentis: Sedebunt dies multos Iudæi sine rege, sine sacrificio: de secundo aduentu Messiae ad iudicandum, accipiendum est, vel de captiuitate Babylonica, prout latius tractatu 9. & vlt. in 28. cap. beati matthæi differemus, Christo domino annuente: cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QVARTVS,

In nonum cap. Beati Matthæi.

TANGIT mulier, comprimit turba Christum. Importuni non tamen oportunt Christiani per præsentiam adfunt in ecclesia, Deum adorant, & venerantur: veruntamen non tanguunt, non imitantur Christum: vt pote non eius verborum obseruatores, sed auditores tantum facti. Dum enim se Christo per fidem coniungunt, & verbis consentunt Deum, factis tamen abnegant. Accedamus igitur ad dominum: non quidem illum comprimentes cum turba, sed fideliter per imitationem tangentes, & sanabimur a peccatorum profluio. Ceterum quomodo ad Christi vestis tactum (vel cum iam ipse diuinis manibus tetigit oculos cæci nati, surdi auricularum & linguam) refundatur salus, paucis ab solutam. Animaduertendum est, omnem artificem duplex instrumentum habere, coniunctum & separatum: quibus anima vtens omne absolutum operum, coniunctum mouetur. Manus artificis dicitur coniunctum illi instrumentum. Secutis, dolabra, serra & similia, separata dicuntur: ab anima mouetur primum, per primum mouetur alteram. Diuinum igitur verbum a Deo patre, lumen de lumine indeficiens, Deus verus de Deo vero, genitus nõ factus cõsubstantialis patri, per quem omnia facta sunt, vnica sibi in vnitæte suppositi nostræ fragilitatis substantia, tanquam instrumento coniuncto vtetur ad sanitates donandas, & ad eius tactum mirabilia operandum. Quemadmodum. n. qui scitibundi ad fontem recurrunt ex rupe manentem, & vnusquisque ore uel uase a motu aquæ sibi haurit abudè, nec ipsa minuitur ob multitudinè haurientium: & quæ ad modum ignitum ferrum, omnes tangentes adurit: haud secus humanitas Christi a diuinitate habens virtutem, omnibus in gentibus salutem præbebat: neq; præ multitudine sanatorum fons uirtutis eius exhauriebatur: immo quotquot illam sanctissimam humanitatem, diuinitatis igne acceam tangetant, haud mora omni expulso morbo sanitati restituebantur. Veruntamen illis opus erat fide: ne dū eos Christus mederi vult, ipsi diffidentes a medico recedant, ex quo salute priuentur. Sicut enim secundæ naturæ ordinè, qui medici fugit, nullatenus sanari potest, ita qui diuinitate sanandus est per miraculum, si animo fugit, diuinitas huiusmodi accedit: magis uolens experiri uires sanantis, quàm ueraciter credere se ab eo posse sanari. Recedit nãq; dū accedit, fugit dū appropinquat, seq; longe alienū a salute efficit, dū sanari postulat. Ea propter dominus huic mulieri dicit: Confide filia, fides tua te saluā fecit. Et Iairo dicitur, dū iam nuntiatur filiā defunctam esse: Noli timere, crede tantum & salua erit. Porro idem contigit

Duplici
strumento
anima om
ne absol
uit opus.

In primo
aduentu
Messias
pauper.

Fides mul-
tipliciter
dicitur.

contigit duobus cæcis, de quibus beatus Matth. meminit, post puellæ huius sus-
citationem. Clamâibus siquidem illis ad dominum ut visum reciperent, ait:
Creditis, quia hoc possum prestare vobis? dicunt ei, utiq; domine: ait illis, se-
cundû fidem uestrâ fiat vobis, & terigit oculos eorû: & cõsistens visum recepe-
runt. Veruntamen quæ fides hæc est, quâ ad miracula perpetranda dominus ex
parte sanandorû requirit, inuestigandû est. Est enim fides virtus Theologica,
quæ virtus est s̄m sententiarum collectorem, qua creduntur quæ non videntur,
quâ beatus apostolus definit, dicens ad Heb. cap. 11. Fides est sperandarum sub-
stantia rerum, argumentû non apparentium. Cum argumentû audis: non suspi-
ceris syllogisticâ ratiocinatione, quinimmo certitudinẽ fortissimâ innixâ in-
fallibili veritati, quæ Deus est. Hæc fides est nostra & priscorum patrum, qui
ante Christi aduentum fuere: eadem in substantia, differens in explicatione.
Namq; illi credebant mediatorem venturum, quẽ nos iam venisse fatemur. Et
quidam ex illis magis illuminati, Deû venturum in carne, passurum, resurrectu-
rum: nos aut venisse, obiisse, cruciq; affixum, resurrectisse credimus. Hanc iterû
fidem bifariam dicimus, implicitam & explicitam: quam rursus alia diuisione
explicamus, cum dicimus fidem maiorû qui sunt in ecclesia, & minorû. Explici-
ta aut illa est, qua membratim omnes articulos fidei creduntur, prout in sym-
bolo sanctorum apostolorû, & Nicenæ synodi cõtinetur. Implicitam vero dici-
mus, qua unico uerbo omnia quæ credenda sunt includuntur. Ut cum aliquis
ignorans singulos fidei articulos, firmiter credit, quidquid credit & tenet sa-
cro sancta mater ecclesia. Maiorum fidem illam dicimus, quæ tenent prælati &
viri docti: qui ultra explicatos in symbolo articulos, uerba sacræ euangelii & di-
uine scripturæ credunt. Minorû uero illa est, quam vulgus tenet, in quatuordecim
cim fidei articulis distributam. Veruntamen tenentur & ipsi populares credere
illos articulos: quorû festa celebrâtur in ecclesia: ut potè quòd Christus dñs in
sacro sancto eucharistiæ sacramento continetur, quòd sit Deus adoratus à Mag-
gis, quòd sit Deus in personis trinus, & in essentia unus: siue quod Deus unus est
trinus in personis, pater, & filius, & spiritus sanctus, cum se omni die consignet
in fronte pectore & utroq; humero dicentes: In nomine patris, & filij, & spiri-
tus sancti: & cum de benedictissima trinitate, in octaua Pentecostes festû cele-
bretur. Sic nos designamus fidem & huiusmodi explicamus quæ una est. Unus
nâq; Deus. una proinde fides, vnum baptisma. Huic beatissimæ fidei, tanquam
si malleo confidās clauum, ut fortius ligno inhereat, additur donum Spiritus
sancti: quod donum dicitur intellectus, unû ex septẽ illis enumeratis ab Esaiâ
propheta: Spiritus sapientiæ & intellectus, qui facit mētem nostrâ firmiter ad-
herere his, quæ sunt fidei. Dona aut Spiritus sancti (cum Spiritus sanctus veri-
tatis effugit fictum, & separet se a cogitationibus, quæ sunt in intellectu, Sap-
cap. primo) nõ habentur absque gratia. Eo fit, ut qui habet fidem Christianus, si
peccato mortali sit obuolutus, careat intellectus dono, cuius est officium, ut iã
prædiximus, animam facere firmius adherere his, quæ per fidem credit. Et sic
corruptissimi homines, & peccatorum sarcina prægrauati non habent sic firmâ
fidem, ut illi qui in gratia Dei misericordia sunt roborati. Quod optimè apo-
stolus Paulus insinuat, prima Timo. i. ubi ait: Hoc præceptum cõmendo tibi si
li Timothee, s̄m præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonâ militiâ:
habēs fidem & bonam conscientiam. Non. n. arbitratu apostolus Timotheo si-
dem sufficere, absq; conscientia bona: quam. s. conscientia, quidam repellentes
circa fidẽ naufragauerūt: ex quibus est, inquit, Hymenæus & Alex. Præ aliis aut
facilius à fide excidunt, quorum animi superbiæ & arrogantia crimine occupâ-
tur. Hi si quidem extollentes se supra omnẽ intellectû, minime Deum glorifi-
cant.

cant. Propterea deiciuntur, cum eleuantur iuxta illud ad Ro. 2. Tradidit illos
Deus in reprobum sensum. Et Dauid: Deiecisti eos, dum eleuantur. psal. 72.
Ne aut longius protrahamus sermonẽ: hæc beata fides iterum dicitur uinã, dñ
est quis in gratia, & habetur cû charitate: mortua aut dñ est q̄s in peccato mor-
tali, nõ habes opera charitatis, s̄m illud Iacobi. 2. cap. Sicut. n. corpus sine sp̄ri-
tu mortuû est, ita fides sine operibus mortua est. Hęc aut fides, quâ defunctiuus
ex beato apostolo substantiâ sperandarû rerum, argumentû non apparentium,
qua credituri erant illi in Christû, in quibus miracula operabatur, non erat re-
quisita & necessaria: ut miracula & sanitates Christus Deus in sic creditibus
illû filium Dei operaretur. Quod bene cõprobatur Ioan. 9. dum cæco a natiui-
tate luto facto ex sp̄suto, Dñs uisum donauit: quẽ cum postea in tẽplo reperiret,
dixit illi. Tu credis in filium Dei? & cæcus ait: Et quis est dñe, ut credã in eum?
at Iesus dixit: & uidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. Nõdum. n. Dei filiû
credebat, cum uisum recipit. Et cæcus dixit: Credo dñe, & procidens adorauit
eum. Est aut alia fides, quæ dicitur ab apostolo Paulo, gratia gratis data: quæ
põt esse cû peccato mortali. Quanquã quos Dñs sanauit in corpore, sanos etiã
reddidit a peccatis in anima, qui totum hominẽ sanum fecit in sabbato. Et pa-
ralytico, quẽ ad piscinã integritate mēbrorum restituerat: Noli amplius, inq̄s
peccare, ne deterius aliquid tibi cõtingat. Insinuat, utique remissa illa esse pec-
cata, pro quibus in paralytici incidere. Hęc fides quẽdã est cõfidẽtia, qua quis
firmiter credit, posse cõsequi id, quod iuste petit: & illum a quo sibi postulat,
prestare posse. Vnicuiq; datur, inquit, manifestatio spiritus ad utilitatem: alii
quidẽ per spiritû, datur sermo sapientiæ: alii aut sermo sciẽtiæ, per eundẽ sp̄ri-
tum: alteri fides in eodẽ spiritu. Et hæc potest esse sine fide uirtute Theologica,
qua credimus Christum Dei filium, & ceteros articulos eiusdẽ fidei. Et potest
esse cum illa: & potest esse cû gratia, & sine gratia. De quibus Deus dixit: Multi
dicent mihi: domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & uirtutes multas
fecimus? Et respondet Deus: Amen dico uobis, nescio uos. Hęc est igitur fides,
quã Deus requirebat ab his, quibus erant sanitates donandæ, ut istis cæcis: Cre-
ditis quia hoc possum prestare uobis? Nisi enim crederent Christum illos pos-
se sanare, utiq; recederent a medico, & sic indigni essent qui sanarentur. Hanc
uerò habetes fiduciã, quæ fides est gratis data, mirabiliter sanabatur a Xpo: cui
cum patre, & Spiritu sancto, est honor: gloria, & imperium in æternum Amen.

TRACTATUS PRIMVS,
IN CAPITVLVM DECIMVM
BEATI MATTHAEI.



Anatis cæcis, & muto a dæmonio liberato, Circuibat Iesus oēs
ciuitates & castella: docens in synagogis eorû, et prædicans euãgelij
regni, & curas omnẽ langorẽ & omnẽ infirmitatẽ. Videns aut tur-
bas, miserus est eis, quia erant uexati, & iacres sicut oves non habẽ-
tes pastore. Illius t̄poris pastores reiecit: oibus se ipsos pas-
cebant. Auerrat Deus ne nostris id contigat tempori-
bus. Tunc dixit discipulis suis. Messis quidem multa, operarij
aut pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messe suam. Sequitur
statim incitum decimi capitis. Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit eis
potestatem spirituum immundorum, ut eiecissent eos, & curarent langorem, &
annem infirmitatẽ. Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc: Primus Si-
mon Petrus, & Andreas frater eius. Enumeratis duodecim, in eis, Iuda
qui

Ecclesie
Romane
primatum

qui tradidit eum, legem statuit prædicantibus, inquit: *In uiam gentium ne abieritis, nec in ciuitates Samaritanorum: sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate dicentes: quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, demones eicite: gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniam in uanis ueltris: non peram in uia, nec duas tunicas, nec calciamenta, neque uirgam dignum enim est operarius cibo suo.* Plurima iam se offerunt in his sacris uerbis tractanda. In primis autem beati Petri primatus super omnes alios discipulos designatur ex uerbis beati Matthæi. Nam cum referret apostolorum nomina, quos dominus miserat ad prædicandum ait: Primus Simen, qui dicitur Petrus. Præstabant enim alij generis nobilitate, ut beatus Ioannes & beatus Iacobus Zebedæi filij, tum & Iacobus Alphæi, & frater eius Thadæus, qui domino consanguinitate coniuncti erant. Tempore etiam prior beatus Andreas ad Christum accesserat, prout Io. 1. habetur. At tamen primus beatus Petrus uocatur, ut primatum eius agnoscas, quod multis alijs testimonijs manifestissime comprobatur. Huic enim Luc. cap. 5. dicitur a domino: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam. Et in nauim eius, cum dux essent secus stagnum Genzareth, ascendit deus, & ex Petri nauicula docebat turbas. Ut illam sciamus doctrinam esse saluatoris, quæ a cathedra Petri docetur. Et cum ambæ nauiculæ piscibus implerentur, ita ut penè mergerentur, soli Petro dicitur: Ex hoc iam eris homines captiens. Erant ibi beatus Ioannes, & beatus Iacobus frater eius, & ait ad Simonem Iesus: Noli timere (cum & ceteri, expauesciti essent in tam copiosa captura piscium) ex hoc iam eris homines captiens. Erant & ceteri homines piscaturæ ueruntamē in primatus signū, tunc soli Petro dicitur: Ex hoc iam eris homines captiens. Similiter est deus intrasset Capharnaū, & tributum exigeret a Petro, questione proposita ab exactoribus: Quare magister uester nō soluit didrachma? etiā si deus tributū soluere non tenebatur, ait Petro: Ut nō scandalizem eos, uadē ad mare, & mitte hamum, & eum piscē, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterē: illum sume, & da eis pro me & te. Petrus deus tāquā vicariū futurum sibi lateralē nominat, nulla a liorū facta mentione: sed da eis pro me & te, Mat. 17. & Mat. 16. c. Reuelationem a patre de Christi diuinitate solā Petro factā legimus. & super eum, quem cōfessus est Petrus ædificandam ecclesiam dominus reuoluit: illique singulariter dicit tradendas fore clauas regni cælorum. Iterum autē Mat. 14. Dum dominus super mare ambularet, & discipuli suspicantes eum esse phantasma, præ timore clamarēt, dixit eis dominus: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. Petrus uero ait: Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas. Et ait dominus, ueni: & descendit beat. Pet. in mare, & ambulabat cū Iesu super mare, perinde ac si graderetur super stabilē terram, tanquam domino cōiunctus & futurus vicarius generalis, & pastor mundi. cum enim inquisisset dominus: Quem dicunt homines, esse filium hominis: respondentibusque discipulis: alij Ioannem baptistam, alij uero Heliam, alij Hieremiam, aut unum ex prophetis. Dicit illis Iesus: Vos autē, quem me esse dicitis? respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei uini. Cui rursus Iesus: Beatus es Simon Bariona, id est, Ioannis filius, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc petram, quam scilicet es confessus, ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi, id est, peccatores, tyranni & heretici, non preualebunt aduersus eam. Et tibi dabo clauas regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terrā, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super

super terram, erit solutum & in cælis, Mat. 16. Et quamuis cap. 18. hæc uerba ligandi & soluendi omnibus apostolis a domino tradantur, soli tamen Petro dicitur: Super hanc Petram: & tibi dabo clauas regni cælorum. Quod & dominus comprobauit post resurrectionem suam, Ioannis cap. ultimo, in illis uerbis, quæ dixit Petro, astantibus Ioanne & fratre eius Iacobo, & Thoma & Natanaele, & alijs duobus discipulis eius. Voluit enim Deus coram tribus apostolis, duobus discipulis, & uno fidei laico Natanaele, curam omnium Petro commendare, ut ex omni credentium genere, aliqui distaret, quibus omnibus Deus beatum proponeret Petrum, tanquam caput apostolorum & discipulorum, omniumque fidelium verticem & coryphæum. Cum ergo, inquit, prædisset, dixit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Ait illi. Etiam domine, in te scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? at ille: Etiam domine, in te scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis amas me? & contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio amas me? & dicit ei: Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oues meas. Ter hæc repetit dominus, cuius uerba super premissis sunt maiestatis: Pasce agnos meos, pasce oues meas. Quid enim aliud hæc uerba significant, quam primatum super apostolos, super sacerdotes, & super laicos Petro concessum? & potestatem hanc, prout diximus, Petro datam coram apostolis, discipulis, & ex laicis coram Natanaele? Quin etiam & si semel diceret: Pasce oues meas, omnino sufficeret ad agnoscendum Petri & successorum eius primatum, super uniuersalem ecclesiam Dei: quanto magis cum ter idem sit repetitum, propter Christianos, propter hereticos, propter infideles: ne cuiquam pateat exitus ad negandum Petri & successorum eius primatum in omni ecclesia: & ut omnis tollatur ambiguitas ex fidelium corde, dum audiunt Christum dominum ter eadem uerba repetisse, & beato Petro curam totius sui gregis, tanquam primati committentem. Cum etiam dominus proximus esset passioni, (ut refert beatus Luc. 22. cap.) ait Simoni: Simon, ecce satanas expetuit uos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogauit pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus (a negatione intellige, qua Christum timore perterritus negauit) confirma fratres tuos. Velim nunc in hereticos testari cælum & terram: cum Deus fidem catholicam Petri esse dicat, tanquam præcipui eius vicarij, & totius ecclesie primatum gerentis. Nam de fide ecclesie intelligendum est, ut non deficiat fides tua: siquidem fides Petri in nocte passionis domini defecisse constat. Si enim Petrus non esset totius ecclesie princeps, & Christi domini supremus vicarius: non utique fides ecclesie diceretur fides illius, nec illi tanta maiestas a domino concederetur, cum illi dicat: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Porro cum audis Petrum fratrum confirmatorem, intellige illum superiorem esse. Perpende etiam successores beati Patri summos pontifices, quos nos papas uocamus, uniuersales esse totius ecclesie pastores & rectores. Sic namque beatus Luc. in Act. apost. cap. 1. beatum Petrum in capite omnium apostolorum constituit, dicens: quod reuerentis discipulis ab admirabili ascensione domini, & introeuntibus in cœnaculum ascenderunt (scilicet ceteri discipuli) ubi manebat Petrus & Ioannes: Deinde omnes undecim annumerauit. Et eodem cap. Dum in locum Iudæ proditoris vnus testis esset substituentus resurrectionis domini & totius uitæ eius: non Ioannes aut Iacobus, aut Andreas hoc proposuit: sed ipse Petrus, tanquam Christi vicarius, tanquam omnium apostolorum princeps loquitur, dicens: Viri fratres, oportet impleri scripturam, quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux: co-

rum qui apprehenderunt Iesum. Deinde subiunxit electionem faciendam dicens: Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore, quo intrauit & exiit inter nos dominus Iesus: incipiens a baptisinate Iohannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. In principio quoque aduentus spiritus sancti, cum increduli Iudæi loquentes linguas apostolos & discipulos domini veluti ebrios incusarent, Petrus tanquam uertex & rector omnium pro omnibus loquutus est, stans cum undecim, & dixit eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Hierusalem uniuersi; hoc uobis notum sit, & auribus percipite uerba mea. Deinde per prophetas omnibus annuntiavit spiritu sancto repletos discipulos, multis eos adhortatus sermonibus: conuersique sunt & baptizati in illa die tria millia hominum. Cæterum in concilio primo, quod legitur Acto. 15. celebratum, contentibus apostolis & senioribus, Petrus primum loquutus est, & suam sententiam protulit, quam omnes secuti sunt, de cessatione circumcisionis, & legalium: materia utique grauissima. Et post Petrum loquutus est beatus Iacobus minor, quoniam ille Hierosolymis erat constitutus antistes. Et Acto rum 10. soli Petro ostenditur uas quoddam, velut lineum submissum de celo: in quo erant omnia quadrupedia & serpentina terræ, & uolantia cæli: & hoc factum est ter, & dictum est illi: Occide & manduca, & ne commune dixeris, quod Deus purificauit: tanquam illi soli omnes gentes essent commissa, & illi earum traditus principatus. Quod autem sic tot in locis diuina scriptura hand obscuris protestatur exemplis, id sancti obseruauerunt doctores, ut grauissimas scilicet causas ad ecclesiam Romanam semper referrent, in illa præsentiam sententiam in omnibus amplexantes. Hinc beatum Petrum uerticem apostolorum & omnium fidelium supremum beatus Dionys. lib. de ecclesiastica hierarchia cap. 5. dicit, tractans beati Marthæ electionem. Et quidem ipse discipulorum ueniens sanctificam consumationem, in diuinitate electionem timidus reliquit, id est Deo commisit, dantes sortes duobus. Et lib. de diuinis nominibus cap. 3. agens de transitu semper beatissimæ uirginis dei genitricis Mariæ, inquit: Aderat autem & domini frater Iacobus, & Petrus uertex, & honorabilissima theologorum summitas. Beati Pauli apostoli discipulus extitit beatus Dionysius, qui diuina uerba ab ipsis apostolis sepe audierat, ac modum loquendi sacræ scripturæ optime nouerat, semperque beatum Petrum uerticem dicit. Quod autem legitur in epist. ad Galatas. 2. cap. beatum apost. Paulum reprehendisse Petrum (quia cum ante sumere cibum cum gentibus consueuisset, post quorundam aduentum, qui a iudaismo ad fidem Christi accesserant, propter illos a gentibus se subtrahebat) primatum Petri nihil omnino obest. Licet namque a fratre corripitur regem, si errauerit: & a milite ducem, & a quocunque episcopo pape dici potest: Beatissime pater, sic recte facies: maximè uerò si de rebus ad fidem pertinentibus agitur. Nec ob id statim probatur, potiorum uel æqualem esse ducem suo regi, & militem suo duci, & episcopum suo pape. Beatus Hieronymus diuinæ scripturæ conuersionem Damaso Papæ limandam, & sua muniendam autoritate direxit. Beatus August. & qui cum illo erant in concilio congregati Carthaginensi epist. 90. corroborandam suam sententiam in Pelagianos Innocentio Papæ transmittunt, dicentes inter cætera: Error ipse & impietas, quæ tam multos assertores habet per diuersa dispersos, etiam autoritate apostolicæ sedis anathematizanda est. Et epist. 92. in Mileuitana synodo coacti episcopi ipsi Innocentio rescribunt, dicentes: Hæc insinuantes apostolico pætori tuo, nõ opus habemus

habemus multa dicere. Et infra: Sed arbitramur adiuuante misericordia domini nostri Iesu Christi, autoritate sanctitatis tuæ facilius eos, qui tam peruersa & perniciosa sentiunt, esse celsuros. Et epist. 157. in principio inquit, scribens Optato: Quauis tuæ sanctitatis, nullas ad ipsum literas datas acceperim, tamen quia illas quas ad Mauritaniam Cæsariensem misisti, me apud Cæsaream presente, uenerunt: quò nobis a uenerabili Papa Zozimo, apostolicæ sedis episcopo ecclesiastica necessitas traxerat. En quemadmodum congregati sunt Africæ episcopi, ex præcepto Zozimi Papæ. Qui si non esset Petri successor, & omnium episcoporum caput, non diceret beatus August. illic congregatos, & obedientia Papæ ascriptos. Iterum autem epist. 161. inquit: Romanæ ecclesiæ in qua pæstolice cathedræ uiguit principatus. Et lib. 2. contra Petilianum cap. 5. ait: Cathedra quid tibi fecit ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit: & in qua hodie Anastasius sedet? Quare appellas cathedram pestilentie, cathedram apostolicam? Et cap. 73. Deinde cum tales sederent super cathedram Moysi, cui Deus honorè seruauit. Quare vos propter eos quos isti siue iuste siue iniuste comparatis, cathedram apostolicam blasphematis? Et contra Cresconium lib. 3. cap. 34. quod hinc maxime credibile est, quò ad Carthaginis episcopum, Romano prætermisso, nunquam orientalis catholica scriberet. Et lib. 7. de baptismo contra Donatistas, inquit: Sicut ergo illi, Petrus in primatu apostolorum martyrii gloria coronato, in sua peruersitate præcisit, ab ecclesia remanserunt. Attende quemadmodum beatum Petrum pariter & Romanam sedem propriis decorant epithetis uiri sancti & antiquissimi patres: illum quidem uerticem appellantes; hanc uerò primariam inter omnes orbis ecclesias agnoscentes, utpote cuius autoritate & synodi congregantur, & ad quam totius ecclesiæ causæ referuntur. Longissimum enim esset recensere, quanta beatus Cyprianus, & beatus Ioan. Chrysostomus tradunt: in quibus beati Petri primatum eiusque successorum fatentur, cum res aliò tenderet: ut hinc omnibus innotescat, quam præclaris testimoniis beati Petri sedes, caput est omnium ecclesiarum: & ipsum summum beatissimum Papam ecclesiæ uniuersali præesse non dubitent. Ne autem legentibus hæc, nimia dilatazione sumus onerosi, rem missam facimus, hac sola tandem ratione contenti. Dic obsecro tu qui negas Petri & Papæ primatum hereticæ, quomodo uis, ut sit corpus sine uicario in terra? Ecce caput nostrum dominus Iesus Christus ad dexteram Dei patris sedet: non nõ iustum, æquissimum, & omni rationi consentaneum tibi uideretur, habere nos in terris uicarium ad quem recurramus, habere caput ministeriale? Reges in longinquis prouinciis quibus dominantur, habent proreges suos: alioquin periclitantur resp. regis uicario destitute. Optimam enim & politicam gubernationem Aristotelis præfertur, in qua vnus princeps, & uni capiti populus subditur. Lutherani autem uolunt tot esse capita, quot sensus: tot uertices, quot membra, contra omnia naturalia & optimam rationem, & contra omnem optimum gubernandi modum. Faciantur igitur tot sacræ scripturæ autoritatibus, totque sanctorum doctorum sententiis, beat. Petri & successorum eius primatum. Videant apertis oculis & clara rationis luce, optimo id regimini conuenientissimum esse, subdanturque Papæ uicario Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In decimum cap. beati Matthæi.

Testimo-
nia diuini
raris Chri-
sti.

IN his uerbis sanè dominus Iesus se Deum omnipotentem mundo manifestat. Quis enim alius, solo excepto Deo, inermes homines & secundum seculum pauperulos piscatores elegit ad orbem sibi subdendum? atque hos seculari scientia destitutos, & persuasionis rhetoricæ plane ignaros? Audi o homo stupendum miraculum: sine pera, sine baculo, sine calciamentis, sine pecunia, simplici tunica induti: prædicare iubentur, & conuertere populû Iudæorum: quodque maius est, conceditur illis potestas mortuos suscitandi, leprosos mundandi, ægros sanandi, demones eiciendi: quæ omnia gratis iubentur facere. Quis enim alius, solo Deo excepto, talibus hominibus, & sic omni humano subsidio destitutis, tantam vim, tantamque potentiam donare potuit? utique nemo. Cum autem hæc omnia ita euenerint, perspicuum hæc testimonium præstant diuinitatis Christi. Quod ut aperitius commonstretur: pone ob oculos in ciuitate tua hominem se verum Dei filium asserentem, & per paucos discipulos congregantem: & qui neglectis diuitibus, spreis potētibus, despectis doctis, rusticis, pauperes, imbecilles, & humillimos quosque seligat. Si homo iste hisce discipulis orbem euerfurum promitteret, templa demoliturum, potētias subditurum, & se solum deum a gentibus adorandum: quin & ipsius supplicium, quo uitam finierit, altaribus superpositum terrarû orbem veneraturum: nonne proclamares, impossibile esse id posse fieri, nisi ipse sit Deus, qui faciat? cum omnia transmutare, & indoctis hominibus seculû subdere, soli sit deo possibile opus. Nullus unquam imperator Romanus, quâuis exiguum & despectum pagum sic inermibus militibus debellauit. Nullus unquam dux, quantumcumque strenuus præcepit militibus, ut deiectis armis inimicos aggredierentur. Hæc enim potentia dextræ est excelsi. Cum igitur hæc omnia uideamus propriis oculis completa, nempe deiectis idolis adorare Cruccem imperatores, & Romam ipsam, caput mundi, Petri cathedræ subditam, sine aliquo adminiculo secularis potentia: profecto præclarissimum est testimonium diuinitatis Christi. Quinimmo cum præcipitur eius militibus, ne uirgam ad abigendos latrantes canes portet, nec aliquam paruam pecuniam in zonis habeant, solius potentia dei est: & qui talia per tales operatur, ipse uerus est Deus, & non æstimabitur alius ad illum. Quod beatus apost. Paul. i. Corin. i. insinuat dicens: Videte. n. uocationem uestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non gloriaretur omnis caro in conspectu Dei. Multa namque sunt testimonia diuinitatis Iesu. Pater etenim ipse beatissimus, è nubibus testimoniu perhibuit in baptismo & transfiguratione, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene eoplacui: ipsum audite, addit in transfiguratione. Angeli testimonium perhibuerunt, dum in ortu sacratissimo domini, & partu uirginali, splendoribus resperferit montes, cantantes una uoce: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Reges adorant, thusque offerunt tanquam Deo uero, ipsius domini incunabula uenerantes: iidem aurum tanquam regi magno, & myrrham morituro offerunt. Simeon præclarum perhibuit testimonium, dicens

hunc

hunc esse saluatorem & Messiam deum uerum: Lumen (inquit) ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Mortui surgentes testimonium reddiderunt. Item leprosi mundati, paralytici sanati, cæci illuminati, & demoniaci liberati. Omnia diuinitatem Christi protestantur: mare quod se pedibus eius præbuit solidum, & Sol in morte eius obscuratus, & uelum templi discissum, & monumenta mortuorum aperta. Petra quoque scissa auctorem omnium Christum dominum quodammodo sunt protestata: doctrina & uerba domini, opera, uita, mors, resurrectio, ascensio, aduētus spiritus sancti, perspicua sanè eius diuinitatis testimonia sunt. Inter autem cætera testimonia diuinitatis domini, unum de præcipuis mihi est mundi conuersio, ab hisce nostris sanctis patribus apostolis facta. Quoniam solius Dei est, tam fragilibus instrumentis sibi subdere orbem, debellare gentes, deiicere idola, erigere Cruccem, extollere sacramenta: & hoc non quemadmodum heretici nostrorum temporum, laxando carnem, tollendo ieiunia, nutriendum uitam, & omni vacando luxui, sed potius constringendo carnem, vincendo illecebras & affectus compescendo uindictam, ieiuniis castigando corpus & uigiliis, orationibus infatigando, castitate seruando, humilitatem sectando, bona pauperibus erogando. Hæc uitam ille solus potens est hominibus ingerere, qui solus Deus potens est gratia superare naturam. Qua propter notissimum testimonium diuinitatis Iesu est, per sanctos apostolos iugo fidei subiicere sibi mundum, omni cum feueritate uitæ, & omnibus carnis blandimentis abiectis: quorum plurimi ex conuersis, non tantû facultatibus quinimmo & uita pro Christo alacres priuati sunt: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in eternû. Amè.

TRACTATUS TERTIVS,

In decimum cap. Beati Matthæi.

Quod autem dominus dicit, de non recipientibus apostolorum doctrinam: grauius puniendos fore in die iudicii, quam uiros nefandarum ciuitatum: memineras, non æqualem pœnam habere damnatos, sed unumquemque secundum criminum grauitatem puniri. Quod dominus sequenti confirmat cap. 11. ex pluribus adducens de Tyro & Sidone iterum, & de Sodomis. Prosequitur Deus miraculum suum & suæ diuinitatis testimonium, cum dicit. Ecce ego mitto uos, sicut oues in medio luporum. Quis unquam audiuit oues, discernere lupos? & ex lupis fieri agnos? solus deus potens est talia facere. Videbis igitur beatos apostolos, oues mansuetissimas, lupos in oues conuerrere: quod mirabilis est, quam occidere (nam occidere hominem, iactu lapidis & paruissimo gladio fieri potest.) Videbis eos inducere homines, ut quæ credebant non credant: & è contrario, ut credant, quæ non credebant: relinquunt idola, adorent domini Cruccem: si iudæus est, relinquat circuncisionem & baptismum sacrum suscipiat: ut diligant, quæ non diligebant, uirtutes scilicet: & odio habeant peccata, quæ diligebant: tristentur diuitiis, quibus ante gloriabantur, letentur uirtute, quam nec nomine uenerant. O mutatio dextere excelsi, o potentia Christi, o eius diuinitatis mirificum testimonium. Si enim uideres nunc oues uincentes lupos, & pellem abstrahentes lupis, nonne obstupesceres? & rem miraculo ascriberes? utique: Agnosce ergo Christi diuinitatem, qui missis apostolis sicut oues, lupos in ouium caulam coegerunt: & spoliantes ueterem hominem cum moribus atque actibus suis, id est lupinam pellem, induerunt nouum

uum hominem, qui secundum deum creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis, ad Ephe. 4. & Collos. 3. *Ecce ego mitto uos, sicut oues in medio luporum.* Ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbae. Difficile est reperiri in natura hanc coniunctionem, prudentiae & simplicitatis. Nam qui sagaces habent intellectum, & qui ex praeteritis nouerunt moderari praesentia, & futura disponere, prudentes dicuntur, non simplices: quinimmo uasri & callidi sunt. Qui autem simplices, fatuitati propinquiores sunt, quam prudentiae. Mira gratiae Christi coniunctio: ex utrisque namque fit homo perfectus: dum quod natura respuit in prudentibus, & quod longè est a simplicibus, gratia Christi prudentissimi fiant simplicissimi: & vice uersa simplicissimi prudentissimi. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae. Nec praetereundum quod dominus ait: *Sicut serpentes*: Quia non dixit estote prudentes sicut sapientes, sicut uiri docti & philosophi, sed sicut serpentes. Hoc autem existimat beatus Hieronymus ideo dictum, quoniam serpens totum corpus exponit ferentibus, ne in capite laedatur, totaque uertitur, uoluitur, inque modum gyratur coronae, ne percussus eius possit caput ferire. Similiter & Christi praedicatores omni tormento corpus exponere debent, & uel ipsam mortem subire: ne fides Christi laedatur, & ab euangelio retrocedat. Hoc uirtute Christianis maximum datur exemplum, omnia pro Christo periculis exponere: ne ueritas, charitas, fidesque laedantur. Dicit aliquis, ille meum inuasit agrum: meam inuiste substantiam abstulit: laedam ergo ipsum, quo ad potero. Est o homo prudens, sicut serpens: ille te in temporalibus laedit, ne tu animam laedas. Ille quidem abstulit agrum, tu uero noli, dum vindicare conaris, auferre a te charitatem. At conuerteris, ille opprobria intulit, famam denigravit coram principibus & populo: Est o tu nihilominus prudens, uelut serpens: ne per impatientiam & uindictam, animam tuam nigerrimam facias & turpissimam, plus quam ille famam. Utitur etiam serpens alia calliditate: ne uocem incantantis exaudiat (iuxta illud Dauid Psal. 57. sicut aspidis surdus, & obdurae aures suas, quae non exaudiet uocem incantantis & uenefici incantantis sapienter) aurem unam affigit humi, alteram obturat cauda. Quo edocemur, cum in tentatione incidimus aurem unam admouere humi, id perpendetes, quoniam puluis sumus: alteram uero aurem astringamus iudicio, quoniam secundum beatum apostolum Paulum ad Heb. 9. statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem iudicium. Principes igitur & rectores mundi a callido serpente discant aures obstruere, cum a ueneficis adulatoribus se incantari sentiunt, & ad deteriora transuersos rapi. Sciant dum aliquis de proximo suo queritur, alteram bombyce claudere aurem: quemadmodum magnus Alexander fecisse traditur, dum unius hominis uocem aduersus alterum grauius conuenientem audiret. *Cauete autem ab hominibus.* Quo ergo o Christe fugiendum, cum quibus commorandum, si ab hominibus, o patris sapientia, cauere praecipis? A cognatis, ab amicis saepe recedendum est, cum uana faudent, cum mala ingerunt, & nos a uirtute conantur auertere. Ab amicis quoque recedendum est, cum crebro uigent, & patientia periclitatur. Denique a nobis etiam ipsi cauendum est, dum illecebris blanditur caro. Ad te igitur o Christe confugiendum. Tu es refugium nostrum, & uirtus, adiutor in tribulationibus, quae inuenerunt nos nimis. *Tradent enim uos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt uos: & ad praesides & reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus.* Hoc est Iudaeis & gentibus minime credentibus. Illud uero animaduertendum est, quemadmodum beati apostoli & martyres praedicantes, saepe cruciabantur ab his, qui non conuertebantur: non tamen ob id censendum est bonam

est bonam persecutorum causam. Nam daemones aliquando exauditur ad supplicium, & iustus non exauditur ad meritum. Ter deum orat beatus apostolus Paulus, ut carnis stimulus ab eo recedat, nec exauditur, quin potius ad meritum mulum audit: Sufficit tibi Paule gratia mea. Nam uirtus in infirmitate perficitur, pri. Cor. 12. Postulat quoque daemones mitti se in porcos, supra 8. cap. Idem petit licere sibi, patientissimum Iob temptationibus aggredi. Et haec permittitur daemones, illud uero Paulo negantur. Dum ergo Paulus & Iob temptatione premuntur, eorum seruatur anima, exercetur uirtus, accumulatur & meritum: & daemones exaudito augetur poena, augmentatur & dolor: cum cernit non posse superare iustos, & praecipitur recedere ab his, quos torquebat homines: Exauditi sunt beati apostoli & beati martyres, quorum sanguis a beato Aug. semel fides dicitur: dum unus namque occiditur conuertuntur mille. Et sic persecutores eorum & occisores non consequuntur quod optant: cum augetur fides quam interimere conantur. *Cum autem tradent uos, nolite cogitare: quomodo, aut quid loquamini.* Non enim uos estis qui loquamini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Non enim dicit: non praemeditandum, quae audierunt dominum docente: non in memoriam reducenda miracula, quae facta perspexerunt: ne daretur praedicantibus ansa, sine praemeditatione & literarum notitia praedicandi. Sed hoc tantum dicitur, cum contingeret illos subito ad tyrannorum tribunalia rapi: tunc non praemeditari oportere, quid loquendum sit in illa hora: quia spiritus sanctus illis assistet, & quid loquendum sit tribuet & consolabitur: ita ut mors pro christo sit dulcis, labor quietus, tortura refrigerium, & ut finis initium uitae sit perpetuae & gloriae cum christo: cui cum patre & spiritu sancto est honor gloria & imperium in aeternum. Amen.

TRACTATUS QUARTVS.

In decimum cap. beati Matthaei.

NON timendos homines nec eorum opprobria, edocet dominus, beatis apostolis suis. Si enim inquit patrem familias Beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticus eius? nunc autem non reformidandum ob ueritatem euangelii corporis mortem admonet, dicens: Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est operum, quod non reuelatur: & occultum, quod non sciatur. Triplici obstaculo praepediuntur homines a ueritatis annunciatione: nempe, ne huius seculi priuentur diuitiis, ne ue in infamiam incidant: tertio, ne uitam temporalem amittant. Qua propter omnibus renunciare iubentur apostoli, nec illas peram nec pecuniam portare permittitur: quandoquidem ueritatis annunciatoribus id commodissimum est: ne dum ueri terrena uelint, ueritatem annunciare formident. Merum autem infamiae & mortis aufert, cum se Deus in exemplum adducit: cum in Beelzebub daemonia eum eiicere impii pharisaei non sint ueriti dicere. Consolatur enim eos, quoniam eorum innocentia & uirtus coram omni mundo manifestabitur: & falso illis imposita testimonia & improprietatis nequitia similiter omnibus manifesta erunt. Qui enim inuoluptatis timore, & ne honore priuentur a ueritatis praedicatione auerterentur, obprobrium illi dabitur sempiternum. Ut enim agricola, qui incomposito & impexo crine ingreditur regis aulam, pueris ludibrio est: haud secus illi qui ne honor seculi ab eis auferretur, ueritatem quam oportebat enunciare, obtulerunt, detruxi

detrusi tartara a dæmonibus illudentur: iamque honore amisso, variis tormen-
torum modis cruciabantur. Nec hoc quod dominus dicit: *nihil opertum quod
non reueletur, et occultum quod non sciatur*, dum in hoc seculo viuimus accipiendū
est. Plurima siquidem & bona fiunt, & mala perpetrantur, quæ non sciuntur. At
quæ licet in præfenti breuissima vita non manifestentur, certe in futuro seculo
omnia manifestabuntur, & nihil erit occultum quod non sciatur, nec opertū
quod non reueletur. Itaque quædam in hac uita, cætera in futuro seculo dete-
gentur. Sanctorum tamen conuersorum peccata per pœnitentiam remissa cer-
nentur, quorum tecta sunt peccata. Cum igitur sanctitas & ueritas apostolica
& malitia persequentium & calumniantium eos, manifestanda sit: nulla cau-
sa est, quare ueritatem reiiicere debeant: quinimmo omni infamiae metu sub-
lato, libere prædicandum est euangelium. Prædicare ergo *super reſta*, quod in
aurem, hoc est uobis tantum dico, et quod in tenebris, hoc est obscure in parabo-
lis, dicite in lumine palam differentes, quod in uolucro parabole dico uobis: et
nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius time-
te eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Non hic timorem com-
mendat seruilem. Si enim hoc uellet, diceeret utique: timete gehennam. Pro-
pter autem metum infernalis pœne tantum modo, uel dolere de peccatis, uel
aliquod opus aliàs ex se bonum agere, nullius meriti est: cum id non fiat pro-
pter Deum, sed tantum propter euitandum proprium incommodum & dolo-
rem. non enim mouetur talis operator a charitate, sed a proprii amoris fomi-
te. Ut autem & ipsa contritio, & quodcumque opus bonum sit meritorium, pro-
pter Deum præcipuè est faciendum: prout in fine huius cap. dominus manife-
stissime ostendit dicens: qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est
me dignus. & qui uos recipit, me recipit: dum modo id fiat propter Christum.
Addit in super: *Qui recipit prophetam in nomine prophete, mercedem prophete accipiet.*
Et qui dederit uni ex istis calicem aque frigide in nomine discipuli. hoc est, quia
est meus discipulus, quoniam nomine discipuli Christi gaudet. Amen dico uobis
non perdet mercedem suam. Loquitur autem dominus de timore filiali & initiali
simul, cum dicit. *Sed potius timete eum.* Ecce iam timor perfectus ostenditur:
cum quis timet Deum tanquam filius, ne ab odientia recedat patris: Timor
domini sanctus est, qui permanet in seculum seculi. Tunc addit initialem:
Quoniam potest animam & corpus perdere in gehennam. Timor enim perfectus est,
timere Deum propter se tantum & ob eius amorem & reuerentiam maiestatis.
Timere autem Deum præcipuè propter se, deinde quoniam potest ani-
mam & corpus perdere in gehennam, initialis timor est, & cum charitate per-
manet: quoniam non gehennam, sed Deum timet: & gehennam si timet, eo
timet, quoniam dignus est se puniri a Deo in æternum, qui peccatum facit mor-
tale. Timere gehennam ipsam, non quia cruciantur in illa, qui Deum irri-
tauerunt in uanitatibus suis, atqui tantum ob proprium incommodum. Nisi
enim timerem cruciatum æternum, omnem committerem iniquitatem, nulla
de offenso Deo habita ratione. Timor seruilis est, quem perfecta charitas fo-
ras expellit. Qui quidem timor in eo quod a malo retrahit bonus est. Bonus
est inquam, quoniam tollit, ne fiat homicidium, adulterium & his similia
crimina. Veruntamen seruitus eius est mala, dum ab his retrahitur, non quia
Deus præcipit, nec quia offenditur summa bonitas, sed ne ipse ueniant in tor-
mentorum locum: prout diues epulo ab Abrahamo postulabat, quemadmodū
beatus Luc. refert cap. 16. ut ex mortuis aliquem ad fratres mitteret, qui an-
nunciaret ne in illis deuenirent tormentorum locum. *Nolite ergo timere eos qui*
occidunt corpus, Deum timete. Nam corpus amittere non magnum malum est:
quinimmo

quinimmo si propter Deum occidatur, magnum est bonum: quãdoquidem nul-
lus magis crudelis inimicus animæ, utpote cum quo dæmon & mundus confæ-
derantur, ut per eius sensus anima omni momento temporis tentationum iacu-
la patiatur: quod cum occiditur pro Christo in melius constatur, uelut in pu-
rum metallum, ut resurgat in claritate, honore, immortalitate & impassibili-
tate. *Nonne duo passeret asse ueneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine pa-
tre uestro? uestri autem & capilli capiti numerari sunt.* Nolite ergo timere: multis
passeribus meliores estis uos. Hoc est si de passeribus qui asse ueneunt tâta cura est
deo, quanto amplior de uobis hominibus? Et si vnus passer non decidit in terrâ
sine patris uestri nutu, quanto magis uos qui filii estis: quorum capitis capilli
apud patrem uestrum numerantur, non moriemini sine uoluntate & patris uestri
beneplacito. Quum igitur pater sit, quomodo filios suos uolet uitam tem-
poralem finire, nisi quando largiturus est illis uitam & sempiternam felicitate-
m. Nolite ergo timere, dum propter ueritatem & euangelium ad mortem
decimini: quod sanè fit ut transeat ad uitam feliciorem. Quod autem bea-
tus apostolus Paulus prima Corin. 9. adducens illud Deuter. 25. Non alligabis
os bonis triturantis in area fruges tuas, dicit: Nunquid de bobus cura est Deo?
an propter nos utique hæc dicit: non est contrarium curæ, quam Deus hic dicit
se habere de passeribus. Nempe ibi apostolus ait: Deo non esse curam dandi le-
gem propter boues & animalia irrationabilia. Cura autem providentiæ de
passeribus, & foliis arborum est Deo, sine cuius nutu nec vnus quidem passer,
nec vnus arboris folium decidit in terram. Nolite ergo timere eos, qui occi-
dunt corpus, cui bona pro Deo mors & tribulatio est: nisi qui patitur hæc in sui
perniciem per impietiam uertat. Si enim quis te pomis aureis & lapidibus
pretiosis aggredere: an non iactum lapidis pretiosi, & pomi aurei in quo-
cumque membro sustineres? & in peram colligeres aurum & gemmam? Sic igitur
collige quæ pateris, si pro Christo pateris: gemma nempe & aurum est tribu-
lacio. Audi apostolus Paulus 2. Cor. 4. Id. n. quod in presenti est momētaneū
& leue tribulationis nostre, supra modū in sublimitate æternum gloriæ pondus
operatur in nobis, non contēplantibus nobis quæ uidentur, sed quæ non uidentur.
Quæ. n. uidentur temporalia sunt: quæ aut non uidentur eterna. Unde & Deus
subiungit, dicens. *Os erge, qui consistebitur me coram hominibus, consistebit & ego eum coram
patre meo, qui: & calis est.* Ecce qualia bona tribulatis, afflictis, & pro Chri-
sto mortuis tribuantur: Fertilissimus enim ager nostrum est corpus: atque
optimos in patientia producit fructus: Corpore ieiunamus, corpore manibus
Deo puras in oratione erigimus, & labiis & lingua laudamus, corpore affli-
gimur, corpore pro Christo persecutiones patimur, corpore tyrannorum
flagellis cadimur, corpore beatissimi apostoli plurima obsequia Christo ob-
tulerunt: itidem & martyres & omnes sancti. Quandoquidem alii tormenta
plurima: alii persecutiones innumeras, alii mortem perpeffi sunt. Corpus igitur
optimus & fertilis ager est, si bonis seratur feminibus: iniquus uero, si ma-
lis moribus corrumpatur. Qui autem usque ad mortem Christum domi-
num confessus fuerit, & Christus illum coram patre suo consistebitur: cui cum
eodem & spiritu sancto est gloria in æternum. Amen.

TRACTATUS PRIMVS
IN CAPITVLVM VNDECIMVM
BEATI MATTHAEI.



Et factum est, cum consumasset Iesus, praeicipiens duodecim discipulis suis. Hoc est cum consumasset verba haec, quibus praecipit discipulis suis, quae praedicaturi erant, et quemadmodum se in praedicatione habere deberent: quomodo etiam oporteret, non formidare hominum iniurias, nec ipsam mortem. *Trasit inde, ut doceret & praedicaret in ciuitatibus eorum. Ioannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et respondens Iesus, ait illis: Euntes renunciate Io. quae audistis et uidistis, caeci uident, claudi ambulat, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: et beatus es, qui non fuerit scandalizans in me. Illis autem abeuntibus, cepit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in deserto uidere? arundinem uento agitatam? Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestitum? Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis uidere? prophetam? Etiam dico uobis, et plusquam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit uiam tuam ante te. Malachias cap. 3. O abyssus iudiciorum Dei. Ioannes in carcerem truditur, & Herodes gloriatur in regio throno. Ioannes in ergastulo fame maceratur, & Herodes splendide epulatur. Ioannes occiditur, descenditque in lymbum: & post domini mortem fatiatur, laetatur, & liber est in beatitudinis regno. Moritur Herodes, & in infernum descendit cum saltatrice puella, & eius matre: & captiui facti diaboli, fame cruciantur perpetua, horribiliumque poenarum tormentis miserissime conuelluntur. Mundanarum enim negotia rerum ingens est malum, quod Deus auertat. Proinde a terrenis se prius separat, qui uere de Christi nomine gloriari cupit. In terra namque humana industria, & exquisita quadam solertia & calliditate omnia peraguntur: plusque ille habet de causa & de iustitia (ut vulgo dicunt) qui plus habet industrie, & in tractando negotio sollicitudinis. Ut hinc uere sentiam, haec nomina a Christiana republica exterminanda merito esse: negocium, inquam, & homo ille negocij est: proque his uocabulis illa substituenda, iustitia, ueritas, ratio, & charitas, ut iam inter nos pro uerbo, negotio, dicatur: ille facit quia ita suadet ratio: alter donat, quia iustitia est: ille talia postulat, quia ueritas & ratio postulat: alter postulata concedit, quoniam ita suadet charitas & equum est. Sicque fiet, ut nec boni & benemeriti iniuria & scandalum afficiantur: & negociosi homines absque meritis praemiantur, utque omnia iuste et rationabiliter per charitatem perficiantur. Dantes et recipientes aequissimi dicentur, et iusti apud Deum utique reputabuntur. Nemo tamen, si aliter uideat fieri, admiretur: nam manet Dei iudicium occultum, suo tempore reuelandum: quo Ioannes retinetur in carcere decollandus, et super astra exaltandus: et Herodes manet in seculo triumphando, perpetui et aeterni ignis carcere detinendus. Sic igitur gregis beatus Ioannes curam gerens, cum se morti propinquum non dubitaret, duos ex discipulis ad Christum mittit, non dubitans eum esse, quem di-*

gito

gito indicauerat, dicens: Ecce qui tollit peccata mundi. Atque ut saluti discipulorum consulat, & ex auditis a se & perspectis Christum verum Deum & Messiam agnoscant: denique ut ipse beatus Ioannes, inde occasione sumpta, illis annunciet redemptorem. Quamquam nomine suo beatus Ioannes praecipit discipulis (ut beatus Luc. testatur cap. 7.) a domino quaerere: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Sic consuetudo sanctorum est, seipsum in similibus non excipere. Quemadmodum legimus Dani. 3. cum pro populo orationem effunderet, ipse innocens ait: peccauimus, impie egimus. Et Esai. 53. de passione domini prophetans, dicit: Et quasi absconditus uultus eius & despectus: unde reputauimus eum, & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum. Esai. enim non talem ipsum reputauit, cum spiritu propheterico uere cognosceret Messiam talem futurum filium Dei: ueruntamen loquitur nomine populi, nec se discernit ab eis. Sic beatus Ioannes non dubitans Christum uerum Dei filium, & Messiam quem praedixerat, percontatur, nempe ut discipulis ueram de illo ingerat fidem. Tu es qui venturus es, an alium expectamus? In ipsa hora, ut refert beatus Lucas, multos curauit a langoribus suis, & plagis, & spiritibus malis: & multis caecis uisum donauit. Et ait illis. Notandum est, quod non dicit, & ait illi, sed illis: denotans, quod a Ioanne proposita quaestio ad discipulos tantum referebatur, non satis de Christo instructos: non autem ad se, qui firmiter illum Dei filium & saluatorem praedixerat. Euntes, inquit, renunciate Ioanni, quae audistis et uidistis. Vos illi renunciate: & docebit vos, quemadmodum qui talia operatur Deus in carne saluator est. Ex miraculis namque praecipue prophetatis, & ex doctrina Christi dominici, diuinitas sufficienter ostenditur: nec ullam Iudei excusationem habent de peccato suo. Enim uero & si dominus, plurima quae fecit miracula, non fecisset (ueluti satiare ex quinque panibus, quinque millia hominum: iterumque ex septem panibus quatuor milia,) tamen miracula faciens, quae praedicta erant de Messia, tenebantur Iudei credere illi. Quonia in doctrina sacre scripturae tradebatur, miracula etiam plurima facienda per Messiam, quae Christo operante adimplebant scripturam. Ut legitur Esai. 35. Deus ipse ueniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum, aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus: & aperta erit lingua mutorum. Haec autem miracula efficaciam manifestandi Christum uerum Deum & Messiam, ab ipsa scriptura accipiunt: & a modo, quo Christus illa operabatur, cum Deum & Messiam ostendunt: & si aliqua similia per sanctos sint perpetrata. Quemadmodum si ex eodem auro fiat anulus & calix, a forma differunt, & re & nomine. Suscitatur mortuum Helias: & incuruatur super puerum, & clamat: Obscuro domine, reuertatur anima pueri huius in viscera eius. Suscitatur puellam Christus dicens, manu puella apprehensa: Puella surge. Utrobique suscitatur mortuus. Ille ut seruus dominum: Christus Deus imperat morti, & reddidit defunctam uiam. Suscitatur Heliseus puerum: expandit se super puerum, deambulatur, orat, postulat, oscitatur puerum septies, & reuiuiscit. Suscitatur Christus iuuenem, uero uerbo dicens: Adolescens tibi dico surge, & reuixit adolescens. Et ad Lazarem uoce magna dicit: Lazare ueni foras: & statim prodiit, qui fuerat mortuus, admirantibus cunctis. Itaque a miraculis in scriptura prophetatis, uel a signo efficacis, in modo faciendi, sufficientissimè Messias Christus ostenditur uerus Deus, qui testimonium reddit per miracula suae diuinitatis: cuius ad ostensionem mirabilia est operatus, quae fieri non possunt per naturam, sed a solo Deo, per ea scilicet testimonium diuinitatis Christi reddente Deo, qui uerus testis est, nec unquam fallere potest. Renunciate er-

go Ioanni, miracula que uidistis, & que audistis. Quoniam quedam, quia per scripturam prophetata sunt: quedam uero, quoniam in modo faciendi a solo Deo fieri possunt, sufficientissime & efficacissime ostendunt me esse quem uenturum spectarunt sancti, & propheta cecinerunt: *Es beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Non credens culpa sua. Idcirco dicit, qui non fuerit scandalizatus. Nemini enim Deus scandalizandi occasionem prebuit: sed ipsa malitia Iudaica scandalizata est in eo, non credens ei, quinimo occidens. Quemadmodum & Herodes scandalizatus est in Ioanne, atque illum decollari precepit. Velle dirigere homines perditos, & quicquid illis consulas boni, in dispendium dirigentium illos & gubernantium uertitur. Ecce Herodes occidit Ioannem: Iudaei Christum dominum. Sunt enim tanquam iumentum non habens chordas, ut minime scias, unde in harmoniam & consonantiam reduci possint. Abeuntibus Ioannis discipulis, dominus beati Ioannis constantiam laudat: ne suspicarent Iudei illam dubitasse de Christo: *Quid existis*, inquit, *in deserto uidere? arundinem uento agitatam?* ac si dicat, non utiq; peccatores similes sunt arundini, quippe qui a quacunq; aura mouentur, & huc & illuc facile conuertuntur. Veloces pedes eorum, ad effundendum sanguinem uentum aspidum, sub labiis eorum. *Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestitum? Ecce qui mollibus uestitur, in domibus regum sunt.* Ioan. autem asprissima indutus ueste, haud mollis est. Porro fragiles famulos inquit dominus, habere reges. Molle namq; inconstans & desidiosum hominum genus aulici, & genio deditum. Qui quidem si sublimatur, iam nec alios nec se agnoscunt. Si deiciuntur, nulla illis in Deo spes relinquatur. Nec mirum, cum nihil ipsi de Deo cogitent, terrenis tantum honoribus inhiantes. Si ualent, omne genus lasciuie exercent. Si egrotant, illico terrore nimio expauescunt mortem: ob id nempe, quia molles sunt, quodq; nunquam de commissis peccatis legitime poenitere fuit illis cura. *Sed quid existis uidere? prophetam? etiam dico uobis & plusquam prophetam.* Quoniam & de illo prophetatum est. *Ecce ego mitto angelum meum, Malach. 3. Qui praeparabit uiam uiam ante: ante Christum praeco & praecursor factus.* Sic & pater eius prophetauit, dicens: Tu puer propheta altissimi uocaberis, preibis enim parare uias eius, Christi intellege: cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, imperium in aeternum. Amen.

TRACTATVS SECVNDVS,

In XI. cap. Beati Matthaei.

HORRENDAM ponit nobis dominus in suis sanctis exempla: nempe ut coecitiamur & eocussi trepidemus, & trepidantes clamemus, et clamantes couertamur. Ita. natus Iesus, dum baiulans sibi crucem exire in caluarie locum, plangentibus mulieribus, conuersus ad illas, dixit: *Filie Hierusalem, nolite flere super me: sed super uos ipsas flete, & super filios uestros: Quia ecce uenient dies, in quibus dicent: beati uentres qui non genuerunt, & ubera que non lactauerunt: quia si in uiridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* Si enim innocenti pro peccatis uestris, tale infertur supplicium: qua poena punietur unusquisq; pro delictis propriis? qui lignum aridum est, omni uirtute carens: qua cruce figetur quibus flagellis cedetur? quot patietur obprobria, dum cruciatur peccator? Unde & beatus Petrus prima epist. cap. 4. inquit: *Tempus est, ut incipiat iudicium a domo Dei.* Bonum est. n. regibus & gubernatoribus aliis reformatione iniungeret: ceterum a propria persona & familia, & domo sua est incipiendum. Si autem primus a nobis: quis finis eorum qui non credunt Dei euangelio? Et si iustus quidem vix saluabitur, hoc est laboriose & cum difficultate non modica, impius & peccator ubi

pare-

parebunt? Hoc nobis sacra huius xj. cap. lectio satis annunciat, cum dicit: *Cum audisset Ioannes in uinculis opa Christi. Vinculis alligatur beatus Ioan. uirtutis iubar, & ueritatis splendor, horredum peccatoribus exemplum.* Si enim tatus Ioannes carere claudatur: & pro ueritate, quam predicabat Herodi, dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui, capite plectitur: qua poena, quare, peccator aridus pro tot sceleribus, tot perniciosis medicis, tot peruriis, tot blasphemis, & inumeris iniquitatibus afficietur? Ille decollatur, qui mel syluestre & locustas edebat: quare erit poena edetis & bibetis, usque ad crapulam & ebrietatem? Ille induitur sacco ex camelorum pilis contexto, & ignominioso carcere clauditur: peccator mollibus uestitus, in quo ergastulum truderetur? Ille qui eremum in tenera aetate iam perijt, ne leui saltu maculare uitam fame posset, traditur decapitatus carnisfici: heu quibus satellibus tradetur peccator cruciatus, qui totum corpus subiecit delictis? Verum iudicium incipit a domo Dei. Quod si in uiridi ligno, omni uirtute praedito haec faciunt, in arido omni uirtute destituto, quid fiet? Aliud siquidem est, quod in initio huius sacrae lectionis me maxime reddit atto nitum: quantum praualuit apud Herodem detractio dela tueris beatum Ioannem: praecipue uero cum lego apud beatum Mar. cap. 6. Ipse enim Herodes timebat Ioannem, sciens eum uirum iustum & sanctum, & custodiebat eum: & audito eo multa faciebat, & libere eum audiebat. Et adhuc mortuus Ioanne, cum referret Herodi opera Christi, ait: *Quem ego decollavi Ioanne, hic resurrexit a mortuis: id est uirtutes operatur in illo: at hunc quem in uita sanctum & iustum reputauit, & post mortem venerabatur, iniquis suasionibus tradidit adulteris, misitque in carcerem, ac tandem caput amputauit.* O nunquam a regum mente excidendum exemplum: ne credat calumniatoribus, ne denigrantibus proximorum facta illico astipuletur: ne aures leuiter accommodet detractoribus. Ignorat quippe hominum intentiones, nec suadetis corda prospectat, sed nec prospicere possunt: cum soli Deo cogitationes nostrae cognitae sint. Magno namque consilio Dei, & in magnum regum datum est exemplum: cum illos primos duos reges, quos Deus per se elegit, Saul & Dauid, spiritu prophetico decorauit. Saul, 1. Reg. 10. Dauid pri. Reg. 16. Debet namque reges, qui tot & tanta omni die audiunt, ne fallantur, Spiritum sanctum postulare: ut qui iam non dono prophetiae decorantur, saltem bono spiritu, & interiori doctrina, & instinctu, quid agendum, cui credendum, quid non faciendum, quid non credendum sit doceantur. Ioannes igitur sic incarcerationatus, cum a discipulis adhuc imperfectis & liuore commotis audisset, quae illi retulerat opera Christi, ut colligitur Ioannis cap. 3. Rabi, qui erat tecum trans Iordanem, cui testimonium perhibuisti: ecce hic baptizat, & oes uenit ad eum. Et Luc. 7. Et nunciauerunt Ioannis discipuli eius de omnibus his. Saluti igitur discipulorum consulens, & se morti proximum considerans, ne ipsos a fide Christi eo defuncto, alienos relinqueret, mittit duos ex discipulis suis, dicens: *Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? Qui cum haec uerba domino referrent, multa signa fecit coram eis, prout patet Luc. 7. Tunc dixit illis: Ite, & renunciate Ioanni, quae audistis & uidistis: Caeci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: hoc est, bonum illis nunciatur aeternum, sicut scriptum est Isaia cap. 61. Spiritus Domini super me, eo quod uinxerit me. Euangelizare pauperibus misit me: ut mederer contritis corde, & praedicarem captiuis indulgentiam, & clausis aperitionem.* Quam prophetiam Dominus Luc. 4. in synagoga Nazaret, recitans, dixit: *Quia hodie impleta est scriptura haec in auribus uestris. Hoc autem dominus referri Ioanni praecipit, ut hac occasione sumpta discipulos suos ad Christum coeuerteret.**

Sic

Sic se deberēt & Christiani principes, & praelati, & quicūque proximi, adinui-
cē exercere, & occasionem alter ab altero sumere, & inter se texere uirtutes:
quatenus & fides augetur, & oēs credētes bonis exerceat charitatis opibus.
Recedētibus discipulis Ioa. dñs Io. cōstātiā immutabilē, & eius summiā
uirtutē incepit referre populo: allēcrēs ipsum, nō esse arundinem vento com-
motā, nec mollē: quorū agmina in regū domibus sunt, atquē plusquā prophe-
tā, eo quod de ipso profertatū est. Ecce ego mitto angelū meū ante faciē tuā,
qui preparabit uīā tuā ante. Vel eo quod Ioan. ostendit digito uenisse, quem
ceteri prophete venturū prädixerant. Optimum sume ex hoc exemplū. ut cū
uideris alicuius famā periclitari, quas noueris uirtutes de illo, corā detracto-
ribus non crubescas referre. Sic enim expostulat charitas, quē diligit proximi-
mū suum sicut se ipsum. Atqui nos arundines vento agitatz, a mundo eleuari
extollimur. Abūdā nāque hodie in hominū animis leuitas, & nimia in uēda
uirtute incōstātia. Insuper corū qui mollia quērūt in domibus & regum &
mundi habitāt plurimi. Hanc uerūtamē duplicē ignominia faciliē euademus,
si uirtutem prudentiā arundini opponamus, & cōstātiā mollitiei. Quatuor
enim hic in beato Ioanne inter plurimas eius uirtutes adnotantur, nēpe, con-
stātia duplex: interior, dum laudatur, quōd non est mollis: exterior, quia non
ad instar arundinis vento agitur: propheta, cum de eo dominus dicat, quia
est plusquam propheta. Eius denique postrema uirtus, quod angeli officii ge-
rat: Ecce ego mitto angelum meum. Mundi incōstātia exteriorē deplorabat
sanctus Iob, dicēs cap. 13. Contra foliū quod vēto rapitur, ostēdis potentiam
tuam, & stipulam siccam persequeris? In quē locū ait beatus Gregorius. Quid
est homo, nisi foliū, qui uidelicet in paradiso ab arbore cecidit: quid est nisi fo-
liū qui tērationis vēto rapitur? & desideriorū flatibus eleuatur? Re uera arūdi-
nes lumus: a quacūq; aura tenuissima mouemur & agitur. Si enim humana
laus, siue cuiusq; potētis adit benignitas, elatiōe cōcutimur, & despiciuntur cæ-
teros. Si desinat humana solatia cōtristamur. Si adfunt diuitiæ, tumescunt ho-
mines. Si incidūt in paupertatem, ingemiscūt & cōtābescūt. Si sanus est, sui iā
obliuiscitur. Si laborat morbo, angetur nimis. Insu p̄ tāta uiget in hominibus
incōstātia: ut uicia, quæ aliquādo sunt detestati: nē dū smel & iterū, uerum
& milies repetant. Quos. n. taxillos hesternā die abhorruisti, cur hodie iterū
illis uacas? qui die ab hinc tertia a peccatorū lue mundatus es, hodie cur im-
purus i eadē ipsa delectaris peccatorū fece? Et quidē mira est incōstātia, cū qs
a sua patria ad aliena recedit, postquā reuertit, nō bonos illius, in qua fuit vr-
be, mores, sed corruptissimos quosq; secū adducere. Virtus igitur prudētię in-
cōstātibz ualde necessaria est. Hāc maximē exoptabat Moyses populo suo, di-
cens Deut. 32. Gēs absq; cōsilio est, & sine prudētia. Vtinā saperent & intelli-
gerent, atq; nouissima prouiderent. Nō est, inquit Esai. cap. 27. populus sapiēs,
propterea non miserebitur eius, qui fecit eum. Prudentia namq; in hoc consti-
tit, quēd in presenti ex pręteritis coniecturemus futura. Quemadmodum
Ecclesiastes dicit: Quid est, quod futurum est? id quod factum est. Vis ò
homo scire nunc, quid de te futurum sit, ne uelut arundo a quocunq; uen-
to ageris: id quod factum est de patre tuo, de auo tuo, proauo & attauo tuo.
Mereris tandem: & sepulchra eorum, domus illorum in æternum, us-
que in diem iudicii uniuersalis. Quis hęc ruminans, non sileat? quietus-
que sit, & omne mundi flatum & faustum nihil i pendat? & æquo animo pro-
spera & aduersa ferat: nec elatus magnis, nec deiectus infimis? Quicūq; igitur
optat, non a quocunq; uento moueri, consideret non quōd rex est, imperator,
papa, praelatus, diues, iuuenis, nobilis: sed quemadmodum desinet esse rex,
desinet

desinet imperare, desinet pontificari, relinquet diuitias & flōrem iuuentutis, &
ignobile atq; frōdū sepelietur cadauer. Id. n. futurum est, quod in pręteritis tui
sanguinis factū est. Ceterū hęc exterior mobilitas, non omnino perfectē tolli-
tur, nisi adit immobilis interior animus. Qua pp curandū est, ut animi (quoad
possis,) medearis mobilitati. Quod facillimo iā ostendemus exēplo, si confide-
res fixā colūnā, & ex aduerso arundinē constitutā: quē admodū & colūna, quan-
tūuis spirent uenti, in se consistit immobilis, & arūdo a quacunq; leuissima au-
ra flectitur & incuruatur. Cuius quē rei si causam uelis, illa omnino fuerit, quā
intus arundo uacua est: colūna uero grauis & solida. Ut hinc planē colligamus
ab intrinseco prouenire, quod arūdo facile quatitur; colūna uero immobilis
& fixa maneat. Sic quod ad nos attinet attendendum; licet prudentiam adhi-
beas exterioribus: nisi adit animo soliditas interior, commouebitur anima,
& uentorū procellis exagitatibz. Vnde beatus Gregorius super illud Iob: Et
nunquā in codē statu permanet, inquit: Quā tñ mobilitatē, non solū exterius,
sed interius quoq; hoc patitur. Oportet igitur ad expellendas has interiores
mobilitates, angelos imitari: quē admodū Dñs dicit de beato Ioanne: Ecce ego
mitto angelū meum, non utiq; per naturā (homine uera Ioānes est) sed per exē-
plū & imitationē. Angeli. n. (& si sunt administratores spiritus, propter eos qui
hereditatē capiunt salutis, & nos custodiunt & crebro mittuntur a summo Deo
in terrā) Deo semper adhærent: iuxta dñi sententiā Marth. 18. Angeli eorū, in
quit, semper uident faciē patris mei, qui in cœlis est. Oportet etiam, ne mouea-
mur, & deo semper cōiunctos esse per charitatē & gratiā: & nullatenus ab eius
dilectione & obediētia distrahi. quē admodū angeli, qui semper adhærent, quo-
cūq; eāt. Sic fiet, ut interius nō moueamur, redditi firmi per gratiā, & exterius
per prudentiā. Si. n. arūdinē, de qua paulo superius exēplū adduximus; colūnæ
illī marmoreæ ex aduerso positę alligaueris, iā arūdo uacua sic alligata, a ven-
to non agitatibz. Ita quoq; si Deo per amorē firmiter te alligaueris, & chari-
tatis uinculo illi adhæseris, atq; omnē tuā intentionē in illū direxeris, nihilq;
uelis pręterquā quod illi placitū sit, re uera firmus & solidus permanebis. Quē
admodū scriptū est Eccles. cap. 15. de adhærentibus & cōtinebit illū, & non cōfundetur;
& exaltabit illū apud proximos suos. Neq; ex his tibi heretica suboriatur suspi-
tio: cū sis in gratia Deo cōiunctus, nō posse peccare. Id siquidē poteris, nisi tibi
à dño tāta cōferatur gratiæ firmitudo, ut non cadere possis, quē raro uiuētibz
attribuitur. De iparā hoc priuilegiū de oī p̄tō concessum est, & sanctificatis in
vtero, ut beato Io. anni. Et apostolis, post aduentum Spiritus sancti, robur hoc
donatum de peccatis lethalibus; nam uenialiter posse peccare, non negatur.
Ne separeris tu a Christo, amore, gratia, charitate, & bonis operibus: & fide te
iuuabit gratia suarū cum patre & Spiritu sancto, est honor, gloria & impe-
rium in æternum. Amen.

TRACTATUS TERTIVS, IN XI. cap. Beati Matthæi.

QVÆRI tamē pot̄ (cū beatus Ioānes ob correptionē in Herodē, de Hero-
diade vxore Philippi fratris sui uiuentis, quā tulerat, sit detrusus in carcerē, &
capite plexus) an uisquisq; prædicatū pro ueritate teneatur subire mortis
supplicium, & peccante similiter publicē increpare? Quanquam enim vulgo
asseratur non esse quenquam, qui ueritatem proclamet publicē, sanē uulga-
ris ea est sententia, quæ apud doctos & sanctos uiros, nullius est momenti &

& auctoritatis. Est igitur veritas triplex, fidei, vitæ, & doctrinæ. Veritas fide nunquam est silentio prætermittenda, nec propter periculum relinquenda. Semper enim legens, docens, disputans vel prædicans, tenetur veram fidem exponere, nec aliquid contra fidem asserere. Poterit tamen, renuentibus & eum a se repellentibus infidelibus & hæreticis, ne audiant fidem, recedere si nihil proficit: iuxta domini dogma supra cap. decimo: Si non receperint vos, etiam pulverem calciamentorum excutite in testimonium illis. Quod & beatus Paulus fecit in Antiochia Pisidiæ, dicens Iudæis: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Iudæi autem concitauerunt mulieres religiosas & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis. At illi excusati populuere pedum in eos, venerunt Iconium, Act. cap. 13. Itaque recedere a persequentibus & nolentibus recipere fidem, licet: non tamen in atomo relinquere ipsam fidem, etsi omnia inferantur supplicia. Veritas vitæ pari modo nunquam reliquenda est, nec in minimo quidē: quæ est viuere secundum præcepta Dei. Cui autem vera vita sit obseruatio mandatorum Dei, non est aliquid præceptorum eius transgrediendum, licet mille mortes ob oculos constituantur, nec alicui contra præcepta Dei facere cõsulendum. Veritas doctrinæ etiã nõ est relinquenda vnquam: quoniã non licet mendacium, aut aliquid falsum immiscere doctrinæ. Ceterum potest prædicator vel doctor aliqua reticere, quæ magis scãdalũ, quã fructũ afferre possunt: dũ tamẽ nõ sit aliquid peccatũ mortale notoriũ, quod magnũ in populo scãdalũ excitet. Quemadmodũ fuit peccatum Herodis, qui vxorẽ fratris sui Philippi, corã omnibus tulerat, & fratre viuẽtẽ cã duxerat, res profecto nefanda. Qua propter beatus Ioa. post plurima saluberrima consilia, publico Herodem corripuit, dicens. Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Sic tenentur prædicatores mortem subire pro veritate, etiam si ab illis, qui veritatẽ audire respiciunt, incarcerationẽ & occidantur, quoniã martirii pnam consequentur. Hoc est quod beatus Apostolus præcipit 1. Timo. 5. Peccantes corã omnibus argue, vt & ceteri timorẽ habeãt, id est, ne scandalizentur similia uel peiora facientes: si uiderint publicos peccatores minime corripere, quod vere scandalum dicitur. Nam mirari facinus iniquum alterius: nõ adeo id scandali nomine censetur, quantum degentis perperam vitam imitari. Hoc enim grauius scandalum est: cum te intuentur auctori & vicini tui impune peccare, ob gubernantium desidia, & prædicatorum ignauiam, cumque nec superior punit, nec prædicator reprehendit manifestum malum, ex quo alii imitantur, & addunt peiora. Hos namque expedit carere, vt & ceteri talia perpetrandi timorem habeant. Verum enimerũ iusti uita non obscuratur carcere, nec deformatur morte, sed illustratur. Vasa figuli probat fornax, & tẽtatio iustos, qui in persecutionibus clariores redduntur. Quemadmodũ enim aureus torquis gemmis & margaritis ornatus, pãnoque serico obuolutus, & in arca conditus in occulto est: & qui exterius uideri arcam, non curat nec admiratur, cũ nihil oculis, quod sit pretio dignum, appareat: at verò cum referatur arca, & remouetur pannus, iam torquẽ inestimabile, & tantis gemmis contextitũ, conspicit & admiratur: ita et homo iustus non sit conspicuus, nisi in tribulationibus, tunc namque adornatus apparet et admirabilis. Ibi cernitur gemma charitatis in Ioanne: qua ob salutem Herodis & Herodiadis non timet probra & irrisiones, despicit carcerem, quaiuimmo & ipsam uitam. Ibi ostenditur ueritas, quæ necessaria & conducibilia ad salutem proximi minime reticet, nec mortem abhorret. Ibi apparet constantia & fortitudo,

in

in subeundis periculis pro salute proximi. Ibi terrenorum abiectio, & propriæ uitæ despectio, dum caput submittit gladio, ne proximi anima in ignem derrudatur æternum. Ibi patientia mira, cum nec murmur nec querimonia eius ab ore auditur. Ibi humilitas, quando se pro nihilo reputans, summa cũ mansuetudine subiicitur carnifici decollandus: Nulla ergo est uirtus, qua nõ refulgeat beatus Ioannes Baptista, cum pro ueritate oppetit mortem, despicit uitam, & collum submittit gladio. Ad hanc ueritatem tuendam & fidem in discipulis suis, illos ad dominum destinant, quibus ille: Ite & renunciate Ioãni, quæ audistis & uidistis: cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur. Possimus & nos referre, non quidem miracula, quæ uidimus & audiimus sed obstupenda, quæ audiimus & uidimus. Miraculum est, & perspicuos habentes oculos, nec se ipsos uident & agnoscunt, nec alios, nec ipsum Deum. Deum, quia non uerentur prauis eum operibus irritare: Se, quia cum ceteros omni die de ferri uideant ad sepulchra, ipsi se immortales cogitant. Ceteros quoque non uident, nam si pauperes sunt, minime inuare curant, si æquales, despiciunt. Miraculum re uera est, surdi audiunt: sed illud magis mirandum, quemadmodum audiens non audit. Tottens uocatus a Deo homo beneficis, infirmitatibus, tribulationibus, prædicationibus, nec audit, nec a malo auertitur, nec ideo melior fit. O stupenda surditas. Dauid dicebat: Audiã quid loquatur in me do minus Deus. Iniquus audiens, nec Deum nec ecclesiam audit. Claudi ambulãt miraculum est: admirabilius tamen quemadmodum pedes habens, nunquam ad bonum graditur, utque uelociter ad malum currit, nec ad bonum unquam mouetur. Leprosi mundantur, miraculum est: Ceterum horrendum, qui mundũ corpus & redolens habens, quomodo animam leprosam peccatis, & fœtidam sordibus uitiorum gestat. Retulerunt discipuli Ioanni, quæ audierunt & uiderunt: referimus nos seculo isti nequam, quæ audiimus & uidimus. Non enim existimet homo, qui uel heresi decidit a fide sancta catholica, uel prauis moribus deficit a gratia, excidit a charitate, quoniam monstrum hoc non aliquando euertetur a Deo: qui nunc patienter sustinet. Tandem uenient dies (quæ quidem iam ueniunt Herodi, & Herodiadi, & eius puellæ saltanti) quãdo proiciantur iniqui in gehennam, cum morientur. Nec enim longo post tempore, (breues namque dies hominis sunt) obstupenda eorũ facta, tanquam stupa adurentur igni æterno & afflicti iusti, & decollatus beatus Ioannes accipiet regnum felicitatis æternæ. Pro Ioanne denique respondit deus, ut nouerint iusti, & qui pro ueritate occumbunt, Deum suarum uirtutum præmiatorem: sciantq; illum suum esse protectorem, nec peccatorem hominem timeant persequentes: Diuino namque ore beatus Ioannes laudatur: nec ullus maior inter natos mulierum propheta (ut addit beatus Lucas ca. 7.) surrexisse dicitur. *Qui autem minor est in regno calorum maior est illo.* Siquidem quilibet beatus locum superiorem obtinet, quia deum uidet, quãm qui uis uiator, quãtum uis iustus. Ceterum si quis intelligat, de se id dominum prædicasse, nõ renuimus. Nam secundum animã beatus, minor reputatus a Iudæis, in regno ecclesie maior est beato Ioanne. Qui de se professus est, dicens: Venit fortior post me, cuius ego nõ sum dignus procumbens corrigiam eius calciamenti soluere: Sequẽ beatus Ioannes intra terminos suos constituit, dicens: Ego uox clamantis in deserto. Idcirco solidum beatum Ioannem, non arundinem uento agitatum dominus dicit. Arundo namque intus quidem uacua, exterius uero alta & uiridibus foliis circumfusa cernitur: sic uani superbi, qui se supra se extollunt: intus uacui omnique destituti uirtute, de exteriori pompa lætantur. Quod si contingat aliquando,

Y

bonis

bonis desiderijs excitari, eodem statim momento, tanquam si iam essent perfecti, aspirant ad superiores conscendere uirtutum gradus. Vnde Iob ait Beche mor in secreto calami quiescere. Quandoquidem isti sine ulla purgatione & peccatorum uera penitentia ad superiores uirtutes aspirant, illud sapius acclamantes. O quis uitam ageret beati Francisci, uel alicuius alterius sanctissimi uiri, ut Augustini, Hieronymi, Antoniique. At uero sapiētius faceres, quis hęc forte dicis, & qui ad sublimem illam sanctorum desideria peruenire uinendi normam, si illorum uestigia sequi potes, ne moram trahas. Quod si id nō licet, uel quod iam matrimonii uinculo astrictus sis, uel ob aliud quod uis legitimum impedimentum, ab aliquo docto & probo uiro discito, qua ratione secundum statum & officium tuum, uiuendi modum tibi statuere possis, quo Deo placeas & saluus fias: ne uirtute vacuus, totam in desiderijs uirtutum sanctorum transigas uitam, nihil interim curans te sanctum proximis & deo reddere. Repeto iterum si talis es, qui possis, omnibus quæ possides renunciare, & religionem approbatam ingredi, ut omni exclusa mora id facere uelis: si uero non, omni studio caue, ne Behemot quiescat in tuo secreto, ne uelut calamus intus uacuuus, exterius uanus in uanitate breues dies tuos claudas. Avertit dominus a beato Ioanne arundinis mobilitatem, atque nimiam laudat sanctitatem, & de illo publice bene loquitur, docens nos: cum de proximis agitur, si uolumus recte & secundum euangelium agere, bene loquamur: sicque in secreto tanti momenti fama proximi sit apud nos, ut ne seruu alienum temere iudicemus: quatenus in mutuis confabulationibus recte de omnibus sentientes de omnibus bene mereamur. Cum quidem nullus uiuit in mundo, qui & si aliquo obumbreretur delicto, non aliquam uirtutem admixtam retineat. Nullam enim creaturam, etiam serpentes uenenatos, creauit deus, cui non uirtutis aliquid sit admixtum. Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona, Gen. cap. i. Nullus utique Christianus est, de quo (& si iniquus sit) aliquid bonum non possit esse. Omnia quippe ualde bona sunt, sed malus amor hęc ualde bona corrumpit. Aurum bonum est: Quomodo ergo diuitem deiecit in tartara? non utique aurum, sed auaritia, & auri im probus amor. Auro descendit in ima diues, quisquis est auarus: auro ascendit in cœlum, qui dispergit & dat pauperibus, cuius iustitia manet in seculum seculi. Regno perditur Saul, regno saluatur Dauid. Summo pontificatu gloriatur Leo, Greg. et plurimi alii: eodem quis dubitet decidere plurimos? Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis: iniquus pastor lac suarum ouiu comedat, operitur lana, nec oues curat. Utrobique pastor: alter saluatur, alter damnatur. Utrobique apostolus Petrus & Iudas: Petrus super cæteros apostolos sublimatur, Iudas in ima infernorum suspensus damnatur. Malus amor rerum. Nam quę sunt ualde bona, male amantibus redduntur mala. Bona est lux, bonus solidus cibus: oculis tamen ægris nihil luce molestius: & stomacho debili nihil noxius solido cibo. Cæteru amor iste damnatus rerum habet suu fontem in nobis. Si enim nos ipsos male amamus, omnia huius amoris flumina, huiusque amoris pessimus erit. Si nempe non recte amamus: ad illum ad quem creati sumus finem, non diligentes nos in hanc uitam, in hoc seculu, sed in deum & uitam æternam: ex hoc amore fluent flumina lucida, & salubria erunt. Et tunc omnia nobis euenient ualde bona: quando per summum illud uerbum & bonum dominum nostrum Iesum Christum bona facta sunt omnia: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperiu in æternum. Amē.

TRACTA-

TRACTATUS QUARTVS,

In XI. cap. Beati Matthæi.

A DIEBUS Ioannis Baptiste usque nunc regnum cœlorum uim patitur. Hoc est, instat de proximo post meam mortem in cœleste regnum introitus. Et uiuenti sapimus illud. Qui sibi uim faciunt, naturam & affectus noxios reprimendo: & qui secundum rationem animæ uiuunt, hi fidem & gratiam consequuntur. Omnis enim lex & propheta usque ad Ioannem prophetæ uerunt. Id est annunciauerunt me uenturum. Prophetare namque est, aliquid futurum prædicere. Quum autem dominus uenit, iam non indicabunt sacrificia legis & oracula prophetarum uenturum dominum. Nam Ioannes illum ostendebat præsentem adesse, & tollere peccata mundi. Itaque & si plurimę prophetiæ essent adimplendæ: in passione domini, resurrectione, ascensione, in futuro iudicio, tamen prophetare usque ad Ioannem per ipsum celebrandum est. Et si multis recipere ipse est Helias, officium nempe. Ipse annunciauit saluatorem uenisse, quem admodum Helias annunciauit ante eum iudicium uenturum ad iudicandum, prout legitur ad Malachiam cap. vlti. Qui habet aures audiendi audiat, id est aduertat, consideret quæ dicuntur. Tunc præmisit dominus illam similitudine puerum dicentium. Cecinimus uobis, & non saltastis: lametamini & non planxistis. Quoniam beatus Ioannes uenit plangens, austeram scilicet uitam degens: & non luxerunt cum illo Iudæi, nec penitentiam egerunt. Dominus autem uenit manducans & bibens, & non lætatur in aduentu eius: quinimmo decollatur Ioannes, crucifigitur Christus uerus deus. Attendere enim oportet, quanta fuerit horum Iudæorum indurata malitia: qui nec testimonium Ioannis, quod de Christo reddidit, receperunt: nec Christo domino tot mirabilia operanti, quæ solus deus facere poterat, crediderunt. Iustificata est sapientia dei, quæ uacuos reliquit Iudæos a filiis suis puerulis, recedentes ab illis: qui nec planxerunt cum plangerent, nec cecinerunt cum saltarent. Ita Iudæi nec luxerunt cum Ioanne, nec lætati sunt cum Christo: derelictio eorum ab exemplo puerorum iusta iudicatur. Vel sic iustificata est sapientia scilicet dei a filiis suis, id est mirabilis apparuit sapientia Dei, & collaudata a filiis suis, qui dicitur filii dei per gratiam. Ipsi enim credentes iustum deum dixerunt, qui uacuos reliquit Iudæos, qui nec Ioanni, nec Christo crediderunt, quinimmo spernentes crucifixerunt. Postea cepit dominus exprobrare ciuitatibus, in quibus miracula fecit, scilicet Chorozaim, Bethsaida & Capharnaum, quod penitentiam non egissent, inquit Tyro & Sydoni atque Sodomis remissius esse in die iudicii, quam illis. Quod iam annotauimus in 10. cap. tract. 3. contra hæreticos uolentes equalē esse damnatorum poenam & beatorum gloriam. Hic coarguuntur quoque ad poenam: quoniam remissius dicit dominus, puniendas fore has ciuitates, quam illas. De gloria uero coarguuntur, quoniam in domo patris mei mansiones multas sunt, ait dominus. Et apostolus. 1. Cor. 15. Alia, inquit, claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, stella enim a stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum. Nihil clarius posset dici ad ostendendum quod secundum differentiam meritorum donantur beatorum sedes. Considerans autem dominus hanc Iudæorum pernicitiam, & patri æterno gratias referens de tanto mysterio: quod obcæcatis Iudæis, in gentes fides catholica transferretur: & præcipuos ex Iudæis fuisse repulso, & infimos piscatores ad

Cōtra hæreticos, qui sic discrimen inter beatos, & inter damnatoru poenam.

Y 2 tanti

tanti mysterii cognitionem esse euectos, & huius salutis fore annunciatos, dixit: *Confiteor tibi pater domine celi & terre, quia abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Non dicit insipientibus aut imprudentibus, sed reuelasti ea paruulis, humilibus apostolis & discipulis, & creditibus. Quoniam ceteri dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Ex paruulis fecit Deus sapientes & prudentes secundum spiritum, relictis sapientibus & prudentibus superbis secundum seculum. Hoc idem Samuel dixit ad Saul. i. Reg. 15. (cum proprium consilium festatus, tanquam sapiens secundum seculum, domini non obtemperauit mandato: parcens Agag regi Amalechitarum, & pinguis armentis.) Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribus Israel factus es? Vixitque te dominus in regem super Israel? Hoc est quod deipara semper uirgo Maria ait, in suo protocantico: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Cuius ne euigiles quaerens causam, ait. *Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Quod autem dominus aduerbos, sapientes & prudentes secundum seculum reprobet: & mysterium aduentus filij sui humilibus reuelat (cum ita placeat deo, cui bona cuncta placent, & iniqua displicent) est causa potissima se reuelandi paruulis, & reiciendi superbos. *Omnia mihi tradita sunt a patre meo.* Si ad uerbum aeternum id referas, a patre omnia dicuntur tradita: quoniam filius est a patre, non pater a filio. Nunquam enim sine filio pater, nec filius sine patre, nec pater & filius sine spiritu sancto: uerum tamē filius genitus est aeternaliter a patre, & spiritus sanctus aeternaliter procedit a patre & filio: & sic *Omnia mihi tradita sunt a patre meo.* substantialiter & comprehensiuē. Quoniam hoc modo nemo nouit filium, nisi pater: nec patrem quis nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Diuinae namque personae se comprehendunt: nullusque beatorum Deum comprehensiuē cognoscit. Si uero ad humanitatem referas *Omnia mihi tradita sunt a patre meo*, in incarnatione auctoritatis omnia illi tradita, quae sunt in potentia creaturae: & omnia cognouit potestatiue in resurrectione. Data est mihi inquit resurgens, omnis potestas in caelo & in terra. Effectiue autem consumabitur haec in omnibus potentia in die iudicij, quemadmodum beat. apost. Paul. refert ad Heb. 9. Sedet a dexteris Dei: de cetero expectamus, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos.* Solus enim Deus potens est nos reficere: cetera labori & oneri nobis sunt, quoniam quamuis ea quae nimio desiderio concupiscimus eueniant, refecionem utique non afferunt. Eo namque tempore, quo desiderata adipisceris (sic illud honor, dignitas, diuitiae sine quodcumque aliud temporale) iam illarum rerum fastidium obrepit. Proinde temporalia quidem bona habere poteris, refecionem uero minime consequeris. Quapropter deus laborantibus in temporalibus, & desideriorum grauissimum onus baiulantibus refecionem uolens praestare, dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.* Qui scilicet sub tanto onere oppressi estis, et ego reficiam uos. Cuius natura est, si per gratiam possideatur, tranquillitatem animae praestare. *Tolle iugum meum super uos.* Praecepta intellige, quae per uoluntatem quantum ad animam, tum etiam per substinetiam & exercitium quantum ad corpus tollere debemus. Iugum enim binos coniungit boues. Sic & nos Christi iugo animam & corpus subiciamus. Duplex namque est uia per quam oportet ad caelum ire: Una est uia animae per charitatem, & uerum in Deum amorem, orationem, contemplationem, & cordis mundiciam: Altera uia corporis per abstinentiam, macerationem, puritatem, & bonorum operum exercitationem. Sic dominij tollemus iugum, sic portabit anima imaginem caelestis patris, & corpore sequemur ue-


stigia

stigia pro nobis in Cruce fixi. Ne autem haec audiens terrearis, & tibi aliquod onus intollerabile portandum putes, sequitur. *Iugum enim meum suauis est, et onus meum leue.* Scito nihil dulcius animae contingere posse, quam deum amare, & tota mundicia cordis illi adherere. Audi occupatissimum regem: Mihi autē, inquit, adherere Deo bonum est, & ponere in domino deo spem meam. Psal. 72. Corpus autem si spiritui subici assuescat, & diuinis vacare obsequiis, audiet eundem regem asserentem. Cor meum & caro mea exultauerunt in deum uiuum. Suauissimum denique iugum est portantibus, quam suauitatem ille nouit praestare, qui dicit: *Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in aeternum. Amen.*

TRACTATUS PRIMVS,

IN CAPITVLVM XII.

BEATI MATTHAEI.



SVRIENTES discipuli, cum dominus sabbato transiret per sara, spicas euellere coeperunt & manducare, ex spica scilicet confricatis ad uescendum esus, ostendit grauem tunc accidisse beatis discipulis domini famem, quam alia repellere in promptu non erat. Cum enim essent abstinentissimi, non alienas spicas euellerent, nisi illos magna uirgeret fames, pharisei autē dixerunt. *Eccediscipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis.* Non discipulos arguit de alienis sublatis spicis, sed de uiolatione sabbati. Ex hoc facto discipulorum, & responsione domini, quae sequitur & concludit: nunquam condemnassetis innocentes, & Dauid inducto, qui etiam extremam pariebatur famem, inferatur in extrema necessitate omnia esse communia: & si dici posset, cum Deus sit omnium Christus posse discipulis talem licentiam praestare, quoadmodum olim dei iussu spoliati sunt Aegyptii. Ceterum cum pharisei illis non obii-ciant quod agros depopulerunt, sed tantum quod uiolent sabbatum: licite summa necessitas illis fecit agros communes. *At ille dixit eis: Non legis quid fecerit Dauid quando esuriit, et quis cum eo erant: quomodo intrauit in domum Dei, et panes propositionis comedit: quos non licebat ei edere, neque iis qui cum eo erant, nisi sacerdotibus?* Id autem conrigit, ut traditur. i. Reg. 21. cum fugerit Dauid a facie Saul, & in Noba ad Achimelech sacerdotem recederet. *Aut non legis in lege, quia sabbatis sacerdotes sabbatum uiolant, et sine crimine sunt?* Hoc autem dicit, quoniam sacerdotes occidebant oues, & in frustra secebant offerentes sacrificia, ligna imponebant in holocaustorum altari: & sic sabbatum uiolabant secundum literam. Ceterum non sunt damnandi, quoniam necessitas maxima sine crimine eum esse constituit, qui rem ita necessariam facit in sabbato, quae differri non potest. Ex hoc namque capite excusantur Machabaei sabbato praestantes. i. Mach. 2. cap. Excusantur Christiani, si necessitas

In necessitate extrema omnia sunt coia.

Quae licet ob necessitatem fieri diebus festiuis.

oesitas vergeat, contra hostes pugnantes diebus dominicis seu festiuis. Excusatur qui ministrat infirmo, quem solum relinquere periculum fit, dum nõ adest alius qui a sistant illi, dum iste venerit in ecclesiam auditurus sacra. Excusantur qui ob grauissimam necessitatem post auditam missam, superueniente tempestate, currunt ad remouendas segetes, uel cooperendas aceruos tritici in area: & qui non propter iurum sed ob urgentissimam necessitatem iter faciunt. Quod autem Deus addit: *Dico autem uobis, quia templo maior est hic: De ipso domino intelligendum est: Manifeste enim se Deum dicit, qui maior est templo, cui templum dicatum est, & in cuius obsequium edificatum est. Maior est rex aula sua, maior homo quicunque sua ipsius domo. Si autem sciretis, quid est; misericordiam uolo, & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.* Hanc sententiam Osee cap. 6. dominus supra cap. 9. retulit in ipsos phariseos: cum murmurent eo quod dominus in domo beati Matthæi, quando est conuersus, recubuit cum publicanis & peccatoribus. Cæterum tam benignus est Deus, adeoq; misericors, ut si occurrat eius sacrificium, uelit priuquam offeram illud, hominis succurrat interfectioni, utque prius subueniam extremæ necessitati proximi, quam eius cultui: reputans eo articulo temporis misericordiam potius esse obsequium, quam sacrificium. Iterum repetit se uerum deum & dominum, dum subiungit. *Dominus enim est filius hominis, etiam sabbati.* Nihil refert euangelista phariseos his respondisse, quod crebro in sacro reperitur euangelio. Quapropter censendum est uerba domini ita penetrare corda, ut intellectum submittant, iamque nullus sit repetendi locus, cum dominus loquitur. *Et cum inde transisset, uenit in Synagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum dicentes: Si licet sabbatis curare? ut accipiant eum. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex uobis homo, qui habeat uermem, & si ceciderit sabbatis in foueam, uonue uenit, & leuabit eam? Simile legitur Luc. 13. cum dominus sabbato sanaret incuruatam mulierem: indignatus archisynagogus dixit: sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo uenite, & curamini, & non in die sabbati. Respondens autem ad illum dominus, dixit: Hypocrite, unusquisque uestrum sabbato non soluit bouem alligatum, aut asinum a præsepio, & ducit ad aquam? Hanc autem filiam Abraham, quam alligauit sarana, ecce decem & octo annis, non oportuit solui a uinculo isto die sabbati? Et cum hæc diceret, erubescerant omnes aduersarij eius, & omnis populus gaudebat in uniuersis, quæ gloriose fiebant ab eo. *Quanto magis n. lior est homo bonus? Itaque licet sabbatis benefacere.* Tunc ait homini: *Extende manum tuam.* Et extendit: *& resurrexit a terra sicut altera.* Nihil responderunt domino maleuoli pharisei. *Exeuntes autem consilium faciebant aduersus eum, quomodo perderent eum. Iesus autem sciens, secessit inde: & secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes: & præcepit eis, ne manifestum eum facerent.* Mirabilis mansuetudo domini: ne pharisei amplius indignarentur, etiam bona opera tunc celari præcepit: ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem Esai. 42. *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nunciabit: non contendet, nec clamabit, nec audiet aliquis in plateis uocem eius: aridinem quassatam non constringet, & lignum fumigans non extinguet: donec adiciat ad uictoriam iudicium: & in nomine eius gentes sperabunt. Manifesta prophetia mirabilis mansuetudinis domini, & de uictoria contra dæmonem & mundum obtinenda, & de uocatione gentium. Tunc oblatu est ei dæmonium habens, & cæcus: & curauit eum, ita ut loqueretur & uideret. Et stuperant turbæ, & dicebant: Nunquid hic est filius David? id est, Messias promissus ex genere David? Pharisei autem**

ad re-

ad reprimendum turbæ uerum præconium, maxima malitia ducti, dixerunt. *Hic non eicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: quatuor præcipuis rationibus retundens eorum malitiam & blasphemiam in hunc modum: Omne regnum in se diuisum desolabitur: & omnis ciuitas uel domus diuisa contra se, non stabit. Esti Sathanas Sathanam eicit, aduersus se diuisus est: quomodo ergo stabit regnum eius? Ac si dicat omnis princeps, omnis potentatus, siue legitimus, siue tyrannicus, summè affectat conseruationem sui principatus: maximè dæmon, cuius superbia & ambitio est omni maior superbia & ambitione. Qui ergo fieri potest, ut se expellat ab obseis corporibus, & contra se agat? ut regnum eius deficiat, & omnino corruat? Esti ego in Beelzebub eicio dæmones: filij uestri in quo eiciunt? Ideo ipsi, iudices uestri erunt. Exorcistæ namque, qui inuocato nomine Dei dæmones pellunt, filij uestri sunt. Igitur cum sit Dei uirtus, quæ expellit dæmones, & hunc in filiis uestris agnoscitis, mihi cur eandem uirtutem non attribuitis? idè ipsi filij uestri exorcistæ iudicabunt iniquitatem, & uestram induratum malitiam. Si autem ego in spiritu Dei eicio dæmones, igitur peruenit in uos regnum Dei. Quoniam in potestate impero eis, non deprehdans, sed præcipiens: hoc autem solus Deus facere potest. Igitur, peruenit in uos regnum Dei. Quomodo autem potest quisquam intrare in domum fortis, & uasa eius diripere: nisi prius alij auerit fortem, & tunc domum illius diripiet? Manifestum utique est fortem non posse uinci, nisi a fortiore. Si ergo in potestate eicio dæmones, & eius domum ingredior, hoc est, homines in quibus habitat: & uasa eius diripio, peccata uidelicet, fortior illo sum, & in diuina hæc potestate facio. Qui non isti mecum, contra me est: et qui non congregat mecum, spergit. Quum igitur ego humilitatem, demon superbia: ego patientiam & charitatem, dæmon iram & odium: ego ueritatem, demon mendacium: ego elemosynam, demon auaritiam: ego castitatem, dæmon fornicationem: ego pacem & remissionem iniuriam, demon bellum & uindictam suadeat: non utique mecum est, sed aduersatur operibus meis. Quando opera mea operibus eius sint ex diametro repugnantia: Non ergo in Beelzebub potestate, sed in omni potentia Dei eicio dæmones. Ideo dico uobis, omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus: si uirtus autem blasphemia non remittetur. Hoc est, peccatum contra Spiritum sanctum, quod est opera Dei, quæ utique nemo negare potest esse a Deo, ex inueterata & affectata malitia dæmonibus attribueret: & sic in tanta blasphemia ad mortem usque persisteret, non remitteretur. Et quicumque dixerit uerbum contra filium hominis, remittetur ei. Hoc est cum non ex malitia consulto peccatur: sed quemadmodum Saulus, qui non credebat hominis filium, esse filium Dei, & hac ignorantia ductus persequebatur ecclesiam Dei. Qui autem dixerit uerbum contra Spiritum sanctum. Opera uidelicet Spiritus sancti, & quæ nemo facere potest, nisi Spiritus sancti uirtute, ex malitia coagulata dæmoni assignauerit, non remittetur ei, nec in hoc seculo nec in futuro. Quoniam qui hæc facit, traditus est in reprobum sensum. & in ea in qua exercitatus est malitia, diem claudet extremum. Aut facite arborem bonam, et fructum eius bonus: aut facite arborem malam, et fructum eius malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur. Progenies uiperarum, quomodo potestis bonum loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Vos dicitis uos esse bonos, & tales hominibus uideri uultis. Si ergo boni estis & bona arbor, facite bonos fructus, aut fatemini uos esse pessimos: & tunc facite fructus malos. Quia propter eum arbor ex fructu cognoscitur, et opera uestra pessima sunt, & omni plena nequitia: pessima & inuitis arbor uos estis. Quoniam bonus homo, de bonis thesauris, scilicet, de thesauro uirtutis, profert bonas: et malus homo, qui ex assuetudine & malitia*

Purgato-
riū esse cō-
tra Luth-
eranos.

liria mali nomen sortitur, de malo thesauro iniquitatis scilicet & malitiæ sca-
turigine, profert mala. Duo ex prædictis uerbis Domini, præcipuè notāda sunt.
Primum veritatis agnitæ ex malitia impugnatio, & in hac persistētia & indu-
ratio, quæ consequenter secum adducit quandam mentis obæccationem cal-
iginemque: qua in impœnitentiam finalem, & demum ex his interioribus tene-
bris ad æternas tenebras exteriores ignis adurentis, & non illuminantis deue-
nitur. Hoc est peccatum contra Spiritum sanctum: quod non remittitur in
præsenti: quoniam qui tales reperiuntur, nolunt pœnitere, nimium a propria
malitia obæccati: nec remittitur in futuro seculo, cum non sit uenialis talis
culpa, nec pœna debita mortali, iam per contritionem & confessionem dele-
to: quinimmo culpa mortalis grauissima. Notandum secundo, quam hic ma-
nifestis uerbis, purgatorium (quem dicimus) locum, in quo decedens in gra-
tia uenialia luit, & satisfactionem non consumatam pro mortalibus peragit,
dominus designat, dicens: Non remittetur ei nec in hoc seculo, nec in futuro,
ostenditque plane, dum quemadmodum sunt peccata, quæ in hoc seculo remit-
tuntur: sic esse peccata, quæ in futuro seculo non remittuntur. Hęc sunt morta-
lia, quorum peccator non est consecutus veniam uiuens, quam post mortem
consequi non est locus. Sunt etiam peccata, quæ in futuro seculo remittuntur,
cuiusmodi sunt uenialia, vel pœna mortalibus remissis debita. Sic hunc locum
beatus Aug. exponit lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 24. dicens: Nam pro defunctis
quibusdam (uel ut dicitur, pro mortuis) uel ecclesię, uel quorundam piorum
exaudiri orationem eius, licet qui in Christo renati non adeo ita male uixe-
runt in corpore, ut tali misericordia inueniantur indigni, nec iidem sic bene,
ut inueniantur tali misericordia non egere: tales etiam constat ante iudicii
diem, per pœnas temporales, quas eorum spiritus patiuntur purgatos, receptis
corporibus æterni ignis supplicii non tradēdos. Hęc prosequitur beatus Aug.
& repetens eandem sententiam, ita concludit. Nec enim de quibusdam uera-
citer diceret, quod non eis remittatur, nec in hoc seculo nec in futuro: nisi es-
sent quibus, & si non in isto, tamen remitteretur in futuro. Re uero nihil per-
spicacius dici potuit de purgatorio contra Lutheranos. Et beatus apostolus
Paulus 1. Cor. 3. esse purgatorium apertissime ostendit, dicens: Secundum gra-
tiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui: alius
autem superædificat. Vnusquisque autem uideat, quomodo superædificet. Fun-
damentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod
est Christus Iesus. Si quis autem super ædificat supra fundamentum hoc, au-
rum, argentū lapides preciosos, ligna, fœnū, stipulam: unus cuiusque opus mani-
festum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & unus-
cuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus māserit, quod superædifi-
cauit, mercedem accipiet: Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse
autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Qui autem non plenè ædifica-
uit lapides preciosos, aurum & argentum, atqui ligna, fœnū, stipulā, saluabi-
tur quasi per ignem: quoniam ignis talia cremat. Ipsos uero sic adustos, dicit
beatus Apostolus detrimento, hoc est pœna, saluari. Hunc locum sic inter-
pretatur beatus Aug. lib. 2 1. de ciuitate Dei cap. 26. dicens: Si cuius opus arse-
rit damnū patietur. Professō non est æternus ille ignis: In illum enim soli
sinistri nouissima & perpetua damnatione mittentur: iste autem dextros prob-
bat, sed alios eorum sic probat, ut ædificium non exurat nec consumat: alios
autem, ut quod superædificauerunt ardeat, & damnū inde patiantur, sal-
ui autem fiant: quoniam Christum in fundamentum stabiliter positum præcel-
lenti charitate tenuerunt. Idem beatus Aug. psal. 37. uerbo: Nec in ira tua

emendes

emendes me, exponit dicens: ut in hac uita purges me, & talem me reddas, cui
iam emendatorio igne non opus sit. propter illos qui salui erunt, sic tamen qua
si per ignem. Quare nisi quia hic ædificant supra fundamentum ligna, fœnū,
& stipulam. Idem psal. 80. uerbo: Et erit tempus eorum in secula, longe hanc
expositionem prosequitur, & concludit, dicens: Christum habens in fundamen-
to, sed tamen quia diligit illam, possessionem utique (prædixit enim tempora-
lia bona) & contristaris si perdas illam: super fundamentum posuisti, non aurū,
non argentum, nō lapides preciosos, sed lignum, fœnū, stipulam. Saluus eris,
cum ardere cœperit, quod ædificasti: sic tamen quasi per ignem. Si hæc Luth-
eranus non satisfaciunt: credant Mahumetanis, Turcis, Agarenis, & huius scēte
prauissimæ sectatoribus. Qui cum multa in Christum dominum, & sanctam
eius ecclesiam catholicam debaccharentur, non tamen ausi sunt, unquam pur-
gatorium inficiari: immo contentur, & pro defunctis omnibus Mahumte anus
Deum exorat, & oblationes persoluit. Ratio nāq; luadet, & uehementer urget,
medium aliquod esse: quo qui nec in inferno damnantur, nec cum moriuntur
cælo admittuntur (quoniam nihil coinquinatum introhibet in illā summam
fœlicitatem) purgent, siquæ in hære illis reliquæ uenialium, uel adhuc pœni-
tentiam pro mortalibus satisfactoriam plenè non egerunt. Hoc refert beatus
Dionysius, beati apostoli Pauli discipulus & Athenarum episcopus, respondi-
t se apostolos Domini, cum quæreretur ab eis, quorsum pro defunctis Christia-
nis orationes effunderentur, cap. 7. Ecclesiastica Hierarchie in hæc uerba: Di-
cas forte utiq; hæc quidem recte dicta esse a nobis: dubitare uero hoc, quare di-
uinam bonitatem summam sacerdos deprecatur, peccatorum petens dormien-
ti remissionem? Plurimis autem uerbis beatus Dionysius istam quæstionem
prosequitur, demum concludit. De dicta autem oratione, quam summus sacer-
dos superorat dormienti, in nos uenientem ex diuinis nostris ducibus traditio-
nem (sic enim consuevit dicere beatos apostolos diuinos nostros duces) dicere
necessarium. Dicit ergo ex Deo traditis eloquiis, quia sancte uiuentibus lu-
cidissima & diuina uita, secundum dignitatem, a iustissimis redditur legibus:
despiciente bonitate diuine humanitatis ingenitas eis ex humana infirmitate
maculas: quoniam quidem nemo (ut uulgo aiunt) mundus a sordē. Hęc quidem
ergo summus sacerdos scit promissis ex ueris eloquiis: petit autem continuo
fieri & donari sancte uiuentibus sacras retributiones. Vides igitur, quam per-
spicuo testimonio beatus Dionysius dicit sanctos apostolos constituisse, pro de-
functis precari, ut macule si quæ decedentibus ad hære, purgentur uiuentium
orationibus, utq; illis diuina donetur remissio. Illas ergo maculas oportet pur-
gare: & sancta est & salubris cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis sol-
uantur, prout fecit Iudas Machabæus pro peccatis mortuorum qui purgaban-
tur, offerens duodecim millia dragmas argenti, 2. Mach. 12. Et Apoc. 5. Audiui
laudantem Deum omnem creaturam, quæ est in cælo, & quæ super terram &
quæ subter terram & mare. Quæ subter terram, non sane damnati, qui Deum
non laudant, non corpora mortuorum: ergo purgandorum animæ. Confusi igitur
abeant Lutherani, cum audiunt dominum in euangelio purgatoriu ostē-
dentem: & idem beatum Paulum scribentem: & beatum Dionysium, sic aposto-
los denunciaffe manifestantem: beatus etiam Aug. sic interpretantem: & Iu-
dam Machabæum sua pro mortuis oblatione sic protēstantem: Iesum Chri-
stum dominum sic erudientem & illuminantem semper ecclesiam suam: cui
cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

τῶν ἢ μαρ-
τυμένων
αὐτῶν τῶ
κεκοιμημέ-
νων τῶν
φραση
ἐκ τῶν θεῶ
ἀννητων
κοιμιστε-
μων

In XII. cap. beati Matthei.

DICO autem vobis, quoniam omne uerbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. Ex uerbis enim uis iustificaberis, & ex uerbis uis condemnaberis. Si enim de omni uerbo otioso reddenda est ratio, quanto magis de uerbo pernicioso & blasphemio, quod locuti fuerant pharisæi dicentes; in Beelzebub eicit demonia. Id autem consequi existim ex sacri euangelii litera, quoniam de blasphemio uerbo dominus copiosum responsum dederat: hoc autem ultimum pœnam blasphemantium uidetur concludere, quando qui dem de otioso uerbo reddituri sumus, quam utiq; rationem reddent pharisæi de uerbo blasphemio. Ex uerbis iustificari siue damnari eo dominus dicit, quoniam heretici uel usq; ad risum opinionibus suis ebrj, uerbis, id quod intus in corde & animo gerunt, manifestant. Hic autem uerbum otiosum accipio propriè pro uerbo otioso, prout distinguitur à uerbo pernicioso, iniurioso, blasphemio, & cæteris huiusmodi uerbis. Tanta siquidem puritate niter lex Christiana, ac tanto splendore euangelium lucet, ut suis nec otiosas quidem collocaçiones permittat. Verum enim uero otiosum uerbum nulli nocens, nec iniuriam irrogans, peccatum est ueniale. De hoc tamen reddenda est ratio: quoniam hæc uita nihil aliud est, quam uita in ueram patriam perueniendi. Anima uero cum sit immortalis, huiusmodi seculum appetit, ubi mors nescitur; quod illi est patria uera. Ceterum quicquid nature corporali necessarium non est, id pro otioso haberi debet, tanquam nec utile animæ, cuius curæ semper in rebus esse oportet, neq; etiam corporis uitæ; nam sine uerbis otiosis corporis uitam commodè transigere possumus. Cum igitur animæ & corporis uitæ, nihil conferant utilitatis, otiosa dicuntur, tanquam ad nihilum conducentia. Acq; hæc quidem iure euangelica lege remouentur, cum sit lex perfectissima super omnem legem, de qua prophetauit Dauid psal. 18. Lex domini immaculata, conuertens animas, testimonium domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Quod sit immaculata inde ostenditur, quod nec uerbum otiosum permittit: lege uero humana ciuili permittitur mulierculis corpore quæsum facere, & deprehensos in adulterio impune occidere. Lege item Moysi libellus repudij permissus erat ob duriciam cordis ludæorum: ab iniurio autem non fuit sic. Iudæi quoq; alienigenis ad usuram dare, sibi licere arbitrabantur: quanquam lex id non dixit; sed non fœneraberis fratri tuo, Deut. 23. Lex euangelica adeo purissima est, ut meretrices abominetur: prohibeat libellum repudij: reprimat usuras. Omne homicidium cohibet, cor præcepit defæcari, & Qui quantum uis minima carere peccati labe. Qui enim (inquit) uiderit mulierem ad concupiscendû eam, iam mœchatus est in corde suo. Et, qui odit fratrem suum homicida est. Itaque nihil prauæ cogitationis permittit in corde, neque quicquam otiosum in ore, neque ullum malum in opere. Totum hominem sanum exposcit, totum uirtutibus præditum exigit, totumq; requirit omni peccati expertem. O uerè felicissima lex, sancta, immaculata, sincera, atque omni sua uitate, & amœnitate referta, quæ totum perficit hominem, totumq; id creatori reddit, quod per peccatum a diabolo fuerat usurpatum. Conuertit etiam auersas animas, quoniam ipsa sola uerè punit errata. Lex ciuili humana suspendit latronem, occidentis corpus occidit, ferientis manus abscindit. At cum mēbra corporis sint instrumentum coniunctum, quo anima utitur ad suas perficiēdas bonas siue malas operationes: ille solus uerè conuertit, quod auersum est: & punit

punit quod iniquè perpetratum est, qui animam his infectam peccatis punit. Deus enim & dominus noster iubet animam ad se conuerti, cor conteri, spiritum humiliari, dolore angere, pœnitentia flexi, quæ quidem uera punitio est. Lex Moysi & si peccata cordis prohibebat, uerum tamen non cohibebat: non enim pœnam constituēbat prauè cogitantibus, & animo prauis consentientibus: dummodo opere peccata non perpetrarent. Cum autem secundum Aristot. Ethic. 2. legis aitoris sententia & uoluntas sit ciues suos bonos efficere, hoc se uim præstat lex euangelica: quæ tuos obseruatores tales præcipit esse in tu, quales oportet ostendi foris. Quod & beatus Gregorius Nazanzenus oratione 1. in Iulianum apostatam his uerbis dicit: Ceterum hoc pulcherrimum est, quod aliorum finis secundû leges castigantur: nos uero principia et castigamus. Hoc id dicit, quia secundû leges culpa non plectitur, nisi sit opere consummata: secundum autem euangelium ipsius uoluntatis decretum ad peccatum mortaliter per pœnitentiam grauius punitur. Fidelis est lex euangelica, quoniam suus securos ac felices reddit: Et quis est, qui uobis noceat, inquit beatus Petrus epist. prima cap. 3. si boni emulatores fueritis: Christus dominus omnia potest. Reges gētiū aliquando non possunt ea quæ uolunt facere: nec habent tot donaria, quot habent famulos: & si plura tribuant sua minuentur: & ad inopiam redigetur rex, si omnia donet. Dominus autem Christus nullius indiget, qui & si omnibus quæcunque uelint concedat, nihil illi deficiet. Ita diues est si tribuat, ac si non tribuat. Omnipotens semper manet: atque omnia sua semper sunt; cuiusque illa donet. Nec quicquam unquam ei deficere potest; qui cum omnia donet, nihil de sua possessione minuitur. Fideliter igitur seruiendum est fidelissimo domino, qui omnibus rependit abunde, secundum opera sua. Fidelis igitur lex, quæ nunquam promissis aliquem frustrauit, quod sæpe reges & lex humana facere consueuerunt. Sapientiam, inquit, præstans paruulis: lex humana diffusa est nimis, nec ualeat quiscquam dum uiuit eius decreta perquirere, quæ uarietate temporis necesse est uariari. Qua propter toties nouæ leges, ac noua municipalia statuta conduntur. Lex euangelica eadem semper manet, nullis temporibus immutatur: quemadmodum lex Moysi, quæ cessauit ad impletis enigmatis, quæ præsignabant aduentum domini nostri Iesu Christi, quibus erat grauida: eademque lex euangelica perseverabit in æternum, dicente domino: Cælum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt. Cum igitur semper eadem sit, facilis est ad sciendum: ideo dicitur: Sapientiam præstans paruulis, hoc est humilibus, obseruantibus & facientibus eam. Reiecit à se superbos, cum omnia mala prohibet: admittit ad sui noticiam humiles, quoniam omnia bona suscipit. Non extollitur in altum eius obseruator, neque si ad infima deiiciatur deprimitur: quæ duo sunt præcipua demonis machinamenta. Quosdam namq; in sublime statuit, ut elati decendant in ima inferni: quosdam uero deprimit, ut molestia fracti a uirtutis culmine decendant. Verus autem legis euangelicæ obseruator, nec in supremis superbit, eum a suo præceptore audiat: Discite a me quia mitis sum & humilis corde: nec depressus animo frangitur, eum audit: Qui uult uenire post me, abneget se metipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Comparat christianos beatus Gregorius Nazanzenus, ad finem primæ orationis in Iulianum apostatam, trocho flagellato, quo pueri de more ludunt: flagellis quidem uoluitur, fixus tamen eodem uestigio hæret. Sic uerus Christianus quantumcunque flagellatur aduersis, quantumcunque extollatur prosperis, semper tamen fixus manet in Christo: cui est cū patre, & spiritu sancto, honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

In XII cap. beati Matthæi.

T V N C *responderunt ei quidam de scribis & pharisæis. Scribæ docti in lege dicebantur, pharisæi religiosiores in exteriori cultu cæteris, sed utriq; ex æquo maleuoli & hypocritæ dicentes: Magister, uolumus a te signum uidere.* Inuerecunda fronte signum postulant: ac si ipsi testes non essent tot signorum & miraculorum, quæ operatus est dominus: donans uisum cæcis, auditum surdis, leprosis munditiam, paralyticis integritatem, infirmis sanitatem, ac mortuis uitam. De cælo aut̄ hi signum petebāt, ut simul calumniarētur dicentes: illum nō esse plusquā prophetā, quē admodū Helias clausit oratione sua cælum annis tribus & sex mēsis. 3. Reg. 17. Cuius etiā oratiōe reddita est pluuia copiosa. 3. Reg. 18. Idē ignē de cælo super quinquagenarios misit. 4. Reg. prim. Huiusmodi signū quærebāt scribæ & pharisæi. Sic. n. in cap. 16. scriptū est: & Marci 8. Quæretes ab eo signum de cælo, tentantes eum: *Qui respondens ait illis: Generatio mala & adultera signum querit: Mala, inquit beat. lo. Chryostomus, quia ingrata. Ingratitudo. n. est summa malitia. A dultera, inq̄r beatus Hieronymus, quā Deū suum dereliquerunt, & diabolo se tradiderunt. Signū nō dabitur ei, nisi signū Ionæ prophete.* Signum quod petunt de cælo simile signis a prophetis exhibitis, non dabitur eis: ne dicant Christi solū hominē, ut pote prophetis similē. Nā & alia potiora & creberrima data sunt signa, quæ a prophetis fuerunt de Messia prænuntiata: cæci uidēt, claudi ambulāt, mortui resurgunt, leprosi mundātur. *Signū igitur nō dabitur ei, nisi signū Ionæ prophete, signū utiq; resurrectionis.* Sicut. n. fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Multa pleriq; interpretantur de his tribus diebus & tribus noctibus, quibus dominus in sepulchro quietū, dicētis. Tenebræ quæ factæ sunt in uniuersum orbē a sexta usq; ad horā nonā, primā esse noctē secunda nox est feriæ sextæ; tertia nox sabbati, usq; ad mediā noctē Prima uero dies, feriæ sextæ ultima dici pars: secūda sabbati: tertia dies, illa pars noctis sabbati a mediā nocte usq; in aurorā, quæ Christus dominus resurrexit. Alij partē pro toto cōputantes, primā diē faciunt, feriæ sextæ ultimā partē, secūda sabbati, tertiā uero diē a mediā nocte sabbati ad crepusculū usque. Alij aut̄ postquā dñs leuatus est in cruce cōputant diē primā, feriā sextā secundam sabbati, tertiā dñicam a crepusculo quē dñs resurrexit. Noctē uero primam, feriæ sextæ: secundam, sabbati: tertiā, a mediā nocte suabbati usque propē auroram, cū dñs resurrexit. Inquit aut̄ beatus Augustinus dñm uere suū signū (prout prædixerat Iudæis) adimplere: adducens exēplū regis promittētis aliquid in diē tertiuū, qui si præoccuparet aliquod spatium temporis, eo modo plenius adimpleret promissum, quo tēpus accelerauit. Nobis autē hoc sufficit innotescere legentibus, dñi uere adimpletam sententiam. Sicut. n. Ionas fuit tribus noctibus in uentre ceti, sic filius hominis erit in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus. Vnde coniecturandū est: Ionam eodē modo fuisse in uentre ceti tribus diebus sic cōputatis, & tribus noctibus, quē admodū & dominus. Si. n. Ionam tribus diebus & tribus noctibus in uentre ceti fuisse dicamus, accipiendo partem pro toto: Sic quoq; absq; dubitatione aliqua intelligemus dominū, eodē modo fuisse in sepulchro tribus diebus & tribus noctibus. Cæterū cum dñs a tribus diebus & tribus noctibus Ionæ sumat exēplū, & ipse in sepulchro fuerit tribus diebus & noctibus, supputatis partibus pro toto: Ionas simili modo deglutitus a bellua tribus diebus & noctibus, parte p̄ toto computata, fuit

in

in uentre ceti: & sic omnis ambiguitas tollitur, cum non fuerit Ionas intra ceti uentrē plus temporis, quā dominus in sepulchro, ubiq; partem pro toto cōputando. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio: cum generatione ista, & condemnabunt eā: quia penitentia egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plusquā Ionas hic.* Se ipsum ostendēs dominus dicit: & ecce plusquā Ionas hic. Idē quod Ionas nullū ostendit in sua prædicatione signum, & dominus innumera ostendit Iudæis miracula. *Regina austri surget in iudicio cō generatione ista, & condemnabit eam: quia uenit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plusquā Salomon hic.* A doctrina & miraculis ostendit dominus Iudæos iudicandos: quī nec miraculis nec doctrina Christi, quemadmodum Niniuitæ per prædicationem Ionæ sine signis, ad eō multis per Christum dominum factis: nec per sapientiam quæ in doctrina eius ostendebatur, conuersi sunt. Illi autē, qui nos præcellunt uirtute, indices nostri per comparationem dicuntur: quoniam & proximorum probata & bona uita, confunditur peccatorum reprobata ac pessima uita. Tres modi iudicandi in sacrosancto Euangelio reperiuntur. Primum, iudicare auctoritatiue & potestatiue: sic Christus dominus constitutus est a Deo iudex uiuorum & mortuorum, prout ipse dixit: Pater omne iudicium dedit filio: quod plenius disputabitur, cum Deo uolente ad 25. cap. beati Matthæi per uenerimus. Secundum iudicium dicitur, iudicium approbationis: & sic apostolis dicitur: Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Quandoquidem apostoli dominicam sententiam collaudabunt, & iustissimam proclamabunt. Tertium iudicium dicitur comparationis, quemadmodum cum aliquis conuerterit uo audito uerbo domini, una percussus infirmitate sui attritus tribulatione, & alter iustum oblati mediis obduratur: hic peruersus iudicabitur ex comparatione illius, qui est conuersus. Quasi quis illi obiiciat dicens: si amicus vel frater aut uicinus tuus a uia mala recessit illo uel illo medio, tu qui illum uidisti conuersum, quomodo non es conuersus? ab illo utriq; iudicaberis comparatiue. Cum igitur uiri Niniuitæ, quemadmodum ex libro Ionæ proferte, manifestum erat Iudæis, ad prædicationem Ionæ conuersi sunt: & Iudæi pessimi, predicatione Christi penitus indurati, surgent in iudicio & comparatione dannabunt Iudæos, ut pote minori doctrina conuersi: cum Iudæi maiori & excellentiori, facti sint peruersi & obstinati. Regina austri. 3. Reg. 10. uenit audire sapientiam Salomonis. At Iudæorum in patriam ipsa sapientia patris in carne de cælo uenit eos docere, quam non receperunt. Igitur regina Austri iudicabit Iudæos comparatiue, quoniam sapientiam è longissima regione quæsiuit: Iudæi uerò sapientiam uenientem a Deo spreuerunt. Quorum equidem miror peruicacem malitiam: quòd sic obcecati, quam præ oculis habebant lucem, haud cernerēt: quinimmo toties radiis sapientia Christi & miraculorum splendore tacti, oculos sic compresserunt, ut nollent aspicere illuminantem solem, & credere redemptori. Sed quid dicemus ad hæc? Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret: fateor utique sua malitia obcæcatos Iudæos. gentes autē propter misericordiam laudare Deum, qui dignatus est sibi ex gentibus præcipue ecclesiam aggregare: plurimis tamen Iudæorum in eadem congregatis, nam & ex illis beati apostoli ad nos deueniunt. Non ergo superbiat quisquam, cum Dei populum deiectum uideat, & deiectum populum eleuatum, esurientes repletos bonis, & diuites dimissos inanes. Superbis enim Deus resistit, humilibus autem dat gratiam, primo Petri 5. & Iacobi 4. Sic superbientes & de se præsumentes angeli creati in gratia, in tartara deiecti sunt, æterno igne cruciandi: & humiles confirmati in gratia, perstiterunt, & ad diuinam sunt

uisionem

Triplex
modus iu-
dicandi.

visionem adducti. Antiquissima nāq; lege apud Deū sancitū est, omnem superbū deiici, & e contrario omnem humilē & abiectū extolli. Quapropter re-
petitū a dño legimus: Qui se exaltauerit humiliabitur, & qui se humiliat exal-
tabitur. Et ipse dñs sui hominē cū esset d. us, dicit: Disce, a me, q̄a mitis sum
& humilis corde. Qui & humiliavit semetipsum vsque ad mortem crucis: cui
cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUARTVS,
In XII cap. beati Matthæi.

QVID nos domino respondere poterimus, qui tot in euangelio signis sus-
fulti, ita desidem, atque ad eō bonorum operum vacuam vitam transigimus, cu-
riose scrutatores signorum, disputatores verborum, ac segnēs bonorū operato-
res. Deus autē scrutantes miracula dimittit vacuos, atq; humilibus sese ostēdit.
Signum non dabitur curiosis, nisi signū Ionę prophete: Deglurientur a mari-
na bellua, & utinam die tertia euomerentur in aridam. Scriptum est enim Pro-
uerb. 25. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est
maieftatis, opprimetur a gloria. De melle si quis nimium edat, euomet illud:
prouocat nāq; nauseam: sic qui curiose sacras scripturas, & Dei maiestatem per-
scrutatur, opprimetur a gloria tantę p̄tentię, & quod humiliter forte gustauit
rat, p̄cedet curiosus persecutor factus. Quapropter nemo signa petat, nemo
sit qui ambulet in magnis aut in mirabilibus super se: Deum summe veneretur
& colat, ecclesię omnem præstet obedientiā, fidei verē catholicę iugo collum
submittat: ne per superbiam elatus incidat in diaboli laqueos. Ita & nostri tem-
poris heretici extollentes se supra omne, quod colit sancta mater ecclesia, in-
nesandissimos quosq; errores deciderunt, conatiq; sunt nimio melle saturati
sacre scripturę sensum ad suos scēdos errores confirmandos cogere. frustra ta-
men, quoniā ipsa a sanctis patribus Spi sancto suggerente optime intellec-
torum hæreses summa grauitate & vera intelligentia confutat. Quę si ut con-
scripta est, verbū e verbo accipiatur, in puncto temporis intellectum cogit ac-
quiescere sanę doctrine: & ipsos ui sua transigit, & ad humum vsque proster-
nit hereticos. Habentes igitur Christum plusquam Ionam, eius sacrum euang-
gelium, eius beatissima sacramenta, & inter illa diuinissimum sui sacratissimi
corporis & sanguinis mysterium, non induremur: nec curiosi scrutatores, sed
potius humiles o. eratores simus. Ne de nobis illud dicatur, quod propheta
Hieremias lamentabatur de Iudæis, dicens Thren. cap. 4. Et maior efficta est
iniquitas filię populi mei peccato Sodomorum: quæ subuersa est in momento,
& non ceperunt in ea manus. Hoc est quod dominus præcedenti cap. dixit: Ve-
runtamen terrę Sodomorum remissius erit in die iudicij, quā illis. s. ciuita-
tibus, quibus predicauerat. Corruptionem quippe omnis status designat, cum
impurissimę Sodomorum vrbi iniquitas cōparata, peior apparuit. Quod etiā
Hieremias in sequentibus verbis satis aperte ostendit, dicens: Candidiores Na-
zareti eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo. Ecce domino
consecrati, quales in primitiua ecclesia existerunt. Nazareus enim consecra-
tus domino dicitur. Candidiores niue puritate vitę, ab omni æstu carnis frigi-
di: mix quippe alba & frigidissima est, lac vero album nitidum, dulce, sine ruga
malitię. Quasi modo geniti infans: lac cōcupiscite, inquit beatus Petrus Fir-
mij & ruber, accēst charitate, verba vitę æternę habentes. Ebur. n. vt cōstat, pro
elephātis dēte accipitur: Verba de Deo vel de virtute adinuicē conferebant:
charitate inflammati, & rubicūdi operibus, se Deo & proximis exhibebāt. Deo
quidem,

quidē, dñi martyrio se offerentes sanguine rubricati, vitā vilipendebant: proxi-
mis verō, qñ oīa indigentibus ministrabant. Nunc autē, inquit propheta, deni-
grata est facies eorū super carbones, & non sunt cogniti in plateis. Christiani
operātur iniquitatem uitiiis dediti: denigrati sunt super carbones, & in plateis
non cognoscuntur. Sola, inquit Hieremias, adhæsit cutis eorū ossibus: aruit, & est
quasi lignum. Omnis caro corruptit viam suā, & cutis tantum exterior, ac sola
manet pellis Christiana: hæc superficies inquā exterioris cultus, quo colimus
Deū, ueneramur ecclesiam, ministramus sacra: hæc ossibus adhæret pellis, fidei
videlicet robore: ossa nāq; robur corporis tenent. Fides igitur qua vere credi-
mus, & sacrosanctę matris ecclesię sacramenta a Christo domino instituta si-
deliter retinemus, cū cute exterioris cultus tantū habemus, omni virtute de-
stituti, multiq; uitiiis instructi. Id quoque & Iob deplorabat dicens, cap. 19.
Pelli meę consumptis carnibus adhæsit os meum. Tantum pellis Christiana,
hęc exterior forma credentis, pectus tundētis, orationem dominicā dicentis,
missam audientis, caput cruci & sanctorū effigiis inclinantis, adhæsit fidei ro-
bore: qua vere credimus, quęcunq; sacrosancta credidit ecclesia. Carnibus con-
sumptis, facti sumus quasi lignum, aridi bonis operibus. Omnes nostra queri-
mus, nō quæ Iesu Christi: qui tot flagellis cædimur, vt reuertamur ad dominū,
& non est uox nec sensus: tot hæreses patimur, bellorū strage concutimur, pa-
nis inedia laboramus, & populus nō est reuersus ad percutientē se. Ideo in om-
nibus iis non est auersus furor eius, verum adhuc manus extēta: unde & Hierē.
ait cap. 5. Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisisti eos, & reuenerunt accipere
disciplinā. Pesimū signū est, cū quis percutitur, & non dololet, aut reuera nō sen-
tit: Stupet. n. aut itā obduratus malitia, minime curat. Quemadmodū & Amos
significat, dicens cap. 4. Sic n. noluisistis filij Israel, dicit dñs Deus. Vnde & ego
dedi uobis stuporem: dentitū in cunctis vrbibus vestris. & indigentia panum in
omnibus locis vestris, & non estis reuersi ad me, dicit dominus. Ego quoq; pro-
hibui a vobis imbrē, cū adhuc tres menses superessent vsq; ad messem: & plu-
ui super vnā ciuitatē, & super alterā ciuitatē nō pluui: pars una cōplura est, & pars
sup quā non pluui, aruit. Et uenerunt duę & tres ciuitates ad vnā ciuitatem, vt
biberent aquam, & non sunt satiata: & non redistis ad me, dicit dominus: Per-
cussisti nos in uetō uerente & in arugine: multitudinē horrorū uestrorū & uinea-
rū uestrarū. oliucta uestra & ficeta uestra comedit eruca, & non redistis ad me,
dicit dñs. Misi in uos mortē in uia Aegypti, percussisti in gladio iuuenes uestros,
usq; ad captiuitatē equorū uestrorū: & ascēdere feci putredinē castrorū uestro-
rū in naves uestras. & non redistis ad me, dicit dñs. Subueri uos, sicut subuertit
dñs Sodomā & Gomorrhā, & facti estis sicut torris raptus ab incendio: & non
redistis ad me, dicit dñs. En quantis plagis dñs percutit, ut reuertamur: nec tñ
reuertemur, tantū curiosa sectātes. Non querimus uoluntatē domini, nec uitā
nostrā primitiuus sanctis patribus nostris adsimilamus. Viri Niniuitæ & regi-
na Austru consurgunt in iudicio aduersum nos, nisi penitentia egerimus, & sa-
pientia patris Xpm dominū imitati fuerimus: quñ ad predicationē Ionę pro-
phete, illi penitentia egerunt: hæc uerō a sinibus terrę uenit audire sapientia
Salomonis. Et ecce plusquā Salomon hic Iesus, dominus noster: cui cum pa-
tre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUINTVS,
In XII. cap. Beati Matthæi.

SCRIBÆ & pharisei typum gerunt in hac sua signorum postulatione eorū,
qui

qui respuit Dei opera, nolentes utique, ut Deus faciat, que ipsi cupiunt, notum certe id superbia genus, & hereticorum vulgo simillimum: qui non recipientes eum, que euangelium & diuina scriptura preferunt sensum, ipsi falso interpretantur & vociferantur, totumque orbem replent clamoribus. Et res ipsi non dabiur eis, nisi signum Ione profere, hoc est signum mortis domini & resurrectionis. Ionam profetam tradunt Hebrei fuisse filium vidue Sareptanę, quem suscitauit Helias. Cum autem hoc non ostendatur irrefragabili testimonio, sufficit dictum. Quisquis igitur sit, satis est notum ex diuina scriptura 4. Reg. 14. Ionam prophetaſe tempore Hieroboam regis Israel in Samaria, qui missus a Domino (prout ex eius propheta ostenditur) in Ninive ciuitatem magnam, vt sua predicatione vltionem in gentes peccatrices annuntiare: vel eo quod suspicatus est si conuerterentur misericordiam impetraturos, prout ipse intulit: diue secundum beatum Hieronymum prouocans cum gentes crederet, Iudęos a Deo defecuros: & volens a gente sua tantum malum auertere, fugit in Tharsis, & dato nauo nauem confedit in Tharsis nauigante: oborta autem senua tempestate, cum nauem nauem euacuantes nihil proficeret, uisum est illis ob alicuius peccatum in mortis die incidisse: sortemque mittentes, cecidit fors in Ionam. Optimam profectum nauarum exemplum, & nobis maxime imitandum. Cum enim calamitates magnas euenire contigerit, exgramus petam, & quodcumque repletum fuerit emedemus: sic cessabit tribulationis tempestat, & conuertet perturbationis fluctus: Conquisitus igitur Ionas quod esset: & quo pergeret cognito quod Iudęus esset & fugeret a facie domini, quod faciendum ab eo exposcit, ut sedaretur mare. Ille itaque Deum timens in se sententiam tulit, dicens: Tollite & mittite me in mare, pro me non tempestat hec gratia est super uos: Si quis uero ob suas iniquitates periclitari cernat republicam, separaretur ab ea. Missus est enim in mare Ionas, & misericors dominus preparauit piscem gratiam, certe uidelicet, & deuorauit Ionam: & erat Ionas in uentre piscis tribus diebus & tribus noctibus: & orauit ad dominum, & dixit dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam. Sicut quod dicat uentrem dici os ceti ob ingentem latitudinem (ut ipsi oculis proprijs perspeximus) eo quod certe guttur angustissimum habet, & non poterat, inquit, Ionas per tam angustum foramen in uentre piscis descendere. Verumtamen cum hoc totum miraculo sit factum, & Ionas uiuus seruatus sit a bellua, potuit sibi in eius alui descendere. Præcipit ergo dominus Ionę ut iret in ciuitatem Ninive, quod & fecit: & clamans circuibat per oes ciuitatis uias dicens: adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur. Preuenit uerbum ad regem & indutus est sacco, & in cinere sedit: & precepit, ut oes poenitentiam agerent, & ab infante lactante, & iuneto, usque ad senem ieiunarent, & ab omni recedentes malo hostes induti faccis orationi uacarent. Quis scit, inquit, si conuertatur & ignoscatur Deus, & reuertatur a furore ire sue? & non peribimus? Ionas autem consummata predicatione recessit a ciuitate, & fecit sibi umbraculum, ut uideret quid accideret ciuitati. Pecepit dominus poenitentiam agentibus in cinere, cilicio, & ieiunio: Lutherani, nec poenitent, nec induunt sacco, in cinere non sedent, & ieiunia reprobat. Vtinam tamen aliqui in sanctę matris ecclesię gremio ueniant, & a belua inferni que eos in hac usque die in uisceribus gestat, enomatur. Ceterum cum prorsus cerneret Ionas ciuitatem permanere, quia subuerti dixerat die quadragesimo, afflitus est afflictione magna, & iratus est, & orauit ad dominum, ut moreretur. Obscuro in cupauit, ut fugeret in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multa miserationis & ignoscens super malitiam: Ecce quod diximus, ut fugit, timens ne Deus parcere ciuitati, quam ille perixerat perire. Et dominus ad illum: Putas ne bene irasceris tu? & preparauit dominus Deus hederam, & ascendit super caput Ionę, & umbraculum illi contexit: lætatus est Ionas super hederam lætitia magna: Dileculo autem Dominus

Dominus parauit uermen, quo percussa hedera exaruit: & orto solo misit Dominus uentrem uentem, & percussit sol super caput Ionę & estuabat: & petiit animum suum, ut moreretur. Et dixit, melius est mihi mori quam uiuere. Et dominus ad illum: putas ne bene irasceris tu? Ionas autem respondit, bene irascer ego usque ad mortem. Quanta familiaritate fiduciaque veri amici Dei, ipsum alloquuntur? Et dixit dominus: Tu doles super hederam, in qua sunt plusquam centum uiginti millia hominum? Misericors & miserator dominus propitiatur poenitentibus, remittit minas conuersis, & reuersos ad se dignatur sua benignitate suscipere. Discant reges, discant mundi culmina possidentes, parcere subiectis, dimittere conuersis, & ad se reuersos suscipere. Hoc igitur signum Ionę prophete, signum mortis & resurrectionis domini, dabitur huic pessimas & aduere ludęorum progeniei. Similiter Io. cap. 2. cum dominus de funiculis flagello facto proiecisset ementes & uendentes in templo: quare uentibusque ludęis, quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? respondit Iesus: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: de templo corporis sui dicens. Itaque idem signum mortis & resurrectionis tunc, quod nunc sub typo Ionę, dominus repromittit ludęis: nempe quoniam in resurrectione domini, ipsius diuinitas maxime ostenditur: de morte namque & de morte in resurrectione triumphat. Suscitauerant sancti aliquos defunctos precibus: suscitauit Dominus mortuos imperans morti, ac se Deum uerum ostendens, & inter illos quatuor duanum habentem Lazarum in monumento: nunquam tamen seipsum aliquis suscitauit Christo excepto. Propterea manifestissimum suæ sacratissimę diuinitatis testimonium in resurrectione ostendit. Quoniam aliquid uiuum inerat corpori, tunc cum anima separata est a corpore: & aliquid animę superius inerat, quod tantę uirtutis extitit, ut per se fuerit potens animam iterum corpori immittere, & rediuium in sempiternum reddere. Hoc utique solus Deus facere potest. Proinde ex resurrectione Christus dominus ostenditur uerus Deus. Hoc igitur etiam illis signum perpetue dispersionis eorum per Romanos, & desolationis templi Hierusalem usque in finem mundi. Signa alia querebant Iudęi, quæ illis non dantur: sic etiam contingit omnibus, qui suam ipsorum iustitiam statuentes, iustitię Dei non sunt subiecti. Euangelicam ergo legem custodiamus, nec uoluntaria quæramus signa, leges nobis pessimas statuētes, quibus ab euangelico dogmate recedamus. Nam si quis uellet in domo sua, seu a uicino suo aliam obseruari legem, quam sit lex regni, in quo uinit, & admonitus adhuc facere cederet: an non is ueluti patrię legis corruptor, capite plecteretur iure? Ita sane dicas. Quomodo ergo christianus, qui in regno Christi, nempe sanctę matris ecclesię, leges condit & obseruat euangelicę legi per omnia repugnantes, presumit euadere iudicium Dei? Condiderunt sibi perditissimi homines legem uindictę, legem lasciuie, legem indumentorum, legem ludorum, legem denouie iuramentorum, aduersus dominum & aduersus Christum eius. Signum non dabitur eis nisi signum Ionę prophete, signum soluti templi & suscitari, signum nempe mortis & resurrectionis domini: cum illum iudicantem cernent, qui pro peccatis nostris occisus est. Tunc plangent omnes tribus terrę, tunc concupiscent legem euangelicam obseruasse, & suam neuitquam extitisse: quoniam quam constituerunt, erit illis pro torre in ignem æternum. Igitur unusquisque dimittat leges, si quas habet euangelio domini aduersas, ac toto ad illum corde conuersus, in cinere, cilicio, oratione, ieiunioque poenitentiam agat, ut cum Ninuitis in-

Resurre-
ctio domi-
ni manife-
statio est
diuinitatis
eius.

dulgentiam assequi mereatur. Misericors enim & pius est Christus dominus, & benignus susceptor eorum, qui reuertuntur ad ipsum: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SEXTVS,

In XII. cap. beati Matthæi.

PIENTISSIMVS dominus Iesus causam tantę cæcitatıs Indęorum, illis & futuris sæculis reddere volens: ne quis secum cogitabundus quærat, quare calumniati sint scribæ & pharisæi apertissimum miraculum dęmoniaci, cæci & muti, & signum quærentes tentantes dominum, ait: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiẽ et non inuenit: sic dicit, reuertar in domum meam, unde exiui. Et ueniens inuenit eam uacantem, scopis mundatam, et ornataam. Tunc nadiẽ, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et intrantes habitãt ibi: et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit et generationi huic pęssime.* Si aliquando dęmon discedit ab anima, non quiescit: sed ambulat per deserta cogitabundus, quo pacto iterum in peccantis animam, unde per pœnitentiam expulsus fuerat, reuertere possit. Dęmon cum sit damnatus non gaudet de aliquo, vt inde requiem consequatur: cæterum dicit dominus illum nõ inuenire requiem, nisi cum operatur malum. Nunquam enim quiescit a pœna quam secum, quocunq; ierit, portat. Cum igitur operatur secundum suam malitiam & inuidiam ad hominum damnationem, gaudere dicitur. Quippe cuius studium in eo profus peratur, ut secum deducat in tartarum, quos potest. Tunc considerans dęmon hominem, videlicet peccatorem unde exiuit, & uidens eum uacantem, scopis mundatum & ornatum exterius (quemadmodum scribæ & pharisæi, qui intus uacantes ab obseruatione legis, exterius scopis erant mundati & ornati, in hypocrisis decipientes) dicit: Reuertar in domum unde exiui: uacat enim intus, & foris hypocrita est. Cæterum non solus accedam, quin mecum adducam socios, vt plures simus, & nouissima huius sint peiora prioribus. Sic inquit beatus Hieronymus. Hęc fuit causa, quare nouissima uestra pharisæi & scribæ talia sunt, vt dicatis dominum in Beelzebub eiecere dęmonia: nam lege mundati uacastis a bonis operibus, uacuos uos reperit dęmon. Vacuos siquidem illos inuenit intus, & plenos hypocrisis exterius, in quos ingressus cũ septem spiritibus nequioribus se, nouissima eorum facta sunt peiora prioribus. Porro hęc quam reddit dominus causam pharisæis, attendere oportet: ne in Christianis pœnitentibus reperiarur. Proinde cum quis a peccato per ueram confessionem & pœnitentiam exiit, non uacet. Nam si uacauerit a bonis operibus, haud dubio dęmon iterum reuertetur, & illum peccatis faciet obnoxiũ septuplum, quam prius fecerat. Siquidem septem prauos coadiutores secum adducens, faciet nouissima illius peiora prioribus. Oportet igitur pœnitentem nunquam uacare: immo honestis ac bonis operibus semper esse intentum, ne in hanc domini incidat sententiam: iterumq; peccatorum uinculis alligetur. Verum enim uero beatus apostolus Paulus pri. Corinth. 9. & pri. Timoth. cap. 5. a labore & manuali opere eximit sacerdotes, & cæteros diuino cultui emancipatos, adducens illud: Non alligabis os boui trituranti: & illud domini supra 10. cap. Dignus est operarius cibo suo. Idemq; apostolus infert pri. Tim. 5. Qui bene præ sunt presbyteri duplici honore digni sunt, maximè qui laborant in uerbo & doctrina. Quanquam ipsemet beatus apostolus hac potestate non sit usus, sed potius manibus laborauerit.

Cæterum

Cæterum laicis laborem iniungit, dicens: Ne uacent ullo modo ab opere manuali, pri. ad Thessa. cap. 4. Rogamus autem uos fratres, ut abundetis magis & operamini, ut quieti sitis: & ut uestrum negotium agatis, & operemini manibus uestris, sicut præcipimus uobis. Quod etiã reperit ad eodẽ Epist. 2. ca. 3. dicens: Nam cum essemus apud uos, hęc denunciabamus uobis: quoniam si quis non uult operari, nec manducet. Necessarium ergo est, quemcunq; occupari & operari, dommodo non sit sacerdos. Qui si recte diuinas horarias precationis opera, quibus se exercens, non ocietur. Cæteri uerò ne in tentationem & Dei offensam incidant, caueant ne uacent. Nam si desides fiant, rursum reuertentur peccata, prout unusquisq; experietur. Verissimũ enim est illud, quod dicit Sapiens: Multam malitiam docuit ociositas, Eccles. 33. Quod si tantopere commendat apostolus non uacare corpore, quanto magis necessarium erit animam non habere uacantem. Attendat unusquisq; pro anima sua, & uigilet super domum suam, ne sit uacans: alioquin ingredietur inimicus constipatus septem nequioribus se, & fiet nouissima hominis huiuscemodi peiora prioribus. Quatuor ut Aristoteles & omnes philosophi fatentur, sunt affectus animæ, quos passiones animæ nonnulli uocant, nempe gaudium, spes, dolor, & timor. Gaudium est de bono præfenti: est que domus seu receptaculum, ubi reipiuntur præfentia delectabilia: spes, domus bonorum est futurorũ: dolor de malo præfenti, & timor de malo futuro. Has affectiones oportet semper habere bene occupatas, nam si uacantes eas repererit dęmon ingredietur: & secum adducet septem nequiores spiritus, & illas imbuens inanibus rebus & transitoriis, fiet nouissima hominis illius, peiora prioribus. Repleatur igitur gaudio, prout Dauid dicit: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, psal. 36. Et alibi: Ego uero delectabor in Domino, psal. 103. & delectationes in dextera eius, usq; in finem, psal. 15. Caue igitur ne præoccupet hanc domum animę terrena aliqua delectatio. Sed tu præoccupa mansionem hanc, & delectare in domino, qui tibi præstabit petitiones cordis tui. Spem autem secundum receptaculum animæ in Deo fige, & dic ei: Quoniam tu es domine spes mea: & animam exhortare, dicens: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi, & quoniam tu es domine spes mea. Caue autem ne incidas in illud Hier. Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, cap. 17. Dole autem de peccatis, & non de terrenorum amissione: cumq; Ezechia dic: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animę meę. 4. Reg. 20. Time autem Deum, & mandata eius obserua timore filiali: & sic non uacantes hos animæ affectus habebis: nec dęmon si te occupatum ad hunc modum inuenerit & non uacantem, denuo reuertetur. Cum autem dominus hanc de perditione pharisæorum & scribarum profert sententiam, Dixit ei quidam: Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quærentes te: alloqui, at ipse respondens, ait: *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea et fratres mei. Quicumq; enim fecerit uoluntatem patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Maledictus Heluidius ex hac auctoritate impio & scedo ore sacrilegiquẽ temere ausus est blasphemare, assenerans dominum habere fratres: nesciens scilicet delusor iste perditissimus, secundum scripturam morem nepotes consobrinos, fratres semper uocari: quemadmodum Loth filius Aram fratris Abraę dicitur Abraę frater, Gen. 14. Sicque Saram uxorem suam sororem uocauit Abraam apud Abimelech, Gen. 20. quia erat filia Aram fratris Abraę, licet ex alia quidem matre genitus erãt Aram: ex alia uero Abraam,

Quatuor aut passiones.

Fratres domini, quod dicitur de discipulis.

lege Gen. 11. cap. Etiam ad Loth dicit Abraam: fratres enim sumus, Gen. 13. Quin & dominus omnes apostolos fratres uocat, Ioan. 20. nempe ad Magdalenam: Vade, inquit, & dic fratribus meis, ascendo ad patrem meum, & patrem uestrum. Vnde & apostol. ad Heb. 2. cap. Propter quam causam non confunditur fratres eos uocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis. Igitur consobriini deiparæ semper uirginis filij fororum eius Mariæ Cleopharæ & Mariæ Salomæ, dicuntur domini fratres: simulque omnes apostoli hoc nomine censeantur, tum a domino, tum a beato apostolo Paulo, ueluti prædicti est. Ad eodẽ autem scriptura sacra hunc morem seruat, ut etiam coniunctos in eodem genere fratres appellet. Vnde dominus ad Petrum dicit, Luc. 22. cap. Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Petrus Actorum pri. Viri fratres. Apost. Paul. ad Hebræos ult. Salutant vos fratres de Italia. In ipsa uirque lege Leuit. 19. Non oderis fratrem tuum. Et 25. cap. Si attenuatus frater tuus. Et Deuter. 23. Non fœneraberis fratri tuo, & 24. Sollicitans fratrem suum. Non solũ igitur diuina scriptura fratres consueuit appellare filios fororum & fratrum, uerum & eiusdem gentis propinquos. Manifestissimèque probatur fratres hic dictos domini, sacratissimæ uirginis nepotes ex duabus eius soribus, seu consobrinos, & quia erant eiusdem gentis & doctrinæ homines. Quod autem dominus extendens in discipulos manum ait: Quicquid fecerit uoluntatem patris mei, hic meus frater & soror & mater est, ministerium suum significat: quoniã ad nos transferendos in societatem filiorum Dei uenerit gratia sua: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amẽ.

TRACTATUS PRIMVS,

IN CAPITULO LVIII.

BEATI MATTHÆI.



IN ILLO die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. Et congregatae sunt ad eum turbae multae, ita ut in nauiculam ascendens, sederet: & omnis turba stabat in littore, & loquutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui seminat seminare semen suum. Septem parabolas refert beatus euangelista in Capharnaum dominum prædicasse. Prima est, de uerbo domini prædicato in similitudinem fœtoris: cuius semen fructum non reddidit in tribus terræ locis, in uno autẽ ferax fuit. Secunda, de hæreticis tractat, quemadmodum dæmon superseminat hæc zizaniam. Tertia est, de fide in grano sinapis, quod maius sit omnibus oliuibus, cum semen exiguum sit, omniumque fere minimum. Quarta, de mysterio super beatissimæ trinitatis, in fermento abscondito sub farina. Satis tribus. Quinta, de thesauro in agro abscondito, mysterium incarnationis denotans. Sexta, de margarita quæ sita, qua designantur homines spirituales, quærentes salutem suam. Septima, de ecclesia, quemadmodum sunt in ea boni & mali, qui ramen in die iudicii separabuntur. In iis septem parabolis hoc tertium decimum beati Matth. caput uersatur. Ad primam igitur reuertamur, & sic ea serie dicetur

ecetur de singulis. Exiit qui seminat seminare semen suum, & dum seminat, quedam ceciderunt secus uiam, & uenerunt uolucres celi, et comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosam, ubi non habebant terram multam, et continuo exorti a sunt, quia non habebant altitudinem terræ: Sole autem orto assuauerunt, et quia non habebant radicem aruerunt. Alia autem ceciderunt in sinas, et creuerunt spinæ, et suffocauerunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam, et dabant fructum: aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigessimum. Qui habet aures audiendi, audiat. Inquit etiam beatus Luc. cap. 8. Et hæc dicens, scilicet hanc parabolam, clamabat: qui habet aures audiendi audiat. Verbum Dei dominus simile dicit in hac parabola seminanti, cuius semen in uno quidem terræ loco uberrimos tulit fructus: in tribus autem terra partibus deperditur. Satis quidem deploranda parabola docentibus & prædicantibus. Quanto autem dolore Dominus hanc parabolam proposuerit, ex eo ostenditur, quod beatus Luc. dicit 8. cap. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat. Satisfactum est per hanc parabolam quæstioni, qua quis posset anceps percontari: quare doctrina Christi, non ab omnibus est suscepta? cum sit uerissima, & obiectum intellectus secundum omnes est uerum. Quare etiam a credentibus Christianis non summè obseruatur? cum sit bona, & obiectum uoluntatis est bonum: nec uoluntas aliquid uelle potest, sine ratione boni uerè uel apparentis. Plurimi namque sunt infideles, & non pauci hæretici deuiantes ac recedentes a fide catholica, quæ summè uera est. Sunt etiam multi Christiani, qui bona fugiunt, id sequentes quod lege Christi prohibitum est. His dubiis satis respondit Dominus, ostendens: non ex defectu seminis, scilicet uerbi Dei, sed ex malitia terræ hoc prouenire. Doctrina namque summè uera est, & summè bona a summo Deo uero & bono deriuata: cæterum ex iniquitate terræ contigit, quòd non fructificet in intellectu per fidem, & in his qui susceperint fidem bonis operibus in uoluntate. Quod clamans Dominus manifestat, cum dolet terræ sterilitatem, dum seminat semen uerum, atque ad eodẽ bonitate præstans, fructificandi auaritatem, nec inde fructum desideratum consequitur ob prauam hominis uoluntatem. Ter uerò legitimus dominum proclamasse ob hanc causam, uidens penuriam fructus ex tanta diuina doctrina. Hic scilicet, dicens: Qui habet aures audiendi, audiat. Et Io. 7. Et clamabat Iesus docens, & dicens: Et me scitis, & unde sim scitis. Et iterum eodem cap. In die nouissimo festiuitatis stabat Iesus & clamabat, dicens: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat, doctrinam scilicet denotans. Legimus et dominum clamasse uoce magna, cum Lazarum suscitauit: significans, quanto labore mors erit per eius mortem superanda, & fœtidi peccatores uite donandi. Voce etiam magna clamauit, dum in cruce spiritus, in manus patris eterni commendauit, ostendens uoluntariè animam suam ponere, & se Deum esse. Nemo enim moriens clamat: quia omnis in illa hora deficit halitus. Et accedentes discipuli dixerunt ei: beatus autem Marcus inquit cap. 4. Cum esset singularis duodecim accesserunt. Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens, ait illis: Quia uobis datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum. Quis enim habet et dabitur ei, et abundabit, qui autem non habet, et quod habet, auferetur ab eo. Hæc est causa, quare in parabolis dominus loquebatur Iudæis: quoniam qui habet ueram & bonam intentionem, quique habet ueram uirtutem, augetur illi uirtus & bonum. Qui autem non habet, sed est hypocrita, simulans se habere, quod non habet: & quod habet exterius secundum apparentiam uirtutis, auferetur ab eo: dum non intelligens, inanis relinquitur ob suam hypocrisim & prauitatem. Quod & dominus statim manifestat, dicens: Ideo in parabolis loquor eis: quia uidentes non uident, et audientes non audiunt,

audire, nequa intelligunt. Videntes & audientes dominum, ita sunt obstinati, ut nolint uidere, & audire, & intelligere adimpletum iam esse tempus aduentus Messiae: & omnia signa, quae propheta sunt & praedicta in Christo domino adimpleri. *Vt adimpleatur in eis propheta Esaiæ, dicens cap. 6. Audiu auditis, & non intelligitis: & uidentes uidebitis, & non uidebitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauius audierunt, & oculos suos clauerunt: ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.* Culpa igitur eorum fit ne uideant, cum dicit: Clauerunt oculos. Culpa sua non audiunt, cum dicitur: Auribus grauius audierunt: ob quam malitiam puniuntur, ne conuertantur. Sic enim legimus Io. pri. cap. Lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehendunt. Duplex namque est mentis tenebra, quaedam ignorantiae purae, quemadmodum in materialibus nox dicitur tenebra: quod nihil aliud est, quam lucis priuatio: in mente autem est carentia scientiae vel sapientiae. Alia est tenebra in mente uoluntaria, positiua & affectata, quando non a priuatione lucis oritur, sed a ratione: dum non uult, qui talis est, oculos aperire: immo claudit, ut lumen non uideat. Lucet igitur Christus, qui lux est in tenebris suscipientium fidem: & positiuae tenebrae Iudaeorum, hanc lucem non comprehenderunt: quemadmodum habitans domus obscuram, si adhibeatur lumen uidet. Habitabant in tenebris gentes, & ingressum est lumen doctrinae Christi, & uiderunt & cognouerunt eum Dei filium esse. Iudaei autem, adueniente lumine, oculos clauerunt, ne lumen conspicerent. Colligendum autem ex hoc, posse hominem tantum resistere bono, quod non fructificet in eo Dei uerbum: adeoque se uirtuti opponere, & aduersari, ut ueritatem non agnoscat, & lumen non uideat, nec boni aliquid operetur, hoc scilicet ipsius malitia promerente. Si quis uero paruum fructum sentit ex sermonibus uerbi Dei, timeat ne forte a propria malitia obtenebratus id patiatur. Caeterum cum dominus hanc sententiam de Iudaeorum indurata caecitate protulisset, addit: *uestri autem beati oculi, quia uident, & quae uos uidetis, & aures uestrae, quia audiunt, quae auditis. Amen quippe dico uobis, quia multi prophetae & iusti cupierunt uidere, quae uidebitis, & non uiderunt: & audire, quae auditis, & non audierunt.* Omnes patres nimirum desiderauerunt uidere Christum dominum, & non uiderunt. *Vos ergo audite parabolam seminantis: Omnis qui audit uerbum regni, & non intelligit, uenit malus & rapit, quod seminatum est in corde eius: Hic est qui secus uiam seminatus est. Non intelligit: quia noluit intelligere, ut bene ageret. Hic est qui non credit. a cuius corde diabolus rapit uerbum, quoniam in corde eius habitat. Itaque quicumque non credunt cum uestro audiuero, siue Iudaei, siue alterius sectae gentes, secus uiam sunt, in quam cecidit uerbum: quoniam malus rapit, quod in corde eorum cecidit, ne credentes salui fiant. Qui autem super petrosa seminatus est: hic est, qui uerbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: non autem habet in se radicem, sed est temporalis: facta autem tribulatione & persecutione propter uerbum, continuo san dalizatur. Hoc est, ruit & deserit fidem. Nam cum temporalia diligit, (hoc est enim quod dicit, & est temporalis) credit quidem, dum nihil ille contrarium aduersatur, gaudens de fide, ac simul nimis terrena diligens. Cumque persecutio fit propter fidem, deserit fidem, ne temporalia amittat. Vides igitur in quanto periculo uersatur fides, quae non habet charitatis humorem, & quae in anima sola est, absque medulla gratiae. Qui autem seminatus est in spinis: hic est, qui uerbum Dei audit, et sollicitudo seculi istius, et fallacia diuitiarum suffocat uerbum, et sine fructu uersatur. Isti sunt Christiani male uiuentes, qui simul cum fide catholica, adeo delectantur seculo, ut nullum in eis sit, uel tantilla charitatis uehigiun: quin etiam*

Duplex tenebra.

etiam terrenis hiantes, quaerunt quae mundi sunt, diuitiis acquirendis, honoribus, & delectationibus incupandis magnopere incumbentes, & si quae sunt alia carni peculiariter consecretantes. Itaque primi sunt infideles Iudaei, & quicumque alij non credentes. Secundi sunt qui credunt, sed iidem commutant pro terrenis fidem. Tertij, qui fidem usque ad mortem retinent, nullum interim dantes fructum, quoniam suffocant uerbum uepres & spinarum crescentes in anima: ut nullum in eis reperias, gratiae operantis seu charitatis iudicium. *Qui uero in terra bonam seminatus est: hic est, qui audit uerbum, et intelligit, et fructum auferit: et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud uero tricesimum.* Centesimum, fructus est uirginitatis: sexagesimum, uera est & honesta uirginitatis: tricesimum, fructus est coniugatorum. Intelligit, inquam, quoniam legem Dei intelligentes adferunt fructum bonorum operum, scientes non posse sola fide iustificari absque gratia: nec solam fidem ad se merita passionis domini trahere. Fructum enim adferre, idem est, quod opera charitatis habere: triplicemque producant fructum, secundum triplicem differentem statum, uirginum, uiduorum & coniugatorum. Quem utriusque fructum beatus Luc. cap. 8. inquit, adferri fructum in patientia: Et fructum, inquit, adferunt in patientia: Dicit uero in patientia, quoniam cor patientia sedat, & a perturbationibus tranquillum reddit, ne contristetur aduersis. Habes ex beato Thoma 2. 2. quae 136. ar. 2. Cum autem cor non tristatur, non irascitur homo. Ira uero cessante, extinguitur uindicta, nec concipitur odium. Ecce quanta operatur patientia: cuius tantum officium est, cor quietum reddere in aduersis: ex quo uero bono sequuntur plurima bona. Idcirco autem dominus Luc. 21. In patientia uestra, inquit, possidebitis animas uestras. Illud dicitur quis possidere, quo pro libito utitur, nec ab illo auferitur. Patientia uero facit animam continere sese: ut nec iracundia concitetur ad ultionem, nec dominetur ab odio. Et beatus apostolus Iacobus in sua canonica cap. pri. inquit: Patientia autem opus perfectum habet: quoniam facit hominem perfecte se possidere, nec alicui se tradit, dum uindictam appetit, nec ab aliquo auferri, dum in furorcm fertur. Sic semen uerbi in sanctis martyribus & ceteris iustis mirabilia operabatur in patientia. Dum enim torquebantur, nullum murmur, aut querimonia ab ore tolerantium audiebatur: quin patientiam in corde optimo retinentes admirabilem fructum, cetesimum reddebant in sanguine proprio, quod & uirginibus attribuitur. Alij, prout sunt castitatem seruantes in uirginitate, seu alij, sexagesimum reddunt: patientissimè etiam sustinentes irrisiones, opprobria & molestias mundi. Fructus uero tricesimus est proprius coniugatorum, qui opera uerè Christiana exercent: & hi in patientia afferunt fructum plurimum sustinentes, ut persecutiones & irrisiones a cognatis & amicis aliisque, dum uinere secundum sanctum euangelium coeperint. Unica autem restat quaestiuacula tractanda in huius parabolae calcem, quae non parum animum pulsatur: Cur scilicet dominus semen sparsit in terris illis, quas steriles & infructuosas sciunt? Agricola enim cum seminat, nec secus uiam, nec in petrosa loca semina iacit: immo nec in terram, quam ipse nouit, tot uepres & spinas producere, quae fructum nascentem suffocent. Ad hanc igitur dubitationem solutionis ratio in promptu est, si differentiam terrae materialis ab anima distinguamus. Terra namque sterilis ab agricola non seminatur, quoniam id a natura habet, ut nusquam fructum producat: nec mutari potest, cum non ratione, sed naturae conditione regatur. Caeterum homo terra est mutabilis, quandiu uiuit, de malo in bonum: quemadmodum & frequenter a bono deficit in malum. De quo denique dicitur: Et nunquam in eodem statu permanet, Iob 14. *Quam*

Quare dominus seminatum in terram sterilem.

ob rem

ob rem dominus seminans, ex æquo bonis & malis prædicabat: quod & apostoli deinceps fecerunt, iactantes semem uerbi in auribus omnium. Quorum quidem alii non credebant, alii uero credentes, a fide postea deficiebant. Nonnulli fidem seruantes, a bonis moribus & operibus cessantes, suffocabantur curis, sollicitudinibus, diuitiis & voluptatibus. Quidam uero fructum inpatientia reddebant: alii centesimum, alii sexagesimum, alii autem tricesimum. Nōne secus uiam erat Saulus, cum uestimenta lapidantium beatum Stephanum adseruabat, ut expeditius illi falsi testes eum lapidibus obruerent? Tamen conuersus est in terram satis optimam, & innumerabilem fructum produxit. Suffocata diuitiis & sollicitudinibus vitam debebat beatus Matthæus: cum audi to uerbo conuersus mirabilem fructum reddit. Multis item peccatorum lapidibus sterilem diu animam beata Magdalena gessit, at postea copiosum lachrymarum imbrem effundens, & nimio amore Christi, spretis omnibus, immensum atruli fructum. Cum igitur homo malo Dei gratia possit mutari in bonum, in omnem hominem Dei uerbi semen spargendum est. Doctoribus & prædicatoribus non minima consolatio ex hac oritur sententia, ne frangantur tædio, cum se modicum facere fructum arbitrantur. Neque enim ipsi postulat domino suo aequari, nec beatis apostolis præferri: quorum semen sparsum, in tribus terre spatiis non reddit fructum. in vno autem agro reddit plurimum; centesimum, sexagesimum, & tricesimum. Omnia sustineo, inquit beatus Paulus, propter electos, ut & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu. Non uir enim dominus Iesus Christus, qui sunt eius. 2. Timo. 2. Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In XIII. cap. beati Matthæi.

SEQUITUR secunda parabola, in qua dominus prædixit futuros hæreticos & schismaticos: *Simile, inquit, factum est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, uenit inimicus eius, & super seminauit zizania in medio tritici, & abiit. Negligentia namque prælatorum & principum hæretici a diabolo in ecclesiam inducuntur, & sic superseminantur zizania. Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset: tunc apparuerunt zizania. Accedentes autem serui patris familias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea? Et ait: Non; ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite utraque crescere, usque ad messem: & in tempore messis, dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. Antequam dominus huius parabolæ interpretationem apostolis exposuisset, duas adhuc parabolæ proposuit, dicens: simile est regnum cælorum grano sinajis, quod accipiens homo, seminauit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creuerit, maius est omnibus oleis, et fit arbor, ita ut uolucres cæli ueniant, et habitent in ramis eius. Hæc parabola tertia de fidei uirtute est interpretanda. Nam cum fides uñico accipiatur uerbo: Credo in Christum, uel: Credo sanctam matrem ecclesiam, crescit in plurimis articulis: Seminata autem est in Iudæa, & creuit in uniuerso orbe. Seminata est in Christo crucifixo: qui ab hominibus reprobatus, uisus est quasi sinapis, quod minimum est semine omnibus seminibus.*

Creuit

Creuit autem & expanfit ramos suos in resurrectione per totum mundum: ita, ut aues cæli, præcipue reges & imperatores crederent in eum, & per fidem eius & gratiam operarentur. Dicuntur aues cæli, quoniam in cælo uocati sunt. Seminata est primus fides in minimis hominibus, apostolis scilicet, & creuit per eos prædicata in plurimis gentibus. Et quemadmodum sinapis dum conteritur mola, acrem odorem emittit, sic & tyranni cum uellent fidem conterere, plurimis occisis beatis martyribus: quo plures occidebant, eo plures Christo accedebant. Nec quisquam existimet, si uiderit crescentes hæreticos: ob id in fide diminutionem fieri. Ipsi enim pessimi hæretici sibi donationem & defensionem acquirunt: fidesque ipsa alibi augebitur, & in aliis aucta hominibus propagabitur. Sic factum est non credentibus Iudæis: Credidit enim gentium multitudo. In fine autem sæculi, deficient multi a fide, prout dominus dixit I. u. 18. Veruntamen filius hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra? Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cælorum fermento, quod accipit mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentum totum est rotum. Fidem ecclesia in hominum massam immittit: fermentum quippe est crescens in similitudine satis tribus, credens unum Deum in trinitate, & trinitatem in unitate: & sic fides creuit in uniuerso orbe. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis. Hoc est, cum loqueretur ad turbas, aliquam immiscebat parabolam. Et impletur quod dictum est per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, psal. 77. Eructabo abscondita a constitutione mundi. Colligitur hinc, quod omnis parabola, seu similitudo a domino proposita in superioribus sæculis contigit. Tunc dimissis turbis, uenit in domum; et accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens, res gesta ait: Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Ager autem est mundus. Binum uero semen, hii sunt filii regni. Zizania autem sunt filii nequam: Inimicus autem qui seminauit ea, est diabolus. Messis uero, consummatio sæculi est: Messores autem, angeli sunt. Sicut ergo colligitur zizania, et igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi: mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, prauè uiuentes intelligit. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit stridor et stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt, sicut sol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat. Ex prædictis parabolis apparet, quod regnum cælorum, aliquando ecclesia militans dicitur: quoniam in gloria cælesti, nec zizania reperiuntur, nec ibi diabolus quidquam sinistra seminare potest. Dicitur autem regnum cælorum inchoatiue: quoniam hic sacramenta in sancta ecclesia retinemus, quibus interuenientibus, datur his, qui bene operantur, regnum æternum cælorum: & qui uere Christiani sunt, legem hic charitatis cuius diunt, quæ inchoatur in præsentis regnum cælorum, & confirmatur in illo supremo æternæ felicitatis regno. Solent autem hæretici & publici peccatores Christiani ex hac parabola impunitatem sibi promittere, obicientes: Pater familias dixit seruis suis uolentibus eradicare zizania: Sinite utraq; crescere, usque ad messem: tum dicit messoribus, separent zizania: & in expositione quoque dominus ait: messores sunt angeli, messis consummatio sæculi: ergo dimittendi sunt absque separatione hæretici, & nequam homines. Quod sanè si fieret totus rueret orbis. Puniendi ergo hæretici & separandi: puniendi & separandi publici peccatores. Nec utique illis quod habere nituntur ex litera huius parabolæ, si rectè perspicitur, suffragatur. Non enim propter conseruandos hæreticos dominus dixit: sinite utraque crescere usque ad messem: nisi propter tuendos ac conseruandos bonos: Ait namque: Ne forte erant dicentes

Parabola
res gesta
retro secus
lis.Hæretici
ab ecclesia
separandi,
& per secula
lares potest
stare puniendi.

dicantes zizaniā, eradicetis simul & triticum: Propterque triticum reuera prohibetur zizaniorum eradicatio. Cum autem de eradicatione tritici nō timetur, separanda zizania est, quia causa quare non sit eradicanda zizania, deest. Si autem timeatur eradicatio tritici, bonorum scilicet: tunc cessare ab eradicatione zizaniorum oportet. Sic enim beatus Augustinus in hunc locū, simul & beatus Thomas 2. 2. quæst. 64. ar. 2. domini sententiam interpretatur. Ita & beatus apostolus Ioannes, & beatus apostolus Paulus veri sacri euangelij interpres docent. Beatus enim Ioannes 2. epistola: Si quis venit, inquit, ad vos, & hanc doctrinam non affert, ecce hæreticum: nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi, aue, communicat operibus eius malignis. Ecce prædixi vobis, vt in die domini non confundamini. Et beatus apostolus Paulus, pri. Tim. pri. cum diceret quosdam circa fidem naufragasse, addit ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare. Et ad Titum. 3. Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem deuota: sciens, quia subuersus est, qui huius mundi est: & delinquit cum sit proprio iudicio condemnatus. Non hñunt zizaniā crescere vsque ad messem beati Apostoli, scientes dominum parabolā adduxisse in eum sensum ne triticum eradicetur. Cum autem non timetur tritici eradicatio, zizania separanda est, quod utique facit ecclesia. Quod autem hæretici post secundam monitionem curiæ seculari tradantur: quoniam iam eorum pertinacia cognita, ecclesiasticus iudex non habet amplius quid faciat, & prætor secularis illos igni tradat: hoc quoque & beatus apost. Paulus innuit, ad Gal. 5. dicens de hæreticis Galatas cogentibus iudaizare: Vtinam abscondantur, qui vos conturbant. Abscos illos vult beatus Apostolus, eradicatosque desiderat: cum de tritici auulsione nulla interim esset suspitio. Dominus autem præcepit Moyfi, Exo. 22. Maleficos non patieris uiuere, & blasphemum. Leui. 24. Educ blasphemum extra castra: qui blasphemauerit nomen domini, morte moriatur. Et de adorantibus uitulum, Exo. 32. Occisi sunt quasi viginti tria millia. Et Deu. 13. præcipitur Moyfi, vt si aliquis fratrem suum in errorem velit inducere, ut non occultet eum, sed statim prodatur & interficiatur. Hæc est lex domini adeo iusta & sancta: ne scabiosa & putrida ouis totā caulam corrumpat. Nam sermo hæreticorum (inquit beatus Apostolus Paulus. 2. Timo. 2.) ut cancer serpit. Igni traduntur ciuitates Sodomorum, Gen. 18. quoniam nullum triticum in illis inuentum est: licet dominus uellet propter decem parcere ciuitati, ne eradicaret & triticum. Erat Loth triticum, & separatur a zizania, Genes. 19. Cum igitur eradicatio tritici, iam Loth egresso, non timebatur, aduruntur pessimæ ciuitates. Et quidem maior effecta est iniquitas Lutheranorum quam Sodomæ peccatorum, quæ subuersa est in momento: Quapropter iustissime comburentur. Occiduntur maiestatis terrenæ uiolatores, multo potius Lutherani maiestatis diuinæ contemptores. Suspendantur latrones & homicidæ, multo amplius fidei nequissimi corruptores, & euangelij domini nostri Iesu Christi hæretici contraditores: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

T R A -

TRACTATUS TERTIVS,

In XIII. cap. beati Matthæi.

AD HVC tamen operæpretium est aliqua in hæc zizaniorum parabolam annotare, & illam iterum transcurrere. Ait namque dominus: *Qui seminatur bonum semen est filius hominis.* Vtique talis sator bonum habet semen seminare: ipse namque est essentialiter bonus quo ad diuinitatem, & omnium bonorum fons & origo: & secundum hominem omnes superat angelos gloria & dignitate. Et quemadmodum hæc dicens uiator, secundum inferiorem partem gratia superat omnem superiorem creaturam: ita doctrina sua dicitur bonum semen, purum & sincerum, quoniam nullam habet admixtam imperfectionem. Nihil ad perfectum adduxit lex Moyfi, teste beato Apostolo Paulo ad Heb. 7. sed lex gratiæ secundum eundem Apostolum ad Colossen. pri. Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. Et ad Corin. 2. cap. 13. Gaudete, perfecti estote. Lex igitur gratiæ perfectissima est, non habens maculam aut rugam: quæ si diligenter obseruetur, hominem perfectum reddit. Cum autem dicit: *Qui seminatur bonum semen, est filius hominis,* & cum sit etiam semen verbum Dei verum, iuxta illud, quod dominus dixit Pilato: Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati: elegit dicere bonum semen, & non dixit uerum, quia simul est uerum & bonum. Denotans quantumcunque uerbum Dei recipiatur, tanquam uerum in intellectu per fidem, non prodesse: nisi ut bonum amplectetur a uoluntate, amore charitatis operantis bonum. Ager autem est mundus, in se uidelicet continens bonorum & malorum multitudinem. Bonum uero semen, quod scilicet seminauit filius hominis: hi sunt filii regni, boni scilicet, vt sciamus omnem bonitatis sufficientiam a domino gratia sua nobis donari. Ex illo namque habemus quoddam boni sumus, eiusque gratia iustificamur: & peccata nobis sua gratia & misericordia remittuntur. Zizania autem sunt filij nequam, hæretici & pessimi Christiani. Quicumque enim nequam dici possunt, zizania sunt: ut repugnantes ueritati, & hæretici contraditores totius boni, & homines prauis. Inimicus autem qui seminauit ea, est diabolus. Ipse profecto Iob. 41. princeps esse dicitur super omnes filios superbiæ: & sui feminis fatione exoriantur omnia mala. Ipse primam nostram parentem Euam decepit. Ipse suggestit primi hominis filio Cain fratricidium. Ipse misit in cor, ut traderet dominum Iudas Simonis Iscariotes. Notandum est, omnem bonorum perfectionem a domini gratia provenire, & omnem iniquitatem a dæmone esse suggestam. Et utrumque dominus dicit semen & satorum. Nam quemadmodum sator cum seminatur non cogit terram, ut fructificet, sed semen terræ mandat: quæ si bona est, bonum fructum reddit, si uerò mala, malum: sic Deus cum gratiam suam infundit, non cogit hominem: similiter nec diabolus, cum praua suggerit: libere namque & sponte sua operatur homo: uel cum bono semine gratiæ, bene: aut cum malo semine prauæ suggestionis, male. Idcirco malus iustissime in inferno punitur, quoniam uoluit male suggestum a dæmone facere: & bonus iustissime premio afficitur, tanquam per gratiam libere bene agens. Quapropter cum parabola dicat dæmonem postquam seminauit zizaniam, abiisse: ex eo datur intelligi, diabolum meminim ad malum cogere. Hanc ueruntamen prauam suggestionem, & mali feminis fationem, inquit, fieri cum dormiant hoies: non. n. uigilauerunt

B B 2 cusa-

cultodientes agrum suum, siue id accipiat de praelatis: siue in vniuersum de iis qui curam agri dominici gerunt: siue de unoquoque nostrum. Ex euangelio igitur habes, quod cum dormirent homines, inimicus dæmon seminat malum: desideria nam que uniuersumque fit prauis seminis fatio. Quid enim aliud faciat dæmon, cum cernit hominem nulli rei spirituali vacare, sed solutus habentis viuere, & absque ulla sui cura in vtramque, vt aiunt, dormire aurem, quã seminare zizania prauas scilicet affectiones, & quicquid animæ noxium est. Quid in quã aliud faciat, quã inuare carnem? ex qua veluti ex arce animam expugnet: Et primum bonos corrumpit mores prauis operibus, deinde fidem iniquis suasionibus auferre conatur. Id etiam contingit fieri negligentia prelatorum, & eorum quibus animarum cura incumbit. Cum enim hi dormiunt, zizaniis repletur fidei ager. Quod optime vaticinatus est Esa. cap. 56. Omnes bestiarum agri, inquit, venite ad deuorandum, uniuersarum bestiarum saltus. Quare ò propheta tempus adesse dicis opportunum ad deuorandum, ecce subinfert: Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersificans canes muti non valentes latrare, uidentes vana, dormientes & amantes somnia. Optimo igitur iure sacratissima natiuitas domini pastoribus vigilantibus annunciat, & custodientibus vigilias noctis super gregem suum. Pasce oues meas, dictum est a domino, & ter repetitum beato Petro: Idem Petrus pri. Epist. cap. 5. ait: Pascite qui in vobis est gregem. Et beatus Paulus, Acto. 20. Attendite vobis & uniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Non dicitur, iube per alium pascere: atqui pasce tu, qui es pastor: Nomen cum re ipsa retine, ne tu nomen pastoris habeas & per alios oues pascas. Bonus pastor, inquit dominus, animam suam dat pro ouibus suis. Qui enim animam potest pro ouibus suis ponere, qui per tot spatia temporum in curiis secularium principum degit, sub pastoris habitu aulicus effectus: monstrum sane mirandum. Stultos hos pastores appellat dominus per Zachariam prophetam, dicens cap. xi. Adhuc fume tibi uasa pastoris stulti. Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non uisitabit, dispersum non queret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet & ungulas eorum dissoluet. O pastor & idololum, deserens gregem. Non potuit durioribus verbis agi contra non pascentes, & non residentes pastores: vt ex duritia verborum, colligatur peccati grauitas non residentium prelatorum, & dura qua puniuntur poena flagellorum. Nec sibi blandiantur pastores excusationem querentes in peccatis: Qui cum a grege discedant suo, plurimas prætexunt causas: quum sola necessitas vrgentissima fidei se u ecclesiarum suarum eos posset pro aliquo temporis spatio breui a residentia continua legitime excusare. Pro aliquo tempore breui dixi: quoniam nulla causa est, quæ pastorem per longum tempus excuset a residentia, nisi concilium generale: nam munus obire præcipui inquisitoris hæreticæ prauitatis, excusat a tanto, sed non a toto. O bone Deus, quot friuolas necessitates reipublicæ fingunt aliqui, cum sint inexcusabiles. Quos Deus sic punit, vt reipublica ipsos odio prosequatur, vt pote qui plus scandali quàm commodi reipublicæ inferant, nihil prorsus suis ouibus proficientes. Et sic cum non sint vtilis suis, odio habentur ab alienis. In persecutione autem, si est propria, & pastoris queratur persona, illud euangelii cum obseruandum est supra cap. x. Cum vos persequitur in una ciuitate, fugite ad aliam. Si autem persecutio fiat in ouibus, tenetur permanere & suas adhortari oues, ne a fide deficiant. Si autem quesito prætextu in prelatum persecutio excercetur: vt abscedens, in fide aut moribus lædantur oues, tenetur permanere, & peccat recedens. Si persecutio non fit de fide, forte quia oues rebel-

les a

les a suo Rege uel domino obsidentur, & nullum est de fide periculum, potest abire: dummodo non sit particularis curatus, prior, vel abbas, qui tenetur sacramenta infirmantibus ministrare, & morientes sepelire. Si autem corruptio sit aeris, speciales deputati non possunt abire: prelatum autem cum capitulo potest abire, & æquum est in alium locum sue diocesis recedere, ibique eligere ecclesiam, in qua debita peragantur obsequia, & celebrentur diuina, & quotidianæ distributiones conferantur. Messis autem est consumatio seculi, & angeli messores, qui iniquos congregabunt in fasciculos ad comburendum illos: hoc est, superbi omnes in uno fasciculo, hæreticos in alio. Eiusdem iniquitatis obseruatores in suo quisque fasciculo comburentur: quoniam eiusdem criminis confortes, eandem debent poenarum esse participes. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum: quam iustitiam adepti sunt per gratiam Domini nostri Iesu Christi, bonis operibus incumbentes, & a recta fide nunquam decedentes: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUARTVS,

In XIII. cap. beati Matthæi.

SIMILE est regnum celorum thesauro abscondito in agro. Regnum celorum ecclesia dicitur, quemadmodum supra memorauimus, inchoatiue hic per gratiam, que in gloria consumabitur. Vel eo quod si secundum euangelium uiuerimus, & veri essemus obseruatores verborum Domini, reipublica nostra celestis diceretur: ita siquidem voluntas domini adimpleretur in terra quemadmodum & in celo, prout oramus: Fiat voluntas tua, sicut in celo & in terra. Thesaurus in agro absconditus, secundum beatum Hieronymum, verbum est in carne celatum. Sapientiam (inquit beatus Paulus apostolus pri. Corinth. 2.) liquimur, quam nemo principum huius mundi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam regem gloriæ crucifixissent. Ecce quemadmodum celatur verbum in humanitate, de quo Esa. cap. 45. dicit: Verè tu es Deus absconditus, sanctus, Israel saluator. O inestimabilem thesaurum, verbum in carne absconditum: de quo pate rar: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene coplacui. Splendor est patris, portans omnia verbo uirtutis sue: per quam facta sunt omnia. Hunc thesaurum abscondit Deus in illa sacratissima Christi humanitate, quã sibi in vnione suppositi associavit. De huius agri gratia multa beatus Th. dicit tertia, par. quæst. 7. art. 11. & quæst. 8. art. 4. Gratiam autem vnionis dicit esse infinitam, quoniam terminatur ad infinitum, quod est Dei verbum, vnicus filius Dei, idem semper cum patre & spiritu sancto. Habitualis autem gratia & si non est infinita inquantum ens, tamen quodammodo potest dici infinita, quoniam habet quiddam pertinet ad rationem lucis: estque caput hominum & angelorum. Mirabilis ager iste: atqui mirabilior est thesaurus, quem qui inuenit homo abscondit. De margarita dicitur infra, quod sit quesita: de thesauro autem quod sit inuentus non quesitus: Quoniam si angeli hominesque simul associati usque ad defectionem darent se & sua, non possent utique mereri, quod thesaurus iste absconderetur in agro. Hoc est quod beatus Thomas. 3. par. quæst. 3. art. 11. dicit incarnationem filii Dei non cadere sub merito. nemo enim mereri potuit, quod Deus homo fieret. Ipse per uiscera misericordiarum suarum uisitauit nos oriens ex alto. Suscepit Israel (inquit beatissima uirgo)

uirgo) puerum suum: non ob alicuius meritum, sed tantum recordatus misericordiae suae. Propter nimiam charitatem suam, inquit beatus Apostolus, qua dilexit nos Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, ad Eph. 2. & ad Rom. 8. Ex utroque cap. hae sententia constat: Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos Deus, ad Eph. 2. filium suum misit in similitudinem carnis peccati, ad Rom. 8. Qua propter inuentus dicitur, non quaesitus: quoniam tale nemo ausus fuit unquam nec cogitare, quousque sanctis id prophetis reuelatum est. *Quam qui inuenit homo abscondit.* Quisquis uoluerit thesaurum istum possidere, abscondat: non prodat secretum. Nam si dixeris patri uel matri aut amico, te uelle renuntiare seculo & religionem ingredi, & thesaurum istum libere possidere, resistit tibi, & plurimis uanis suasionibus te a proposito sancto deterrebunt. Si dicas te uelle parcere inimico: non deerit, qui consulat minime id faciendum & tibi obiciat mundi uanam legem: & qui suadeat ut thesaurum negligas inestimabilem, teque pusillanimum appellabit. Si dicas te uelle rapta & aliena restituere: dicit uxor, quam ergo filius tuus reliquit hereditatem? Proinde si thesaurum inuenieris, & tetigerit dominus cor tuum, fac quod tibi a domino in corde suggestum est, perge: nec moram trahas, restitue aliena, parce inimico: si etiam potes, renuntia omnibus quae possides, & ingredere religionem, ut tanto fruaris thesauro. *Vendit uniuersa quae habet, & emi agrum illum.* Non dicit emit thesaurum, quoniam inestimabilis est, sed emit agrum. Qui autem adhæsit Christo omnibus impedimentis reiectis, emit agrum illum nam qui habet agrum, habet & thesaurum. Qui corpus Christi suscipit, Deum suscipit: quoniam Iesus Christus ipse est Deus, Deus est homo, & homo Deus. Verum tamen quemadmodum ager comparetur, & eius pretium scire oportet. Emerunt Iudaei a Iuda agrum istum, quem & tormentorum uomere proficerunt, tum & flagellis & in cruce clauis. Verum enim uero, non est hoc pretium eius: ait namque Zacharia, cap. 11. Et appenderunt mercedem meam tringinta argenteos. Et dixit dominus ad me. Proiice illud ad statuarium decorum pretium, quo appreciatus sum ab eis. Deridet pretium hoc propheta, & proiciendum uaticinatur. Vnde factum est, ut Iudas proiectis argenteis in templo, laqueo se suspendit. Iudei autem, quoniam hoc non erat pretium huius agri, alium agrum emerunt in sepulturam peregrinorum. Ipsum autem eius pretium est, quod ipsemet infra cap. 19. praescripsit: dum iuueni quaerenti, Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam? ait dominus: Serua mandata: Ecce pretium agri unum. Respondit iuuenis: Hoc feci a iuuentute mea. Ait dominus: Si vis perfectus esse, uade & vende omnia quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & ueni & sequere me. Ceterum quoniam bona temporalia non sunt uerum huius agri pretium (idque quia contingit, sepe illa multiplicibus modis uel amitti uel relinquere: uel in mari, in ludo, in mundi uanitatibus, & immunditiis) Beatus Petrus eodem tempore quaesuit a domino: Ecce nos reliquimus omnia, & sequi sumus te, quid ergo erit nobis? Hoc est secundum huius agri pretium, propter Christum omnia spernere, illumque familiariter sequi. Dominus autem ideo non in relinquendis praecipue (quoniam aliis modis temporalia relinquuntur, & amittuntur) sed in sequendo ipsum, in imitatione puritatis, humilitatis, patientiae, & charitatis, eius agri pretium constituit, dicens Matth. 19. Amen dico uobis: quod uos, qui secuti estis me, sedebitis in regeneratione, cum sederit filius hominis, iudicantes duodecim tribus Israel. Quapropter toties hanc Christi imitationem legimus apud apostolum Paulum pri. Corinth. 4. & 6. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Et ad Eph. 5. Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione.

dilectione. Et beatus apost. Petrus pri. epist. 2. ca. In hoc enim inquit, uocati estis, quoniam Christus pro nobis passus est, uobis relinquens exemplum, ut se quamini uelut eius. Et beatus apostolus Ioannes pri. epist. cap. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet quemadmodum ille ambulauit, & ipse ambulare. Primum igitur pretium est, seruare mandata: supremum, spretis omnibus temporalibus Christum dominum imitari. *Uerum semite est regnum caelorum homini negotiatori, quaerenti bonas margaritas. Inuenta autem una pretiosa margarita, abiit, & uendit u omnia quae habuit, & emi eam.* Margaritis delectabantur Romanae mulieres nobiles, & forte ideo dominus margaritam dicit, & pretiosiores tacuit gemmas propter margaritae candorem. Sancti doctores margaritam interpretantur dulcedinem, & gustum spiritualis uitae. Qui autem queris dulcedinem & gustum, scito non inueniri perfectum, praeterquam in uita spiritua li. Vnde igitur omnia quae habes, & omnem alium uiuendi modum a te recitico, gustum suauem spiritualis uitae amplectens. Haec siquidem uera uita dicitur: alia uero uita nihil est. Na animalis homo (inquit beatus apostolus Paulus pri. Cor. 2.) non percipit ea, quae sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, nec potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia. Nec humana uita gaudium habet, ut ait quidam poeta: Qui quamuis in fictione mentitus sit, re ipsa tamen uerum est, quod dicit. Is ergo tradit, cum gaudium relictis terris ad superos euolabat, eo se inuisisse: quo arrepto tristitiam, quae a tergo gaudium subsequeretur, eo se inuisisse. Vnde factum, ut quae tristitia & luctuosa hominibus sunt, laetitiae quaedam imaginem praesferant, utpote gaudii pallio contexta & occulta. Id enim quotidie experimeto cernimus, & hac falsa rerum imagine plerosque decipi. Quod etiam plurimis aetatis nostrae confirmare possem exemplis, si locus & res ipsa hic exigeret. Hinc igitur & haec uita, psal. 2. umbra mortis dicitur: Nam si ambulauero in medio umbræ mortis. Et Zacharias in cant. Illuminare his, qui in tenebris & umbra mortis sedent. Umbra enim a luce & corpore opaco efficitur: cumque lux solis corpus uerberat nostrum, mortis umbram adducit. Nam quocumque dies umbra est mortis, & imago eius. Pertransit enim, nunquam ad nos reditura. Vitam ergo eligamus spiritualem, quae ueras habet delicias. Et nunquam deficiens gaudium hinc initium sumit, quod in eternum in beatitudine permanebit. Ultima parabola de iudicio finali admonet, & de separatione malorum a bonis, qui nunc simul commixti sunt, & in reti sanctae matris ecclesiae continentur. *Ibi erit fletus & stridor dentium,* cum in caminum ignis iniqui proiicientur: fletus ex fumo, stridor uero dentium ex frigore provenit. Transibunt, inquit Iob 24. ab aquis niuium ad calorem nimum. Ideo uniuersis scriba doctus similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua & uetera. Hoc est, ne in caminum ignis proiciatur, uetus testamentum confert cum nouo: & sic inueniet Christum dominum uerum esse Dei filium, uerumque Messiam: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in eternum. Amen.

TRACTATUS QUINTVS,

In XIII. cap. beati Matthaei.

IN hoc sacri euangelii capite, omnia in abscondito occultari leguntur. Na thesaurum absconditum, homo qui inuenit recodit: sarena absconditos retinet pisces,

pifces,ufque in diem vltimum. Ecce omnia sunt abfcondita . Quam magna , inquit Dauid pſal. 30. multitudine dulcedinis tuæ domine,quam abfcondiſti timentibus te. Multitudinem dulcedinis dicit , vt nos doceat non vnica tantum dulcedinem habere illos , nec unico guſtu paſci , qui abfconditum theſaurum inueniunt, quique diuinitatem in humanitate credunt & contemplantur , boniſque operibus imitantur. Qui etiam multiplici guſtu, multiplicique dulcedine paſcantur & reſciantur , qui uerbum in carne per gratiam poſſident . Poſſeſſor namque eſt tantæ maiestatis, cuius anima ſedes eſt diuinitatis, ſecundum quod ſcriptum habetur, Sap. 7. Anima iuſti ſedes eſt ſapientię, quæ multiplici nutritur dulcedine . Si quis, inquit dominus, diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus . Cor amplum, animam dilatam habet , qui tantum apud ſe hoſpitatur Deum : & quem dominus ſic dilatat, iam eum totus non capit mundus, ſineſque ſuos, vltra omne mare conſtituit . Torus illi orbis anguſtus eſt, nec cœlo concluditur, qui cœlorum dominum habet intra ſe manentem per gratiam: perfectiſi eis qui ſperant in te in conſpectu filiorum hominum. Alii ſpẽ collocarunt in ſuis amiſibus, & neceſſitudine quauis cõiunctis, alii in diuitiis, alij in principibus, qui omnes defecerunt : tu autem domine perfectiſti eis, qui ſperant in te in conſpectu filiorum hominum: Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ a turbatione hominũ, proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum. Securi enim ſunt, qui theſauri a ſeculis abſconditi, & in euangelio denique manifeſtari poſſeſſores efficiuntur: quando illos Deus abſcõdit in abſcondito faciei ſuæ a conturbatione hominum, & protegit eos in tabernaculo ſuo a contradictione linguarum in ſua cognitione diuina. Facie nãque vnusquiſque cognoscitur, & cognitio Dei, facies Dei dicitur: in qua quidẽ cognitione theſauri abſconduntur a conturbatione hominum, quoniã nulla eos procella, nulla tempeſtatis oborta vis euertere poteſt . Quis nos ſeparabit, inquit beatus apoſt. Paulus ad Rom. 8. a charitate Chriſti tribulatio? an anguſtia? an fame? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum enim, quia nec mors, nec uita, nec angeli, nec principatus, nec uirtutes, nec inſtantia, nec fortitudo, nec altitudo, nec profundum, nec creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Abſconditus enim erat beatus apoſt. Paulus in abſcondito cognitionis Dei a conturbatione hominum, a deo quod nulla illum poterat mouere impulſio. Protectus enim erat in tabernaculo tuo a contradictione linguarum. Tabernaculum manſio eſt, in qua habitamus. In tabernaculo igitur tuo, quo in habitas, dicebatur cæco, ſtrepitum audienti, & quid eſſet neſcienti apud Luc. cap. 18. Cum audiret, inquit, turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet . Dixerunt autem ei, quod Ieſus Nazareus tranſiret. In hoc tabernaculo, in corpore tuo ſcilicet, proteges eos a contradictione linguarum. Securi ſunt, quoniã homo eſt a contradicentibus tibi ſalutem, quoniã uoluiſti per omnia fratribus, ad Heb. 2. aſſimilari, ut miſericors fieres, ut eſſes Deus totius miſericordiæ & conſolationis, qui in veteri lege dicebaris Deus ultionis. Abſcõditum ergo theſaurum a conſumatione mundi, reuelatum & inuentum in campo humanitatis Chriſti, in nouiſſimis diebus, quibus loquutus eſt nobis in ſilio, quẽ conſtituit hæredem uniuerſorum, per quem fecit ſecula, ad Heb. pri. qui inuenit homo, abſcondit ſibi, retinuit in corde, & anima obſeruauit, qui ab obſeruato theſauro, & ipſe obſeruatus abſconditur a conturbatione hominum, & protegitur a contradictione linguarum. Porrò Ezechias, quoniã theſauros ſuos & domus domini, ſecundum Hebræos, oſtendit Merodach miſſo a rege

Babylonis,

Babylonis, ad congratulandum ei de recuperata ſalutẽ, ut habetur 4. Reg. 2. & 2. Paralip. cap. 32. & Eſai. 38. corripitur, & omnia illa uafa pronuntiantur a propheta tranſerenda in Babylonem . Ex quo denotatur, quanta cuſtodia diuina ſecreta celanda ſunt: & quod infidelibus, cum uenerint in regna Chriſtiana, non ſunt oſtendenda diuina. Cæterum huius theſauri inuentor non rapuit, non tollit, ſed abſcondit. Abſconditum reperit in humilitate humanitatis, & ipſe abſcondit etiam in humilitate. Hæc eſt uirtus, quæ quamuis ſit pars modetiæ, quam Ariſtoteles nouit 4. Ethic. cap. 4. de humilitate, tamen nihil proſus loquutus eſt . Conſtituitur namque temperantia ad refrænandos magnos appetitus taſtus: modetiã uerò ad refrænandos mediocres appetitus ornatuſ & carnis, vt latius dixit beatus Thomas 2. 2. quæſt. 160. Humilitas uerò quæ a beato Thoma 2. 2. quæſt. 161. ponitur pars modetiæ, a philoſophis quidem ignorata eſt: in lege uerò antiqua, plurimis in locis manifeſta, & in euãgelio exaltata, dicente domino ſupra 11. cap. Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde . Et beatiffima eius mater ſemper uirgo Maria: Quia reſpexit, inquit, humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et dominus repetit in euangelio: Quoniã qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur, quia omnes pie in Chriſto uiuentes humilitatem amplectantur, qua & mirabiliter exaltantur . Ait namque beatus apoſt. ſtolus Paulus pri. Cor. 4. Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc . En quem admodum abſcondit theſaurum Paulus in humilitate, & præ gaudio illius uendit uniuerſa quæ habet, nihilque ibi relinquit, ſatis tanto ditatus theſauro . Qui ergo huiusmodi eſt, quique theſaurum inuentum poſſidet, & humilitate abſcondit, nõ iam ſanguinis nobilitate lætatur, non extollitur dignitatibus, non ſublatur diuitiis, non ſuperbit reſtitibus, non gloriatur terrenis. In omnibus ſe exhibet, tanquam ſeculi huius piculum & purgamentum, ac ueluti quoddam peripſema, hoc eſt tanquam pomi cortex, ſeu ramentum cuiuſcunque rei, quod tanquam abiectum & vile ab omnibus conculcatur . Nihil ſibi in corde retinet, quinimmo ſi poteſt etiam actu ſpretis omnibus, abſconditum ſecum portat theſaurum, ſequẽ ipſum in religione abſcondit. In ſagena autem piſces ineluſi occultantur: quoniã cum malorum Chriſtianorum & bonorum concluſa ſit in eccleſia hominum multitudo: nemo nouit quis ſit eligendus, & per angelos in uas gloriæ mittendus, neque quis ſit in camino ignis proiciendus. Qua propter mali in eccleſia tolerantur . Neſcimus enim ſi reſpiſcent gratia Dei, & ad bonum tandem aliquando conuertentur. Hæretici uerò ubi iam ſemel, & iterum moniti, adhuc perſiſtunt in hæreſi, quoniã rete rupeperunt, ab orthodoxorum cœtu exterminantur & euitantur, iuxta præceptum Apoſtoli ad Timo. cap. 3. Mali uerò Chriſtiani tolerantur, quoniã de illis occultum iudicium eſt, & in reti eccleſiæ retinentur . Hæretici autem repelluntur prout ſupra tractatu ſecundo, huius 13. cap. latius oſtendimus . His percuſis parabolis, dicit ſacer euangelista . Et ueniens in partem ſuam, hæc eſt Nazareth, docebat eos in ſynagoga eorum; ita ut mirarentur, et dicerent: Unde huic ſapientia hæc, et uirtutes? Nonne hic eſt fabri filius? Voluit dominus putari filius uirginis & Ioseph: ne ſi Iudæi peſſimi putarum patrem neſcirent, beatiffimæ ſemper uirgini inſultarent. Nonne mater eius dicitur Maria? et fratres eius, Iacobus et Ioseph, et Simon et Iudas? et ſorores eius, nonne omnes apud nos ſunt? Cognatos, & affines ex ſororibus beatiffimæ uirginis, & materſas ſorores eiufdem beatiffimæ uirginis,

C c fratres

καθάρου
τα πρῶτον
κα.



fratres & sorores domini dicunt Iudæi, morem patriæ & scripturæ seruantes, prout tractatu 6. superioris proximi cap. differuimus. *Vnde ergo huic omnia ista ad Er scandalizabantur in eo.* Vide obsecrationem Iudæorum, unde credere magis debebant, uidentes doctrinam & miracula qualia nunquam uiderant, scandalizantur: ut adimpleretur, quod dictum erat a domino supra cap. 11. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Et infra cap. 26. Et qui ceciderit in hunc lapidem confringetur. *Iesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.* Ob inuidiam uicinorum hoc communiter accidit. *Et non fecit ibi uirtutes multas, propter incredulitatem eorum.* Non fuerunt digni, vt apud illos dominus multa operaretur miracula, cum a fide deficerent. Nota autem, quod nunquam tibi a memoria excidat, apud hæreticos nunquam miracula fieri. Siquidem ad ostensionem veræ fidei fiunt, quæ apud hæreticos nulla est. Satis sanè manifestum in hæreticos argumentum, vt hinc agnoscant errores suos, & vt aduertant se nimis displicere Christo: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

Miracula
nunquam
fiunt p hæ
reticos.

TRACTATUS PRIMVS,

IN CAPITVLVM XIII.

BEATI MATTHÆI.



In illo tempore, audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu, & ait pueris suis: *Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexerat mortuis, & ideo uirtutes operantur in eo.* Tetrarcha dicitur Herodes Galilææ, prout habetur Lucæ 3. Et 22. cap. Cum Iudæi aduersus dominum dicerent Pilato, commouit uniuersam Iudæam, incipiens a Galilea, vsque adhuc: ut agnouit Pilatus, quod de Herodis potestate esset, misit illum ad Herodem, qui Hierosolymis erat illis diebus. Suspiciatus est autem Herodes sciens Baptiste sanctitatem, a mortuis resurrexisse, & confessus est resurrectionis uirtutem, cum dicit: *Ideo uirtutes operantur in eo.* Prosequitur mox beatus euangelista sancti Baptiste de collationem, dicens: *Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem.* Tria simul scelera hic perpetravit Herodes, Ioannem tenuit, uinculis alligauit, & in carcerem trussit tanquam malefactorem, ipse malefactor. *Causam uero adducens beatus euangelista, Propter Herodiadem, inquit, uxorem fratris sui Philippi, uicinis intellige. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam.* Hæc est ueritas doctrinæ, quam diximus supra cap. 11. non esse tacendam, etiam si quispiam prædicanti minaretur mortem: nisi enim arguerentur, ceteri imitarentur. Non etiã est prætereundum, quod non attigimus, quando ex dissimulatione prædicantis, peccanti uidetur licitum, id quod perperam agit. Veritas igitur uitæ & iustitiæ in nullo euentu possunt præteriri silentio. Quoniam nec peccandi pro toto orbe, nec ius uolandum est. Virtus etiam fidei semper inconcussa manet, quam nemini licet tangere. *Et uolens illum occidere, timuit populum: quia sicut propheta enim habebant.* Non dicit timuit Deum: vt innotescat, qui Dei timore non

non tangitur, omne scelus facile perpetrare. Initium sapientiæ timor domini, Eccles. pri. Et a timore tuo domine concepimus & peperimus spiritum salutis, Esa. 2.6. *In die autem natalis Herodis, Melius profecto illi, si non fuisset natus, nec suum natale celebrasset, saluauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.* *Vnde cum iuramento pullicinus est ei dare, quodcumque postulasset ab eo.* Inductum intelligi fuisse Herodem ab Herodiade, ut occideret Ioannem: cum superius dicitur beatus euangelista, uolens illum occidere timuit populum. Igitur occasio nē quæsiuit occidendi beatum Ioannem, sine populi seditione. Filia autem matris uestigia sequens, & a matre præmonita: *Da mihi, inquit, hic in disco caput Ioannis baptiste.* Et conuictus est rex: uel licite, uel forte doluit nefandum crimen, sed coactus amore Herodiadis simulauit iurandum propter quod, & propter eos qui pariter recumbebant: ne uideretur uerbi sui & iuramenti uiolator, noluit esse impius homicida, *insit dari.* In quem barathrum confusionis, in quas densissimas tenebras grauiora peccata demergunt miseros homines. Quid aliud expectandum fuerat ex uiolento publico adulterio, ex nefario incestu, quam homicidium? Habent peccata suas connexas catenas, & suis anulis mutuo connectuntur. Ausert Herodes uxorem uiuentis fratris, correptionem non tolerat: capit plusquam prophetam Ioannem, captum in uincula coniecit, in carcerem trudit, & tandem occidit. *Misitque, & decollauit Ioannem in carcere.* O immans sceleritia, o belluinus furor. Insanit Herodes in medicum, qui illum pro uiribus saluti restituere curat. Hæcine reddis sanctis? hæcine optima consulenti præmia tribuis? Nec sanè Ioannem occidere satis fuit, quinimmo *allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ.* Nec puella horruit tenere manibus & aspicere oculis humanum caput abscisum, nec horrere conuiuæ: neque aliquis eorum dixit Herodi: Noli hoc facere. *Quin & scelestus ipse adulter non ueretur sanctissimo illi capiti insultare.* Et illud, inquit euangelista, *attulit, puella scilicet, matri suæ.* Notanda est iudeorum proterua malitia. Illum, quem paulo ante adierant, querendo an esset Messias, missis ab Hierosolyma sacerdotibus & leuitis & religione pharisæis, audiunt incarcerationum, nec curant. Nec aliquis Herodem adiuit, ut liberaret Ioannem, neque quisquam ex discumbentibus id facinus horrens fieri dissuasit. Videant ergo reges quid iubeant. Nam illorum serui & miseri familiares & consultores, nec mala utuperant, nec facinoribus aduersantur, nec ueritatem uentur. Eo enim uertitur omnis ordo iustitiæ, quocumque uiderint regis nutum conuerti. *Et accedentes discipuli uulerunt corpus eius.* Boni uiri Herodis insaniam non uerentes, corpus beati Ioannis sepelierunt, non utique absque magna Iachrymarum copia, non absque singultibus & suspiriis indignum huius sanctissimi uiri necem deplorantes. *Quis enim adeo se uisus, & sanguinis humani audis, quis ira belluino furor percitus, qui auderet caput illud præscindere, quod in utero matris fuit a domino consecratum? quis auderet tangere corpus immaculatum? priuare uita innocentissima membra? & a suo corpore felicissimam animam separare? nisi Herodes.* Et is quidem hæc facere potuit, & ausus est: non tamen o Baptista beatissime, ut a ueritatis prædicatione deficeres, commouere. Potuit, inquam, tyrannus iste seuisissimus caput tibi abscindere, at non uirtutis priuare constantia & animi firmitudine. Potuit mortuum caput tradere adulteræ, at non animam tuam ledere, quæ nouum nuntium attulit, quo attestabatur iam diem illum appropinquare, quo per Christum ab inferis sancti patres erant educendi. Factus est beatus Ioannes præcursor domini apud inferos, qui iam cum mundo uenisse nuntiauerat, digito ostendens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et post me uenit, cuius ego nō

sum dignus corrigiam calciamenti soluere: hunc porrò manifestissimis uerbis proclamans, Io. pri. Et ego uidi, & testimonium perhibui, quia est filius Dei. Hoc idem testimonium lucerna lucens & ardens Ioannes limbo perhibuit de lumine: quod scilicet, iam in mundo erat lux illa uera, quæ illuminat omnem hominem, uenientem in hunc mundum. Discipuli autem Ioannis nuntiauerunt Iesu, abscissionem capitis eius, mortem & sepulturam. *Quod cum audisset Iesus, mortem innocentis Ioannis, secessit inde in nauiculam, in locum desertum seorsum, signa ostendens mœsticiæ, eo quod mundus quem fecit ex nihilo, tali semper hospitio excipere sanctos conuiscit. Atqui non minima humano generi illata est iniuria, cum huiusmodi belluas inter homines cernimus adnumerari. Oportebat namque iniquos de terra tollere, & a consortio Christianorum explodere: siquidem inter homines non merentur censerī, qui sacrilega impietate scelera committere non uentur. Nec qui squam publica & facinorosa scelera committere uellet, si talionis pœnam subiret. Nam si omnes temporis illius Iudæi, qui se falso iactabant legis esse obseruatores, adissent Herodem, cum Ioannem innocentissimum in carcerem truxit, fortassis Herodes ab impietate cessaret, & adulteram Herodiadem a se reiceret. Pientissimus igitur dominus Iesus abhorrens facinus, uidensque quam bonam condiderat humanam naturam, sic diabolica suadone corruptam, descendit nauiculam, & secessit in desertum locum, a consortio & conspectu hominum se subducere uolens: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.*

TRACTATUS SECVNDVS,

In XIII. cap. beati Matthæi.

CUM dominus recessisset in locum desertum, audito beati Ioannis martyris, non id latuit turbas: quæ cum audissent dominum secessisse seorsum, secutæ sunt eum pedestres de ciuitatibus, non parcentes labori & intricis longitudini. Fuerunt autem numero quinque millia hominum, exceptis paruulis & mulieribus. Quocumque rescueris esse dominum, eò te confer: nulla te mora detineat, nec deficiat querere lassitudine. Scito, quicumque quaesierit dominum: quamuis eum in deserto quaerat, se inuenturum, & ab illo mirabiliter refectum iri. Peregrinationes approbat Christus, cum ad se euntes in desertum locum, & languidos curat, & famelicos pascit: ne locus hæreticis relinquatur peregrinationibus detrahendi. *Et exiens, uidit turbam multam, & miserus est eis: & curauit languidos eorum.* Exiens siquidem dominus ab aliquo secessu, quo a discipulis semotus orabat, obuiam turbis occurrit. Mirabilis Christi pietas, cum cerneret tantam se turbam adire, nò refugit, non se occultat, nec amplius disparet: quinimmo ipse illis obuiam exiens, curauit languidos eorum. Qui quamuis non numerentur ab euangelista, in tanta hominum, mulierum, & paruulorum multitudine, non pauci credendi sunt: quos salute mirabiliter dominus donat. Discipuli uerò pietatis magistri imitatores, *uespere facto accesserunt ad dominum, dicentes: Desertus est locus, & hora iam praxerit, dimitte turbas, ut eundem in Castellam, eman sibi efac.* Non tantum in iis quæ ad animam pertinent, sed etiam quæ ad uitam & corpus, nouerimus intercessores haberi sanctos. Cò patiuntur discipuli necessitati hominum, & dominum certiozem faciunt de populi fame, orantes ut in proximos uicos illos abire sinat, ut ecas emant. De

minus

minus autem comprobans eorum intercessionem, & illam sibi acceptam confirmans, inquit: *Non habent, necesse ire, qui tantum scilicet habent redemptorem, & tales intercessores: mihi aculo perficienda res est. Date uos illis manducare.* Pauidi respondent beati apostoli. *Non habemus hic, nisi quinque panes, quos hordeaceos beatus Ioannes dixit, & duos pisces. Qui ait eis: Asserite mihi illos huc. Et cum iussisset turbam discumbere super fenum, accepit quinque panibus, & duobus piscibus, aspicens in cœlum benedixit, et fregit, et dedit discipulis suis panes: discipuli autem turbis. Et manducauerunt omnes et saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia uirorum, exceptis mulieribus, et paruulis.* Domini temperantia & uoluntaria parsimonia & beatorum discipulorum notanda contra hæreticos, crapulæ & ebrietati intentos. Quinque panes hordeaceos, & duos pisces in cibum tredecim hominum, puer portabat, non carnis delicias, nec panes selectæ similitudinis. Atqui rudes panes hordeaceos, & hos paucos, quinq; non amplius, duosque pisces in deserto discipuli adduxerunt. Et acceptis dominus panibus, in cœli suspicit, edocens nos etiam cibum a domino querere: neque alium esse, qui possit alere: nisi illum, cuius sunt omnia. Mirabilis utique diuina prouidentia ostenditur, cum omni die mensam omnibus parat, qui sunt in orbe: Christianis, Turcis, Mahumetanis, Iudæis, Paganis, atq; adeo brutis pabulum suggerit, autibus, piscibus, serpentibus, uermiculis, atq; omni quod uiuit, siue in aere, siue super uel subus terram, siue in aquis. Aperiens, inquit Dauid, tu manum tuam, & imple omne animal benedictione. Suspiciens in cœlum, exemplum dedit distributoribus dignitatum & quorumcunq; bonorum ut cum habent præ manibus quicquam distribuendum, oculi semper in cœlum intenti sint, soli Deo placere uolentes: & secundum Deum, non secundum carnem donanda distribuunt. *Benedixit.* Quæ illa fuerit benedictio, non explicuit beatus euangelista. Quoniam uerò adhuc sancta crux ex domini membris decorem non susceperat: constat illam benedictionem, cruce minime fieri potuisse: quæ tunc ad salutem omnium est dedicata, cum in illa dominus fuit affixus. *Fregit et dedit discipulis suis.* Ex præiacenti materia secundum beatum Augustinum, & beatum Thomam. 3. par. 44. multiplicauit dominus panes: nempe illi panes erant quasi femina, non quidem terræ mandata, sed in manibus Christi multiplicata: Quod autem per manus discipulorum datur turbis: scito dominum plura largiri bona per manus sanctorum suorum, in beatitudinæ sibi semper assistentium: prout experti sunt plurimi, in præliis beatum Iacobum cernentes, & in maris periculis, alios quos inuocant sanctos. Gratiam & gloriam (& si sanctorum precibus adiuetur) dabit per se manibus suis dominus. *Et omnes saturati sunt.* Hoc est discrimen inter bona a Deo collata, & sanctorum precibus impetrata, a bonis industria & humana solertia conquistis. Nam quæ a domino exhibentur, cor quietum reddunt, animam tranquillam faciunt, & saturitatē præstant. E diuerso, quæ humana industria & sollicitudine comparantur, secus suam crucem gerunt, & iterum famem & sitim aliorum inducunt: ueluti qui falsa recideret aqua, quia eo sitiret amplius, quo amplius biberet. Saturati igitur sunt, & supersuerunt ad miraculi ostensionem duodecim fragmentorum cophini: & de piscibus, inquit beatus Marcus cap. 6. Ut semper nobis in promptu sit Christum dominum querere: certiq; sumus, quòd nihil deicit nobis, uerum & supererit. Porrò manducantium numerus ultimò ponitur ad rei magnitudinem commendandam. Siquidem quinque millia hominum præter paruulos & mulieres saturare, ex quinque panibus & duobus piscibus, magnū utiq; signum est. Sed maiorem præferre potentiam argumentatur beatus Augustinus,

Delectus ciborū notatur contra hæreticos.

Intercessio sancto-
rū utilis.

Peregrinationes contra hæreticos approbantur.

Intercessio sancto-
rum appro-
batur.

gustinus, totius mundi saturationem. At, inquit, hanc totius mundi prouidentiam non admiramur, vt quam omni die & hora præ oculis habeamus. Itaque assiduitate non admiramur, quod vtique mirabilis est. Quapropter dominus quædam peculiaria suo tempore referuauit faciendi: quæ non quidem maiora sunt, sed nobis ob raritatem mirabiliora. Satiat dominus ex quinque panibus quinque millia hominum, cum omni die fatiet vniuersum orbem paucissimis granis terræ proiectis. Cum dominus aquam vertit in vinum in nuptiis, Ioan. 2. omnes mirati sunt: id uero singulis annis deus facit in vineis. Surrexit vnus mortuus, omnes admiramur, qui quidem olim fuerat in hoc seculo uiuens: & nemo miratur tot quotidie nasci utriusque sexus infantes qui nunquam in seculo apparuerunt. Aduertendum est secundum doctores theologos, quòd respectu dei miraculum non appellamus, sed respectu nostri. Nam uerum miraculum est arduum quoddam facere super facultatem nature cuius auctor est deus. Igitur deo nihil arduum est, nihil supra facultatem omnia potenti. Nobis autem miraculum est, ex coctis iam panibus, & mola atricis granis multiplicatio, usque ad quinque millia hominum satietatem. Aquam commutare in uinum, non potest natura: atque ideo nobis miraculum est. Mortuus non potest natura uiuere, & ideo admiramur. Quæ quidem omnia satis ostendunt in Christo domino diuinitatem, cumque uerum esse messiam in lege atque prophetis promissum, uerum hominem uerumque dei filium: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

Miraculi
bona diffi-
nitio.

TRACTATUS TERTIVS,

In XIII. cap. beati Matthæi.

Et statim scilicet post collectionem fragmentorum, compulsi Iesus discipulos suos ascendere in nauiculam & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Compulsi recedunt discipuli, optime philosophantes nihil esse tutum, ubi non adest Iesus. Suspecta illis redduntur omnia absente magistro. Cæterum obedientia compellente etiam a consortio sermonis dei oportet separari. Diuinus namque magister docet nos propriam nõ querere consolationem, quinimmo intercedente obedientia Isaac cum fidei Abrahæ sacrificare. Cum autem ille propinquior efficitur Christo, qui plus eum diligit: & charitas secundum apostolum est uinculum perfectionis, ad Coll. 3. quanto quis arctioribus dilectionis uinculis Christo deuincitur, eo perfectius uoluntati adhæret. Quapropter uerissime subinfertur, quanto quis deum plus diligit, eo magis esse obedientem, & maiori conatu eius mandata obire. Vnde & beatus apost. Paulus tantopere Christi domini obedientiam superexaltat, dicens: Factus obediens usque ad mortem, ad Phil. 3. Et dimissa turba, ascendit in montem, solus orare. Turbam iam satiatam dominus abire iubet, eo docens nos, ne popularem captemus gloriam, & ne multitudinẽ eo nomine attrahamus, sed potius omni spreata mundana gloria soli placere deo conemur. Vel turba dimittitur, quia iam propter cibum Christum uolebat sequi, prout habetur Ioa. 6. Queritis, inquit, me non quia uidistis signa: sed quia manducaistis ex panibus, & saturati estis. Hi enim ac multi hodie eorum similes, Christum querentes, non Christum quarunt, sed sua ipsorum commoda: nec Christo, sed sibi adherent, toti ad priuatas suas utilitates propensi. Qui sic principes querit, se potius quam illos querit, vnde fit ut per quam paucissimos fidos habeant famulos. Solus autem

orat:

orat: denotans locum, qui esset orationi querendus: ne pluribus disturbatus animus, ab eo quod orat, auerteretur. *Vespere autem facta, solus erat ibi, nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim cyrenarius uentus.* Ecce hic laboris fluctuantis ecclesiæ, utpote tot tyrannorum fluctibus hinc inde iactata, sed nõ submersa: tot hæreticorum uentorum fluctibus concussa, sed non subuersa. Quati enim potest, sed pessum abire nequit: oppugnari potest, at non expugnari: concuti, at non auelli: agitari denique potest, nequitiam uero deici. Nam firmata est super firmam petram Christum dominum nostrum, unicum filium Dei. Dicant & Christiani super solidum fundamentum se radices iactas habere. Nec cum mundi turbine quatiuntur, pusillo animo ferant: quinimmo confidentes semper in Christo, patienter aduersa ferant, per illum citius liberandi qui fidelis est: Et non patietur, inquit beatus apo. Pau. uos tenrari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere, pri. Corin. 10. Si autem qui obedientia, a corporali domini præsentia separantur, cum illo amore coniuncti, procellosam patiuntur tempestatem: ne mireris cum videas repentinis turbationibus concuti peccatores, qui sponte a Christo recedentes dæmoni obsequio adherent: & deo permittente vt respiscant, torquentur. Nouerant optimi discipuli nihil esse tutum absque dei præsentia: inuitique recedunt, & tempestatem non minimam patiuntur. *Quarta autem uigilia nobis uenit ad eos, ambulans super mare. Et uidentes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt. Deambulatio domini super mare, tam ex maris soliditate, quantum ex agilitate sui sacratissimi corporis fieri existimatur. Cum enim anima Christi semper ob diuinam fruitionem beata sit, agilitatis dotem tunc corpori communicauit, secundum Hugonem de sancto victore. Beatus uerò Thomas cum uelit de ratione dotis esse permanentiam, & Christus dominus in modico temporis spatio maris fluctus calcauit, hanc deambulationem miraculo adscribit. Quomodocumque id fiat, siue vno siue altero modo, satis nobis est euangelium, quò credimus dominum super mare perinde ambulauisse, ac si super aridam graderetur. Quod autem ad tempestatis timorem, addat etiam dominus discipulis timorem sui, ostendit: cum eius ecclesiæ tribulationum procellis grauius urgetur, tunc citius tranquillitatem donare. *Sextimque, cù præ timore clamassent, iam sibi supremum expectantes diem, Iesus locutus est eis dicens: Hæbete fiduciam, ego sum nolite timere.* Timeant pagani, idola uana colentes. Timeant Iudei, dominum abnegantes. Timeant hæretici nauiculam Petri falsæ doctrinæ fluctibus agitates. Vos autem nolite timere veri Christiani intra Petri nauiculam consistentes. Christus dominus est ambulans supra procellosum mare, supra disturbatum seculum, supra commotum orbem. Omnia subter pedes eius calcantur, tyranni, Iudei, pagani, hæretici Turcæ, Mahumetani. Habete o Christiani fiduciam, dominus nauiculam Petri auxilio suo nunquam destituet, semper illi aderit, atque eam dirigit tuebiturque. Vnde & factum est, ut tacentibus omnibus discipulis, ipse solus beatus Petrus, tanquam nauiculæ futurus summus præfectus, & Christi vicarius, dominus alloquatur, dicens: *Dominus si uis, iube me uenire ad te super aquas. At ipse ait, ueni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquas, ut ueniret ad Iesum.* Fiduciam sumpsit beatus Petrus, a uerbo domini dicentis: Veni. Ait quidam doctor, eo quòd intus uerbo domini nouit fiducialiter se posse aquis comittere. Possumus etiam dicere, Petrum optime agnouisse Iesum in nocte: certissime sciens neminem uocem eius effingere posse, neque angelum absque domini speciali mandato. Ita igitur certior factus dominum esse, cuius uocem optime nouerat, sciebat se tuto posse super aquas ambulare,*

ambulare, si dominus dixisset, veni. Quod & factum est: vel domino suspen-
dente beati Petri corporis gravitatem, vel aquis prestando soliditatem. Om-
nipotenti omnia sunt possibilis. Videns vero ventum validum timuit. O fragilitas
humanæ conditionis. Non timuit se mari committere, eo quod dominus di-
xit, ueni, cumque super mare iam se videat ambulans, tunc ventum irruentem
timet: Similes & nos sumus, qui deum omnipotentem scimus propter nos
hominem factum, & de minimis nobis necessariis tribuendis dubitamus. Vo-
lens autem dominus ostendere de se confidentibus, quid ipsi valeant: & diffi-
dentibus, quomodo relinquuntur nature cursui: Dum confidit Petrus, ambulat
super mare: dum timet, videns ventum validum, incipit mergi. Qui bono utriusque
consilio usus, Cum cepisset mergi, clamavit dicens: Domine saluum me fac. Et continuo
Iesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi. Modice fidei, quare dubitasti? Es
cum ascendisset in nauiculam, cessauit ventus. Qui autem in nauicula erant, uenerunt,

Petri pri-
matus.


& adtrahe. ut cum, dicentes: Vere filius Dei es. Satis superque ostenditur Petri
primatus, in his omnibus retro sententiis. Quum ipse solus supra marinos ver-
tices cum domino perambulauit: quum dominus illum, ne mergeretur, manu
sua tenuit: quum denique simul ascendunt nauiculam. In quam cum dominus
ingressus esset, cessauit ventus, & mare sedatum est. Igitur eorum moribus, qui
sunt intra nauiculam Petri, optime compositis, dignabitur dominus in illam
ascendere, ad cuius ingressum omnium hæreticorum, & quorumcumque bello-
rum cessabit tempestas, omnesque uno spiritu & ore adorantes dominum, ac-
clamabimus: Vere Dei filius es. Et cum transisset, uenerunt in terram Genesari.

Et cum cognouissent eum uiri loci illius miserunt in uniuersam regionem illam & obta-
berunt ei omnes male habentes & rogabant eum ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent.
Et quicumque tetigerunt salui facti sunt. O bone Iesu dignare in fines nostros de-
scendere. Dignare nos te fide una cum charitate & bonis operibus tan-
gere. Quicumque enim te sic tetigerit, haud dubium, quin erua-
tur ab omni, si qua fuerit, & animæ & corporis ægritudi-
ne. Tu enim uirtus es uera, tu salus ipsa & totius be-
nitatis origo. Tu uerus Dei & uirginis filius,
Deus & homo Iesus Christus: cui cum pa-
tre & spiritu sancto est honor, glo-
ria, & imperium in æter-
num. Amen.

TR A-

TRACTATUS PRIMVS,
IN CAPITVLVM XV.

BEATI MATTHÆI.



INC accesserunt ad eum ab Hierosolymis scribae & pharisæi, di-
centes. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum?
non enim lauant manus suas, cum panem manducant. Ipse autem
respondens, ait illis: Quare & uos transgredimini mandatum
Dei, propter traditionem uestram? Nam Deus dixit: Honora pa-
trem & matrem: & Qui maledixerit patri uel matri, morte mo-
riatur: Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri uel matri:
Minus quodcumque est ex me, tibi proderit. Hoc est, si offerat

tempore munus, quodcumque offerre uelim, etiam tibi pater, quamuis egeas;
proderit sic oblatum. Patienter ergo sustine famem, quia & si moriaris nithi-
lominus tibi proderit. Hoc auaritia & cupiditate aduersus præceptum Dei de
honorandis parentibus, influerant prauis senioribus ad omnem hominum expi-
landam substantiam. Et non honorificabit patrem suum aut matrem suam. Sic fa-
ciendo scilicet, non adimplebitur præceptum de honore parentum: quod non
tantum in uerbis & humiliatione capitis, uerum etiam in alendis pauperibus
parentibus præcipue consistat. Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem
uestram. Hypocritæ bene propheta ait de uobis Esai. 29. dicens: Populus hic labiis me ho-
norat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas
& mandata hominum. Intellige neglectis præceptis Dei. Nam quicumque Dei
præcepta fideliter seruat, hominum quoque præcepta si ad uirtutem conducunt,
seu ad communem usum reipublicæ condita sunt, homines obseruare tenentur.
Sic dominus ne scandalizaret, didrachmam soluit, infra cap. 17. Et 23: Super
cathedram Moysi, inquit, sederunt scribae & pharisæi: omnia itaque quæcumque
dixerint uobis seruate & facite. Quod autem dominus hic dicit: Sine causa co-
lunt me; docentes doctrinas & mandata hominum; intelligendum est de transgre-
dientibus mandatum Dei propter hominum traditiones. Nam & beatus apo-
stolus Paulus ad Rom. 13. cap. præcipit obedientiam impendi mandatis prin-
cipum: & soluere cui tributum, tributum: cui uero cætigal, uel cætigal: non solum
propter timorem, sed etiam propter conscientiam. Cæterum pecuniarum penam,
quæ transgredientibus humanam legem imponitur: non tenetur soluere trans-
gressor, nisi cum apud iudicem exquiratur. De statutis autem festorum ecclesiæ
& ieiuniorum, & de excommunicationibus, aliter est consideratio: quando hec
pendent a lege sacræ scripturæ, in qua ieiunantes reperimus Christum domi-
num, & post eius admirabilem ascensionem beatos apostolos & discipulos eius,
prout laus supra cap. 4. & 6. discernimus. Et in ueteri lege plura sunt statuta
ieiunia, solemnitates. Et separationes non paucas legimus, quas excommu-
nicationes dicimus; in euangelio & apostolorum epistolis, prout suis locis,
Deo fauente, in sequentibus annotabimus. Itaque ille sine causa, inaniter,
& inutiliter hominum præcepta seruat: qui ob eorum custodiam, negligit
præcepta Dei: præcipue uero cum lex humana legi diuinæ opponitur,
D D que

Delectus
ciborū cō-
tra Luth.

quæ tunc non est custodienda, immò custodiens peccat. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: *Audite, & intelligite. Non quod intrat in os, coquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coquinat hominem.* Non hoc dicit dominus, contra delectum ciborum (cum ipse sane omnium fuerit abstinentissimus, vt supra præcedenti capit. annotauimus) sicut nobis iniquè obijciunt Lutherani, nolentes ieiunare, nec aliquando abstinere ab esu carniū: nam ipse dominus ieiunauit. Beati Ioannis baptiste laudatur asperissima abstinentia: & apostolus ait: Bonum est carnem non manducare, & vinum non bibere, ad Rom. 14. Et archangelus Gabriel de Baptista ait, cum eius natiuitatem patri Zachariae annuntiaret: Vinum & siceram non bibet. Et dominus de Ioanne: Venit Ioannes non manducans nec bibens. Quid plura? In lege præcipiebatur sacerdotibus, Leuit. 10. ne vinum biberent, cum intrarent in tabernaculum domini. Dixitque dominus ad Aaron: Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini & cæt. Si quidem & in lege plurimi sunt eibi prohibiti: Deut. 14. qui dicebantur immundi, & edentes coquinabant: non quia mali, sed quia erant prohibiti. Manifestissimè ergo comprobatur quod intrat per os, non coquinare hominem, eo quod manducatur: nisi alia ratione a Deo vel ecclesia sit aliquo tempore prohibitum. Ipsi namque apostoli qui hoc a domino audierunt in primo concilio, Actuum 15. qd̄ in Hierosolē celebrantur ceperunt & ceteris cōuersis abstinere a sanguine, quem Deus prohibuerat in lege naturæ Noe, Genes. 9. & a suffocato, quod Iudæi abominabantur: quod postea reuocatum est processu temporis. Ecclesia ergo cum aliquo tempore carnis cibos prohibet, non id Iudæorum more abominatur: sed vt carnis lasciuia ieiunantes reprimamus, & duriciam pro peccatis nostris penitentiam agamus hoc præcipit: nimirum sciens quia quod intrat per os non coquinat hominem, & quod omnis creatura, secundum beatum apostolum Paulum, bona est, si cum gratiarum actione sumatur, ad Timo. 4. nisi ob iustam causam id sit prohibitum. Nec me hoc loco continere possum, qui mirer Lutheranos vesaniam. Præcipit medicus non vesci carnis febricitanti, idque ab illo & a suis ad unguem seruatur: præcipit ecclesia sancta filiis suis certis temporibus a carnis abstinere, tum ob memoriam passionis Christi fecit sextis; tum an ieiuniorum obseruationibus ad vitia reprimenda: & hanc obseruantiam irrident Lutherani buccis vento & gula plenissimis, dicentes: Dominus dixit, Quod intrat per os non coquinat hominem: nec tempus discernentes, & causam, neque præcepta ecclesiæ obseruantes, nec sensum domini in his verbis percipientes. Itaque, si quisquam sumpto veneno se perimeret, dicerent Lutherani non peccasse sumendo venenum, quoniam per os intravit. Venenam animæ est, cum per ecclesiam cibum prohibitum sumis, quia contra obedientiam facis. Omnes enim Christiani ecclesiæ parere tenentur. Obedite præpositis vestris & subiacete eis, inquit beatus apostolus Paulus ad Hebræos 13. Et dominus vt supra diximus: Super cathedram Moysi, inquit, sederunt scribæ & pharisæi: Omnia ergo quecunque dixerint vobis, seruate & facite. Quanto igitur magis obseruandum est quod præcipitur a sedentibus super cathedras apostolorum, episcopis sancte matris ecclesiæ; & si indigne illorum loco suffecti. Qua propter attendamus. Primo, euangelij seriem, que domini verbis intelligentiam præbet. Secundo, ipsam verborum suorum explicationem. Tertio, sanctæ matris ecclesiæ per consuetudinem uniuersa-

lem.

lem veram interpretationem: Dominus enim hæc verba intulit in pharisæis & scribas, qui legem domini violabant, nimis seniorum statuta custodientes, quibus dicitur: Quod intrat per os manibus non lotis, non coquinat animam. De lotionem manuum quæstio cum pharisæis agitabatur. Etiam absolute intras: nisi sit nocium vt venenum, vel prohibitum ab ecclesia quod manducatur, non coquinat hominem. Ipse vero dominus in sequentibus, apostolis suis explanat quid sibi velit sub his verbis intelligi, dicens: *Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Hoc demum quod in os intrat in ventrem vadit, & per secessum emittitur. Cæterum si id sit venenum, eo quod occidit, coquinat hominem: si ramentum consulto sumitur, quia de corde exiit cogitatio illa mala se occidendi. Si etiam crapuletur & inebrietur, ibi dem peccat, quod & dominus Lu. 21. prohibet, dicens: Attendite autem vobis, ne forte grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Cibus & potus in eo quod per os sumitur in ventrem vadit, & in secessum exit: in eo autem quod vel est crapula vel ebrietas, peccatum est: quoniam de corde exiit praua, illa cogitatio volens edere vsq; ad vomitum, & volens bibere vsq; ad ebrietatem & sensus amissionem. Dominus autem de materiali cibo agebat, prout admoctur orationem autem de prohibito cibo vel venenato, vel crapulâ inducere & ebrietatem. Peccat namque qui sic manducat, quoniam sic edendi vel bibendi motus de corde exiit volens, vel se occidere, vel brutescere, vel contra maiorum præcepta aliquid edere. Quod sic semper tenuit ecclesia sancta catholica, & sic semper hæc verba domini spiritu sancto assista intellexit, & interpretata est summa cum veritate. Sed quod procedit ex ore, hoc coquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei: Scis quia pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt. At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus celestis, eradicabitur. Sinite illos, caeci sunt, & ducet eos in cacinam. Pater celestis non plantauerat has doctrinas hominum, de non subuicendo parentibus, propter oblationem in templo faciendam: nec præceperat lotis semper manibus edere. Porro ex his domini verbis ortum habuit illa sententia theologorum dicentium, non esse curandum de scandalo pharisæorum: hoc est, de illis, qui ex malitia scandalizantur, in his quæ recte ab aliquo fiunt, sed de scandalo pusillorum, de quo in 18. cap. Qui scandalizauerit vñ, inq; ex his pusillis, qui in me credunt, expedit ei vt suppedaturo la asinam in collo eius, & demergatur in profundum maris. Vnde mudo a scâdalis. Pusillus aut scâdalizatur, vel cū a malis psequitur, vt ruat in malū, & a fide vel bono decidat: vel cū inducitur exemplo maiorū aliqua peccata committere. Est etiam alia scandali subdistinctio. Nempe scâdalu datum, cum quis agit perperam & acceptum, cum quis bene agit, & alter in facto eius male interpretato ruat. Est & actiuum & passiuum scâdalu, quod in idem redit. Passiuum est acceptum, & non datum: quanquam & passiuum & acceptum prouenit aliquando ab actiuo, si loquimur de accepto & passiuo, prout prouenit a malitia scâdalizati sine culpa eius, de quo se dicit scandalizari. Actiuum est præstritum: cum quis occasione scandali alteri præbet. De passiuo igitur & accepto & pharisæorum, quod de scandalizati malitia & culpa propria oritur, quia scandalizatur de proximo nullo ab ipso affectis scandalo, non est curandum. Propterea dominus dicit, *Sinite eos, caeci sunt, & ducet eos in cacinam.* Scandalizantur namque ex malitia sua: & sic ipsi & illi, qui eorum obtemperant dictis, in foueam cadunt. De scandalo autem pusillorum, dato & actiuo cauendum est: ne alicui scilicet vel persecutione, vel dicto, vel facto, præbeamus ming causam. Quem admodum hæretici, qui & verbis & factis plurimos populos euerterunt, faciētes eos

Scandalorum
nomina & accipiones.

deficere a castitate, a ieiunio, ab obedientia summi pontificis, ac tandem a catholica fide, quam tenet sacrosancta mater ecclesia. Respondens autem Petrus dixit ei: Ediffere nobis parabolam istā. At ille dixit: adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis qui a omne quod in os intrat in uentrem uadit, & in secessum emittitur? Quantum ergo est ex natura cibi, si non adsit mors, inebriatio, uel prohibitio, edere non est deforme. Quae autem procedunt de ore, de corde exeunt & ea conquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes male. Nota prauam cogitationem peccatum esse, prout supra cap. 5. latius differuimus. Homicidia, adulteria, fornicationes. Hic nota fornicationem distingui ab adulterio, propter haereticos ne gantes simplicem fornicationem soluti cum soluta esse mortale peccati, prout dominus exprimit supra 7. capit. dicens. Quicunque uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est in corde suo. Mulierem dixit, non alienam uxorem: sed absolute omnem mulierem his uerbis comprehendit, atque in presenti: De corde exeunt adulteria. Ecce alienae uxoris uel etiam alieni uiri abusus, & fornicationes. En simplicem fornicationem distinctam ab adulterio non prohiberi: sicut falsa testimonia, blasphemiae, haec sunt, quae conquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare non conquinat hominem. Ecce quemadmodum dominus non tantum de cibo agit, sed de cibo illotis manibus sumpto. Non conquinat hominem, inquit, non lotis manibus manducare. Haec autem omnis controuersia habuit ortum a traditionibus seniorum. Praecepit enim dominus Moysi, Num. 11. cap. eligere sibi septuaginta uiros senes, dicens. Congrega mihi septuaginta uiros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sunt, ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. In consuetudinem haec seniorum electio uenit apud Iudeos. Qui cum iam in illis deficeret spiritus Dei, hominum consilio ducti, ne eorum munus inutile reputaretur a populo, plurima omni hora itauebant: praesertim ea, quae ad eorum & sacerdotum utilitatem uergebant. Est enim hominum genus, & nouitatibus & inuentionibus deditum, eaque libenter statuunt, quae sibi ipsis statuentibus commodum adferant. Hinc iam est uidere, innumera apud principes immutari, aliaque de nouo condere: & stabilita, iterum reuocare. Protulerant seniores illam damnatam legem de non subueniendo parentibus, uel in qualicumque constitutus necessitate: dummodo templo offerretur substantia, qua paupericuli illi erant subleuandi. Idem legem condiderant ne quis illotis manibus manducaret: id quod nunc obiciunt & improperant discipulis domini pharisei et scribae animo uenato. Enim uero homo, qui cor in aliquo gerit odio affectum, quodammodo uel ipse diabolo peior est. Nam si te munieris signo crucis, & aqua sanctificata si te asperseris, fugit daemon: ac contrario iniquus homo, quanto quis est sanctior, & quanto plus signatus cruce & benedicta aqua inperis, quem proficitur odio, acrius inuadit. Adeoque id uerum est, ut sanctus propheta non dicat: Eripe me domine a malo diaboli: sed, eripe me domine ab homine malo, a viro iniquo eripe me, Psal. 139. Beatus Hieronymus, auaritia tribuit, hanc seniorum sanctionem: ut scilicet redderentur templo quae quis uouerat, & si eius pater inde periculum uitae subiret. Auaritia namque idolorum seruitus a beato apostolo Paulo nuncupatur, ad Ephe. 5. & Col. 3. Omnia enim corrumpit, omnia rapit, omnes spoliat: omnia sibi retinet nemini prodest, nec sibi, nec suis, nec alienis: nemini parcat, nemini restituit. Labiis Deum laudat, (labiis namque solutus est, manibus uero contractus) cor uero eius longe est a Deo. Atque utinam nostris id non possit unquam uere obici.

Sacerdotum
uita.

obici sacerdotibus. Vellentque ipsi ita pie uiuere, ut nullus laicis quibus moris est sacerdotum uel minutissima infectari uicia, detur obtrectandi locus. Caueant igitur sacerdotes ne cor eorum longe sit a Deo, peccatorum sorde contaminati, quos praeter cordis mundities decet. Dei enim ministri sunt & mysteriorum eius dispensatores. Caueant ne auaritia dediti, & in colligendis redditibus plus aequo intenti, labiis tantum Deum honorent. ne scilicet inanes preces exorant, quorum est munus ab ecclesia ipsis iniunctum, illas omni die pro populo Deo offerre. Expedit uero illis pariter & praelatis manus habere solutas in elemosynis elargiendis. Expedit auaritiam longe abesse: proxime uero scientiam, elemosynam, pietatem, & charitatem adesse: & Dei laudibus, non uenationibus capi, non ludis, nec alterius generis peccatis. Reminiscantur quod dominus dicit per Malach. 2. ca. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & lege requirent ex ore eius: quia angelus domini exercituum est. Angelus officio, necesse habet angelorum puritatis & charitatis sectator esse. Idem beatus apostolus Paulus 1. Cor. 11. praecipiens mulieribus uelato capite orare, inquit: Ideo debet mulier habere uelamen super caput suum: & propter angelos, hoc est propter sacerdotes: in cuius conspectu adsit in ecclesia. Notanter dixit. Cor autem eorum longe est a me, & non ait: ego longe sum a corde eorum. Non. a nobis se Deus subtrahit, qui semper & ubique adest: sed qui peccat, ipse recedit, & longe a Deo stitit: haud aliter quam qui nauigio fertur, terram sibi fugere suspicatur, cum eam ipse relinquit, ab eaque discedat. Caeterum aduertendum est, quod dominus ait: eradicanda esse omnem plantationem, omnem consuetudinem, quam non plantauit pater caelestis: hinc erudiens nos, & cautos reddens, ut si quis tale aliquid in se agnouerit, antequam auellatur per Dei uindictam, ipse conetur auellere. Mitius liquidem agit dominus cum peccatoribus, qui adiuui ipsius gratia peccata a se expellunt: quam cum illis, qui non curantes expellere, Deus illos etiam diuinitus inuitos a peccatis subtrahit. Atque utinam hic subtrahat, ut in aeternum parcat. Studeat igitur unusquisque, audiens haec, peccatorum occasiones & impedimenta quibus tenetur obstrictus, uerbi Dei gladio refecere, ut solutus per gratiam domini securus dicat moriens domino nostro Iesu Christo: Dirupisti domine uincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium, in aeternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In XV. cap. beati Matthaei.

Tota hucusque; retroacta sacri euangelii litera, defectu uirtutis discretionis phariseis & scribis improperat: qui diuinae legis obliti seniorum sanctiones serupulose nimis seruabant. Taxat ergo illos ut indiscretos & prauos. Quippe quae Dei praepcepta ob alterius mandatum uiolabant. In hac quoque indiscretionis et imprudenter notam oes ferme impingunt hoies, qui ratione uincedi rectam non discernunt a praua: idque neglectis diuinis praepceptis, nescio quas leges a mundo traditas atque, ob flagitio plenas apertas, quod autem uicinis suscipiunt, sibique; retinent: tamen uindictam iniuriis & danis resarciendis, tum in uestitu ac ciborum luxu, tum in ludis & conuulationibus. Quos Dominus per Hierem. ca. 6. monet, ac postremo minatur, dicens: Stare super uias, & uidete & interrogate de semitis antiquis, quae sit uia bona: & ambulare in ea, & inuenietis refrigerium aribus uestris. Et dixerunt, non ambulabimus. Et constitui super uos speculatores. Audite uocem tubae. Et dixerunt, non audiemus. Cui autem nollent hoies uirtute discretionis per gratiam Dei a uia iniqua discedere, & uiam bonam iuxta antiquam sanctorum patrum traditionem ambulare, nec speculatores audire, nec uocem tubae clamantis: Dominus ipse locutus est, dicens: Ideo,

Idco, quoniam nec prelatos speculatores, nec tuba vocem predicatis auditis: Audite gentes, & audi terra. Ecce ego inducam mala super populum istum fructum cogitationum eius: quia uerba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. Vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suauem oleum de terra longinqua? Holocaustumata uestra non sunt accepta, & uictima uestrae non placuerunt mihi. Propter hoc dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis patres, & filii simul, uicinus & proximus, & peribunt. Aduertendum denique est, quanto tibi studio sit discernendum, o Christiane uiator, bonum a malo, iniquum a bono: & quanta oportet sollicitudine uiam sanctorum patrum secundum tuae conditionis sortem peruestigare. Hanc ubi compereris, in ea ambula, nec unquam desectas; cum ex superioribus a me adductis, ex Hieremia satis colligas ipsa sacrificia, quibus Deo litatur, Deum ab iniquis accipere nolle. Et quoniam sanctissimi corporis & sanguinis domini sacrificium semper sit acceptum, tum propter excellentiam eius, tum propter sanctam ecclesiam, cuius offertur nomine; tamen offerenti sacerdoti, si in peccato mortali celebret, mortiferum redditur: & quo in plures dies offert, eo totiens sibi mortem & perpetuam damnationem acquirit. Qua propter dominus in ecclesia sua, ne quis possit bonam ignorare uiam, & discretionis uirtutem gratia adiutus eligere, & praua similiter deuitare, dupliciter illam depingi uoluit, doctis pariter & indoctis. Doctis sacra scriptura, picta est indelebilis, exarata digito Dei, & eius ore propalata; ne quisquam possit uiam rectam, & semitam non agnoscere. Id testatur beatus apostolus Paulus ad Rom. 1. dicens: Quaeunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem scripturarum, spem habeamus. Indoctis autem depingit uitas sanctorum: quos imitantes, unusquisque suae conditionis & sortis sanctos, per uiam bonam & securam incedat. Habent summi pontifices plurimos in eisdem primatus papas sanctissimos; habent & episcopi copiosam sanctorum praesulum multitudinem. Reges, principes, & omnis conditionis homo eiusdem sortis habent sanctos: quorum uestigijs inherentes, & ab scribarum & pharisaeorum stultitia recedentes, & praecipua domini inimitabili obseruantia custodientes, tandem in optatam felicitatem peruenire possunt. Collige ex praedictis, quanto diuini splendoris lumine suffusa sacrosancta mater ecclesia, similitudines sanctorum in templis praecipit obseruari, & uenerari. Cum enim in doctis sanctorum uita scripturae locum obtineat: ibi cernunt uirgines, quemadmodum castitatis amore ingentia subiere tormenta sanctissimae iuenculae, Catharinae, Agnes, Lucia, Agatha, & id genus plurimae. Perspicit agricola, quam luculenta facie fidei redditur sanctorum martyrio: testificatio. Denique legunt famem & omnis populus, quae agere, quae pati propter Christum Christianum decet, & a quibus sit abstinendum, quam uic penitentiam pro peccatis agere, nec cessarium sit. Deus qui praecipit non fieri sculptile, Exodi. 25. praecipit fieri arcam, duosque Cherubin propiciatorium obumbrantes. Et Salomon. 3. Regu. 6. per totum templum fecit Cherubin depingi, & in templi portis fieri mensam, ponere propositionis in illa panes. Idem praecipit Moysi, serpentem aeneum facere, in quem aspiciens populus a morsu ignitorum serpentium sanaretur. Nu. 12. Quem & si postea confregit Ezechias, quoniam populus idolatrabat, 4. Regu. 18. iure fecit: nam solus adorandus Deus Imagines uero sanctorum ueneramus: & obsequia quae coram illis impendimus, Deo primum, deinde seruis suis offerimus: ut per intercessionem eorum & merita, quorum sunt imagines memoriales sit multitudines, a peccatis liberari, & uitam consequi mereamur aeternam. Non idola colit Christianus populus, cum indocti uenerandas colunt imagines, sicut

quod

quod est a sancta ecclesia constitutum. Quin plura experimur omni die a Deo mira cula fieri, per intercessionem sanctorum, quorum sunt imagines: in quarum conspectum huiusmodi recipiunt beneficia deuoti Christiani. Quod est irrefragabile huius laudabilis consuetudinis testimonium. Sculptilia uero eo prohibita sunt, quoniam in inferno ardentium sunt effigies, vel creaturarum irrationabilium, uel insensibilium simulacra, quae suis cultoribus nihil prestare possunt, praeter quam quod infideles sint, & perpetuam damnationem sibi conciscant. Sanctas igitur similitudines, crucifixi, crucis, Deiparae, & caeterorum sanctorum, sancta retinet & ueneratur ecclesia, tanquam si libros apertos ostenderet indoctis passionis domini, & sanctitatis Deiparae, caeterorumque sanctorum: ut adorantes & uenerantes, sicut consuetudinem sanctae matris ecclesiae, & eius inuentionem, & sanctorum doctorum explicationem; auxilium consequantur a sanctis, quorum sunt similitudines: quod omni die experientur deuoti imaginum ueneratores. Qui autem non habet uel sacrae scripturae notitiam, uel sanctarum similitudinum libros in ecclesia constitutos, discretionem uirtute carens & obsecratus, in pharisaeorum & scribarum mandata praec oculis stantebant, & illa potius obseruabant. Ex nimia nauis, in peccatis perseuerantia, haec obstinata obsecratio prouenit, & indurata malitia. Sic. n. beatus Athanasius in cap. 5. epistole beati Pauli apostoli ad Ephes. ait: Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hereditatem in regno Christi, & Dei. Nemo uos seducat in inanibus uerbis. Propter haec. n. uenit ira Dei in filios dissidentiae. Propter nefariam fornicationem igne deuorate sunt Sodoma & Gomorra, Genes. 19. Propter idolatriam, uiginti tria millia occisi, Exo. 32. Haec dissidentia est, dissidere de iustitia, & punitione, cum bene uidetur homini iudicium, quod prae consueuit facere, & paruum reputat, quod sepe committit impudens: & uidetur sibi nunquam a Deo puniri: reputans paruum esse quod facit, quoniam in puncto se flagellari posse non sentit. Ita scribae & pharisaei perpetuo cum caeteris infidelibus puniri sunt. Et tandem post Christi necem uenit super illud simul punitio, quae fuit per aliquot annorum spatia dilatata. Sic qui consuetudinem armorum habent, arma illis leuia sunt. Dauid autem cum armis Saul munitur contra Goliath, quia non erat armis affuefactus, illa a se proiecit: fanda uero & lapide tantum munitus; in nomine domini uictor euasit. Remedium utique singulare est, si conuersi ad dominum iisdem maceremur, quibus peccauimus. Quemadmodum & Sampson; qui cum mandibula asini, mille Philistaeos occidit, Iud. 15. Corpore peccasti, cum mandibula asini, corpore. Sicut iuniis uaca, teque uerberibus afflige, ut peccata per Philistaeos signata deuincas. Ore loquedo peccasti, nunc tace, & ora. Aliena surripuisti, dic cum Zachaeo: Dimidium bonorum meorum, domine, do pauperibus: & si que fraudauit, reddo quadruplum, Lu. 19. Hoc fac, ne crimina atque grauissima, ex consuetudine leuia reputas, & deo dissidens ob dilationem punitionis incidas in iram Dei. Ex dente autem molari cadaueris asini fluxere aquae largissime, quibus refocillatus est Sampson: ad praenotandum quicumque ueram poenitentiam egerint, nimiam consolationem in operibus ipsis poenalibus suscepturos esse, & indes refocillari gratia domini nostri Iesu Christi: cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in aeternum. Amen.

TRACTATUS QUINTVS,
In XV. cap. Beati Marthae.

SACRA huius quinti decimi capituli lectio, palam offendit, quid odium,
&

& inuidia operentur in homine. Cum enim nihil magnum haberent scribæ & pharisei, quod obicerent Christi discipulis, de minimis eos accusant, dicentes: *Quare discipuli tui transgreduntur mandata seniorum? Non enim lauant manus cum panem manducant.* Hinc inde subinquirit inuidus, quod opponat illi quæ odit, & cui inuidet. Christi discipuli pii, mansuetissimi, & benigni. Ecce quid carpit in sanctis cæca malitia: Non enim lauant manus suas cum panem manducant. Et hanc non in discipulos, sed in ipsum dominum reflectunt distortam inuidiã: Quare, inquiunt, discipuli tui, quorum interest disciplinam tuam sequi, illotis manibus panem manducant? Non enim dubium, quin hoc a te didicerint. Tibi igitur imputatur seniorum violata traditio, ut qui assentias, traditiones seniorum illos uiolare. Hinc oportet non parum uigilare principes, ne ab inuidis & maleuolis decipiantur: cum enim illis de aliquo praua deferuntur, ne prius dictis seu calumniæ potius assentiantur, quam bis libram & ter limam rei delata adhibeant. Mos. n. corruptorum hominum est, cum magna non habent, quæ opponant iis quibus inuidet, minima consecrari, prout manifestum datur exemplum in iis inuidis phariseis & scribis. Sollicita mundi cura hanc calumniandi artē inuenit, ut quos non possunt coram regibus & principibus aperte & in magnis lædere: oculis aliquando, nonnunquam uero taciturnitate, seu depressio uultu, uel ore in aliquam partē distorto detrahant quibus inuidet, uel quos oderint, cui, sibi uel et suis uolunt donari, quod alteri iuste donandum est, procraftinationes, & friuolas causas subinde querunt, quod obiciunt principibus, quibus ille comotus in distributiua peccet iustitiã, & proximum debito priuet munere: & ipsi nequissimi calumniatores iniuste rapiant alterius præmium. Punienti utique tales sunt, & legitimis poenis coercendi. Sunt enim magna reprehensione digni, prout in sequentibus indicat. Retundens namque in dolosof scribæ, & phariseos falsam obiectam in discipulos innocentes calumniã, inquit: Quare & uos transgredimini mandata Dei propter traditionē uestrā? Præceperat namque Deus, Deut. 4. & 12. ca. Quod præcipio tibi, hoc tamen facito domino: nec addas quicquam, nec minuas. Ipsi uero seniores traditionē pessimã in populum induxerunt, contra præceptum de ueneratione parentum, in suã & sacerdotum utilitatem conuersam: qua cauebatur, qui unum solum panem haberet, patri teneretur alimenta præstare, si uero illi uouisset, in templo offerret: & quaquam patri seni ex defectu illius panis crudelem mortem inferret, uel illi in extremo uitæ articulo constitueret, nullum esse crimen. Cæci & cæcorum duces merito a domino pronunciantur, qui a iusto & uero ad eum aberrabant. Vnusquisque igitur ex hac dñi sententiã sibi caueat, seduloque prospiciat, quæ sibi eligit in confessorē, cui animæ suæ arcana committit, ne de illo dicatur: Si cæcus cæco ducatus præstet, ambo in foueam cadunt. Prospiciant et principes summa cura, quos sibi in consiliarios seligunt: quibus uel iudicandi rempublicam habenas tradunt: ne si cæcus cæco ducatus præstet, in foueam uterque decidat. Quatuor in consiliario requirenda sunt, doctrina sufficiens, uitæ integritas, experientia, ne sit uouellus, & ingenij perspicuitas, ne sit rudis, & poenitenti mollestinus, & nesciat quæ se offerunt expedire negotia. In consiliariis uero principum, quatuor et præcipue requiruntur. Primum, ne sint nimium suis comodis dediti. Nam tales oia ad se conuertunt: nihilque illis est curæ publicum bonum, dummodo oia coram cedant utilitati. Quæ sancti hominum genitricis splendoris regii & municipalitatis nequissimi sunt corruptores, & reipublice sequissimi peditores. Secundo, ne mutuas inimicitias & factiones gerant, ut sepe fit in regni aulis. Vbi cuiusdam factionis nobilis, alterius factionis nobilitas ex composito aduersant: adeoque inter eos odium uiget, ut nihil prius rectum nihil oino sanum, si qua res agatur aduersariorum, regi suo consulat. Tertio, ne sint in-

Confessoris & consiliariorum partes.

tura inuidiosus detrahunt, ueriores consilia uitiant, friuolis ratiocinibus auertentes a uero principibus, de quo fonte non minimas sæpe regna experiuntur calamitates. Quarto, ne sint ambitiosi, nam qui sibi nimium querit honores, omnibusque præterri cupit, ne alter ascendat, mille calumnias parat. Magnis etiam rebus, & salutis nostræ utilibus dominus nos occupari docet: cum de minimis non curandum in phariseis mira ratione disponit, & quemadmodum recte seruandis diuinis præceptis, nobis sit incumbendum. Dicit autem Aristoteles, quod intellectus contingit plura scire, hoc est habitualiter: intelligere uero non, hoc est actualiter. Nam cum intellectus actualiter occupatur in uno, non potest simul eodemque momento in altero occupari. Quapropter fit, qui in minimis occupat intellectum, hunc talem non posse cogitare maiora. Cæterum cum occupemur in tot minutissimis rebus, non ualeamus præcipuis vacare & maioribus. Fit inde salutis animæ perligatio & omnimoda uitæ spiritalis obliuio: perinde ac si huius seculi perpetui ciues futuri essemus, & ad futuram uitam nunquam hinc migraturi. Cumque quasi per somnium, animam rem agamus, immo huius breuissimæ uitæ negotio pro uiribus incumbamus, similes efficiamur istis miseris phariseis: qui de traditione seniorum ualde solliciti, diuinis præceptis nihil attendunt. Quinimmo Dei præceptum, de obseruatione parentum transgrediebantur, ne seniorum traditio negligenter. Itaque repellunt præcepta Dei, & suorum senum mandatis, utilibus tamen sibi, omnimodam reddunt obseruantiam. Veruntamen satis obiurgati a Christo recedunt, neque quid dicant occurrit. Qui enim contra legem diuinam agit, nulla se potest ratione tueri. Cæterum quisquis desiderat præcepta Dei adimplere, habere præ oculis semper necessarium est primum Dei præceptum: omnia siquidem quasi ex filo ab illo pendent, & tanquam a fonte deriuantur. Unde dominus dicit: In his duobus mandatis, Dei scilicet dilectione & proximi, uincita lex pendet & propheta. Qui enim Deum super omnia diligit, super amorem uxoris, filiorum, cognatorum, diuitiarum, mundi, uitæ, salutis: & super se ipsum, & super omnia quecunque sub celo, & super cælum considerari possunt, omnia sibi facilia uidebuntur reliqua præcepta. Amor enim meus, inquit beatus Augustinus, pondus meum, illo feror quocunque feror: fit sic Dei amor, am me pondus, & illo ipsa fertur, quocunque fertur: Pondus enim amoris dulce est iugum, & onus leue: amor namque reddit amatem uelocem & expeditum. Sic dominus diligens nos, exultauit ut gigas ad currendam uiam. Et proximus passio dicit: Ut agnoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater sic facio. Surgite eamus hinc, in ortum scilicet, ubi fuerat passio inchoanda, Ioan. cap. 14. Si ergo dilexerimus Deum super omnia, etiam si oportuerit acerbissima nece uitam finire, non formidabimus, quemadmodum sancti apostoli, & martyres fecerunt, gratia Christi adiuti: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUARTUS,

In XV. cap. beati Matthæi.

Et regressus inde Iesus, scilicet a finibus Genesar, prout patet ad finem proximi precedentis capituli. *Secesit in partes Tyrus & Sidonis:* Haud longe a monte Libano secus mare, Tyrus & Sidon urbes sitæ sunt. Hinc Hiram mittebat ligna in ædificationem templi Salomoni, hæcque ciuitates a Chananeis habitabantur, quos cum aliis ex gentilibus constat habitasse

Et terram

terram promissionis, ne omnino extinguerentur. Lege 3. Regnorum lib. cap. 9. Pariter, vt dominus Iudæos duræ cetericis his flagellis caderet: quemadmodum pater, qui coram oculis proterui filij flagellum suspendit. Sic legimus lib. Iud. cap. 2. & 3. Dimisit ergo dominus omnes nationes has, & cito subuertere noluit, nec tradidit in manus Iosue. Hæ sunt gentes, quas dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem. Ecce mulier Chananæa a fratribus illis egressa; clamauit, dicens ei. Non enim cum esset ex gentibus, ausa est prope accedere deo semota vocem leuauit; ut posset exaudiri, dicens: Misere mei domine fili David; filia mea male a dæmomo vexatur. Dicens dominus, Deum fatetur, ait Beda. Dicens fili David, veram Messiam illum agnoscit. Qui non respondit ei uerbum. At uero illa perseuerabat uociferans, prout inferitur ex sequentibus: Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicens: Dimitte eam, quia clamat post nos. Refutatur a sanctis apostolis infantia Lutheranorum negantium, sanctos nostros esse intercessores: ideoque nullas ad illos preces esse fundendas; cum hic apostoli pro Chananæa intercedant. Idem contigit, ut beatus Ioannes refert ca. 12. quibusdam ex gentibus, qui ascenderant adorare in Hierusalem. Dixerunt namque Philippo: Domine volumus Iesum uidere. Venit Philippus & dicit Andree, Andreas rursus & Philippus dixerunt Iesu. Orandi igitur sunt sancti: tum, ut dominum Iesum uidere mereamur: tum etiam pro expellendis tribulationibus. Quod beati apostoli nos edocent, dum pro Chananæa dominum exorat. Quin etiam & pro nobis mutuas offerre preces beatus Iacobus admonet ca. 5. dicens: Infirmatur quis in uobis? inducat presbyteros ecclesie, & oræt super eum. Et paulo post: Et oratio fidei saluabit infirmum. Et, orate pro inuicem, ut saluemini. Si enim oratio presbyterij haberet ius imperandi apud Deum, quanto magis oratio sancti Deum semper intuentis. Similes fuerunt preces beati Apostoli pro socru Simonis fabricante, ut refert beatus Luc. cap. 4. & ad preces apostolorum sanata est. Surgens, inquit, Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis. (Et ne alium forte Simonem a Petro existimes, beatus Matth. supra cap. 8. dicit, in domum Petri.) Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam imperauit febrim, & dimisit illam. Et continuo surgens ministrabat illis. Quantum porro sanctorum præter oratio, dominus ipse indicat, dicens apostolis de illo puero dæmoniaco, quem pater attulit ei, a quo dæmonium discipuli non poterunt eicere: Hoc genus non eicitur, nisi per orationem & ieiunium Matth. 17. Et sanctorum preces, & ieiunium dominus breui sententia comprobat, vnaque retundit uoce Lutheranorum dementiam, quibus ieiunium & oratio minime placent. Beatissima semper uirgo Maria; tauquam omnium nostris aduocata, in initio prædicationis domini, ut refert beatus Ioannes 2. cap. in nuptiis deficiente uino, a domino postulatit remedium, dicens: Vinum nõ habent. Et ministris dixit (sciens inexhaustum misericordie fontem humanis necessitatibus nunquam deesse.) Quodcunque dixerit uobis facite. Ad preces Deiparæ sit aqua uinum ad nuptias, vt seculo innorescat pia eius interuentione, plurima spiritalia bona, & temporalia donari fidelibus. Nonne legimus supra cap. 5. dixisse dominum: Orate pro calumniantibus & persequentibus uos. Quod utique non dixisset, nisi oratio mutua profecisset. Si ergo unius oratio proficit alteri, quanto magis oratio illa proderit, quæ per sanctos offertur? Hos ergo adire precibus decet, ut domino dicant, quod illum uidere uolunt in eorum societatem adducti, prout retulerunt Iesu Andreas & Philippus: tunc ipsi nobis in tribulationibus, diuinam clementiam propitiam reddant. Quemadmodum, & pro Chananæa dominum sunt deprecati, dicens.

Dimitte.

Dimitte eam, quia clamat post nos. Beatus apostolus Paulus in omnibus ferme epistolis fidelium orationibus sese commendat. Et ipse pro eis preces effundere scribit, dicens ad Rom. 1. Testis enim mihi est Deus, cui seruius, in spiritu meo, in euangelio filij eius, quod sine intermissione memoriæ ueſtri facio semper in orationibus meis. Et 2. ad Tim. cap. 1. Gratias ago Deo meo, cui seruius a progenitoribus meis in cõscientia pura, quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis. Et ad Colof. cap. 4. Orationi instat; inquit, uigilantes in ea, in gratiarum actione: orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Et 1. Tim. 2. Obsecro primum omnium, fieri orationes pro omnibus hominibus, & pro regibus, & pro omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus. Si tantum beatus apostolus Paulus tribuit orationibus peregrinorum, quanto amplius tribuendum fuerit orationibus beatorum. Igitur interpellandi sunt sancti, ut ipsi impetrent nobis a Deo pacem, tranquillitatem, salutem, animæ & corpori necessaria. Cum etiam uideamus Dei genitricem Mariam pro defectu nini in nuptiis dominum deprecasse, & sua sacratissima interuentione obtinuisse. Legimus actorum cap. 12. cum beatus Petrus detineretur in carcere, ecclesiam preces pro illius liberatione egisse: Et Petrus quidem seruabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. Sine intermissione oratio funditur pro beati Petri liberatione, & per angelum Deo precibus ecclesie astante eripitur. Ecclesia militans orationibus impetrat, multo potius impetrabit triumphas. Qua propter nos omnes sacra scriptura docet, nimium professe fidelibus beatorum orationes. Atqui cum amici Iob suspicarentur aliquo peccato & eo grauissimo, tantam calamitatem ei contigisse: Eliphaz, cap. 5. illi consulebat aliquem sanctorum implorare, dicens: Vocæ ergo si est, qui respondeat tibi: & ad aliquem sanctorum conuertere. Non potest clarioribus exprimi uerbis, quantum proficiat sanctorum pro nobis profusa oratio. Et 2. Machabæorum ultimo legitur, quæ Iudas Machabæus ualde timeret Nicanorem, in somnio reuelationem uidisse, ob quam concepta fiducia, prostravit Nicanorem & occidit. Ibi enim traditur, uidisse Oniam, qui fuerat summus sacerdos: & post eum apparuisse alium uirum, ætate & gloria admirabilem. Oniam uero dixisse: Hic est frater amator & populi Iſrael: hic est qui multum orat pro populo, & uniuersa sancta ciuitate Hieremias propheta Dei. Orant igitur sancti pro nobis, adque illos nos preces fundimus: ut quem admodum interpellauerunt dominum pro Chananæa, dicens: Dimitte eam, quia clamat post nos: similiter & pro nobis intercessores existant: ut sanctis eorum precibus & meritis regna cœlestia consequamur, & ab omnibus aduersitatibus eruamur. Dixit namque archangelus beatus Raphael ad Tobiam, prout habetur Tobie cap. 12. Quando orabas est lachrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuâ domino. Vnicuique uerbo euerit angelus, prauam Lutheranorum opinionem, dicens: Ego obtuli orationem tuam domino. Igitur sanctos & angelos, haud dubio deprecari oportet, ut orationes nostras, & quascunque necessitates Deo referentes, eius nobis impetrent misericordiam. Quod beatus Ioannes in Apoc. sua; ca. 5. innuit, se uidisse, orationes offerri in conspectu Dei: Et cum, inquit, aperuisset librum, quatuor animalia, & uiginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Iam satis ostensum est, orationes sanctorum, ualde nobis proficere, pluraque bona adferre, & multa mala auertere. Constat & ipsos sanctos in cœlo orationes fundere, quibus ecclesia & fideles nimium iuuari sunt. Con-

Et stat

stat in terra etiam plura eorum intercessionibus, dum uiuerent, donata. Si igitur, cum peregrini essent, tot ex eorum postulationibus hominibus donabatur, cur non beati potius, qui iam Deo inseparabiliter coniuncti sunt, nobis uilia impetrabunt? Postulata namque amicitia impetrari, testis est dominus Deus, qui amicis Iob dixit, prout legitur Iob cap. ultimo: Iob autem seruus meus orabit pro uobis. Faciem eius suscipiam, ut non uobis imputetur stultitia. Nimia dementia hereticorum est, posse amicum ab absente amico aliquid literis impetrare, quod non possit in amicitia confirmatus, & presente amico obtinere. Sancti igitur, dum in uisus agerent, plurima nobis bona suis precibus obtinuerunt, prout attestatur omnis scriptura, & illis ipsa quam paulo ante retulimus sententia domini, de oratione Iob: multo igitur fortius impetrabunt, iam in Dei amicitia confirmati, & ipsius beatissima fruitione gaudentes: prout testis est scriptura, & omni tempore experiuntur Christiani, qui se adiuuatos eorum orationibus profitentur. Non enim serui iam sunt dicendi, sed amici: quibus seipsum Deus facie ad faciem dignatur ostendere, quique perpetua & beatifica fruitione & uisione, Deo associantur, gratia domini nostri Iesu Christi, & plurimis eorum operibus in gratia factis, cum in seculo uiueret: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in eternum. Amen.

TRACTATUS QUINTVS,

In XV. cap. beati Matthæi.

Quod apostoli pro Chananaea dominum interpellant, prelatorum & sacerdotum munus designant. Quorum interest pro populo domino, puras semper preces offerre: utpote de quibus dicitur Ose. cap. 4. Peccata populi mei comedent. Quorum etiam uita nimia puritate fulgere oportet, quum pro populo & eorum peccatis tenentur & sacrificium Deo semper offerre, & orationes precesque effundere. Sacrificium inquam, non uitulorum, & taurorum, quemadmodum olim in lege offerebatur: sed corpus & sanguinem uerum Iesu Christi filii Dei. Dominus autem respondens apostolis ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Ad horum uerborum intelligentiam, notandum est propter quatuor præcipue uenisse Christum, secundum quod sacra scriptura refert. Primum, ad redimendum a peccatis humanum genus, & ut a damnatione perpetua liberaretur. Hoc fecit pro omnibus se offerens Deo patri in ara crucis. Quod etiam dixit Ioan. 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo sumendi eam: hoc mandatum accepi a patre meo. Et ca. 14. Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Quod autem pro nobis mortuus sit, quodque pro redemptione nostra, pater illi hoc mandatum dederit, ipse manifestat Ioan. 10. ca. dicens: Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Et iterum: Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Quod & beatus apost. Paulus plurimum repetit ad Rom. 5. Christus, cum adhuc infirmi essemus, pro impiis mortuus est. Et paulo infra: cum adhuc, inquit, peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Et 1. Corin. 15. Christus mortuus est pro peccatis nostris. Et 1. Petri 3. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est. Nec in hoc immorandum. Omnis enim scriptura hoc attestatur. Secundò uenit ad ferendum legem: Ite, inquit, docete omnes gentes. Et Marci alti. Prædicate euangelium omni creature. lex igitur euangelica, & redemptio omnibus

omnibus per Christum fuit exhibitæ. Tertio uenit ad docendum: Ego in hoc, inquit, natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati. Quarto uenit ad miracula faciendum. Et hæc apud Iudæos operatus est, eorum prædicator effectus, & mirabilium operator. Vnde & apostolus Paulus ad Rom. cap. 15. inquit: Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis (hoc est, Iudæorum doctorem & prædicatorem, & miraculorum operatorem) propter ueritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Propterea dominus dicit, non esse missum ad miracula operandum, & docendum: nisi ouibus quæ perierunt domus Israel. At Chananaea cum se uideret ab ouibus separari, perseverantia & patientia se ipsam muniens, & confisa fide uenit coram domino & eum adorauit, dicens: Domine adiuua me. Non dicit nunc, fili Dauid: ne audiret iterum: Non sum missus, nisi ad oues domus Israel. Sed ait: Domine adiuua me. Poteris utique, dummodo uelis, quia dominus uniuersorum tu es. Et quamuis secundum hominem ouibus Israel missus, Deus tamen re uera es, & omnia tua sunt. Iudæi & gentes tui sunt, tu omnium plasmator es. Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Id est, miraculum quod a me postulas, ad panem pertinet Iudæis missum, tu cum gentilibus sis, miraculorum cibo non es partecenda. At illa dixit, etiam domine? nam & canelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Id quod postulo, mica minutissima est. Qui tot mirabilia operaris inter Iudæos, etiam credenti tibi ex gentibus micam tenuissimam porrige. Tunc respondens Iesus, ait illi: mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut uis. Et sanata est filia eius ex illa hora. Hanc mulieris perseverantiam, humilitatem & patientiam, cum toties esse repulsa, arbitror significasse ecclesiam, quæ erat ex gentibus congreganda. Sic & de Centurione dixit dominus: Amen dico uobis, quia non inueni tantam fidem in Israel. Et de ista Chananaea dicit: O mulier magna est fides tua. Sed etiam illud aduertendum est, centurionem dixisse: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic uerbo. Ista non rogauit Christum ut in domum suam descenderet, & sanaret filiam eius: quin etiam neque filiam adduxit ad Iesum, prout Iudæi attulerunt paralyticum, & plurimos alios ægrotantes. Et Iairus archisynagogus rogabat ut imponeret manum suam super filiam eius. Et Ioan. 4. Quidam regulus rogabat, ut descenderet & sanaret filium eius. In utroque uidetur claudicare fides: cum præsentiam domini corporalem expectent: non credentes eum esse filium Dei: ac posse ubique, cum sit Deus, salutem præstare. Vnde & regulo dicitur: Nisi signa & prodigia uideritis, non crederitis. Ista autem Chananaea & centurio illum Deum esse credebant. Illa namque præsentiam domini corporalem minime postulat: credens ubicunque sit, posse diabolo imperare. Centurio uero non uult ut dominus intret in domum suam, se indignum reputans: atque illum fatetur, ubicunque sit loci, imperare posse: Sed tantum dic uerbo, ait Christo, & sanabitur puer meus. Quin & utriusque fidem dominus collaudat: de illo dicit: Non inueni tantam fidem in Israel. Huic uero, O mulier. O admirantis est. Sic quoque de centurione: & miratus Iesus sequentibus se dixit: Non inueni tantam fidem in Israel. Admiratur Christus secundum hominis portionem inferiorem, gentium populos fidem susceperunt per apostolos & discipulos eius: quam præuit Iudæi ab eius ore audiam, & tot miraculis confirmatam respuebant. Iam iam id dominus cernebat impletum, quod Dauid psal. 2. prædixerat: Dominus dixit ad me filius meus es tu: ego hodie genui te. Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, psal. 17. Populus quæ non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Quapropter admiratur

miratur dominus prefiguratum in hac muliere gentium fidem, dicens: O mulier magna est fides tua. Porro exemplum & in hac Chanaanæ peccatoribus datur, clamandi ad dominum: & si non exaudiantur, sanctos innocendi: & cum omni humilitate & perseverantia peccatorum veniam, & ab anima demonis expulsiōe virtute salutaris absolūtionis, quæ in sacramento confessionis datur expectandi. Ad veram enim penitentiam post puram confessionem peccatorum factam, & absolūtionem receptam, & penitentiam a confessario in istam adimpleram, ad quam peccator tenetur, post quam illam acceptavit, asuefactus peccatis, non tantum proficiet se illis opponēdo, quantum proficiet deuiando & auertendo se ab omni occasione peccandi. Nam torrens si rapido fluit decursu, non tam lapidibus, lignis, cespitibus reprimitur illi oppositis quam si a lateribus fodiens aquam in diuerticula abire facias. Itaque non resistendo exaduerso, peccatis scilicet: sed diuertendo impetus prauæ consuetudinis victor euades: Si n. gula vincere cupis, in conspectu ciborū nō uincēs, sed uincēs potius. Si intra foeminarum consortium incontinentiam reprimere vis, obrueris. Si in conspectu pecuniæ, auaritiā extirpare, nihil proficies. Igitur diuerticuli para, & tolle orōne quæ tibi olim occasio fuit ruinae: & ita diuina adiuuante gratia sanabitur anima tua, iam diu eum filia Chanaanæ diabolica seruitute oppressa. Sapientissimus Salomon in horrendum nobis proponatur exemplum. Dicit enim scriptura. 3. Reg. 11. Rex autem Salomon admauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis et cetera de quibus dixit dominus, Exo. 34. Deu. 22. Non ingrediemini ad eas. Certissime enim auertent corda vestra, ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore. Sed audi quod inde subsecutum est obstupendum factum: Cumque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur Deos alienos. Vide in quem idolatriæ barathrum deiectus est sapientissimus vir, ob prauam consuetudinem cum infidelibus mulierculis. Nec erat, inquit, cor eius perfectum cum domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius: sed colebat Salomon Astarthem deam Sidoniorum, & Chamos Deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum. Et Paulo post, inquit: Tunc edificauit Salomon fanum Chamos, idolo Moab, in monte qui est contra Hierusalem, & Moloch idolo filiorum Ammon, Atque in hunc modum fecit vniuersis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant diis alienis. Iratusque dominus, Salomoni, quod auersa esset mens eius a domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundo, & preceperat de uerbo hoc ne sequeretur Deos alienos: & non custodiuit, quæ mandauit ei dominus. Dixit itaque dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & precepta mea quæ mandauit tibi, dirumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo: veruntamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum. De manu filii tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo, propter Dauid seruum meum, & Hierusalem quæ elegi. Duo valde miranda in hoc Salomonis casu occurrunt, quemadmodum commixtio mulierum infidelium vel hæreticorum etiam uiris sapientissimis, maximam ruinam minantur: quum ille qui templum domino edificauit unū, tot sana diabolis postremo erexerit. In quod enim chaos non decidet, qui consuetudini peccatorum minime obuiat? Secundo, nimis admiranda est benignitas Dei in fideles seruos: cum propter Dauid non auert regnum a Salomone, iam eius gratia destituito. Non solum igitur seruos suos dominus propter eorum opera premio afficit, quum etiam erga filios nequam benignus est propter fideles patres. Quod autem dicit propter Hierusalem quam elegi, aduentum Christi

lomonis.
Casus Sa-

Christi denotat, cuius precipua prædicatio, passio, resurrectio, ascensio & spiritus sancti aduentus celebrata sunt in Hierusalem: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium, in æternum. Amen.

TRACTATUS SEXTVS,

In XV. cap. beati Matthæi.

CAETERVM considerandum est, quemadmodum egresso domino a Genesareth, & secedens in fines Tyri & Sidonis, hæc muliercula credit: & tanta humilitate & perseverantia filij salutem obtinuit. Quando vacui redire scribæ & pharisæi, inanem obiciētes calumniam discipulis domini: quod comantibus & illotis manibus manducarent. O abyssus immensa iudiciorum Dei. Legis periti & religiosi viri ab Hierosolymis Genesareth se conferunt, discipulos domini uana calumnia incusantes: Qui sane vacui et inanes redeunt: muliercula vero Chanaanæ fide & virtutibus plena, salutem filij optatam impetrat. Illique a domino audiunt: Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Illi verò dicitur: O mulier magna est fides tua: Fiat tibi sicut vis. Illi increpantur, Chanaanæ laudatur: illi reiciuntur, Chanaanæ suscipitur: & in corde illorum cacodæmon permanet, a corpore uero filia huius Chanaanæ demò expellitur. Constat igitur scientiam nihil proficere, nisi adfit probitas: prout ostendit beatus apost. Pau. pri. Corint. 8. Scientia, inquit, inflat, charitas ædificat. Inde illud est, quod refert beatus Gregorius Nazianzenus dixisse beatum Basilium. Cum enim primum Athenas venit & florentem cerneret academiā, quærenti eodem Nazianzeno, quod nam de tanta felicitate proferrer iudicium, inquit: Vana felicitas. Vana namque felicitas est, scribarum et pharisæorum more cum scias legē, eam negligere. Quod autem dominus primæ postulationi mulieris nihil respondit: uel eo quod alienigena esset, seu ad excitandam eius uirtutem & fidem, sæculisquæ ostendendā ipsam misericordiā. Ad nostra etiam erudit nos infortunia, ne cum affligimur animo concidamus, si statim nō exaudimur: quoniam pulsantes perseueremus, sanctosque interponamus intercessores: & iterum atque iterum a corpore omni humilitate fiduciaque clamemus, quousque exaudiamur & liberemur. Siquidem Deus noster, prout ex scriptura colligitur, nec mala illico punit, nec postulata in eodem momento concedit. Quapropter nimium oportet peccatores uigilare, & a peccatis uelociter pedem referre, nec segnes fieri, eo quod cito peccatores non flagellantur & occiduntur, uel a terra eradicantur, aut absorbentur. Misericors enim Deus, quo diutius tolerat, eo nisi emendemus commissa grauius punit. Quemadmodum qui arcu sagittam apponit, quanto magis ad se hæc chordam, eo uelocius & fortius percutit: sic dominus quanto flagella differt, durius punit. Hoc Dauid insinuat psal. 59. dicens: Dediti meruentibus te significationem, ut fugiat a facie arcus: ac si dicat; signum: timentibus te ostēdit: ut cum uiderit differri uindictam, arcum te extendere sciant, & fugiant desinantque peccare. Nec ob uindictæ dilationem te obliuisci existimant, sed duriora flagella in aliud tempus differri sciunt. Quod apertissime ostēdit beatus apost. Pau. ad Rom. cap. 2. dicens: In diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quia benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impenitentem cor, thesaurizas tibi iram.

bi iram in diē irā, & reuelationis iusti iudicii Dei, qui reddet vnicuique secū dum opera eius. Non potuit clariori sententia explicari dilationem vindictæ non præse ferre obliuionem, sed duriorē in punitionem. Theſaurizare quippe est, peccata peccatis addere, & irā & indignationē diuinam cōciscere nō in diē misericordiæ & ueniæ, sed in diem iræ. Quemadmodum igitur dilatio vindictæ peccatis debita, non est velle non punire, sed vt ex hoc signo caueat perse uerare peccator: sic statim postulata concedere, non ex uoluntate abnuendi prouenit, sed uice uersa ex ipsa uolitione donādī nempe vt postulantium exci teretur affectus, augeatur uirtus & meritum obtinendi, & tunc demum petita Deus concedit, prout est uidere in Chanaanā. Nec enim tantum se humiliaret, tantaque patientia dilationē & se cantem appellari ferret, nisi quia spem conceperat, quamquam id quod postulabat prorogaretur, se fore consequuturam. Porro Christi aduentus per quinque millium annorum curricula, & eo amplius prorogatur vt oppōrtuno tēpore humani generis perficeretur. Cæterum cum Chanaanā repellitur, non ad maleficos uadit, prout fecit Saul, qui cum responsum a domino nō haberet, pythoniā adiuit, pri. Reg. ca. 28. sed mira patientiā, & perseuerantia dominum ad ipsius prouoluit pedes adorat, misericordiā implorat, & se canem fatetur: micam minutissimam sibi dari humiliter postulat. Offerunt pro illa preces beati apostoli, non fictas seu simulatas: quemadmodum terrenorum principum familiares facere consueuerunt. Vt enim pro suis & suorum negotiis interpellandi sit locus, negocia pauperum tenuissimis ac frigidissimis uerbis regibus exponunt. Illorum uero negocia, qui se eorum fidei & patrocinio commendauerunt, Deus bonę, quot impoſituris, quot lubide effectis mēdaciis in longissimas moras trahunt: Nunc simulant se coram rege efficacissimis uerbis eorum causam & perorasse: cum nihil fecerint minus. Forte ne suis priuatis commodis aliquid decedat. Nunc simulant nescio quę obstacula, quæ iam fere peractum negotium disturbant. Quo fit, vt nec miseris pauperibus subsidio sint, nec aliorū necessitatibus siquē imponant: hos & illos variis modis eludentes. Beatorum autem semper uera est intercessio, qua facta est expulso dæmonis male vexantis filiam Chanaanę, qui iam diu miseram puellam vexauerat. Consuetudo namque & natura sunt fortissima hominis. Nam peccatis asuefactus difficiliter se ab illis retrahit, & dæmon asuefactus, e domo quam habitat, difficulter eiicitur. Quod autem natura & consuetudo sint fortissima omnium, quæ sunt in homine, dixit quidā: Naturam expeſtillas furca, tamen usque recurret. Consuetudinem uero Aristoteles in probemio suæ Rhetorices, quasi alteram esse naturam ait. Cæterum hæc duo fortia duobus aliis fortioribus superantur, scilicet arbitrio libero & gratia. Ecclesi. 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu cō filii sui. Adiecit mandata & præcepta sua. Apposuit tibi, aquam & ignem: ad quod uolueris porrige manum tuam. Ante hominem uitā, & mors bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. & Genes. 4. dicitur ad Cain: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Sciebat Saul, Dauid a deo esse electū in sui regni successorem: sed & pater meus scit hoc, dixit Ionatas filius eius ad Dauid pri. Reg. 23. & nihilominus illum persequitur, & cupit occidere, uolens libertate arbitrii Dei consilio repugnare: tanta nostre libertatis est fortitudo. Hanc nostram arcem si peccatis opposuerimus, & ex illa fortiter dimica uerinus, nolentes unquam prauis diaboli suggestionibus assentiri, non modicum proficemus: maxime uero si aliud minutissimum tentationibus præsidium opposuerimus, quo protegamur: quod est, dei gratia. Huic beatus apostolus Paulus tribuit omne quod est, dicens Corin. pri. epist. cap. 15. Ego sum, minimus apostolo-

Fraus interpellantium principes.

apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus: quoniam persecutus sum ecclesiam Dei. Quis ergo te, o beate apostole, a praua persecutionis consuetudine auertit, quis te a peccatis exemit? gratia Dei, inquit, sum id quod sum: & gratia eius in me uacua non fuit, sed abundantiis illis omnibus laboraui: nō ego autē si d. gratia Dei mecum. Tanta est uis gratiæ, quæ si libero addatur arbitrio, hominem a praua consuetudine dimouet, & deo acceptum reddit dignis operibus. Fortissima ergo sunt in homine natura & consuetudo. Verumtamen fortius est liberum arbitrium cum gratia. Hanc igitur semper a domino postulemus: qua possimus cum liberi arbitrii patrocinio a seruitute peccati liberari, & Christo domino bonis operibus inserruire, & ab eius gratia nunquam excidere: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SEPTIMVS,
In XV. cap. beati Matthæi.


ET CUM TRANSISSET inde Iesus, uenit secus mare Galilee: & ascendens in montem sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turba multa habentes secum muros, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos; ita ut turba mirarentur, uidentes muros loquentes, claudos ambulantes, cæcos uidentes, & magnificabant Deum Israel. Dominus tōt tamque assiduis signis diuinitatem suam comprobabat, cæci autem Iudæi non attendunt. Iesus autem conuocatis discipulis suis dixit: Misereor turbe, quia uisus iam perseuerant mecum, & non habent quod manducent. Mira misericordia domini turbe miseretur triduo perseuerantis. Quam to enim amplius miseretur illis, qui cum eo semper perseuerauerint: si ne tribus diebus cum sequentibus sine præmio uult præterire. Discant qui habent famulos, debitam illis cōferre mercedem. Ad eundem modum & qui laborant inedia, secum perpendat, an forte ob id esuriat, quoniam Christum non sequitur. Nam his qui cum illo triduo perseuerauerant, abundanter cibū parauit. Cum autem audis uerbum misereor: nō arbitreris, apud Deum esse mutabilitatem, cum scriptum sit Malachię cap. 3. Ego dominus & non mutor. Effectum, cum hæc audis, intellige: non mutationis affectum. In Deo autem iustitia, misericordia, pietas, & quæcunque illi attributa dicimus, non differunt: quoniam Deus non compositus, sed simplicissima una eadem semper eterna essentia est. Secundum autem hominem Christus dominus affectu et effectu misereri dicitur, secundum quod Deus est, miseretur effectu, non tamen affectu commouetur. Quod si aliquando id pronunciat scriptura, ut illud Genes. 6. cap. Tactus dolore cordis intrinsecus. Delebo, inquit, hominem. Penitet enim me fecisse eos: perinde est, ac si dicat: effectu delebo aquis diluuii omnem carnem. Prout facit, qui iniuriam potest retaliare: qui dolore cordis commotus, profertur se inimicum demoliturum. Similiter & illud Genes. cap. 11. Descendit autem dominus ut uideret ciuitatem: Et rursum 18. cap. Clamor Godomorum, & Gommorhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis, descendam, & uidebo utrum clamorem qui uenit ad me, opere compleuerint: an non est ita, ut sciam. Cum primum dicit, peccatum eorum grauatum est nimis iam constat se scire. Quod autem dicit, descendam & uidebo: hoc est, per angelum quem mitto, efficiam quasi nunc sciam an ita sit, ut deleantur, & puniantur effectu, quæ antequam mundus fieret scio. Itaque effectu significat, cum more hominis loquitur Deus, non affectum: qui omnia nouit, & cui omnia uada & aperta sunt. Tenim firmabit orbē terræ qui non commouebitur. Cū autē

Attributa Deo & descensus & uidere dei quod accipendum.

non commouetur Deus, effectum significat, more miserentis, dolentis, iratius quod aliquo affectu omnipotens commouetur, cum impassibilis, & incommutabilis semper existat Deus. Veruntamen in omni dono diuino quatuor semper consideranda sunt: bonitas, qua Deus communicat suam bonitatem largiendo animam, vitam, honorem, & necessaria uitae hominibus. Igitur iure astringimur, ad dei honorem seruandum in nobis, & in proximis, ne peieremus blasphememus aliquid in peccatum lethale committamus. Secundo consideranda est diuina iustitia. Quoniam iustus es domine, inquit David psal. 118. & iustum iudicium tuum. Quidquid enim donat, iuste donat: quidquid facit, iuste facit: & quidquid promittit, iusto iudicio & si occulto promittit. Tertio consideranda est liberalitas Dei: qui cum sit nulli debitor, largissimus tamen est distributor, & fons inexhaustus honorum omnium. Quarto consideranda est misericordia. Quae duplicem actum habet: compati scilicet miseriae alterius, & defectum tollere eius, quod alicui deficit. Compasio, prout praediximus, in Deo non est, qui non commouetur. Tollit autem defectum quem patimur, bona praestando. Quapropter summè misericors est, prout in praesenti lectione dicitur: *Miseror uirbae, quia triiduo iam perseverant mecum: & non habent quod manducant: & dimittere eos ieiunans nolo, ne deficiant in uia.* Conseruat dominus quod fecit: & secundum hominem miserentis affectu, & secundum Deum misericordiae effectum creaturis suis auxiliatur: & ne in uia deficiant curam agit ueluti pater. Et dicunt ei discipuli: *Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?* Cum populum uideris deficientem, tunc firmius scilicet propinquum adesse dominum. Et ait illis Iesus, *habetis panes? At illi dixerunt: septem, & paucos pisciculos:* proximo praecedenti cap. duos pisces legimus: hic paucos pisciculos. Post resurrectionem autem, ut ait Luc. cap. 24. obtulerunt discipuli domino partem piscis asii, & faui mellis, & Ioan. 21. Cum traxissent rete in terram uiderunt prunas & piscem superpositum. Haec in memoria reduximus, ut notum omnibus sit, quanta deuotione, & etiam domini exemplo dicit, sancti patres Benedictus, Dominicus, & Brunus Carthusiensis a carnibus abstinere religiofos suos sanxerunt. In euangelio pisces manducare dominum legimus, cum solus cum discipulis suis edebat. Caeterum agnum paschalem, & cum in domum alicuius illi conuiuium parabat quae apponebatur manducabat. Non ergo sunt audaces religionum detractores, & praepetorum ecclesiae neglectores Lutherani, cum domini exemplum habemus. Et praecipit uirbae, *in diebus illis septem terram.* Et accipiens septem panes & pisces, gratias agens fregit, & dedit discipulis: & discipuli, sic factos, dederunt populo. Eodem modo hic multiplicat septem panes, quo supra proximo praecedenti capitulo quinque. Memineris uero semper, o Christiane, oculos in caelum leuare: hoc est, cognoscere omnia bona nobis a summa prouidentia tribui: & si distributor honorum uel bonorum constituaris, oculos in caelum non in terram dirige, dei tributum iustitiam incorrupte seruans. Multiplicabantur panes in manibus Christi ex materia septem panum uoluntate diuina. Quinque autem panes iuxta pascha multiplicati sunt: isti uero septem, ut ait quidam doctor Carthusiensis, in die sexta Ianuarii, qua die olim dominus dignatus est se regibus Magis, adorandum ostendere. Et comederunt omnes & saturati sunt. Neminem famelicum relinquit dominus. Omnibus se sequentibus misericors dominus tribuit necessaria. Et quod superfluit de fragmentis, inlerunt septem sporras plenas, admiraculum confirmationem & ad omnem calumniam & ambiguitatem tollendam. Erant autem qui manducauerunt, quatuor millia hominum, extra paruulos & mulieres. Et dimissa turba ascendit in nauiculam, & uenit in fines Magedan. Factis

his miraculis multiplicationis panis & piscium, semper dominus a turba recedit, ne ob temporalium rerum utilitatem illum sequantur. Qui enim ob temporalium rerum quæstum Deo inseruit, non Deo sed sibi seruit: non summo pontifici sed pontifici seruit, non regi sed regno seruit, non episcopo sed redditibus & beneficiis seruit. Haec autem sunt deprauatissima & damnabilia obsequia, dum non propter dignitatem personae, sed propter ea quae possideri illi ministratur. Atque ita sit, ut raro illis ueritas ostendatur, raroque sint serui fideles. Et hos abominatur dominus, qui non cor inclinant ad faciendas iustificationes propter retributionem, uerum omnem suam dirigunt intentionem in propriae utilitatis commodum. Recedit propterea a turba dominus, ut discant Deum propter seipsum amare, & illi adherere & inseruire, omnibus neglectis quae sub caelo sunt: atque omnium rerum sollicitudinem in cum proficentes, qui septem panibus quatuor millia hominum satiauit, exceptis paruulis & mulieribus. Venit autem dominus in fines Magedan, siue Dalmanutha secundum Marcum, quoniam his duobus nominibus regio illa dicebatur, uel ibi erant consinia Dalmanutha & Magedan: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS PRIMVS,
IN CAPITVLVM XVI.
BEATI MATTHAEI.



H accesserunt ad eum pharisei & saducei tentantes, & rogauerunt eum, ut signum de caelo ostenderet eis. Tanquam uolentes experiri, si ignem de caelo descendere faceret, uel aliud signum daret, ut possent facilius turbis suadere illum tanquam unum esse ex praecipuis prophetis, non autem Messiam. Quum omni hora potiora signa conspicerent, nepe mundatos leprosos, mutos loquentes, mortuos suscitatos & caecos uidentes. At ille respondens, ait illis: *Facto uespere, dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim caelum. Et mane: Hodie tempestas, & uelut enim erit iste caelum. Faciem ergo caeli diiudicare uostis: signa autem temporum non potestis? Ac si dicat: Signa temporis aduentus Messiae quomodo ignoratis? Non enim uaticinati sunt prophetae Messiam daturum signa de caelo in primo suo aduentu: sed in Bethleem nasciturum ex uirgine de domo David, idque post hebdomadas Danielis expletas, nec tum fore sceptrum regale in Iudaea. Item uenientem reprobari a senioribus, & sacerdotibus, crucifigi, resurgere a mortuis die tertia, spiritum sanctum de caelo missurum in discipulos, & innumera facturum miracula. Haec sunt signa aduentus Messiae. Hoc autem tempus quomodo non probatis? inquit Lucas. cap. 12. *Generatio mala & adultera signum quaerit, & signum non dabitur ei nisi signum Iona prophetae, hoc est signum passionis & resurrectionis domini: quoniam omnis passio & resurrectio prophetae sunt. Et relinquit illis, tanquam indignis & obstinatis, abire. Cum enim uiderimus nihil proficere Dei uerbum in obduratis hominibus, in alium locum abeundum est, in quo Dei uerbum fructu producat. Et cum uenissent discipuli eius trans fretum, ob-**

Optima
instructio
religionu
piscis ma-
ducantiu.

illi sunt panes accipere. Qui dixit illis: Intruemini, et caueat a fermento phariseorum & saduceorum. At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia panes non accepimus. Tanta discipulorum erat simplicitas, quod perspicua domini uerba, quandoque non caperent. Diuinitas uero Christi eo ampliori dignoscitur argumento, quod post aduentum spiritus sancti sapientissimi euaserint, & per eos mundus fidem susceperit & conuersus sit. Sciens autem Iesus dixit. Quid cogitatis inter uos modice fidei, quia panes non habetis? Ex iis uerbis constat discipulos intra se dixisse: Panes non habemus ad manducandum. Vnde ergo nobis erit fermentum phariseorum & saduceorum: & unde panes habere possumus? Quia ergo de copia panis dubitauerunt, dominus in memoriam illis reducit, duplex multiplicationis panis miraculum, dicens: Nondum intelligitis, nec recordamini quinque panum, & quinque millium hominum, et quot cophinos sumpsistis? neque septem panum, & quatuor millium hominum, et quot sportas sumpsistis? Ecce quod in calce superioris proximi tractatus dicebamus. Ob id nempe septem sportas de fragmentis panis superfluis, ad rei magnitudinem confirmandam: & omnem ambiguitatem tollendam. Dominus enim de fragmentorum collectione, etiam nunc argumentum sumpsit, dicens: & quot cophinos, & quot sportas sumpsistis? Quare non intelligitis, quia non de pane dixi uobis: Caueat a fermento phariseorum & saduceorum, ac si diceret, ut uos pascere uoluero, non est mihi cura de pane terrestri uos reddere cautos. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cauendum a fermento panum, sed a doctrina phariseorum & saduceorum. Mirum

Hereticorum uerba accommodent: immodice caueant ab eorum doctrina, nec libellos eorum legant: etiam si id fiat animo detrahendi illis, seu illudendi: ne forte ex demonis fluctu scintilla aliqua excitetur, quae cor legentis, uel audientis accendat. Modicum namque fermentum totam massam corrumpit. Nec diuina sapientia Christus sub fermenti nomine saduceorum, phariseorum & haereticorum, prauam doctrinam significaret, nisi sciret haereticorum uerba latenter animum inficere. Vera igitur Dei cognitio nimis necessaria est. Est siquidem uoluntas caeca in regno animae, teste Arist. nihilque uult, nisi prius ab intellectu praestendatur, nihil enim uoluit nisi praecognitum: Qui ergo ueram Dei cognitionem retinet, a quocumque minimo abstinet: ne minima negligens paulatim decidat. Sunt enim haec minima, tanquam altercantium uerba: ex quibus deuenitur ad gladium: sicque ex modicis haereticorum uerbis, exque breui lectione pestifera iam & ingens fit corruptela: modicum namque fermentum, multam corrumpit massam. Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum, ut decipiant pauperem & inopem, ut trucident rectos corde. Psal. 36. Gladius enim coninus ferit, arcus è longinquo sagittam emittit. Quibus haud sane pauci hisce temporibus deploratissimis plusquam lethifico uulnere ab haereticis conficiuntur & spiritali uita priuantur. Gladio inquam percipiunt, quum Christi plebeculam scientiae inopem per se, suis uerbis decipiunt & deprauant. Arcu & sagittis fauciant, cum suos libros deliramentis & prauitate infectos, ubique gentium comportari faciunt. Quapropter cauendi summo studio est, ne uel ipsorum uerba exaudiantur, uel libri legantur. Vidit namque Sara Genes. 21. Hismaclem filium Abrahæ, & Agar Aegyptiae ludentem cum Isaac filio suo, & dixit ad Abraham: Eius ancillam hanc & filium eius: non enim erit haeres filius ancillae cum filio meo Isaac. Durè accepit hoc Abraham pro filio suo: Cui dixit Deus: Non tibi uideatur asperum super puerum & super ancilla tua. Omnia quae dixerit tibi Sara, audi uocem eius. Ad Idolatriæ declinationem uel lasciuia dicitur Hismacel iussisse cum Isaac. Quare hoc prospiciens Sara zelata

zelata est filium suum, eo exemplo docens, quod nullo unquam pacto in ecclesia haeretici sunt tolerandi, si id absque iactura graui fieri potest: sed in initio reprimendi & excidendi. Nec modicus eorum ludus dissimulandus, sed praelatis illico manifestandi, ut curent ancillam euicere & filium eius: ne ex paucis uerbis uel ex modica pestifera lectione simplex corrumpatur populus. Habet etiam dominus gladium suum contra gladium haereticorum, habet & arcum. Quemadmodum Dauid inquit, psal. 7. Nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrabit: arcum suum retendit & parauit illum. De illis dicitur, gladium euaginauerunt peccatores: dominus quoque gladium suum uibrabit: de illis dicitur, intenderunt arcum suum: dominus etiam arcum suum retendit & parauit illum, lingua haereticorum gladius acutus. Filii hominum dentes eorum arma & sagittae, & lingua eorum gladius acutus, psal. 56. Dei gladius uerbum Dei est: sicut beatus apostolus Paulus ait, ad Ephe. vlt. Galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est uerbum Dei. Et ad Hebre. cap. 4. uiuus est enim sermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio acuto. Filii hominum uerbum Dei uibravit dominus, contra gladium haereticorum, linguam. scilicet eorum pestiferam. & confundet eos sacra scriptura sua, quam ipsi deprauant, secundum quod iam olim eorum primae uis fecerunt. Vnde & beatus apostolus Petrus, tanquam uniuersalis ecclesiae praesul, nos id praecauere docet, inquit, 2. Petri cap. vlti. Sicut & charisimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit uobis: sicut in omnibus epistolis, loquens in eis de iis, in quibus sunt quaedam difficultates intellectu, quae indocti, & instabiles deprauant, sicut & ceterae scripturae ad suam ipsorum perditionem. Indoctos uocat haereticos, & instabiles deprauatores omnis sacrae scripturae, praecipue epistolarum beati Pauli. Quod nostris temporibus manifestissime, non sine orthodoxorum graui dolore a Lutheranis uidemus effectum. Quippe ipsi instabiles & indocti scripturam sacram contorquent ad suam ipsorum perniciem & damnationem. Dominus namque gladium suum uibrabit: cuius lectulum Canti. 3. hoc est ecclesia, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes habentes gladios, & ad bella doctissimi. Vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Habet & dominus arcum suum, quem tetendit: & in eo parauit uasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Vnico istu domini prostrabuntur haeretici. Quemadmodum & Arius proiectis uisceribus interiit, aliique plurimi. Igitur Christiani caueant a sermone eorum, nec uilium ex eorum obsceno ore uerbum excipiant, nec ex eorum scriptis uel apicem legant: sed sensum uerum scripturae sacrae, quem sancta mater ecclesia catholica docet, in omnibus semper sequantur. Sicque profecto uictores semper euadent gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in aeternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In XVI. cap. beati Matthaei.

VENIT autem Iesus in partes Caesareae Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? Cum autem a plurimis soleat annotari in hunc locum: principes debere, quae de illis apud uulgus opinio sit, interrogare: notent praeterea dominum non a pharisaeis uel a sacerdotibus id quaesisse, sed a probis & sanctis uiris, apostolis scilicet, qui & audita referrent, & uerè quid sentirent ipsi proferrent. A probatis igitur uiris si quaerant principes, quae de illis uulgo opinio sit, quae illis expediat scire manifestabit: inutilia

A quibus quaerendum quae dicunt homines.

Tria mun-
do peculia-
ria.

inutilita uero & falsa tacebunt. Hoc namque hominibus natura instum est, ut de suis principibus plurima falso interpretentur. Sunt etiam mundo, cuius & ipsi filii sunt, tria quedam peculiaria: Hæc sunt, laudare præterita, fastidire præsentia, & desiderare futura: præsertim si licuisset hominibus singulis annis unum eligere regem, singulis etiam mensibus unum prælatum, & diebus singulis unum prætorem. Non igitur secure possunt tales percunctari: Quem dicunt homines? Nam a uirtute præditis uiris id est querendum: quæ admodum & Christus dominus a discipulis suis sanctis id percunctatur. *Quem dicunt homines, inquit, esse filium hominis?* Cæterum illi non retulerunt calumnias phariseorum, non sacerdotum probra: sed eorum referunt opiniones, qui æquiori animo in Christum affecti erant. *At illi dixerunt Alii Ioannē baptistam.* Herodes hoc est au spicatus prout in initio 14. cap. dicit beatus Mattheus, Ioannes Baptista surrexit a mortuis: & ideo uirtutes operantur in illo. Felicissimā futuram uitā, & ipse iniquus fatetur Herodes, cum dicit: tales & tantas quas audierat de Iesu uirtutes, fieri iam resuscitato Ioanne. *Alii autem Heliam,* tum propter zelum domini quem uidebant: tum etiam quoniam de Helia scriptum est Malachiz ultimo, quod præcedet secundum domini aduentum ad iudicandum. *Alii uero Hieremiam:* eo quod dominus Iudeorum uicia reprehendebat, aut iorum ex prophetis, ob edita miracula. Cæterum illud mirandum est, neminē inter Iudæos dixisse dominum esse Christum: adeo sacerdotes & phariseos timebant. Iam enim constituerant Iudæi (ut tradit bea. Ioa. cap. 9.) ut si quis eum fateretur esse Christum, extra Synagogam fieret. Dominus autem testimonium hominū minime eget: quippe de quo pater testatus est, de quo & sacra scriptura loquitur, & opera testimonium perhibent hunc esse uerum filium Dei, & Messiam in lege promissum. Cæterum & nunc pater cœlestis de illo testimonium tulit. *Ait enim: Vos autem quem me esse dicitis? Respondes Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius Dei uiui.* Christus, ecce Messias, filius Dei uiui, ad separationem filiorum deorum gentium, mortuorum. Diuinitatem & humanitatem, & sacrum aduentum Messie, Petrus paucis explicat uerbis, quod ille utique profert: pater uero reuelat. *Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Ionas: hoc est filius Ioannis, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, hoc est, nec tu huma-*

Semper de
Christo te-
stimonium.

pus, sed pater meus qui in cœlis est, scilicet reuelauit tibi. Semper enim cœlestis pater in publicis actibus Christi, quotiens opus fuit, de illo testimonium tulit in confirmationem credentium, & Iudæorum confusionem. In baptismo namque dicit: Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. In transfiguratione. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Hic inter discipulos: Tu es, inquit Petrus ex reuelatione patris, Christus filius Dei uiui. Et Ioan. 12. Pater, sanctifica me ex hac hora. Sed propterea ueni in horam hanc: Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo uox de cœlo dicens Et clarificauit, & iterum clarificabo. Cum autem dominus in cruce irrideretur a blasphemantibus principibus sacerdotum, & scribis: sol obscuratus est, terra mota est, petreæ scissæ sunt, uelum templi scissum est, monumenta aperta sunt: Manifestum ergo est dominum omni suæ diuinitatis habere testimonium: cui nunc ex patris reuelatione Petrus dicit. Tu es Christus filius Dei uiui. Beatus est enim Petrus: quando in hoc illum pater elegit, ut ipsius ore filio suo testimonium redderet: pariterque ut illum apostolorum uerticem designaret. Quapropter dominus illi ait: *Beatus es Simon Bar Ionas, id est, Ioannis filius. Patrem nominat Petrus, quasi dicat secundum Chryf. Sicut tu es filius naturalis Ioannis patris tui, & ego naturalis filius sum Dei: Tu tamen de terrena sub-*

Petri pri-
matus.

stantia patris in tempore natus: ego autē ex patris substantia ante secula genitus. Et ego dico tibi quia tu es Petrus & super hanc petram, quam confessus es, hoc est super me: seu super hanc confessionem fidei: uel super te, tanquam super secundarium lapidem fundamenti. Nam fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus, ait beatus apostolus prima Corint. 3. Quod autem hoc secundarium fundamentum (quod communiter interpretatur) possit dici, firmatur ex eo quod dominus dixit Petro, Luc. 22. iam in ipso passionis limite constitutus: Ego rogauit pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Fidem ecclesie, Petri fidem dicit, & illum constituit fratrum confirmatorem. Unde & primatum in ecclesia gerere Petrum, eorumque successores palam alituit: *Super hanc igitur petram ædificabo ecclesiam meam.* Hoc est, omnes in me credentes. Cæterum aduertendum est, quadrupliciter dici ecclesiam ædificatam super Christum dominum, & super hanc Petri a patre reuelatam deitatis & humanitatis confessionem, quæ cum sit sic fundata, errare non potest: quippe quæ fundata est super firmam petram Christum dominum: & cui spiritus sanctus adsistit, quæ admodum & dominus Ioan. 14. dicit: Ego rogabo patrem, & alium paraclētum dabit uobis, qui maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis. Primo autem dicitur ecclesia formaliter, quæ est omnium fidelium catholicorum ad hærentium Deo aggregatio, omneque hi membra sunt ecclesie militantis, si a fide & charitate non auertantur, in fine seculi eligendi, & in uia cœlestia uirtute meritum recordandi. Hanc congregatam esse in hæresum extirpatione, sæpe uociferantur hæretici. Quod cum sit impossibile, etiam & inutile: Impossibilia namque & inutilia eos dæmon docet postulare, ut sic a laqueo, quo ligati tenentur eripi minime ualeant. Quis enim posset tantam ac tam multiplicem ex diuersis orbis partibus Christianorum multitudinem in unum eundemque cogere locum? At esto: an non id esset inutile? quam tanta sit ignorantia multitudo, in doctorem caterua, hominum, mulierum, iuuenum, & puerorum formaliter representatiue ecclesia est sacrum concilium generale uniuersam ecclesiam representans: episcopis ecclesie Dei in unum collectis, qui commode conuenire possunt. Horum autem caput, omniumque fidelium Papa est, cuius interest concilium cogere, ad finem perducere, & ab eo sancita autoritate sua firmare: Cæterum generale concilium ab apostolis traxit originem. Actum 15. quando congregati sunt ad fidei res componendas: Nec tunc omnes fideles qui erant in Hierusalem, cum non nimis esset difficile eos congregare, in concilium coacti sunt: tantum beatos apostolos & seniores dicit scriptura conuenisse. Res autem quæ tunc definita est: maxime erat ponderis: nempe de cessatione legalium agebatur. Ecclesia uirtualiter & formaliter est Romana ecclesia, quæ semper immaculata permansit, secundum beatum Hieronymum, cuius habetur sententia in decretis Canonice 24. quæst. pri. Hæc est fides: & Christo Iesu opem ferente in futurum manebit, firmaque & stabilis omni tempore erit. Papa autem, prout papa est, uirtualiter & representatiue dicitur ecclesia. Quando enim sacre scripturæ ductu uniuersalis ecclesie res administrat, & ipse pro uiribus se disponit, & orationes aliorum fidelium postulando, & consilium cum suis cardinalibus & aliis probis & doctis uiris sumendo, ecclesia dicitur uirtualiter representatiue, quoniam sic omnibus istis præhabitis errare non potest, nec in rebus quæ ad fidem uel mores attingunt. Quando ipse caput est ecclesie ministeriale, sub capite Christo ministerans, qui dixit: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consumationem seculi. Super hanc ergo petram ædificabo ecclesiam meam, quæ errare non potest. Quæ quidem

Quadru-
pliciter di-
citur eccle-
sia quæ er-
rare non
potest.

dem magna consolatio catholicis fidelibus est in ea commorari ecclesia, quæ uera ecclesia est: nec quæ a spiritu sancto gubernata, & a Christo domino constituta, eiusque manu ad finem usque seculi solidata: cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS TERTIVS,

In XVI. cap. beati Matthæi.

VNAM sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam, formaliter esse diximus supra proximo tractatu, suum caput habens Christum in cælis, & papam suum vicarium ministeriale caput in terris: & si quadrupliciter diuidatur ad negotia pertractanda, cum omnis congregari non possit. Quæ quidem quadruplex cum sit, modo supra dicto (eadem quippe ecclesia semper manet, cuius caput ministeriale cum membris errare non potest, in iis quæ ad fidem & mores pertinent) vnica semper est ecclesia Dei uiui, columna & firmamentum ueritatis, pri. Timot. 3. Et Cant. 6. Vna est columba mea, una est perfecta mea sine macula, aut ruga, aut aliquid huiusmodi, inquit beatus Paulus ad Ephe. ca. 5. Et Cantico. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te: De qua dicitur beato Petro: Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Aedificata est super firmam petram, & aucta magnis virtutum incrementis. Quod sic futurum iam multis retroactis seculis, uaticinatus est regius propheta Dauid, psal. 44. Qui sponsum & sponsam alloquens inquit: Specie tua & pulchritudine tua, intede, prospere procede & regna. Propter ueritatem & mansuetudinẽ & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua: Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis: Sedes tua Deus in seculum seculi, uirga directionis, uirga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea uinxit te Deus Deus tuus, oleo letitiæ præ confortibus tuis. Myrrha & gutta & cassia a uestimentis tuis, a donibus eburneis: ex quibus delectauerunt te filie regnum in honore tuo. Manifestissimis uerbis propheta & Deum & hominem in prædictis uerbis constitutus, futurum ecclesiæ sponsum & Messiam. Sedes tua Deus in seculum seculi: ecce Deum nominat. Dilexisti iustitiã & odisti iniquitatem, propterea uinxit te Deus Deus tuus oleo letitiæ præ confortibus tuis: ecce hominem. Mox ad sponsam sanctam ecclesiam conuersus, ait: Adstitit regina a dextris tuis in uestitu deaurato, circumdata uarietate. Audi filia & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, Iudæorum scilicet, & domum patris tui Abrahæ. Et concupiscet rex, Messias uidelicet, decorem tuum, quoniam ipse est dominus Deus tuus. Iterum quæ repetit Christum Deum. Et adorabunt eum, inquit, & filie Tyri, idest, gentilitas, in muneribus uultum tuum deprecabuntur: omnes etiam diuites plebis. Omnis gloria eius filie regis abintus, in fimbriis aureis, uidelicet charitate, circumamicta uarietatibus. Quoniam charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non inflatur, nec agit perperam. Adducuntur regi uirgines posteam, proximæ eius afferentur tibi. Iam uirginitas extollitur, fecundior existimatur nuptiis. Et qui matrimonio iungit uirginem suam, bene facit, inquit apostolus pri. Corint. 7. qui autem non iungit, melius facit. Quod Esaias cap. 56. uaticinatus est, dicens: Quia hæc dicit dominus eunuchis: Qui custodierunt sabbata mea, & elegerint quæ ego uolui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus: nomen sempiternum

De reformatione ecclesie & in quo consistat.

uirginitas sualet nuptiis.

sempiternum dabo eis, quod non peribit. Afferentur in lætitia & exultatione adducuntur in templum regis. Pro patribus tuis, patriarchis & prophetis scilicet, nati sunt tibi filii, idest, apostoli: constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui domine, in omni generatione & generatione. Propterea populi cõstrebuntur tibi in æternum, & in seculum seculi. En quantis ditatur dotibus sancta mater ecclesia sponsa Christi? Quam tamen heretici impudentissime blasphemare non desinunt, eamque reformandam uociferantur. Qui quum ignorent, in quo re uera sit reformanda, omnia confundunt. Quod denigrata sit facies nostra super carbones, quodque non simus cogniti in plateis, prout de Hierusalem Hieremias lamentabatur, non negamus. Cui quidem malo satis promptum remedium adhibent heretici: dum omni uitio laxantes habenas, libidinis, commestationibus, & ebrietatibus, idque contra apostoli Pauli præceptum ad Rom. 13. ubi nos adhoratur, ne commestationibus & ebrietatibus, ne cubilibus & impudiciis dediri simus, totum replent mundum, & ab omnibus bonis operibus illum abalienant, sola uolentes fide saluari, & clamantes ut reformetur ecclesia. Quibus sane in præceptu responsum est: Reuertimini ad sanctam fidem catholicam, qui hæretici estis: Sacramenta suscipite: Vacate bonis operibus: Gratie & charitatis suppressum iustificationis & formalem actum concedite: Credite apostolo Paulo afferenti, quod melius sit castitatem seruare, quam uacare nuptiis: Credite euangelio testificantis, quod sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Credite Dauid dicenti: Adducuntur regi uirgines posteam, in lætitia & exultatione. Credite & Esaiæ danti nomẽ melius eunuchis a filiis & filiabus. Et cõ hæc omnia & quæcunque catholica tenet ecclesia sic credideritis: tum demum clamate, & nos uos iuuabimus, reformetur ecclesia. Vos namque & principes uestri in eo reformari ecclesiam existimatis: si spolietur ipsa redditibus, & in abiectionem pauperum redigatur: uultis sacerdotes omnes mendicos fieri, ut eos in inopia uobiscum ducant uxores: quæ acut & fuso humifmodi sacrilegos alant: eoque modo sicut filii gehennæ duplo quam uos. Quid pan non phariseorum more omnia confunditis? omnia euercitis? Quid? nõ reformatio ecclesiæ solum in clero necessaria est? an non etiam in omni seculari statu: cum tot sint bella inter seculares principes & respublicas. Vbi pax tantopere a Christo domino commendata? Dum nascitur, angeli in terram pacem annuntiant. Dum moritur, pacem, inquit, meam do uobis, pacem relinquo uobis. Deum resurrexit a mortuis, prima ad discipulos saluatio hæc est: Pax uobis semel, ac iterum pax uobis. Cum tot sint litibus tribunalia plena, ubi consilium dñi? Qui uult tecum contendere in iudicio & tunicam tollere, dimittit ei & pallium, Et apost. Paul. 1. Cor. 6. Iam quidem oino delictum est in uobis, quod iudicia habetis inter uos. Quare non magis iniuriã accipitis? quare non magis fraudẽ parimini? Sed esto, hæc consilia sunt non præcepta: opus est aliqñ habere iudicia, Ceterum ubi dilectio proximi, & uera in iudicio litium prosecutio absq; falsitatis nota? In hoc cognoscent oēs, quod discipuli mei estis, inquit dñs Ioan. 13. si dilectione adiniquẽ habueritis. Cum tot sint fraudes, & usure inter mercatores: ubi, mutuum dare, nihil in se sperantes? Intra mta innumera oĩ momento, in seculari ore reperiuntur. Proinde affirmare ausim, non minus reformationis egeret secularẽ statũ, quã ecclesiasticũ. Quod aut in ablatione redditũ nõ consistat uera ecclesiæ reformatio (put suspicant seculares, existimantes ecclesiæ redditus, si ab illa auferantur, in eorũ manus deuenire) ostendit ex eo, quod ecclesiæ redditus & puentus, seipue ex decimis cõtrahuntur. Decimarũ aut origo pfecta sit ab Abrahã, quæ hanc summã obtulit ex obus Melchisedec sacerdoti, Gen. 14. tract. 13.

Decimæ supra ca. 6.

G g Qui

Qui Melchisedec rex Salen, quæ nunc est Hierusalem (vt pluribus placet) typum Christi regis, & summi sacerdotis gessit. Ecce quantæ auctoritatis decimarum origo. Melchisedec offert pro Abraham panem & uinum, & Abraham illi decimas soluit: mirabile ecclesiæ militantis ministerium & alimentum. Decimæ ergo dantur a populo sacerdotibus, qui pro populo offerunt Deo corpus & sanguinem Christi, sub panis & uini speciebus. Item Iacob postquam uidit scalam, cuius culmen cælum tangebatur, & dominum innixum scalam (hæc typum gessit ecclesiæ militantis) uouit se daturum Deo decimas omnium quæ haberet, Genes. 28. Dominus Deus etiam populo Iudeorum præcepit Exo. 22. dicens: Decimas & primitias tuas non tardabis Deo offerre, Et Nu. 18. iterum dicit: Tribui Leui dedi omnes decimas in possessionem. Et Malac. 3. Dominus præcipit decimam omnem inferri in horreum domini, ut sit cibus in domo sua. Nec etiam prætereundum est, quod Genes. 47. Ioseph Pharaoni omnem terram Aegypti uectigalem fecit, quum illis cibos daret pro prædiis, quæ iterum possessoribus dedit: dummodo quintam partem deinceps fructuum regi pendant: excepta, inquit scriptura, terra sacerdotum, quibus de horreis publicis alimenta dabantur. Ex quo satis constat, non eos fuisse compulsos uendere possessiones suas sacerdotibus falsis, & falsorum simulachrorum cultoribus. Tempore famis de publicis horreis datur illis annonæ agris suos uendere compellantur: & Lutherani uolunt sacerdotes regis æterni Christi, & annona & possessionibus suis priuari? Beatus August. ante annos mille centum & amplius, dominica duodecima, post festum beatissimæ trinitatis, totum unum sermonem habuit, in quo suadebat populo, ut uerè & absque fraude decimas ecclesiæ redderet. Et inter cætera dicit: Quid faceres, si tibi præciperet Deus, non uem illis panes offerre, & tibi unum tantum reseruare? redarguens utiq; illos, qui negligenter decimas persoluebant. Non ergo decimæ sunt in causa abusus ecclesiæ, nec ex earum ablatione reformatio ecclesiæ cõstat. Hi enim sunt præcipui ecclesiæ redditus, qui ex decimis contrahuntur. Alij autè redditus sunt ex prædiis, uillis, & ciuitatisus aliquibus ecclesiis, per reges & principes & alios potentes uiros donatis. Ecce hic obiciunt hæretici, dicentes, Deut. 18. dominus dixisse: Non habebunt sacerdotes & leuitæ partem, & hæreditatem cum reliquo populo. Et Iosue ca. 13. Cum inter tribus terra promissionis diuideretur, tribui Leui non dedit possessionem. Sed sacrificia & uictimæ domini Dei Israel, ipsa est eius hæreditas. Porro facillime hæc obiecta soluantur, si causam inspicias. In uno namque paruo regno, prout erat terra promissionis, & eo fertilissimo: ubi præcipiebatur omni die offerri arietes, oues, & boues, & cætera huius generis animantia: & ubi unicum templum erat, & pauci sacerdotes (quãuis essent Synagoge plures) ex decimis leuitæ sufficientissimos & opulentissimos redditus habebant, & sacerdotes ex primitiis, oblationibus, & cæteris sacrificiis. Et cum leuitæ non discederent ab Hierusalem propter templum, si haberent prædia in alijs locis, ab obsequio templi diuenterent. In nouo autè testamento aucta est ecclesia a mari usque ad terminos orbis terrarum: & sunt quã plurimi sacerdotes diaconi, & subdiaconi, episcopi, archiepiscopi, primates, patriarche, cardinales, & papa: vt uel decimæ omnibus non satis sufficiat. Vnde & diuino id affante consilio, reges & principes ecclesiis & monasteriis, castra, uillas, & ciuitates donarunt in debitam pontificum & sacerdotum sustentationem, ecclesiarum fabricam, & pauperum subleuationem. Beatus Cyprianus lib. pri. epist. 10. præcipit de ecclesiæ sumptibus necessaria ministrari ministrioni ad fidem conuerso. Et beatus Augustinus in Ioa. tractatu 6. de detractoribus respondet, inquiens: Dicitis quod ego habeo uillas: ego non habeo, columba

columba habet. Iam ergo propria prædia Augustini tempore ecclesiæ possidebat. Hoc & alia fulcitur ratione insolubili: a Syluestro Papa usque in hanc diem plurimi fuerunt papæ sanctissimi re & nomine, qui & miraculis claruerunt: ipse beatus Syluester, Damasus, Leo, Gregorius magnus, & alij plures, terras, iurisdictiones, uicos & ciuitates possiderunt, quas etiam nunc ecclesiæ possident. Non ergo redditus, prouentus, & castra ad reformationem ecclesiæ sunt auferenda. In Hispania quoque plurimos sanctissimos præfules fuisse scimus, qui ingentes habuerunt redditus. In archiepiscopatu Tolerano, Illesonius, & Eugenius, alijque: Hispani Isidorus, Leander, & alij: Bracaræ in Lusitania Martinus, Fructuosus, Geraldus: qui non modo prædia possident, sed & ipsa Bracharensis ciuitas eorum dominio subest. Non igitur agrorum possessiones, nec castrorum dominia auferenda sunt, vt reformetur ecclesia. Atqui secularis potestas ecclesiastica subdita est, atque illi in spiritualibus parere tenetur. Quin seculi nunc perpenso statu, si ecclesiæ potestatem reprimendi & coercendi laicos non haberet: & si nunc plurimos patimur hæreticos, nec parum nationis consecratos. Cæterum cum omnis actus hierarchicus per sacerdotes administraretur: qui fieri posset, ut oues compelleret pastor sacramenta suscipere? & recte ad normam ecclesiæ uiuere? Si enim saginata ouis pauperculo responderet sacerdoti, nolo, quid tum fieret? Omnia penè essent confusione plena. Nec esset uiculus, ut est natura hominum ad malum prona, in quo non passim reperirentur instabiles, inobedientes, & qui disciplinam ecclesiasticam, paulo seueriorem planè haberent contemptui. Adeo autè hoc uerum est, ut saluator noster uoluerit a regibus infans adorari, & aurum eorum suscipere: nimirum iam ecclesiæ suæ sponsum diuitias futuras admittens. Idem ostendit Matth. 10. quando dixit: Dignus est operarius mercede sua. Et apostolus: Qui bene præsunt presbiteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in uerbo & doctrina. Et beati apostoli cum orbem peragrassent, nõne mulieres necessaria ministrantes secum ferebant, prout bea. aposto. Paulus intulit 1. Cor. 9. Nunquid, inquit, non habemus potestatem, sororem mulierum iam circueundum, sicut & ceteri apostoli, & fratres domini, & Cephas? Quin & ipsi domino ministrabant deuotæ & sancte mulieres, prout refert bea. Luc. cap. 8. dicens: Maria quæ uocatur Magdalene, de qua septem demonia eiecit: & Ioanna uxor Chuse procuratoris Herodis, & Susanna, & alię multe quę ministrabant ei de facultatibus suis: Et beatus Marcus cap. 15. Erant autem & mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome. Et cum essent in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei. Cum autem hodie hæc non possint per mulieres deceter fieri: Hinc est quod deuoti dona sua conferunt: scientes id placere domino, qui calumniant Iude, eo quod Magdalena effuderit in ipsius pedes unguentum illud pretiosum, ait: bonum opus operata est in me. Reformatio ergo ecclesiæ potissimum in id uersatur, ut probi eligantur uiri, quibus committatur animarum cura. Vt illi ipsi per se ouibus præsent de pastu earum solliciti. Vt unus uicini beneficio, cui animarum onus incumbit, contentus sit, nisi fuerit doctus, & ecclesia tenuis, quæ tamen non distet ab altera, nisi una dieta: ut ab omni fugiant ambitione, & modicus sit famulorum fastus. Vt multas in pauperes elemosinas elargiantur. Vt oues pascant, non tantum uerbo, uerum & exemplo, tum & flagello cum opus fuerit. Ne ullum sit peccatum mortale publicum: immo & secreta quæ ad aures uenerint prælatorum, salubribus monitis præsecare nitantur. Vt districtum sit eorum examen, qui ad sacrum

aliquem ordinem sunt promouendi: Vt vigilantissima cura prelatorum diceceses visitentur. Vt iuris Canonici, & sanctorum conciliorum decreta sine dispensatione religiosissime obseruentur. Hæc si adsint ecclesiasticis iuris, & nullo sit priuilegio quisquam exemptus, quo minus peccans ex legis præscripto puniatur, ecclesia reformabitur. Summopere etiam laicis necessaria est reformatio ab agricola usque ad regem, & a minimo usque ad maximum. Nempe vta pax incorrupta, quoad fieri licet, retineatur: & litibus, quibus iudicialia fora vbiq; perstreperunt, aliquis imponatur modus. Vt a calumniis, detractionibus, blasphemis & periuriis omnes abstineant. Vt elemosynis & charitatis operibus assidue vacent. Vt liberos suos illico a pueritia ad Christianam pietatis amussim diligenter instituant. Vt in uestitu ceteroque ornatu & cibis sit quædam Christiana modestia & temperamentum. Nec etiam minus curandus, vt vsura & etiam grauissimis pœnis a Christiana republica exterminentur. Hæc si fiant, cessabunt detractiones, & filiorum ecclesiæ gemitus gratia domini nostri Iesu Christi: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUARTVS,

In XVI. cap. beati Matthæi.

Et porta inferi non præualebit aduersus eam, scilicet aduersus ecclesiam. Porta est qua domum ingredimur. Et porta inferni ea est, qua in infernum iniquorum animæ intronituntur. Hæc igitur est infidelitas, hæresis, schisma, peccatum mortale. Quibus haud dubio in domum tartaream & ignis æterni aulam patet ingressus. Nulla igitur infidelium persecutio, nulla hæreticorum & schismaticorum controuersia, nulla peccatorum turba, aduersus sanctam ecclesiam catholicam præualebit: quin semper ipsa in Christo solida permanebit, donec electos suos ad æternam illam, ad quam tendimus, felicitatem adducat. Illi, inquam, portæ inferi nominantur, quibus oppugnari potest ecclesia, sed non expugnari: opprimi, non tamen deprimi: concuti, sed non euerri. Dominus enim rogauit pro fide Petri, ut non deficiat: qui pro sua reuerentia exauditus est. Quis igitur ab his tribus hostibus oppugnetur ecclesia: infideles gladio, hæretici uerbis, mali uerò Christiani deprauatis moribus & exemplis illam concutiunt. Sicque discerpitur mundus, omnia sunt dissidiis plena, rumpuntur fœdera, cum unusquisque nititur ad se omnia trahere. Infideles namque armis totum eruant orbem: hæretici uerbis fallacibus tunicam inconstabilem nituntur scindere, quæ unica est fides Christi. Quos nos admonet præcauere beatus apostolus Paulus ad Rom. cap. vlti. dicens: Rogo autem uos fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam uos didicistis, faciunt. Hæc est doctrina, quam fideles docti sunt per ecclesiam, & beatos apostolos Christi: Et declinare, inquit, ab illis. Huiusmodi enim Christo domino nostro non feruiunt, sed suo uentri. Perspice hic Lutheranos semper edentes & bibentes: & per dulces sermones, & benedictiones se ducunt cor da innocentium. Et ad Timoth. 2. cap. 3. de eisdem ait: Habentes speciem quidem pietatis, uirtutem autem eius abnegantes: & hos denota. Ex his. n. sunt, qui penetrant domos: & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur uariis de fideiis, semper uidentes, & nunquam ad scientiam ueritatis peruenientes. Quæmadmodum autem Iannes & Mambres resistunt Moysi,

ita

ita & hi resistunt ueritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: sed ultra non proficiunt. Etenim peruersi in ecclesia uiuentes bonos aliorum mores sepe corrumpunt, atque ipsi iniqui publicè sectantes uicia, alios secum in foueam trahunt. Dum autem puniuntur a superioribus, clamoribus & detractionibus omnia replent. Ceterum portæ inferi non præualebant aduersus ecclesiam. Firma & stabilis permanebit fides: quantoque magis exercitatur, & impugnatur a malis, tanto amplius proficit, & solidatur in bonis. Dæmones et dici possunt inferi portæ, seu ianitores: quoniam per eorum suggestionem infideles, hæretici, & mali Christiani prauis suis moribus impugnant ecclesiam. Hinc est illud uulgatum in deprecationibus, quas pro mortuis offert ecclesia. A porta inferi erue domine animas eorum. Hoc est, a potestate dæmonis, ne eas torqueant, neue insultent: & si iuxta beati Thomæ sententiam, anime purgatorii, quæ per ignem purgantur, dæmones non habent tortores, quotum Dei gratia fuerunt uictores. Nisi dicamus purgatorii locum esse inferno contiguum, ideoque uocari inferni portam. Itaque a porta inferi erue domine animas eorum: perinde est, ac si ita dominum deprecemur: Ab ipso purgatorio libera eas domine: siue non permittas eas ibidem per dæmones molestari: quoniam dæmones portæ etiam inferi appellantur. Atqui & in offertorio missæ defunctorum in hunc modum precatur ecclesia: Domine Iesu Christe libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni. Hic pœna inferni dicitur ignis: quoniam secundum beatum Thomam idem ignis est inferni & purgatorii. Ideo ignem illum dicimus pœnam inferni. Et de profundo lacu. Est namque purgatorii locus in uisceribus & centro terræ. Libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadat in obscurum. De ore leonis, de accusatione diaboli. Ore enim maledico semper diabolus bonos accusat. Ne absorbeat eas tartarus hoc est, ne illas deglutitas et submersas detineat locus ipse pœnarum purgatorii. Ne cadant in obscurum: hoc est, ne trudentur in aliquo purgatorii locu acerbiorum. More carceris soluitur sancta ecclesia: nam in carceribus principum sunt aliqua loca obscuriora & profundiora, quibus custodiuntur qui grauioribus delictis obnoxii sunt. Hoc orat sancta mater ecclesia pro animabus purgatorii, ut citius purgentur, & liberentur, ac mitius torqueantur. Et tibi dabo clauas regni cœlorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Nulli apostolorum dicitur: tibi dabo clauas regni cœlorum: Sed soli Petro excellenter præ omnibus dicitur: tibi dabo clauas regni cœlorum, quæ illi exhibentur, Ioan. ult. cum ter illi a domino dicitur, pascere agnos meos, pascere oues meas, quibus uerbis manifestissimè primatus Petri & eius successorum ostenditur. Nā & si potestas ligandi atq; soluendi Petro & oibus apostolis datur, quæ admodum refert bea. Matth. infra c. 18. Nulli tñ dicitur: tibi dabo clauas, neq; pascere. Cū n. apostoli & post eos episcopi, ligandi & soluendi & dnicum gregem pascendi potestatem habeant, soli tñ Petro tanquã præcipuo & Christi uicario & successoribus eius, gñalis cura uniuersi orbis committitur. Clauas regni cœlorum: hoc est, clauas ecclesiæ. Ea una est potestas discernendi, quam dicimus clauæ scientiæ. non q̄ illam ois uir doctus habeat, sed dicitur clauis scientiæ, qm̄ hac potestate cognoscit peccata: & inter peccatū & peccatum pot̄ ferre iudiciū, illud retinendo, illud uerò soluendo. Quod facere nequit, qui non habet illam potestatem: Quæcumq; ligaueritis in terra erunt ligata, & quæcumq; solueritis erunt soluta. Hæc autē clauis Petro est excellenter super oēs concessa: & ideo dicitur, clauas dabo tibi regni cœlorum, qm̄ quod in sua plebe unus sacerdos, & i dicitur episcopus sua, id papa in toto orbe pot̄ ligare & soluere. Quinimmo & episcopis

Clauas regni cœlorum.

pis a papa clavis in sua diœcesi datur, & episcopi sacerdotibus in sua ordinatione, qua quidem clavis nec sacerdos utitur, priusquam a suo p̄lato facultatem obtineat. Hinc facile est coniectare, quare episcopus nō absoluit a casibus papæ reservatis, nec sacerdos a casibus ad episcopum attentibus: quoniam Petro sunt commissæ claves excellenter. Deinde cæteris simul & Petro dicitur. Quæcunque alligaueritis, & quæcunque solueritis. Quibus uerbis & si apostolis datur ligandi & soluendi potestas, tamen committitur illis a papa episcoporum consecratio, & ipsi consecrant sacerdotes: Munus igitur episcopale, & ordo sacerdotalis a domino Deo sunt, qui factus homo Petro claves prius excellenter tradidit: apostolis deinde potestatem ligandi atque soluendi. Alia clavis est iurisdictionis, qua iudicata exequentur, retinendo hunc, soluendo illum. Qui quid non errante clavis retinet papa, episcopus, & sacerdos, a Deo retentum est. Ideo enim dicit. *Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum et in caelis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in caelis.* Hoc est erit a Deo probata & confirmata tua absolutio. Non ergo conquerantur heretici de noſe clauium, cum Petro pollicitus est dñs dare claves regni cœlorum: cuius nunquam pollicitatio inanis fuit. Has igitur excellenter, prout pollicitus fuerat, tradidit, florescete eius gloriosa resurrectione, dicens: *Pasce agnos meos.* Pasce agnos iterum repetit; & tertio, pasce oues meas, intulit. Neque excommunicationibus detrahant: cum audiant bis dominum dixisse Petro excellenter: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in caelo.* Ligatur utique excommunicatus hereticus, ne inter catholicos Christianos suscipiatur. Ligatur ne uideat regnum Dei, qui utique & in caelo ligatus est. Nec in sacramentum poenitentię debacchantur, cum audiunt: *Et quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in caelo.* Tunc enim soluitur peccator, cum sacramentaliter in confessione absoluitur. Nobis autem aduertendum est, cum dominus dicit quæcunque ligaueris super terram, & quæcunque solueris super terram, sic super terram accipiendum esse, quod egressa anima iam in solam Christi transeat iurisdictionem. Unde & indulgentię pro animabus purgatorii per modum suffragii concedendæ sunt, & hac intentione eas summus pontifex concedit, quæ nimum haud dubio conferunt ad remittendas poenas purgatorii per misericordiam domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUINTVS,

In cap. XVI. beati Matthæi.

Indulgentię per modum suffragii. **Q**UOD autem in calce proximi præcedentis tractatus diximus, summum pontificem per modum suffragii indulgentias animabus purgatorii impartiri, non suspiceris eo quod per modum suffragii diximus, tollere efficaciam indulgentiarum. Quod enim ligare & soluere datur Petro super terram, autoritatiue & potestatiue censendum est: animæ uero purgatorii, quoniam iam de terreno sunt corpore absolute, nec super terram, dantur indulgentię per modum suffragii (quandoquidem absolute animas liberare a poenis purgatorii papa non potest) merita passionis Christi, & beatissimæ Deiparæ semper uirginis Mariæ, & omnium sanctorum illis applicando. Atque illis papa suffragatur, opus aliquod pium iniungendo, quod per aliquem factum illis proficit. Non secus quam si quis a rege in uincula cõiectus sit, donec debitam auri librâ peditat si aliquis

si aliquis librâ illam pro uincto soluerit, is quidem uincto suffragari dicitur: rex uero, cum iam illum e carcere abire sinit, potestate & autoritate liberum reddere. Sic cum papa concedit tale quid facienti pro anima aliqua in purgatorio detenta, animæ proficit: & si plena sit satisfactio, Christus illam potestate sua, quæ illi data est in caelo & in terra, liberam a purgatorio in sanctorum cœtum transfert. Quod ergo dicitur per modum suffragii, tantum excludit iudicialiam potestatem: quæ iudiciali absolutioem, & poenę debitæ in aliud opus pium commutationem includit. Tota igitur deuotione indulgentiæ pro defunctis a papa sunt cõcedendæ, & a fidelibus non minori deuotione quæ præcepta sunt adimplenda. Excommunicationis autem nim nemo est qui ambigat, si euangelium uenit, & Paulum. Quid enim posset clarius dici: quàm id quod ore dominico dicitur Petro: *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis.* Si ergo papa aliquem ligat in terra anathemate, quis est qui ambigat illum ligari in caelo? Nec enim aliis uerbis perspicacius dici potuit, quàm ligatum in terra ligari in caelo. Idem dominus Petro simul & cæteris apostolis ait: *Amen dico uobis, quæcunque alligaueritis super terram, erit ligata & in caelo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in caelo capit. 18.* Quod autem de peccatis simul & de excommunicatione loquatur, ex præcedentibus manifeste ostenditur. Ait nãq; ibidẽ. *Si autem peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne uerbum: Quod si non audierit eos, dic ecclesię: si autem ecclesiam nō audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Peccato igitur mortali commissio ab eo qui admonitionem minime recipit, tunc nunciatur prælatis ecclesię fratris iniquitas. Si uero corripiente plato a puaricatione adhuc non auertitur, excoſcatur: Sit tibi, inquit sicut ethnicus & publicanus, quorum confortio fidelibus prohibitum est: quod idem est ac si dicat, sit tibi excommunicatus. Quod & beati apostoli optime intelligentes, dominicam sanctionem sæpe repetunt in suis epistolis, præcipuè beatus Ioannes, & beatus Paulus. Secunda epistol. ait beatus Ioannes: *Si quis uenit ad nos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.* Qui enim dicit illi, *Aue, comunicat operibus eius malignis.* Ecce prædixi uobis, ut in die domini non confundamini. Iure perspicuo beatus Ioannes excommunicationis fulmine icit omnes hereticos: quos & prohibet a charitatis discipulis saluari, & in hospitium recipi. Quid enim aliud beatus apostolus Paulus ad Titũ, 3. præcipit, quàm excommunicatos declarare hereticos? Dicit namque: *Hæreticum hominem post unam & secundã correptionem denitaſciens, quia subuersus est, qui huiusmodi est: & delinquit cum sit proprio iudicio condemnatus. Deuitare autem hereticos, quos subuersos nouimus, perinde est, atque excommunicare. Cæterum illud admirari oportet, quem admodum heretici conqueruntur, quod semel in anno in die cæne domini excommunicantur a Papa: cum sint ipsi perpetuo in euangelio excommunicati a Christo, & in epistolis canonicis excommunicati a Ioanne, & excommunicati a Paulo. Idem colligitur prima Corin. 5. cum beatus apostolus Paulus tradidit incestuosum satanæ, dicens: *Ego quidem absens corpore, presens autem spiritu, iam iudicauit ut presens eum qui sic operatus est in nomine domini Iesu Christi, congregatis uobis & meo spiritu, cum uirante domini nostri Iesu tradere huiusmodi hominẽ satanæ in interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi.* Ex iis ultimis uerbis beati apostoli ortum habuit id quod iura loquitur, medicinalẽ esse excommunicationẽ*

Excoſcatio reperitur in euãgelio & epistolis canonicis.

ut tan-

ut tanta poena pauidi & exterriti homines poenitentiam ueram peccatorum agunt. Et eodem. cap. uult beatus apostolus se parari bonos ab iniquorum consortio, qui publice non verentur peccare. Dicit enim: Si is qui frater nominatur inter uos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriofus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Ceterum ad excommunicationem reuertamur. pri. Timot. pri. Hoc preceptum commendo tibi fili: Timothee, secundum precedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam: quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare. Nō ergo heretici conquerantur, quia excommunicationis poena percutiuntur, & traduntur Satanæ, cum & bea. apost. Paulus huiusmodi homines Satanæ se tradidisse fateatur. Illa autem subtractio, quā precipit idem beatus apostolus fieri a fratribus: nempe ut deirent eos, & qui prauē conuersantur, uim continet excommunicationis. Dicit nāque 2. ad Thim. cap. 3. Denuntiamus autem uobis fratres domini Iesu Christi, ut subtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. Hoc autem & ratio postulat fieri pro criminibus publicis, de quorum contagione timetur: nempe si quis obduratus a peccato publico non uult discedere, & praua conuersatione ceteros ad malum prouocatis sequestrandus profectio uenit. Nam & in lege leprosi separantur a populo, quod etiam nunc inter Christianos ob carnis munditiæ obsequantur, habentque domos a ciuitatibus & suburbanis remotas: at multo amplius necesse est iniquos iam aliter nolentes a praua desistere consuetudine, excommunicationis uinculo a cœtu ceterorum fidelium separari, tum ne mores simul habitantium ex eorum consortio uitentur, tum etiam ut digna poena consensu fatagant autam in melius commutare. Ecce quantis exemplis domini & beatorum apostolorum eius, & quam rationabili consideratione sancta ecclesia excommunicat hereticos & homines impios, qui ab iniquitatibus uia conuerti negligunt. Quod & tempore beati Augustini a mille centum & eo amplius retro annis iam facere consueuerat. Ait namque in Deuteronomii quæstionibus cap. 39. tomo 4. ex quo apparet eum uoluisse intelligi, qui aliquid tale commisit, ut excommunicatione sit dignus, hoc enim nunc agit in ecclesia excommunicatio quod agebat tunc interfectio: Et in epist. 75. rogat Auxilium episcopum, ne anathemate percutiat omnes de familia Clasiciani cuiusdam pro peccato unius. Cum ergo a domino & sanctis eius apostolis excommunicatio originē habeat, nemo sit qui obstrepat querulus de excommunicatione: immo tranquillus ad eum modum uiuat, ut non ei opus sit anathemate, ut respiscat, prestante id gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum Amen.

TRACTATUS SEXTVS,

In XVI. cap. beati Matthæi.

Sanctæ indulgentiæ. **Q**UVM omne quod saluti animarum proficuum est, demon auferre conatur, ita hereticorum mentes inuasit, ut nō eos pudeat assuecare, indulgentias a summo pontifice nobis concessas minime proficere. Nullū non mouit lapidē in Dei ecclesia, malignus demon nostra atate, ut id persuadere possit: nempe ignorans, quōd quanto intensius extollit uocem per ora hereticorum, tanto amplius in suam cōfessionem & ecclesiæ eleuationem fatagit. Cæterum his tantum

tantum uerbis indulgentiæ ostenduntur sufficienter (& si sint alia loca quibus illæ manifestantur) cum Petro dominus dicit: Et quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Cōcedit Papa annos decem indulgentiarum: Quid hic aliud sonat indulgere, quā aliquid condonare & reum absolueri? & quid aliud est soluere, quā indulgere & condonare? qui enim soluit, indulget. Cū igitur Petro potestas & clauis excellēter soluendi traditur, indulgēdi ē facultas datur. Cæteri in ueteri lege nouimus indulgētiā resū largiri anno iubilei, Leui. 25. cap. Sanctificabis, inquit, annum quiinquagesimum, & uocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ uestre. Ipse est enim iubilus. Rationabiliter & in lege gratiæ fit indulgentia peccatorum, scilicet poenarum remissio. Non enim dominus frustra dixit: Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Si autem de sola culpa, & non de poena hæc solutio esset intelligenda, non absolute diceret. Quodcumque solueris, sed quamcumque culpam, seu quodcumque peccatum. Qui autem ligantur, etiam poenis ligantur. Si aliquem ligat Petrus pro culpa, ad poenam retinetur illi culpa, qua retenta patitur poenam. Sic cum aliquem soluit, etiam a culpa soluit & a poena æterna, cui pro culpa mortali erat peccator obnoxius: remanet tamen poena temporalis quæ uel in hoc seculo, uel in purgatorio soluenda est. Hęc autem poena uel minuitur, uel omnino tollitur indulgentia, si plenaria est, non sine pretio, tū meriti passionis dñi, tum & sanctorum. Cum enim quicumque actus passionis domini meriti fuerit infiniti: eo quod actiones suppositi, erant uerbi eterni infiniti uicenis filii Dei: & thesaurum hūc infinitū reconditū habeat ecclesia, quem Papa tanquam supremus dispensat, iuxta illud Matth. 24. Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Hoc est spiritalia distribuat: Non enim de corporali cibo, cum hæc dominus diceret, agebatur. Idem refert beatus Luc. capit. 12. Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus super familiam suam? Quod optime Paulus interpretatur. 1. Corint. 4. dicens: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores ministeriorum Dei. Hic iam queritur inter dispensatores ut fidelis quis inueniatur. Et ad Titum cap. 1. Oportet episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem. Cæterum cum de meritis Christi non conqueruntur heretici: quippe qui non negant ea infinita esse, nec unquam exhauriri posse: de meritis beatissimæ Deiparæ Mariæ aliorumque sanctorum elucidandum est: unicoque fundamento iactato rota structura indulgentiarum statim consurgit. Omne igitur opus bonum duplicem effectum consequitur. Est enim pro culpa satisfactorium, ac demum si fit in gratia meritorum uitæ æternæ: Poenitentiam (inquit dominus) agite, & appropinquabit regnum cœlorum. Habens poenitentiam opus peccatis habes satisfactoriū. Deinde docuit dominus eleemosynam, dicens. Veruntamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis. Docuit in super orationem & ieiunium, prout supra tractatum est, cap. 6. Et ipsemet dominus in isto cap. ait: Filius hominis uenturus est in gloria patris sui, & tunc reddet unicuique secundum opera sua. Et cap. 25. Venite benedicti patris mei possidete paratum uobis regnum a constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus eram, & operuistis me. Ecce opera quibus peccatis satisfacimus, præstantur in uita æterna. Nullum autem opus est sanctorum, quod non sit etiam ultra condignum remuneratum in gloria, prout innuit beatus Paulus apostolus ad Ro. 8. dicens. Existimo. n. q. non sint condignæ passionis huius t. p. s. ad futurum

rani gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Cæterum plurima sanctorum satisfactoria opera pro nullo eorum peccato satisfecerunt, quoniam non tanta egerunt satisfactione, quanta passi sunt pro Christo ieiunia, uigilias, persecutiones, flagella, opprobria, irrisiones, postremo innumera supplicia; & mortem, quæ beatorum martyrum innumerabilis passio est multitudo. Hæc opera quibus meruerunt, in quantum meritoria vitæ æternæ premiata sunt ultra condignum: in quantum autem satisfactoria non tanta indigentia satisfactione in manus dispensatoris Christi thesaurus iste reconditur. Quod autem utrumque, & peccatorum satisfactio & meritum, per bonum opus operatum in gratia acquiritur, iam ex euangelio & dñi ore ostendimus. Hunc uero thesaurum inastimabilem passionis Christi, & sanctorum merita, ex ea parte qua illorum opera fuerunt pro peccatis satisfactoria, quoniam non egerunt tanta satisfactione, distribuit papa, & de eo thesauro indulgentias benignissime confert, iusta ex causa opus aliquod pium facientibus. Porro id exemplo lucidius intuebimur. Dam-natus ad mortem homo, ac fuga euadens, si pro rege suo necessitate aliqua imminente fortiter prælietur, & inimicorum gladiis totus corpore percutiatur: non tñ pro culpa qua occidit præcipiebatur satisfaci, & ueniam a rege conficitur: immo & præmia & munera illi lagitur rex: idemque opus est illi & culpæ satisfactorium, & præmii meritorium. Similiter & in sanctis, qui tanta non indigent satisfactione, illud satisfactionis meritum, fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, pontifex summus distribuit, & indulgentias cæteris fidelibus impartitur. Hoc designabat beat. apost. Pau. ad Colof. i. cap. Cuius, scilicet euangelii, factus sum ego Paulus minister: qui nunc gaudéo in passionibus pro uobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia. Quod dominus in se pertulit non indiget supplemento aliquo, patitur enim in membris suis. Et hæc sunt passionis quas adimplet beatus Paulus & cæteri sancti in carne sua. Secunda Corint. 2. poenam donauit: Cui, inquit, aliquid donastis, id est remissistis, & ego. Nam & ego quod donauit, si quid donauit propter uos in persona Christi. Non ergo hæretici detrahant Papæ, eo quod poenam condonat pro peccatis debitam ex thesauro meriti infiniti passionis Christi & sanctorum: quam condonationem indulgentiam dicimus. Cæterum cum harum indulgentiarum usus a sanctissimo uiro Gregorio Papa ecclesiæ doctore insigni, sit auctus & in dies creuerit, non sine diuino id consilio fieri credendum est, Deo semper suam ecclesiam illuminante, & peccatoribus ueniam & indulgentiam optante: ut cui proprium est misereri semper & parcere. Plurimis autem conciliis indulgentiæ approbantur. In die eucharistiæ Urbanus Papa quartus, eis, qui horis canonicis interessent indulgentias concessit. Quapropter non licet alicui de re tam clara disputare. Hæretici autem, quoniam dæmon indulgentiis contristatur, eius cui obsequuntur impulsu, indulgentias negligunt, quas fideles doctissimi uenerantur, ac religiose suscipiunt, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SEPTIMVS,

In XVI. cap. beati Matthæi.

Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus. Hoc scilicet propter duo: tum quia discipuli ante spiritus sancti aduentum non tantæ

erant autoritatis in plebe, ut illis de diuina maiestate in Christo, si quam prædicassent, crederetur. Nam si post domini resurrectionem tot signis ostensam, & gloriosam ascensionem, & spiritus sancti aduentum, illis omnium linguis loquentibus, & crebro prodigia facientibus, nullam adhibebant fidem Iudæi, quo pacto domino credidissent nondum glorificato? Non utique tunc expediret ut diuinitas domini per apostolos prædicaretur, quam minime credituri essent Iudæi. Quin etiam prædicatio eorum post emissum spiritum sanctum eneruari a Iudæis posset, ita dicentibus: Iam anno proximo id prædicatis de magistro uestro, quem nos suspendimus in ligno. Ne igitur secunda prædicatio esset quemadmodum & prima, nunc opus erat taciturnitate, ut quando post spiritus sancti aduentum tot mirabilibus ostenderetur Christi diuinitas per apostolos, populi facilius prædicata susciperent, & suscepta prædicant. Tum etiam quoniam hoc mysterium prius per ipsum dominum prædicandū, & per scripturam ostendendum, & miraculis astruendum fuerat, a se ipso Deo sic præordinatum. Quemadmodum & ipse testatur: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non uultis credere, operibus credite: ut cognoscatis, & credatis, quia pater in me est, & ego in patre, Ioan. 10. Et supra eodem cap. dixerat: Ego & pater unum sumus. Et Ioan. 5. Scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam æternam habere: & ille sunt, quæ testimonium perhibent de me. Et Ioan. 8. dicebant ei: Tu qui es? Dixit eis Iesus: Principium, qui & loquor uobis. Dominus enim uenerat ad docendum Iudæos, & se uerum Dei filium & Messiam ostendendum, ex sacra scriptura & miraculis maximis: prout dixit Ioan. 11. cum Lazarum suscitaret: Ut credant, inquit, pater quia tu me misisti: Lazare ueni foras: & statim prodiit qui quatuoriduo fuerat mortuus. Hanc a Christo domino prædicatam diuinitatem, & ostensam innumeris testimoniis, prædicandam reliquit apostolis post eius gloriosam ascensionem, & spiritus sancti missionem. Non ergo decebat illos prædicare palam Christi diuinitatem, & cum uerum esse messiam, quousque omnia signa sue diuinitatis fuissent per eum exhibita, & omnis de illo scriptura manifestata. Adeo igitur præcipitur illis, ut nemini dicant ipsum esse Iesum Christum, hoc est, Deum & Messiam. Et exinde capis Iesus ostendit discipulis suis, quia oportet eum ire Hierosolimam, & multum pati a senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & uertia die resurgere. Crebro dominus de passione sua loquitur, ne cum eum crucifixum uiderint, quem nunc Petrus nomine omnium confitetur ex patris reuelatione Dei filium esse, scandalizentur. Sic infra. cap. 20. & 26. Tum etiam cum dominus (prout ait beatus Ioan. cap. 19.) sciret omnia, quæ uentura erant super eum: passionem quam in incarnatione acceptauerat, semper coram se prospiciens præsentem habebat: sciens per illam redimendum fore genus humanum, & de peccato & morte, mundo diaboloque prostratis se gloriosum triumphum reportaturum. Vel sæpe de morte sua apostolis loquebatur, quoniam hoc erat mysterium mundo prædicandum. Quod & beatus Pau. Corinthiis ostendit, dicens, epist. pri. cap. pri. Iudæi signa petunt, & græci sapientiam querunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem uocatis Iudæis atque græcis Christum Dei uirtutem, & Dei sapientiam. Et ca. 2. Non enim, inquit, iudicauit me scire aliquid inter uos: nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Qua propter dominus torrens repetit suam sanctissimam passionem discipulis, ne cum illum uiderint patientem scandalizentur, & quoniam iugis memoria passionis eius in mundo semper retinenda erat. Et assumens eum Petrus, cepit increpare illum, dicens: Absit a te domi-

me, non erit tibi hoc. Assumens Petrus fiduciam ex eo quod dominus dixerat ei: Caro & sanguis non reuelavit tibi, sed pater meus qui in cœlis est: putabat se Christo domino bene consulere. Sed continuo diuersum audit ab eo. *Qui conuersus, dixit Petro, Vade post me satana, scandalum es mihi; quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Admiranda utique est sententia hæc, si superiori conferatur. Tunc pater illum illuminat, & sibi filium æqualem indicat: nunc verò non sapit ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Exemplum utique datur hominibus spiritualibus, ne cum ad apicem contemplationis euecti fuerint, omnia se opinentur scire, neque sententiam suam in omnibus certam existimēt. Ecce Petrus cui dicitur: beatus es Simon bar Iona, quia caro & sanguis non reuelavit tibi, sed pater meus qui in cœlis est: ipso eodem tempore audit: Vade satana, quia nescis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Nunc inspiratur a patre, illicoq; uolens suam proferre sententiam, & a seipso domino prebere consilium, errat. Sciamus igitur quoniam ex nobis fragilitatis filij sumus, & ignorantia patres. Et semper a domino quid oporteat dicere, quid uel bonum agere, orationibus postulemus, si in omnibus certam optimamq; uolumus habere sententiam. Quod autem dicit dominus: Vade satana, hoc est aduersari: Sic etiam legimus. 2. Reg. 19. cum Abisai consuleret Dauid, ut uindictam sumeret de Semei, qui illum maledixerat, cum fugeret Absalon filium suum: Quid mihi & uobis filij Sarta, inquit Dauid, cur efficiamini mihi in Satan? scandalum mihi es, hoc est, obicem ponis passioni meæ, per quam saluandum est genus humanum. Quicumque enim in aduersam partem declinat a bono, scandalum dicitur ponere: hoc est, obicem & offendiculum, ne ceptam uirtutē aliquis prosequatur. Tunc Iesus dixit discipulis suis, se non tantum passurum: uerum & quicumq; uelit animam suam saluare, etiā passionis ipsius necessario imitari ueligia: & unicuique oportere, ut quemadmodum ipse pro omnibus, ira & ipsi pro domino, & pro seipsis crucem propriis humeris baiulent. *Si quis uult, inquit, post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, hoc est uitam suam, perdet eam.* Anima enim dicitur ab animando, spiritus autem dum cōtemplatur cœlestia. Sic legimus dixisse dominum: Potestatem habeo ponendi animam meam, & nemo tollit animam meam a me. Et, Tristis est anima mea usque ad mortem: Quando autem in cruce animam pro nobis posuit, dixit: In manus tuas pater, commendo spiritum meum: quoniam iam tunc animare corpus animā desistebat. & iuxta portionem inferiorem (prout corpus animabat) viatoris peracto officio, informare corpus desinebat. Sic alibi de spiritu dicit: Spiritus est qui uiuificat, caro autem non prodest quidquam: denotans, dum cœlestia contemplantur anima, spiritus nomine nuncupari. *Qui autem perdidit animam suam propter me:* Hoc est, uitam pro me posuerit, quia anima corpus uiuificat, inueniet eam, animam scilicet lucrabitur, & uitam æternam inueniet. *Quid enim prodest homini, si uniuersum mundum lucratur, anima uero sua deriderit patitur?* Quasi dicat, nihil utique prodest uniuerso dominari orbi, si anima pereat, quæ in perpetuum permanet. *Aut quam dabis homo commutationē pro anima sua? nullam utique: Filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui cum angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera eius.* Cum igitur futurum sit, ut unicuique secundum quod operatus fuerit tribuatur, & ad animam nulla æqua sit commutatio, necessarium est tollere domini crucem, & illum in omnibus imitari: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternam. Amen.

TRA-

TRACTATUS OCTAVVS,

In XVI. cap. beati Matthei.

Ex prædictis domini uerbis. Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, & sequatur me: diruitur unum ex duobus præcipuis fundamentis Lutheranorum. Quibus omnem suorum errorum structurā maximis machinamentis ad sidera tollere enitentes, usque ad inferni uiscera deiciuntur. Humillimus uero dominus Iesus omnia Antichristi membra, quæ se extollunt cum capite suo, supra omne, quæ sacra sancta rectissimè tenet mater ecclesia catholica, unico uerbo omnē eorū machinā solo æquat. Cum enim uelint vacare otio Lutherani, & diabolo suadente omne opus bonū negligere, sufficienti salutis falsō sibi, utpote nihil operantibus, in dominico sanguine arrogant. Sicq; pauperulas animas a sacramentorū necessitate, & a bonis operibus dimouent, nullōq; uase, ac nullo medio sanguinis Christi meritū sibi acquirere in salutē uolunt, sed illū in corpore domini, & in ipsa relinquente cruce, domum uacui reuertuntur, & ineptissima & dānata hæresi, a fructu beatissimæ passionis domini abalienati in inferni berathri demerguntur. O lachrymarū flumine plangenda hominū cæcitas, ne dicam iniquitas, qui usq; hodie attendere nolunt, imō negligūt, quod nūc in euāgelio dominus loquitur, dicens: Siquis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucē suā, & sequat me. Sed iam sumus eorū euanelcat, & corū tenebra sacra scripturæ luce dispreat: nec sanguinē domini reputēt in cruce, & ex ipsius corpore, ita effusum, ut homines pigros & uacuos totius operis boni uelit Christus saluare. Quinimmo audiāt illum, postquam discipulis de cruce & passione sua locutus est (ne redemptionem per eius sanguinem celebratam, peruenire ad eos ociose existimarent, & per fidem solam ad se trahi meritū sanguinis & passionis ipsius) illico addit, dicens: Siquis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucē suam quotidie, & sequatur me, ait beatus Luc. cap. 9. Duo inter cætera in scriptura sacra admiratu digna mihi sæpe occurrunt, quibus diuina providentia Christi toto mentis affectu semper uenit laudanda. Horum alterum est, quemadmodū Christus dominus sciens quæ uentura erant super ecclesiam suam, qui semper sciuit quæ uentura erant super eū: sciens inquam quantis esset hæresibus in posterum exagitanda ecclesia, ita illam docuit & erudiuit in euangelio, ut nulla hæresis a Saduceorum, Marconitarum, Ebionitarum & aliorum hæresis, ad hanc usq; diem insurrexerit aduersus fidem: cuius non sit præscriptum antidotum, cui non sit remedium traditum, cui non sit adhibita cautio, & descripta ueritas: qua facile incorrupta fides semper consistat, deq; suis hostibus uictoriam adeptam, nobilem agat triumphum. Vis o homo scire, quemadmodum cum salus per Christi sanguinem in mundum refusa sit, ad te perueniat ipse Christi sanguis & ipsa salus? audi dominum, qui postquā de passione sua discipulos est al loquutus, ne se redemptos negligerent, continuo intulit: Siquis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suā quotidie, & sequatur me. Nulla igitur hæresis hæctenus insurrexit, nec insurret unquā, quæ non sit euangelio Christi deleta, & aduersus illam remedium saluiferum ueritatis, ore ueritatis exhibitum. Alterum, quod admiratu dignum fuisse diximus, est: cum totiens de fide beatus apostolus Paulus differuisset, ne iustificatio existimaretur ex eius uerbis a sola ipsa fide pendere: statim paucis adiectis uerbis, gratiam, quæ iustificationis est forma, intulisse: nempe ut sciamus iustificationis formam.

Quemadmodum per christi sanguine saluamur.

Cōtra omnem hæresim antidotum in euāgelio,

Quotiens bea. Paul. de fide agit, illico subiungit gratiam, ut iustificationis formam.

initium

initium & radicem a fide procedere: ipsam uero formam, quæ uere iustificatione absolutam reddit, & sine qua nemo uidebit Deum, gratiam esse. O mira Dei prouidentia, & quæ a solo ipso perfici potuit, qui nouit omnia quæ uentura sunt, & attingit a fine usque ad finem, fortiter suauiterque disponens omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen.

Cum autem sufficiat sapienti ostendere uiam, omittimus referre loca, in quibus beatus apostolus Paulus de fide agit: præcipue in epist. ad Ro. & ad Galatas & cæteras ecclesias, & ad suos discipulos, ubi post fidem semper subiungit gratiam. Unusquisque autem cum de fide legerit, idem caput percurrat, & gratiam iustificantem reperiet. Nunc autem elucidanda sunt loca, quibus impii Lutherani dominum in cruce cruentatum relinquunt: nec manum cruci ad-mouere uolunt. Ad Ro. 3. inquit bea. Paulus: Quæ proposuit Deus propitiatorum per fidem in sanguine ipsius: Et ad Ephes. 1. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius in remissionem peccatorum. Et ad Heb. 10. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi. Itē Apoc. 1. Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Et cap. 5. Redemisti nos Deus in sanguine tuo. Istis & his similibus sibi falso arrogat Lutherani salutem, dicentes: non opus esse illos aliquid facere, nec salutem refundi per aliquid aliud quam per sanguinem Christi: quin per fidem & sanguinis Christi meritum se consequi salutem rentur, & sic ociosi & nullum operantes bonum infernum replent. Cernimus sapientiam Christi, qui cum sanguinem suum altera die tradendum in sacramentum salutiferum, sub uini specie in uel tima cæna consecraret, ait: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Sciebat namque plurimos fore, qui non recte operantes, nec crucem suam tollentes, damnarentur in solo sanguine eius: confidentes per fidem tm saluari, absq; eo q. pœnitentiã agãt, aut opus boni exequantur. Ideo non dicit, cū pro oibus sufficere effusus sit, pro oibus: sed pro nobis & pro multis: qui .s. eius tollerent crucem, & bonis operibus, & sacramentis, & gratia, ad se ipsius sanguinem, & eius fructum adducerent. Omnis igitur scriptura, cum nos saluos, redemptos, & sanctos per Christi sanguinem dicit (nec enim alio sumus redempti pretio, præterquam sanguine agni immaculati innocentissimi Christi, qui tollit peccata mundi: qui redemit nos sanguine suo, emitque pretio magno) sic accipienda est: quæ admodum ipse huius redemptionis autor, & sanguinis effusor Christus, eius ad nos fructum peruenire statuit, & ore suo manifestauit. Verumenimvero ne mihi licet aliter interpretari, præterquam eo modo quo ipsemet Christus suo ore exposuit: qui etiam per spiritum sanctum eadem uoluit per suos sanctos apostolos manifestari. Ipse namque ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non poterit introire in regnum Dei. Per baptismum igitur quam primis prouenit Christi sanguis in eos, qui uere sunt baptizati: Deinde per alia sacramenta, quæ sunt uasa gratiæ (de quibus infra agetur, Deo annuente, cum ad decimum octauum beati Matthæi caput peruenerimus) tum etiam per bona opera in charitate facta. Et hoc est quod dominus clamat: Si quis uult post me uenire, tollat crucem suam quotidie. Non dixit meam: ne Lutheranus proclamet, crucifixum adoro, eius me passione saluandum credo. Ergo audi quid dicat: abneget semetipsum, & tollat crucem suam. Id est, se ipsum cruciet, & bonis exerceatur operibus, quin & sanguinem, si opus fuerit, pro Christo effundat: Et sequatur me: sua ipsius quisque mortificatione, propria abiectione, propria se cruce torquens, & operibus bonis intēsus sequatur me. Quod & ipsemet beatus Ioannes, Apo. 7. cum dixisset de sanctis, qui dealbauerunt

stolas

stolas suas in sanguine agni, præmisit: Hi sunt qui uenerunt de tribulatione magna. ecce uniuscuiusque crux propria, & lauerunt stolas suas & dealbauerunt eas in sanguine agni. Nam si agnus non fuisset occisus, nullus, quantumcumque cruciatus utilis esset in sanctorum introitu. Vnde sequitur. Ideo sunt ante thronum Dei. Necesse ergo est, per sanguinem Christi tollere suam uniuscuiusque crucem, & gratiam habere. Ad hunc namque modum lauantur stolæ, & dealbantur in sanguine agni, dum per eiusdem passionis merita operamur bona, & crux nostra redditur meritoria æternæ uitæ. Idem beatus Paulus ad Heb. 10. declarat, dicens. Postquam dixit habere nos consortium sanctorum in sanguine Christi, inferius ait. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem eius pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Spiritui gratiæ contumeliam facit, qui negat gratiam: & negat sanguinem Christi per gratiam nobis communicari, quique non opus esse propria cruce & sacramentis, ad fructum sanguine Christi. Lutherani uolebant, de saluatoris fonte sine uase haurire, hoc est sine sacramentis. Volebāt & sine manu bibere, hoc est sine operibus: sed otiosi os aperire, & sanguinem Christi e cruce effundi in eorum fauces, sola fide & uoce Christum contentes, prauis autem operibus cum abnegantes. In quorum etiam cõfusione & ecclesiæ eruditionem, dominus baiulans sibi crucem, uoluit etiam hanc Cyrenæo communicare. Et baiulans sibi crucem, inquit beat. Ioann. 19. cap. exiit in Caluarie locum. Hanc uero Cyrenæo Simonem, ut reliqui tradant euangelistæ, imposuerunt, ut eā portaret post Iesum quem iam cernebāt sub cruce lassari. Hinc igitur agnoscamus, etiam nos laboribus & sudoribus passionem Christi communicare: & Lutherani iam defæctis animis discant sub cruce domini humiliari, & suam ipsorum tollere crucem, & Christum dominum imitari. Illudque attendant, quod ait bea. apostolus, pri. Cor. 15. Abundantius omnibus laboraui, non ego sed gratia Dei mecum. Vbi unico uerbo opus dicit & gratiam, quam nobis omnibus Iesus Christus dominus noster prestare dignetur. cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternū. Amen.

TRACTATUS NONVS,

In cap. XVI. beati Matthæi.

Filius enim hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera eius. Hæc uerbis a saluatore Lutheranorum gratia, & operibus. præcipuum fundamentum deiectum est: elisa eorum est habitatio, & facta domus eorum ruina magna: Cæterum fragilis Lutheranorum uox & fundamentum est, qui ociosam fidem, & eam nudam & mortuam a seclis suis offerunt: & ea sola iustificari eos affirmant: & ad meritum passionis Christi peruenire, ac proinde saluari. Hoc titione tartareo fumigante, ac minime luminante, omnē a suis auferunt gratiam, sacramenta, charitatem, & omne opus bonum. Quos iā cernens futuros ex euangelio dominus diuina sua sapientia uincit, confusosque & fugatos reddit, dicens: Filius hominis uenturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tum reddet unicuique secundum opera eius. Opera igitur præmiantur non sola fides. Operibus prauis inferni possessores dānantur, quorum pluriimi fuerunt fideles, & tenuerunt fidem: non ergo sola fides quæmpiam saluat, nec ad meritum sanguinis Christi peruenit: sed neque prae operantes defendit, ne in tartarum ruant. Atqui si sola saluaret fides, & sola sangu-

la sanguinem Christi ad animam traheret, nonne dominus dicit? Et reddet unicuique secundum fidem eius. Verum ait: Reddet unicuique secundum opera eius. Operibus igitur in charitate factis fideles saluamur, & per gratiam que in sacramentis præstatur, neque fides per se sola iustificat: quæquæ ipsa est radix & iustificationis origo. Nam sine fide impossibile est placere Deo, ad Heb. 11. Forma autem ipsius iustificationis est gratia, qua saluamur: qua ad nos sanguis & merita passionis Christi perueniunt, de qua præcedenti proximo ca. diximus. Quotiens bea. apost. agit de fide, illico in præcedentibus, vel in sequentibus uerbis gratiam nominat: ut eam denotet ueram esse iustificationis formam (cuius est fides origo & radix) & per gratiam tandem iustificari, non per solam fidem. Cum autem beatus apostolus dicit, aliquando arbitrari se, hominem iustificari per fidem: ut est illud ad Rom. 3. arbitramur enim iustificari hominem per fidem: ad differentiam operum legis Moysæ id intulit, ne quis per opera legis iustitiam se acquirere existimaret. Continuo namque subiicit sine operibus legis. Que uerba etiam illud præcessit: Iustificati gratis per gratiam ipsius. Considera igitur beati apostoli temperamentum: fidem præponit operibus legis. Et cum dicit hominem non legis operibus iustificari, sed per fidem: ne per solam fidem arbitraris, præmisit iustificati gratis gratia ipsius. Quod autem ait in sequenti cap. 4. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei uero qui non operatur: credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, continuo adiecit: Secundum propositum gratiæ Dei: ut iustificatio formalis sit ex gratia. Quod autem dixit: Ei autem, ei uidelicet, qui operatur sine gratia mercedem non imputari secundum gratiã: haud dubium, quod opus sine gratia operatum, ex uero operis non habet mercedem apud Deum: si autem sit gratia associatum, gratia reddit meritum opus, quod ex se bonum est, non tamen meritum absque gratia. Multa namque bona opera faciunt homines absque gratia gratum faciente: ut iustitiam iudex in peccato mortali existens, elemosinã homicida, & cetera huiusmodi: quæ quidem libero arbitrio facta a Christianis existentibus in mortali, & ab infidelibus, dicuntur opera bona mortalia. Qui igitur operatur, ex uero operis non imputatur merces secundum gratiam, quam non habet, sed secundum debitum. Quod si opus absque gratia sit, nullum ei debitum debetur, cuiusmodi Abraham opus non fuit. Vult autem beatus apostolus Paulus Abraham excludere a mercede debiti operis absque gratia, quoniam nulla est sine gratia retributio uitæ æternæ, ne reputaretur sic operatum fuisse, quemadmodum operarii fabricatores, uinitores, & ceteri eiusmodi homines, quibus datur uesperis merces, non secundum gratiam, ad quam pater familias non respicit, sed ad laborem. Propterea sequitur: Ei uero qui non operatur (opera scilicet nuda & gratia uacua) credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam: Nunc subsiste parumper, & interroga bea. apost. Pau. quomodo reputatur ad iustitiã fides eius? Rñdet tibi continuo, secundum propositum gratiæ Dei. Secundum gratiam igitur fides ad iustitiã reputatur. Nonne iam bis repetiui, quotiens apostolus Paulus de fide agit, gratiam illi adiungere: ne fides nuda sine gratiæ ueste, & mortua absque operibus charitatis, aliquando existimaretur posse hominem iustificare, & saluare, & ad illum trahere sanguinem Christi & passionis meritum. Quod autem ca. 5. ait: Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem: ne quis iterum suspicaretur, se fidem dicere solam absque gratia & charitate: attende quot uerbis in Lutheranos agat: Per fidem, inquit, in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur

gloriamur in spe gloria filiorum Dei. Non solum autem (vide multitudinem operum) sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio uero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Præterea cum beatus apostolus Paulus ad Hebr. cap. 12. patres de fide quam habuerunt collaudaret, subiungit opera adminiculo gratiæ facta, dicens: Ideoque & nos tantam habentes impostam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstantes nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis uestris deficientes. Sumpto igitur a domini uerbis gladio spiritus, cum dicit: Filius hominis uenturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera eius: manifestum est in quem sensum beati Pauli apost. uerba sumenda sunt: præsertim cum ipsemet euangelij præco illuminatissimus cum de fide agit, continuo superaddit gratiam, tum & charitatem, & ipsius charitatis operane quis fidem ipsam per se solam arbitretur iustificare, & sanguinem Christi ad nos deducere. Etenim fides radix & origo iustificationis: forma autem ex qua iustificamur, ipsa est gratia. Porro cum beatus Ioan. cap. 1. dixisset: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius: ne per fidem solam transire se quis existimaret in consortium filiorum Dei, & sic per fidem iustificari: de futuro adscripsit filiationem per fidem, ueluti quod necessarium, ac maxime requisitum: ut pote sine qua impossibile est placere Deo, dicens: Dedit eis potestatem filios Dei fieri: non ita uero fecit filios Dei, qui credunt in nomine eius: sed potius largitus est potestatem illis per fidem posse fieri filios Dei. Ecce quam lucidè beatus Ioannes propria. & ueram sedem fidei tribuit. Innuit enim eam esse radicem & originem iustificationis, cum dicit: Qui credunt in nomine eius, iam habere potestatem fieri filios Dei. Et tunc ait: Et uidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre: plenam gratiæ & ueritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Quid accepimus? nempe potestatem, qua per fidem datum est nobis fieri filios Dei: & in actum reducta est per gratiam, qua in filiorum Dei consortium adnumeramur: & de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Sic & in sua epistola 1. c. 3. inquit: Videte qualem charitatè dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur, & simus. Non dicit qualem fidem dedit nobis Deus, sed potius ait: Qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur & simus. Sic & Matth. ult. ait dominus apostolis, cum illis post resurrectionem euangelium uniuerso orbi prædicare præciperet: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui uobis. Non sufficit baptismus ablui, nisi opereris & serues præcepta. Item Marci ultimo, cum ait: Qui crediderit (non ibi sistit, ne reputes iustificari per fidem) & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui baptizatur gratiam suscipit, qua ei delentur peccata uirtute & meritis passionis Christi. Et hæc est iustificatio, quã dixit beatus apostolus Paulus ad Rom. c. 5. Iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Per sacramentum baptismi gratia suscipitur, qua meritis passionis domini iustificamur. Iungo igitur Marcum & Matthæum: Qui crediderit, quia non sufficit ad iustificationem sola fides, addit gratiam, dicens: Et baptizatus fuerit, quoniam in baptismo gratia suscipitur, atque etiam fides & spes. Ne autem repu-

res gratiam in baptismo susceptam ociosam fore, & operibus bonis explorata manere: audi Matthæum: Docete, inquit, eos seruare omnia, quęcunque mandauit uobis. Ecce operantur gratiam, & mandata facientem. Caterum cum dominus apparuisset Paulo in uia, prout ipse reuulit corā Agrippa & Festo, Actū. 26. dixit illi: Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrū & testem eorum quę uidiſti. Et post aliqua uerba concludit: Ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem, quę est in me. Vide ut fidem uiuam & operatē intellexit Paulus. Ait enim: Vide, rex Agrippa, non fui incredulus cęlesti uisioni: sed his qui sunt Damasci primum, & Hierosolymis, & in omnem regionem Iudęę, & gentibus annuntiabant, ut pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentię opera facientes. Aduerte pœnitentiam & opera, & talem habeto fidem, qua digna pœnitentię opera facias. Idem & beatus Petrus tanquam omnium uertex ostendit, Act. cap. 15. Congregatis enim senioribus super cessatione legalium, ne congerentur conuersi circumcidi: cumq; magna, inquit scriptura, conuulsio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, uos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes uerbum Euangelij, & credere. (Id uerò contigit, quando dimisso de cęlo linteo, ut legitur Act. 10. sibi quę ostēso, in quo erant quadrupedia, & serpētia terrę, & uolatilium cęli, facta est ad eum uox de cęlo, inquit: Surge Petre, occide, & manduca: & illo reuente dictum est illi: Quod Deus purificauit, tu communc ne dixeris. Tunc enim missus est Cęsarem ad Cornelium Centurionem, qui cum omni domo sua & amicis conuersus fuit, & baptizatus.) Et qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit, dās illis Spiritum sanctū, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Quomodo autem fides purificat cor? non utique sola, quę non iustificat, sed gratia uestita & rediuiua. Audi igitur quid continuo sequitur. Nunc ergo, inquit, quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus? sed per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Hastenus D. Petrus. Per gratiam ergo saluamur, per gratiam iustificamur, per gratiam sanguis Christi ad nos peruenit. Fides ab infidelitate cor purificat: gratia autem iustificat. Haud enim clarioribus uerbis exprimi potuit, & fidei officium & gratię. Fides nāque purificat cor ab infidelitate, expellit incredulitatem, ueram fidem homini tribuit, qua placere Deo possit. Sine fide namque impossibile est placere Deo ad Hebr. 11. Ex quo radicem & originem iustificationis fidem esse dicimus. Gratia enim non subiectatur in anima infideli, nec in hęretica: quando per hęresim uera amittitur fides, & manet tantum opinio uoluntaria circa eos articulos, quibus non contradicit, prout doctissime probat beatus Thom. 2. 2. quęst. 5. arti. 3. Qui autem uerus est fidelis, in cuius anima gratia subiectari potest, per gratiam iustificatur. Quapropter beatus Petrus de fide ait quod purificat cor, nempe ab infidelitate, & illud tanquam radix iustificationis ad gratiam preparat suscipiendā, qua gratia iustificatur impius. Et hic est uerax fructus fidei, facere intellectum firmiter assentiri his quę credenda sunt, & hominem reddere uere fidelem, & cor primum ab omni infidelitate purificare, & proinde radicē esse & originem iustificationis. Ceteris ipsa iustificatio fit per gratiam, & bona opera nō fidei, immō re uera fructus sunt charitatis, iuxta illud Ioannis 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Seruatio mandatorum, charitatis est fructus, & sic etiam cętera bona opera. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quā uel animam suam ponat quis pro amicis

Qui sunt fidei, & qui charitatis fructus.

Bona opera fructus charitatis non fidei.

amicis suis, Ioan. 15. Mori pro nobis Christus suę summę charitatis exitit fructus. Mori autem pro Christo, etiam charitatis officium est &, ipsius fructus. Et pri. Io. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & uiderit fratrem suum necesse habere, & clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Non dicit, quomodo fides Dei manet in eo, sed quomodo charitas Dei manet in eo? siquidem opera bona fructus sunt nō fidei, sed charitatis. Et beatus apostolus Paulus pri. Corint. cap. 13. ait: Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Et dominus Lucę. 10. cum quidam legis peritus ab eo quęreret, quis esset ipſius proximus? exemplum attulit de Samaritano, qui duxit in stabulum hominem uulneratum, & protulit stabulario duos denarios, dicens: Curam illius habere, & quodcumq; supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi. Deinde legis perito pręcepit: Vade tu inquit, & fac similiter. Dilectioni ergo proximi opera misericordię tribuuntur, & charitatis sunt fructus. Illud pręterea aduertendum est, quādoque in scriptura sacra de fide mentio fit, ut semper fidem pro fide uiua accipias. Quis enim unquam ad eō in sanus fit, ut si illi hominem dicas, nisi addas mortuum, aut depictum, hominem accipiat nisi pro homine uiuo? Tripliciter namq; hęc distinctio, homo, accipitur: de uiuo, in suo posteriori significato: & de homine mortuo: & de eo qui artificis manu cleboratur. Si autem quispiam tibi referet, se in uia uidisse hominem, non utique intelligeres hominem mortuum, nec etiam pictū, sed potius uiuentem hominē. Ita quoq; cum sit fides mortua & fides uiua: cum autem dis fidem, semper intellige de fide uiua, non de fide mortua. Quod autem sit fides mortua beatus apostolus Iacobus indicat: Fides, inquit, sine operibus mortua est. Illam autem, quę per charitatem operatur, uocamus uiuam. Igitur cum audis fidem iustificare, de fide uiua intellige: quod perinde est ac si dicas: fides charitate uiua iustificat, non per se sola, sed per gratiam. Et illa uirtus quę dat uitam fidei (ipsa est gratia) uitam dat iustificationi: & ipsa est quę iustificat impium. Quare autem fides non possit per se sola iustificare, nec saluum facere, aduertendum est. Quoniam peccatorem iustificari non aliud est, quā Deo in ac uita uniri: ut sic manēs unitus, uniatum cum illo in gloria, iuxta Domini ad patrem deprecationem, Io. 17. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut & nos. Et paulo post: Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me & ego in te: ut ipsi in nobis unum sint. Cum autem iustificari idem sit quod uniri Deo in hac uita: remissis peccatis per gratiam & charitatem unimur perfectissime: & si per fidem informem uniamur tanquam uera membra, Christi scilicet, ista dicitur imperfecta unio respectu illius quę est per charitatem. Ea enim quę uniuertur, in aliquo simili uniuertur & conglutinantur: prout in materialibus cernimus. Ad hoc enim, ut duo lapides uel ligna coniungantur: oportet illa parte, qua connectuntur esse similia. Cognitio autem hominis neminem cum illo coniungit, sed si militudo, inquit Aristoteles, est causa dilectionis. Fides autem pręstat cognitionem de Deo, non tamen coniungit & unum facit cum eo credentem. Amor igitur coniungit homines, non cognitio. Cognitio tamen ad dilectionem requiritur, & est pręuia, & cognitionis initium. Sic amor, gratia, & charitas, unum cum Deo illum efficiunt, qui hęc habet. Ideo homo per gratiam iustificatur, quoniam Deus charitas est, increata tamen: & qui manet in charitate (creata) in Deo manet, & Deus in eo, pri. Io. 4. Attende uerò non hic dixisse beatum Ioannem & qui manet,

Cū legis fidem semper uiuam intellige.

Ratio quare fide sola non iustificat.

manet in fide, sed qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Vides amantum & amatum amore coniungi, non cognitione. Non ergo desident heretici, in aerem iactantes verba, & sibi falsam promittentes iustificationem per solam fidem. Quandoquidem qui manet in charitate in Deo manet. Vniui autem Deo per gratiam, idem est ac iustificari: quod fieri non potest, nisi remissis peccatis per gratiam. Qui enim aliquem offendit, ei reconciliari necesse est, si in eius se rursus amicitiam insinuare velit. Fide igitur Deum cognoscimus: non tamen cum Deo vnit, sed vnioni praeferat ipsa principium & originem: amor verò vnit amâtes. Quapropter gratia vnit eum Deo, & iustificat impium. Hinc verò est, quod diligentibus Deum & operatibus per charitatem promittitur vita aeterna: credentibus verò absque gratia & bonis operibus, quae sunt ipsius gratiae & charitatis fructus, ut praedictum est, non datur vita aeterna. Hoc autem est, quod omnis scriptura proclamât, dicente domino. *Filius hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis: et tunc redet unicuique secundum opera eius.* Non dicit enim secundum fidem eius; sed secundum opera eius. Quod & supra cap. 7. ostendit, dicens: Multi dicent mihi in illa die, Dâe, nōne in nomine tuo prophetauimus? de monia eiecimus? & uirtutes multas fecimus? Amen dico uobis, nescio uos. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Non poterant utique isti prophetare, demonia euicere, & miracula facere, nisi haberent fidem. Qui tamen cum sua fide separantur a domino, quoniam inanem & uacuum sine charitate & bonis operibus illam habuere. Idem cap. 25. ubi de operibus fit disceptatio in iudicio, iustis dicitur: Venite benedicti patris mei: quia esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus erâ, & operuistis me: infirmus, & uisitastis me: in carcere eram, & uenistis ad me. Et iniquis dicitur: discedite a me maledicti in ignem aeternum: qui paratus est Diabolo & Angelis eius: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus & in carcere, & non uisitastis me. Vides ergo sine operibus non saluat, non iustificat, non uniu cum Deo, nec efficit ut meri tum & sanguinè Christi attingat anima: principiu unionis habet, principium & radix & origo est tantum iustificationis. Quod & dominus iterum repetit, prout refert beatus Lucas cap. 13. Cum autè intrauisset pater familias, & clau ferit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine aperi nobis, & respondens dicit uobis: Nescio uos unde sitis. Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & in plateis nostris docuisti. Et dicit uobis: Nescio uos, unde sitis. Quare hoc audiant, cum dicant illum noscere? quoniam non sufficit de Deo notitia per fidem tantum. Inquit enim: Discedite a me omnes operarii iniquitatis. Quid immoramur? nonne beatus apostolus Paulus pri. Corin. 13. de ipsa fide & charitate. differens, ait: Et si habuerio omnem fidem (non dicit qualemcunque fidem, ne subterfugeret hereticus quispiam dicens; tantâ uel tantam fidem habere oportet, ut iustificeris, & ad te trahas sanguinem Christi: idè dicit omnem fidem) ita ut montes transferam, (tam integram, tam sortem, ut montes transferâ) charitatem autem non habuero, nihil sum: Quin & ad Gal. 4. idem aliis uerbis reperit, dicens: Nam in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid ualet, neque preputium, sed fides quâ per charitatem operatur. Et ad Rom. 3. inquit: Iustificati gratis per gratia ipsius. Quod uolens beatus apostolus omnino explanare, quemadmodum gratia iustificamur, & fidem necesse habere bonis operibus exerceri ad salutem, & ad meritum passionis Christi consequendum, inquit ad Titu. 3. Cum autè benignitas

& humanitas apparuit saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum. Audi nunc iustificationem: Ut iustificati, inquit, gratia ipsius heredes simus secundum spem uitae aeternae. Vidisti iustificationem per gratiam, nunc audi operantem fidem: Fidelis sermo est, inquit. Et de his uolo te confirmare, ut curent bonis operibus praesse, qui credunt Deo. Ne scilicet ociosam habeant fidem: nec gratia qua iustificantur negligant, sed curent bonis operibus praesse, quibus Deus iam fidem dedit. Hec sunt, inquit, bona & utilia hominibus: quasi dicat, cetera autem inutilia sunt & uana eorum, qui fide sola uolunt iustificari, & sanguinem Christi ad se trahere. His igitur uerbis hereticos conuincit Paulus. Hoc etiam maxime confirmat beatus Iacobus, dicens: Tu credis quod unus est Deus beneficus: & demones credunt, & contremiscunt. Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare. Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? Et impleta est scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo & non ex fide tantum. Bis iam annotauit beatus apostolus, quoniam fides radix & origo sit iustificationis. Atque ideo dixit: fides cooperabatur, & non dixit operabatur, sed simul operabatur cum gratia uidelicet. Et nunc repetit, & non ex fide tantum. Similiter & Kaab meretrix nonne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, & alia uia efficiens? Sicut in corpore sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est: & Lutherorum opinio per scripturam sacram falsa, haeretica & perniciosissima inuenta est. Ut autem possint ueri catholici perniciosissimam & impudentissimam Lutherorum haeresim apertius inspicere, attendant in eisdem diuisiones & separationes esse quamplurimas. Non enim sibi consentiant omnes, sed quidam eorum illud inficiantur, quod alii tenent, aliique aliud, pro suo quisque libitu asseuerat: cum iuxta scripturam sacram una semper est fides, quae unum proficitur Deum. Inter Lutheranos autem quomodo de uno Deo sic diuerso modo sentitur, negatur & affirmatur? Quae sola recto iudicio inspecta ratio arguit eorum sectam haeresim esse perniciosissimam. Quod & beatus apostolus Paulus ad Ephe. cap. 4. fideles admonens, ne circumferantur omni uento doctrine: Vnus, inquit, Deus, una fides, unum baptisma. Vna igitur est fides catholica, quam tenet sancta mater ecclesia. Porro idè apostolus praenunciens Galatis, ne aliquam susceperint haeresim sub nomine fidei, ait: Sed licet nos, aut angelus de caelo euangelizet uobis, preterquam quod euangelizauimus uobis, anathema sit. Hoc autem, quoniam cum sit unus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, una sit fides necesse est. Hanc uerò semper ab initio seculi, post Aed lapsum tria concomitantur tanquam certissima & notissima signa, quibus sit manifestum, penes quem uiget catholica fides. Haec tria sunt sacrificium, Dei laudes, atque miracula. Sacrificio namque Dei protestamur diuinitatem, & cultum soli diuinae maiestati debitum reddimus: laudibus, gratiarum actiones illi impendimus, & per miracula ipse uere fidei testimonium, reddit. Sic Abel sacrificium obtulit: miraculo ignis descendens de caelo (ut antiquissimi doctores Hebraei & etiam Latini referunt) qui sacrificium consumebar, Deus testimonium perhibebat

Vna oportet sit unius Dei fides.


Triâ semper committantur fide catholica.

hibebat eius sibi innocentiam & munus placere. Vnde & indignatus Cam, qui etiam ipse offerbat de frugibus terræ, prorupit tandem in fratricidium. Noe quoque illico obtulit cum egredere de arca, post transactum diluuium, prout habetur Genes. 8. capit. Aedificauit Noe, inquit, altare domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucris mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusque est dominus odorem suauitatis. Hoc est, suscepit sacrificium oblatum ab Noe. Item Enos filius Seth: iste cepit, ait scriptura Genes. capit. 4. invocare nomen domini. Porro Melchisedec sacerdos Dei altissimi, offerens pro Abraham panem & vinum, benedixit illum, & laudes Deo reddidit: cui Abraham dedit decimas, prout habetur Genes. capit. 14. At vero Melchisedec rex Salem proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit caelum & terram, & benedictus Deus excelsus, quo pro regente hostes in manibus tuis traditi sunt. Et dedit ei (scilicet Abraham) decimas ex omnibus. In lege scripturæ Deus plurima præcipit offerri sacrificia. Et laudes influitæ sunt cantorum & tubarum & aliorum generis musicorum, prout habetur in toto Exodo, & deinceps per omnem scripturam, præcipue in libris regum. Itaque semper fidem veram hæc tria concomitata sunt, sacrificium, Dei laudes, & miracula: quæ perfectissime vsque in hodiernum sancta retinet mater ecclesia: offert enim corporis & sanguinis domini inæstimabile sacrificium: laudes semper Deo reddit in horarijs precibus: pariter & per sanctos huius fidei consortes plurima vsque hodie operatur miracula. Vide igitur hæreticam Lutheranorum perfidiam, qui tantis obruuntur exemplis. Ecce sacrificium negant, nec quidquam Deo offerunt. Ecce omnem Dei laudem abijciunt. Ecce miracula inter eos sic existentes hæreticos nec vnquam fuisse facta, nec fieri. Quoniam Deus qui testis est veritatis & miraculorum effector, nunquam testimonium reddet eorum mendacio. Immo in tantam deuenerunt demeritiam (O Iesu bone, & quis hæc dicens temperet a lachrymis?) vt excepto baptismo, in duobus cum Mahumetanis conueniant, & in octo illis longe peiores, a fide catholica deueniant: haud dubium quin cum Mahumetanis, Turcis, Sarracenis conueniant Lutherani in negatione sacramentorum, baptismo tamen excepto, quem fatentur. Secundo, in eo conueniunt, quod omnibus ducendas vxores asserunt, nullum votum, nullamque virginatam seruantes. Nec domini verba curant laudantia virginatam: Sunt, inquit, eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum caelorum. Nec illum ex virgine natum considerant: Nec apostolum Paulum clamantem pri. Corin. 7. Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Octo autem in quibus laxiores Mahumetanis eoque peiores, sunt Lutherani: Primum est, in structura templorum, quæ Mahumetanis non displicet deo templædificantibus, ibique conuenientibus & orantibus: Quæ tamen illis non proliunt, quoniã non credunt in dominum nostrum Iesum Christum. Lutherani structuras templorum, quas Deus in veteri & nouo testamento probauit, respuunt. Iã enim temporibus apostolorum erant basilicæ, in quibus populus Christianus conueniebat ad laudandum Deum, & sacramenta suscipienda, prout beatus apostolus Pau. pri. Corin. 11. attestatur. Nunquid, inquit, domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis? Et supra: Conuenientibus vobis in ecclesiam, audio scissuras esse. Secundo, laxiores & peiores sunt Lutherani Mahumetanis, in eo quod Mahumetani habent sacerdotes inferiores, & superiores, qui habitant iuxta templa eorum. Nec vllam vnquam legi-

In duobus
similes ma-
humeta-
ni: in 8.
peiores &
laxiores
sunt Lu-
therani.

tur fuisse idolatrarum gentem sine sacerdotibus, Lutheranis exceptis, qui omne tollunt sacerdotium & vnquenque dicunt esse sacerdotem. Tertio, istis sacerdotibus Mahumetanis obedientiam & reuerentiam exhibent, etiam ipse Turcarum rex. Lutherani ad laxiorem vitam degendam, nec sacerdotem, nec illi obedientiam, cum apud eos non sint, præstant. Quoniam sic volunt, sic viuunt, vt sit pro ratione voluntas. Quarto, celebrant festa sua Mahumetani, omnemque sextam feriam, & festum Ioannis baptistæ & alias habent celebritates. Lutherani autem omnem diem festum elidunt. Quinto, Sarraceni & omnes Mahumetani habent ieiunia sua, quæ seruant magno rigore & abstinencia, semel edentes in die, nullum vsque ad noctem cibum sumentes. Lutherani omne ieiunium tollunt, negligunt ac vituperant, semper edentes & bibentes. Sexto, Mahumetani ad loca quæ ab ipsis reputantur sancta peregrinantur, & suis oblationibus venerantur: Lutherani omnem peregrinationem tollunt: nec ipsum sepulcrum domini, Mahumetani celebre, venerantur. Septimo, Mahumetani confitentur purgatorium locum, in quo animæ expiantur quæ non ita mundæ & defecatae ex hac vita decesserunt, & oblationes pro animabus purgatorij offerunt, & deprecationes. Lutherani purgatorium negant, oblationes blasphemant, & deprecationes omnino respuunt. Octauo, Mahumetani omnes confitentur, & sic habent in suo alcorano, neminem absque bonis operibus sola fide posse saluari: Lutherani opera negant, tum & fidem ipsam commaculant: Quia adeo separati, & longe sunt ab ecclesia, vt etiam si ad Turcas seu Sarracenos se conferant, illos nunquam suscipiant, reputantes illos hominum esse pessimos. Vt non fere credibile videatur Christianos homines eo demeritæ adductos, vt per tot spatia distent ab ecclesia catholica: nec tantum ab ipsa ecclesia catholica, verum & ab omni hominum secta & natura. Nulla enim vnquam natio fuit, quæ non habeat suos sacerdotes, suas oblationes, orationes, sanctos, peregrinationes, & cætera huiusmodi, quæ contra omnium hominum instinctum & rationis dictamen, soli Lutherani negant. Reliquum est vt pia, sancta mater ecclesia ad Dei & hominis Christi Iesu genua prouoluta, sponsum suum assiduo deprecetur, vt ab eorum mentibus hæc cæci tatis tenebræ auferantur: omnemque sollicitudinem præsent, summus præcipue pontifex & cæteri pontifices & doctores concilijs, exhortationibus & scriptis, principes etiam Christiani precibus ab illis contendant, vt a tam ob scœna, tamque sacræ scripturæ aduersa hæresi conuertantur ad vnitatem ecclesiæ sanctæ catholicæ, quæ semper illustratur fide, vt Iesu Christi domini nostri decet sponfam immaculatam: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS PRIMVS.
IN CAPITVLVM XVII.
BEATI MATTHAEI.



QUOD dominus in vltimis verbis præcedentis cap. promissit traditur, nunc in initio huius decimi septimi, ostendit beatus euangelista exhibuisse. Dixerat namque: *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt merem donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Hoc est, in maiestate quemadmodum regnaturus est. Quod autem his spondit verbis, opere post dies sex exhibuit. Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Hunc montem dicunt fuisse montem Thabor secundum Dauid prophetiam psal. 88. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. In nomine quod est super omne nomen: id est Iesus filius Dei. Hermon iuxta Iordanem est, quo in flumine baptizato domino baptismo Ioannis, vox patris audita est: Hic est filius meus dilectus. Similis quoque vox in monte Thabor de nube lucida, in hac gloriosa transfiguratione a patre auditur, dicente: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. In nomine igitur filij Dei Thabor & Hermon exultant. In veteri namque lege Iordanem sicco vestigio transferunt Iudæi, Iosue cap. 3. iuxta quem Hermon situs est. Et in monte Thabor visitor euasit Barach, occiso Sifara duce exercitus Iabin regis Chanaan: prout habetur in libro Iudicum, cap. 4. Cæterum cum Dauid in prædicto psal. 88. in nomine domini dicit lætari Thabor & Hermon, & nomen Christi a patre extollitur in vtroque monte, iuxta Hermon, & in monte Thabor: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. De istis mysteriis prophetia psal. verius interpretatur quam de Barach & Iudæis Iordanem transcuntibus. Cæterum hos tres apostolos, nõ alios assumpsit dominus, cuius voluntas semper iustissima est: vel quia sic ita tuit occulto & iustissimo suo consilio: vel Petrum assumpsit, ne illi diuina mysteria occultarentur, qui summus pontifex orbi erat præficiendus: Ioannem vero quem sacratissimæ virgini in filij in cruce pendens substituit, vt de hac gloria posset cum ea familiariter loqui: denique Iacobum, quia primus omnium apostolorum pro fide Christi erat occidendus. Et respiciunt facies eius sicut sol: vestimenta autem eius sicut nix sunt alba sicut nix. Anima Christi gloriosa resudat claritatis dorem quo ad substantiam in corpus Christi, vnde facies eius respicendit sicut sol: & ex splendore corporis vestes nimio fulgure coruscant, & sicut nix alba efficiuntur. Lucas dicit: & vestitus eius albus & resplendens. Dicimus quo ad substantiam dote claritatis id contigisse. Quoniam admodum essendi permanentia illius claritatis erat necessaria ad rationem dotis gloriosæ. Vnde beato Thom. magis placet subtilitatem qua domitus exiuit de intemerato virginis vtero, & agilitatem qua super aquas maris deambulauit, & claritatem quando est transfiguratus miraculo ascribere, quam dori-

bus

bus gloriosis. Prædixerat enim dominus futurum esse ut reprobaretur in Hierusalem, & crucifigeretur: similiterque suos iubet, si perpetuam velint salutem consequi, tollere crucem, & illum sequi, operibus bonæ imitationis, nec sibi ex sola fide sperare salutem. Hæc autem cum ardua sint & repugnantia carni: idcirco dominus quanta illi sunt gloria afficiendi, quantoque donandi præmio, qui ipsius crucem quotidie humeris baiulantes ipsum sequi uelint, ostendit. Tanto igitur subleuati sunt gaudio, tantaque dulcedine suffusi discipuli, ut Petrus iam illa claritatis iucunditate contentus, clamaret: *Domine bonum est nos hic esse.* Voluit etiam dominus discipulis ostendere, quanta posset potentia probra & mortem euitare si uellet, quod ipsi postea, huius gloriæ memores, populis annuntiarent: seque uerum Dei filium indicat, cum animam in uerbo gloriosam tantum fulgoris possit in corpus refundere. Nec enim alius nisi Deus uideus Deum anima glorificata, tantum luminis corpori opaco adhibere posset: nec tanto ac tam mirabili fulgore coruscare. Aduerte igitur, quoniam omnis labor sub tanta gloria leuis est, omnisque uel lescit mundus, & in paupertatem computantur diuitiæ, si ad hanc conferantur lucem. Quod si tanta claritate fulget læterna, corpus scilicet, ipsum interiorius anime lumen quanto splendore fulgeat? Rursum, si anima gloriosa, ea claritatis exuberat copia, ut etiam corpus tanti luminis dote participem reddat, quis quæso explicare possit, qua claritate irradiet illud indeficiens lumen, Deus scilicet uerus, qui fons luminis ipse est perennis? Candor enim, inquit sapientia cap. 7. est uitæ æternæ, & speculum sine macula, & imago bonitatis illius. De quo Dauid dixit: Quoniam apud te est fons uitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen, psal. 35. Nulla igitur tenebra cor nostrum occupet, tollat unusquisque crucem suam quotidie, & Christum sequamur: quando a fonte luminis Deo tanta in anima claritas se refundit, & ab anima tanto splendore decoratur corpus. Moyses quando legem accepit, ex consortio sermonis Dei, prout habetur Exo. 34. cap. coruscantem faciem populo ostendit, at uero non sicut sol: nec uestimenta eius splendentia, & alba uelut flos stæ. Amplioris enim gloriæ, inquit, beatus apostolus Paulus ad Hebræos 3. iste præ Moysæ dignus est habitus, quanto amplioris honorem habet domo, qui fabricat illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit, Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tãquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant: Christus uero tanquã filius in domo sua. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Helias cum eo loquentes. Ecce tanquam famulus Moyses loquitur & Helias, ut sæculis innotescat dominum nostrum Iesum Christum a lege & prophetis testimonium suæ diuinitatis habere, eundemque esse dominum legis & prophetarum: cuius ad obsequium legislator Moyses, & prophetarum zelotes Helias adueniunt. Moyses quidem e limbo sanctorum patrum corpore ex aere formato adest: Helias uero uiuus cum sit, a loco in quo illum dominus constituit (qui locus dicitur esse paradisi terrestris) aduenit. Loquebantur, inquit Lucas, excessum eius quem completurus erat in Hierusalè. De quo supra proximo capitulo refert beatus Mattheus dixisse dominum discipulis: nempe quod oportebat eum ire Hierosolymam, & multa pati a senioribus & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Merito igitur loquuntur de morte domini Moyses & Helias, vt discant discipuli, hanc in lege Moysi multiplici sacrificio, & sanguine præfigurari, & a prophetis plurimis uerbis uaticinari: hanc unicum esse humanæ salutis remedium ad peccatorum extinctionem, & uitæ æternæ largitionem: ne Petrus alias dicat cum

KK hæc

hæc audierit, absit a te domine, non erit tibi hoc: quinimmo sciat ad hoc dominum in mundum venisse, & tanta teneri mole, ac tanta sordiditate conspurcari peccatum, quod alio non possit expelli pretio, nec alio lauacro ablui: Agnouerunt autem Moysen & Heliam ex verbis cum Iesu, & adiuuicem collatis, quibus se proprijs appellabant nominibus, dum alter ex lege dominicam passionem, alter ex prophetis illam exponeret: Ad illam igitur gloriam quisquis deueturus sit, sciat se per merita huius beatissimæ passionis domini gratia & bonis operibus tandem peruenire. Nec quisquã sibi blandiatur sola posse fide saluari, & illa sanguinis Christi meritum ad se adducere, & beatis in gloria associari: cum ipsum dominum videat hanc sibi legem statuisse, quod oporteat patri Christum, & ita intrare in gloriam suam. Suam inquit, quoniam secundum diuinitatem ipse est rex gloriæ, & secundum animam ipsa gloria in verbo, cui unita erat humanitas, fruebatur: corpore tamen exposito cruciatibus, quibus nos redimeret a peccatis, ac tanto redemptos pretio in gloria collocaret. Nemo ergo deliciose viuens aduletur sibi, quoniam qui non tollit suam crucem, & sequitur Christum, re vera non est illo dignus. Docemur etiam passionis domini iugi meditationi nos semper debere esse intentos: cum Moyses & Helias Christum in tanta gloria conspicientes, de excessu eius ab humanis loquuntur, quem complecturus erat in Hierusalem, & quod die tertia esset resurrecturus. Lucas porrò dicit Moysen & Heliam vivos esse in maiestate, hoc est cum maiestate Christi: quia maiestatem & gloriam tunc Christus dominus ostendere voluit. Verum eniuero tunc aliquid esse dicitur in maiestate, cū est in supremo suæ dignitatis culmine, quod tunc legi & prophetis contigit, cum in Christo omnia legis & prophetarum completa sunt testimonia. Tunc deniq; & Christianus in sua est maiestate, cum domino fide præuia gratia bonisq; operibus ac digna imitatione adhæret. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, factamur hic tria tabernacula, tibi unum & Moysi unum, & Helie unum. Vtiq; O beatæ Petre bonum est nos hic esse, ubi nec conficimur senio, nec fame aut siti irgemur, nec doloribus cruciamur, nec egritudine conficimur, nec labore lassamur. Bonum utiq; est nos hic esse, sed quis nos deducet in montem domini, aut quis nos statuet in loco sancto eius? ipse, inquam, qui transfigatur, ipse cuius tanta est gloria tantaque maiestas, quod sola accidentalitatis corporis sui gloria vel breuissimo momento aspecta, ita animos ad se trahit & rapit, ut iam Petrus clamet: Domine bonum est nos hic esse. At optime Petre non expedit nobis in terra tabernaculum figere, altiora docet nos petere Iesus, cum omnem nostram in cælum præcipit dirigere mentem. Dicit enim, prout habetur Ioan. 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum. Et si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut vbi sum ego, & vos sitis. Et cap. 17. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut vbi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Hæc claritas maior est claritate transfigurationis: altior hic est locus, quam firmions Thabor. Verum eniuero cum beatus Petrus meminisset quod discipulis supra dominus dixerat, nempe in Hierusalem reprobandum, & occidendum fore, cui tunc ipse respondit: absit a te domine, non erit tibi hoc: nunc videns Christum dominum ita fulgentem & tanta præditiu maiestate, ac simul cogitans, dum in illo esset fulgore, nihil posse illi obesse, voluit illic permanere, ne quæ prædixerat dominus, pateret: Ideo ita loquitur, nesciens, inquit beatus Lucas, quid diceret. Vnde factum est. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit*

obumbravit eos. Ecce vox de nube, dicens: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit: ipsum audite. Et notandum est, quod dum fieret vox inuentus est Iesus solus, ut inquit Lucas Capite Nono. Et Mar. etiam Capite Nono. Et statim, inquit, circumspicientes neminem amplius viderunt nisi Iesum tantum secum: ne forte dubitarent ad quem vox patris referenda esset. solus igitur erat Iesus, qui solus & vnicus est illi æternaliter filius. Bonitatem diuini amoris denotat, cum ait: in quo mihi bene complacuit. Sunt enim sepe in nobis complacentiæ voluntatis non secundum rationem, ideòq; non bonæ: Deus enim quodcumq; vult, illud est bonum: quippe cuius voluntas semper omnimoda ratione abundat, & cuius ratio bona semper quærit. Non autem dicit hic est filius meus dilectus qui mihi bene complacet, sed in quo mihi bene complacuit. Sibiq; dicit complacere in filio, ad denotandam diuinæ essentia voluntatem: dum ipse in filio habet gloriam, & in illo complacet sibi: & filius itidem gloriam habere in patre, vna eademq; gloria, vna eademq; substantia esse præditos designatur. Quod factum est, ne cum audissent discipuli patrem & filium in distinctis nominibus personarum, unitatem essentia separarent. *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timerunt valde.* Si vox patris adeo suavis timorem incutit, quid vox faciet irati iudicis cum a se separauerit in ignem æternum damnatos? Sic pauidus & tremebundus Iudæorum populus dicebat Moyfi: Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis dominus, ne forte moriamur. Exo. 20. *Et accersit Iesus, & tergit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere.* Cum in faciem procidissent, tergit eos dominus manu sua, ad cuius tactum resurgunt mortui, surgunt & discipuli, qui leuantes oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum. Quoniam dum vox fieret, prout prædiximus ex beato Luca, & beato Marco, solus inuentus est Iesus: *Et descendens illis de monte, præcepit illis Iesus, dicens: nemini dixeritis uisionem, donec filius hominis a mortuis resurgat.* Tunc enim astrueris gloriam resurrectionis exemplo gloriæ transfigurationis, dicentes: Non miramini resurrexisse dominum, sed firmiter credite, quoniam nos ipsi vidimus corporis eius gloriã, cum adhuc viueret, cui & testimonium perhibebant Moyses & Helias. Etiam vocem patris audiuimus testificantem illum esse filium suum natura, quem constituit audiendum, & illi in omnibus obtemperandum, tanquam verum Messiam & saluatorem mundi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS.

In XVII. cap. beati Matthæi.

INVITAT hæc sacra lectio studiosas mentes altius considerare, huius tam gloriose transfigurationis splendorem & associationem. Adest celestis pater testimonium perhibens Christo. Adest vnicus eius filius carne indutus, cuius vultus solis claritatem excedit, cuius corporis fulgor vestes reddit coruscantes. Adsumt primi beati apostoli Petrus, Ioannes, & eius frater Iacobus: denique adsumt primus ex lege Moyses, & ex prophetis Helias. Ex quo iam plena atque perfecta societas futura ostenditur in sanctorum gloria: quando in conspectu patris, filij, & spiritus sancti, adsumt beati spiritus apostolorum, prophetarum & patriarcharum. In monte autem excelso hæc solennitas agitur, ut seculo innotescat rebis tempore

rariis deditos homines, qui que se ad infima desideria permiserunt trahi, ab huius celebritatis gloria seclusos esse. Non enim urbs illa cœlestis tanta depressio terrenorum mole admittit. Agiles ciues quærit, & qui in altum uolucres de ferantur, qui que sub pedibus Christi suum componant nidum, & qui se vera humilitate ad usque terræ centrum submittant. Atque a deo sibi ipsis displiceant & contemptim habeant, ut nihil præ se vilius ac despicabilius arbi trêtur. Verum quis ille erit, qui sic in altum euectus, subito seipsum reddat humillimum? Quis enim, dicebat psal. 54. mihi dabit pennas sicut columbæ & uolabo & requiescam. Pennas desiderat non alterius uolucris nisi colibæ, quæ pro cantu gemitum reddit. Laudatur autem columba a simplicitate nature, a fecunditate, quod que morticina minime tangit, sed solis seminibus pascitur. Puram igitur vitam designat columba: quæ & gemitu humilitatem offêdit, & cœlestem ascensum uolatu denotat. Inter hos igitur columbinos uiros Christus dominus transfiguratur. Hi sunt qui faciem eius, corpus & indumentum omnia splendentia cernunt. Effusa sunt tenebræ dicentium illum esse Heliam, aut unum ex prophetis: Disiecta nebula suspicantis Herodis esse Ioannem baptistam, quando pater cœlestis sublimiori illum titulo prænotauit, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et Helias & Moyses testimonium perhibent illum esse dominum uitæ & mortis: dum alter illi famularum ex uiuis, ipse est Helias, & alter in eius obsequium uenit ex mortuis, ipse est Moyses. Porrò inter uiuum & mortuum transfiguratur, ex quo utilissimum nobis datur exemplum, si uolumus transfigurari, id est a terrenis ad cœlestia mentem conuertere, ut omnia nostra inter mortem & uitam collochemus, vno igitur oculo in uitam directo, alterum in mortem flectamus: & tanquam a tergo insequentem mortem, atque omnia temporalia in nihilum redacturam iugi meditatione cernamus. Hoc quisquis assidue egerit, tollet crucem suam, & dominum bonis operibus imitabitur: Ac tandem ipsam conspiciet non quidem transfiguratum in monte Thabor, sed ad dexteram patris sedentem & omnibus dominantem. Huius considerationis defectum conquirebat Moyses Iudæis deesse, quando Deut. 32. dicebat: gens absque consilio est, & sine prudentia: utinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Bona & uitam sedentes expectare possumus, periculis porrò & malis obuiandum est, & illa a longe propulsanda sunt, aut expectanda. Sic enim fiet, ut vel non contingant, vel si aliter fieri nequit, ut si quando accesserint paratiores suscipiamus. Ex quo utique prudenti consilio plura nobis bona proueniunt. Nam quæ præuidetur sagitta, cautius emittatur. Itaque a uita ad mortem oculos conuertentes, eam intrepidè expectemus, clypeumque illi bonorum operum opponamus, ut iam nobis non mors dicatur, sed initium beatæ uitæ. Si hæc difficilia alicui uidebuntur, secum perpendat quemadmodum beatus Petrus ab illa corporis Christi claritate affectus, iam omnium ac sui ipsius oblitus clamat: Domine, bonum est nos hic esse. Si bonum est, O Petre vos illic esse, quanto amplius bonum erit nos illic collocari, ubi iam non corpus domini clarificatum, sed ipsam eius diuinitatem intuebimur? Mens ergo nostra semper in cœlum intendat, quemadmodum & beatus apostolus Paulus ad Phil. 3. inquit: Nostra autem conuersatio in cœlis est: unde etiam saluatorem expectamus, dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis sue, secundum operationem uirtutis sue, qua etiam passi subijcere sibi omnia. Exeplum corporis tui, quod cernis in puluere reuersurum, & in ultima resurrectione resurrecturum in gloria, sume ex tritici uel alterius seminis grano, quod cum

eum nudum in terram faciat agricola, mox surgit in uiridem arundinem, & in vberissimam spicam. Quod ad 2. ad Corint. cap. 3. idem beatus apostolus Paulus subtilissima ratione ex lege concludit, dicens: Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus (hoc est, lex quæ uitam non præstabat æternam, tota præfulget claritate ob eius latorem Deum) fuit in gloria: ita ut non possent intendere filij Israel in faciem Moysi, propter gloriam uultus eius quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Et postremo concludit, dicens: Nos uero omnes, reuelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritate, tanquam a domini spiritu. Expectantes igitur gloriam magni Dei, & corporis etiam nostri immortalitatem & splendorem, transfiguremur nunc domini spiritu in claritate gratiæ & prosecutionis bonorum operum. Aduertendum autem quod cum lex uetus populo trementi acclamat, Moysi facies tantum, non corpus, non uultus illustratur: quoniam sola legis notitia ostendentis Christum uenturum rutilat, non iudicia eorum, nec ceremoniæ illustrantur, quoniam illa omnia transferunt. Cæterum dum Christus dominus transfiguratur, uultus, corpus, uestis, omnia denique fulgent: quoniam omnia legis gratiæ præcepta, dogmata, & sacramenta permanent in seculum sæculi. Et regni eius non erit finis, inquit angelus Gabriel ad Mariam Deiparam semper uirginem, & David psal. 109. quæ de sacerdotio Christi ait: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Qui ergo tantam expectant gloriam, non uereantur crucem suam tollere, & plurimis bonis operibus exerceri. Illud autem a fidelium mente nunquam debet excidere, nullos esse qui grauiora sibi exquirant supplicia, quam qui male uiuunt. Nunquis te acerbius cruciari potest, ac tu dum scelus committis? Locum in primis habitabis teterrimum, eum que supra modum fœridum & spurcissimum. Pro pratis uirentibus, nigerri-mos spectabis demones omni deformitate deformiores, qui te mille illudant modis. Adde quod sine intermissione torqueberis igni inextinguibili. Inconsumptus semper ardebis: atque omni tormentorum genere excruciaris. Quodque magis horrendum est, Deum te nunquam uisurum, nec a tantis cruciatibus unquam absolui posse, certissime scies. Quis ergo poterit tantis tormentis afficere, quanta tibi tu peccando inferis supplicia? Pone igitur omnia tua in excelsum montem uirtutis, ascendeque ad dominum: & inter uitam & mortem quidquid animo uolueris constitue. Si in mentem uenit regnum: interim mihi considera regem aliquem mortuum, qui tunc omnium rerum tam est inops, humilis, & abiectus, quam qui maxime: ut a ligone iam nihil differat sceptrum. Si papatum cupis, pone ex aduerso aliquem summam pontificem uita priuatum, & bullam quandam euanescentem planè uidebis. Si te ambitio seu diuitiarum cupido perturbat, constitue tibi ex aduerso diuitem, siue alium summo honore præditum uirum, qui iam in cinerem redacti fiat: & apertissima luce conspicias uerum esse, quod in Ecclesiastico dicitur cap. 12. Vanitas uanitatū dixit Eccles. & omnia uanitas. Nunquam igitur a mente tua excidat, cum tentaris, aliquem mortuum ante oculos ponere: Quo in speculo uanitatē mundi perspicue intueberis, & quantæ sint æstimationis omnia quæ in mundo sunt. Et ita te ad Christum conuertes: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS TERTIVS.

In cap. XVII. beati Matthæi.

A confirmandam fidem discipulorum, dominus in monte transfiguratur: cum etiam & finem ostendit, ad quem adiscendum euangelica uita dirigitur. Has celebres rationes beatus Thomas adducit, nempe doctissimas. Oportebat namque discipulos, qui fidei futuri erant prædicatores, talia de Christo habere testimonia: quibus Iudæorum perfidiam contundere possent, atque omnem idolorum culturam a gentibus extirpare. Cum autem pater de Christo testimonium reddidit in baptismo, nondum discipulos dominus ad se ascieuerat. Nunc uero cum ipse testimonium haberet a scriptura & a miraculis, uoluit & discipulos testimonio patris in fide corroborari: præsertim cum prædixisset Petro, quando illum filium Dei uiui confessus est: beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi: sed pater meus qui in cælis est. Quapropter nunc huic Christi responso ad Petrum, scilicet quod pater cælestis illi reuelasset eum esse Dei filium: ipse pater non iam interiori uoce in corde Petri, sed uoce magna de nube in aures discipulorum, quorum ibi primi habebantur legis & prophetarum testimonio Christi diuinitatem proclamauit, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit: ipsum audite. Confirmata igitur sunt discipulorum corda in fide diuinitatis Christi: cum id quod reuelatum est uni, acclamatum a patre est pluribus. Proinde laudabilis uitæ finem ostendit discipulis, ut illi omnem laborem, omneque tormentum parumper darent: uidentes ad quod gloriæ culmen sint peruenturi, qui nihil eorum quæ ad Dei obsequium pertinent, prætermittunt. Electis enim discipulis subtilitas hæc ostenditur, ne transfigurationis arcanum uulgo manifestaretur, quod forte passioni domini foret obstaculo. Cum hoc præsertim mandatum dominus a patre acceperit, ponendi animam suam: tum etiam quia Iudæi perfidi & obisti nati in malo, uocem a patre missam aliorum fecerent. Quemadmodum cum uox de cælo a patre iterum audita esset, prout refert beatus Ioannes cap. 12. qua dicebatur: Et clarificauit, & iterum clarificabo: quidam dixerunt tonitruum factum est, alii autem angelus ei de cælo locutus est. Quod et beatus apostolus Petrus significauit 2. epistola ca. pri. cum huius transfigurationis mentionem fecisset, dicens: Non enim indoctas fabulas secuti, notam fecimus uobis domini nostri Iesu Christi uirtutem, & præscientiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo patre honorem & gloriam, uoce de lapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit: ipsum audite. Et hanc uocem nos audiuimus de cælo allatam esse: cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiter prophetiam sermone, cum benefacitis atredens, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus uestris. Non hoc dicit beatus apostolus Petrus, eo quod discipulis & credentibus non sit certissimum patris testimonium: immo uero quoniam non credentibus Iudæis prophetarum oracula certiora erant testimonia, quippe scripta, & quæ ipsi inficiari non poterant: ut uocem patris ipsi abnegarent, nunquam se illam audiuisset obstinate mentientes. Quin & corda ferrea non ita facile uoce emolliuntur. Ceterum dominus in hac gloriosa sui transfiguratione ob oculos discipulorum ponit, nunquam se præcepisse aliquid relinquere temporale, quin maius aliquid donaret cæleste. Ecce prædixit: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat

tollat crucem suam & sequatur me. Et post dies sex tantæ maiestatis gloriam illis ostendit, ad cuius comparisonem omnis sit leuissima pœna. Sic etiam dicit iuueni: Da omnia quæ habes pauperibus: Deinde multo maius promittit. Et habebis, inquit, thesaurum in cælo. Dicit non mœchaberis: audi quid respondit spiritus sanctus per os Dauid: Delectationes, inquit, in dextera eius, ut que in finem. At itaque: Qui diligit patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Idem uero: Qui fecerit uoluntatem eius qui misit me, hic meus frater & soror & mater est. Atqui Petrus apertis oculis domini gloriam confiderans ait: Domine bonum est nos hic esse. Ecce finem euangelicæ legis, nempe ut tollamus crucem & sequamur Christum. Finis iste eorum est, qui non grauate remittunt iniurias, qui terrena respuunt, qui se ieiuniis & flagellis puniunt, uigiliisque attenuant, qui omnia pro Christo deserunt: quod si id minime liceat, cum omnibus quæ possident, ei obsequuntur. Finis utique iste gloriosissimus: quem oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparauit diligentibus se. Ceterum ad hunc finem consequendum opus est, ut beatorum apostolorum Petri, Ioannis, & Iacobi socii efficiamur. Quod & propheta Dauid spiritu diuino præsentiens ait, psal. 23. Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in uano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo. Iacobus qui & luctator interpretatur, hic innocens dicitur manibus. Quemadmodum & Dauid primo Reg. 17. dixit Sauli, se leonem percussurum fuisse, & ab ore eius adempto agno, manibus per mentem apprehensum discerpisse: & etiam ursum interfecisse. Qui enim luctator est fortis, manus habet fortissimas. Hic est qui leonem & ursum ferocissimas inter cæteras sylvarum bestias perimit, hic, inquam, est qui grauiora peccata animam præ cæteris perturbantia, gratia Dei a se longe pellit. Talis profecto innocens manibus dicitur qui orationibus, ieiuniis & uigiliis cæterisque operibus bonis a Deo fortitudinem impetrat gratiæ, qua peculiaria sibi & ueluti a natura contracta uitia expellat, respuat, discerpant, atque omnino extinguat. Ioannes dicitur mundus corde, quoniam uirgo electus a domino, uirginitate semper illesa permansit: Cui & dominus cruci affixus uirginem matrem commendauit. Propheta igitur cum dixisset: Innocens manibus, statim adiecit: & mundo corde. Beati, inquit, dominus, mundo corde: quoniam ipsi Deum uidebunt. Cor in mundum magnopere Deo displicet. Væ, inquit scriptura, duplici cordi. Cor duplex immundum est. Qui enim duplici corde sunt, non mihi uidentur illis ab similes, qui laruati scenis prodeunt acturi fabulam: quorum unus regis personam induit, alter iudicis, alius mulierem se larua simulat. Qui tandem peracta fabula laruisque ablatis, qui regem mentiebatur, iam faber est, qui iudex, unus quidam erat ex plebe: quæ uero mulier uidebatur, homo est: Huiusmodi sunt, quos dominus cauendos dixit. Qui ouina induti ueste, & qui nam simulantes simplicitatem, re uera intus, lupi sunt arcoses. Et nouum quidem in his reperitur nequitie genus. Cum enim uerba sunt siturum in anima passionum notæ (ad sensum enim cordis manifestanda homo utitur uoce) e diuerso isti effectis uerbis cor obnubilant & occultant, nimisque satagunt, ne unquam percipias cum loquantur, quid sibi uelint, omnia simulate callideque agentes. Quippe cum hoc uelint, aliud uoce se uelle simulant. Qui igitur cupit ascendere in montem domini, contra se precipue, & fortius contra omnem peccatum manu forti dimicet: deinde cor mundum simplex & rectum gerat, nec fingat & simulet, seu uerborum usum inuertat: quorum officium est, id quod intus later, exterius propalaré. Qui non accepit in uano animam suam: Ille in uanum

Cor mundum.

Cor in mundum larua similes.

Vocis officium in homine.

uanum aliquid accipere dicitur, qui re accepta abutitur: usum scilicet ad quæ illa præstita est, inuertens. Si enim alicui donares calceos seu chlamydem, & ille ordine præpostero manibus portaret calceos, & chlamydem adaptaret capiti: nonne diceret, in uanum chlamydem illi & calceos te præstitisse? Ita quoque de anima dicendum fuerit, quæ data est homini, rationalis quidem, ut ratione uiuat. Donatur & illi fides, ut in Christum credens eum agnoscat: gratia item datur, ut bene operando mereatur. Proinde si ille pro fide sensibus utitur, minime Deum cognoscit, nec quantum illi sit tribuendum percipit, & gratiam peccatis commutat. Profecto quisquis talis fuerit, in uanum accipit animam suam. Et quoniam Petrus ac petra dicitur, solidus ille cum beato Petro in montem ascendet, qui animam suam non in uanum acceperit, firmiter fide credens, & ab ecclesia Christi nunquam recedens: qui semper ratione ductus, nihil tribuerit sensibus & uoluntati: qui suis eptam bonis operibus auxerit: qui denique, ut bonus miles aduersus nequitias spirituales ad extremum usque halitum dimicauerit. O terre principes & populorum præfecti, quemadmodum lepra contaminatos extra iudubria pellitis, & si quam domum tetigerit pestis, illico obseratis, & habitatoribus longe abire cogitis: cur inter tot peccatorum pestes, & lepras conuictis? Agite agite, quid moramini? homines facinorosos, impudicos & corruptis moribus aut scuerissimis legibus coercete, aut longe a republica uestra exterminate. Saragite ut ascendant omnes in montem domini, ut sint mundi corde, ut non in uano accipiant animam suam, ut diuinæ & humanæ legi subiiciantur. Atque ita fiet, ut una cum his beatis apostolis mereantur Christum dominum glorificatum inuenerit: cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUARTVS,

In XVII. cap. beati Matthæi.

HABET Christus dominus & saluator noster montem in quo transfiguratur. Habet & dæmon montem in quo suos transmutat. Dominus itaque suos in se multipliciter transfiguratur: eadem enim uerò ita suos transuertit, ut in se multipliciter transfiguratur: eadem enim uerò ita suos transuertit, ut in se multipliciter transfiguratur: eadem enim uerò ita suos transuertit, ut in se multipliciter transfiguratur. Mons in quo boni Dei gratia transfigurantur, ipsa sancta ecclesia est, mons Dei, mons pinguis, psal. 67. Cuius fundamenta sunt in montibus sanctis, psal. 86. Horum igitur quinque sunt transmutatorum species. Primi Deum sequuntur, & ecclesie montem ascendunt; tanquam mercenarii: utpote qui temporalia quærunt, & Dei obsequiis uacant, propter terrena, uel acquirenda, uel iam acquisita conseruanda. Horum cogitatio infima est, & Deo parum apta, quando infinito bono adhærent, propter temporarium bonum. Quoniam uerò a peccatis abstinent, & coniungi Deo nituntur, quod faciunt bonum est: hoc est, non peccare, & Deo proximos fieri. Intentio autem ad res temporales adhibita bona non est, quam si a se resicerent optime transfigurarentur. Sic autem ueluti mercenarii in domo Dei existimantur, similes filio prodigo, cui temporalia ad memoriam patrem reduxerant, cum dicit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame peceo. Temporalium igitur indigentia, & mercenariorum recordatio, illum ad patris domum redire fecerunt. Secundi sunt qui timent dominum, & a facie domini, & a timore eius concipiunt & parturiunt spiritum salutis: iuxta illud Esaiæ cap. 26. A facie tua domine, inquit, concepimus, & quasi parturimus

turimus spiritum salutis: & iuxta illud psal. 2. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Dominus enim & amari præcipue uult, & timeri: Diliges dominum Deum tuum, scriptum est: & beati omnes qui timent dominum. Hæc duo principibus necessaria omnino sunt, nempe ut diligantur primo, deinde ut timeantur. Quoniam amor facit impendi obsequia uera: timor uerò re trahit, ne paruipendantur. Amor igitur incitat subditos ad optime seruendū, & timor reprimit subditos ne sint audaces. Absq; timore principis unusquisque ad libitum suum uiuere. Quin & ipsi quorum est munus iuri præesse, senatores, prætores, & inferiores iudices officiis suis deessent. Socrates, cum ad suspendium deprehensum furem lictores traherent, risisse traditur: qui de risu interrogatus: Rideo, inquit, quia video magnos latrones ad suspendium latrunculum ducere. Tertii sunt sub magistro transfigurati, qui nolunt amittere spirituale consolationem, nec in aliquo quantumcumq; proficuo opere distrahi, ne sua dulcedine spirituali priuentur: gens quidem bona, nimium tamen sibi ipsi addicta. Quemadmodum bonæ indolis puer die ac nocte adnititur, ne a magistro uapulet uel arguatur: haud secus isti ne sibi amica consolatione destituantur, ac ueluti flagellentur, cibo dulcedinis spiritualis sibi subtracto, omne obsequium Deo impendunt. Quarti autem transfigurati filii sunt robusti, patrem diligentes Deum: & qui quotiens opus est de sua dulcedine & spirituali gustu nihil solliciti sunt, dummodo ab omnibus colatur Deus, sequitur in sacrificium offerre pro Dei honore, & proximi utilitate, semper parati sunt. Sic robustus Abraham Isaac immolandum obtulit. Et beatus Paulus ad Rom. 9. optabat fieri anathema a Christo pro fratribus suis: ad tempus uidelicet sibi differri præmium, ut plurimos Christo lucraretur: prout ad Phil. cap. pri. intulit, dicens: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter uos. Quod etiam de beato Martino legitur orasse cum, dicens cum iam in supremam incidisset horam: Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso pro eis subire laborem, fiat uoluntas tua. Quinti autem sunt iam cum domino in gloria omnino transfigurati, & in societatem assumpti apostolorum, prophetarum, & patriarcharum, qui nec tentari possunt, nec ab ea in qua sunt gloria deici. In Deum enim omnino absorpti in conspectu Christi lætantur, qui uere dicere possunt: Domine bonum est nos hic esse. Transfigurantur & impii in montem superbiæ, quinque etiam modis. Primi nec uolentes nec nolentes: prout sunt pueri qui non abluti sacro baptismate ab humanis decedunt. Hi sententia iudicis iustissimi Dei existentes filii iræ ob primum parentum peccatum, a beatitudine repelluntur, non tamen pœna sensus puniuntur, nec ipsa pœna damni illis est in tormentum, propterea quod ad beatitudinem nullam unquam actionem habuerunt: ob idque de illius carentia minime contristantur. Quemadmodum nemo tristatur ob carentiam alicuius rei ad quam nullum unquam habuit ius. Non enim tristatur rusticus filiis & uxori intendens, quod Romanum sibi non datur imperium: nec simplex sacerdos luget, quod non sit ad summum pontificatum adsumptus. Sic ante baptismum, ac citra rationis usum infantuli decedentes non contristantur, quamuis sciant se in æternum priuatos frui uina, quoniam nullum ad eam ius habuere unquam. Secundi sunt qui transmutantur in malum, subiecti prauæ suæ naturæ & consuetudini: quique iam laxatis habentibus peccatum illud sequuntur, ad quod ipsos seu diutina consuetudo, seu praua natura incitat. Hanc molem beatus Augustinus sentiens, & quanta difficultate amoueat intelligens, dicit: Suspirabam

Infantes non baptizati, quare non tristantur de carceris uisionis diuina.

bam ad te domine, ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate: & velle meum tenebat inimicus, & inde cathenam mihi fecerat, & constringerat me. Tertii sunt, qui sponte sua se subdunt dæmoni, non propter seipfos, sed propter amicos. Vt enim amicis congruenter alienam famam lancinant, hominidibus & adulteriis fauent amicorum gratia. Cæterum quanta hii pœna sunt digni, quantoq; supplicio affiendi manifestum est. Quum enim secundum apostolum deberent gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, impudentes isti & perfricatę frontis nebulones, adulteros iuuant, latronibus, homicidis, detractoribus, ludentibus, blasphemantibus & eius notæ hominibus, immò perniciosissimis impostoribus operam suam præstantes. Impium sanè peccatorum genus, & peccantium extrema nequitia, vt hominibus placeant, Deo summè displicent. Timent se ab hominibus paruipendi, nec timent a Deo iusto ipsius iudicio in æternum puniri. Quati sunt, qui semper transmutantur in peius malitia & consuetudine. Duritia enim obtulerunt cor, & oculos mentis obnubilauerunt. Hi videntes non vident, & audientes non audiunt, & intelligentes non intelligunt: nec conuertuntur quantumlibet clames, nec excitantur quantumlibet pungas & vellices. Quemadmodum namq; lutum quanto plus collustratur sole, eo plus duratur: ita isti Pharaoni similes, & ludæorum germani fratres, ad omnem spiritus sancti illustrationem, siue prædicatorum opera, siue per internam inspirationem, siue per apertis miraculis & tribulationibus id fiat, duriores semper efficiuntur. Quinti sunt iam sine spe transmutati, qui sempiterno igni gehennæ traditi, ineffabilibus cruciatibus puniuntur: Quod iusto fit iudicio Dei, vt quis æterno puniatur supplicio pro temporalis peccato, siquidem in æternum committitur. Quippe damnatus illo semper æstuat peccati amore, in quo decessit, & illius perficiendi inani desiderio & obstinato, in inferno tenetur. Superbia, inquit psalmus, corum qui te oderunt, ascendit semper. Oportet igitur dum tempus habemus a vitis declinare, & cum domino in monte sacræ sanctæ matris ecclesiæ transformari. Nec ad hoc temporis moram trahamus. Quatuor enim annumerantur, quibus homines a vera conuersatione & transmutatione declinant. Primum, confidentia longioris vitæ, cæca sanè æstimatio: Dum enim parentes nominant, ab isto sæculo discessisse illos fatentur: at nihilominus arbitrantur, suam meliorem esse conditionem, quàm sit maiorum suorum conditio. Secundum est, quod nimium quidam audent, de Dei misericordia temerè præsumentes (neq; enim confidere licet nisi illis, qui se bonis operibus ex diuina bonitate & gratia posse saluari arbitrantur) debentq; isti Deum æque iustum ac misericordem existimare, ne commissorum veniam sibi inaniter pollicentes, ad æterna gehennæ supplicia detrudantur. Tertia est impunitas peccatorum, quorum ipsi aliis causa & ansa extiterint. Quo circa valde necessarium est, vt publica semper puniantur crimina, vt timore cæteri a peccatis deterreantur. Quartum est punishmentis diuinæ dilatio: putant siquidem Deum non puniaturum, qui tanto acerbius infligit plagas, quanto peccatorum vitionem differt. Vnusquisque igitur summo studio adnitatur cum Christo domino in mortem transfigurari: cui est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUINTVS,

In XVII. cap. beati Matthæi.

QVID ergo scribæ dicunt, quod Heliam oportet primum uenire? At ille respondens,

dens, ait eis: Helias quidem uenturus est, & restituet omnia. Cum discipuli uiderent Heliam, & dominum eis præcepisse, ut uisionem nemini panderent, donec ipse resurgat a mortuis, putabant de resurrectione generali fuisse locutum. quandoquidem a scribis acceperant Heliam uenturum: iuxta Malachię cap. ult. uaticinium: Ecce, ego mittam uobis Heliam prophetam, antequam ueniat dies domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres. Quapropter respondet dominus, quòd Helias uenturus sit, & omnia restitutus. Nunc autè illis primum patefacit aduentum in carne passibili, & Heliam officio non persona præcessisse, dicens de beato Ioanne Baptista: Dico autem uobis, quòd Helias iam uenit, & non cognouerunt eum: sed fecerunt in eo, quæcunque uoluerunt. Hoc dicit, quoniam Herodes Ioannem occidit. Sic et filius hominis passurus est ab eis. Quoniam in Christum dominum etiam fecerunt quæcunque uoluerunt. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis. Quod & iam supra 11. cap. commemoratus est beatus Matthæus, dominum dixisse de Ioanne Baptista: Et si uultis recipere (scilicet eius testimonium) ipse est Helias: uidelicet officio, non autem persona: prout de illo prophetauit Gabriel archangelus, Luc. pri. dum illum Zacharię patri nunciaret, dicens: Ipse præbit ante illum in spiritu & uirtute Helias. Et cum uenisset ad urbem, accessit ad eum homo genibus prostratus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, et male paritur: nam sæpe cadit in ignem, et crebro in aquam: et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum. Luna cum sit naturæ humidæ, cerebrum in nouilunio maxime humectat: quæ & ipsa tunc est humidissima, propterea quòd a sole minore calore excipit. Quocirca multo maiori tunc, quàm alio tempore humiditatis effectu pollet. Id temporis demum obseruans puerum istum uexabat, quòd tunc magis aprum ad torturam cerebrum esset, ob ampliorem humiditatem affluentiam. Respondens autem Iesus, ait: O generatio incredula et peruersa, quousque ero uobiscum, usque quo patiar uos? Incredula cum dicit, patrem notat, quòd non habuerit fidem, dicit autem discipulis poscit dæmonis a filio expulsionem. Peruersa, quoniam pater discipulos infirmat impotentia, atq; id publice, cum illud domino posset clam indicasse, & salutem filio poscere, absque eo quòd dixit: Et obtuli cum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Afferte huc illum ad me. Et increpauit illum Iesus, et exiit ab eo dæmonium, et curatus est puer ex illa hora. Increpatione dæmonis & imperatiua expulsionem se Christus Deum ostendit. Nam tanquam Deus increpat, & exire cogit. Mirati autem discipuli dominum, ita facillime dæmonem expulisse. Tunc accesserunt ad Iesum secreto, et dixerunt: Quare nos non potuimus eicere illum? Optima discipulorum interrogatio & exemplaris. Cum enim aliquid uirtutis senseris te non posse perficere, adi uiros probos, & quære ab eis, quare id non possis? & remedium posce. Dixit illi Iesus, propter incredulitatem uestram. Non fuit perfecta fides discipulorum, cum pellere dæmonem tentarunt. Nam fides miraculorum confidentiam magnam requirit. Quapropter dominus addidit, dicens Amen quippe dico uobis, si habueritis fidem sicut grano sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illic, et transibit: et nihil impossibile erit uobis. Iam superius fidem, prout retulit beatus Matthæus cap. 13. grano sinapis contulit: quod cum sit minutissimum inter omnia semina, sit magis omnibus oleribus. Ita nunc fidem fortem, iudubitatam, constantem, iterum grano sinapis assimilat, quia alioqui humile, & exiguum semen, magna fit arbor. Si igitur habueritis fidem humilem, & charitatem plenam, quæ sit maior omnibus oleribus, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit. Hoc autem genus non eicitur, nisi per orationem et ieiunium. Hęc secunda causa est, quæ obicitur discipulis:

Ieiunium
& orō con-
tra luther-
anos.

scipulis: cur dæmonē illū seuti eicere non potuerunt: Id quippe humilitatem ingentem requirit, quæ per orationē & ieiuniū ostenditur. Qui. n. ieiunat & orat, suā fatetur imbecillitatem, & desuper auxilium flagitat. Sic Esaias 58. cap. dicit: Quare ieiunauimus, & nō aspexisti, humiliuimus animas nostras; & nescisti? En ieiuniū dicit animæ humiliationē. Simulq; aduertendū est contra Lutheranos, quemadmodū cōcludit dñs, laudans ieiuniū & orationē: Siqui dē utriusq; tanta est uirtus, q; his dæmonia, quæ aliās minime expelli poterāt, expelluntur. Optimū ergo est ieiunare & orare. *Conuer famibus autem eis in Galilea, dixit illis Iesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum, et occident eum, et tertia die resurget.* Supra proximo cap. id retulit euangelista dominū dixisse: ut nunquā a memoria hominū passionis dominicæ excidat recordatio, quæ toties a domino repetitur. Hoc utiq; indicium est illā semper dominū ante oculos mentis præferre, qui totiens se passurū cōmemorat. Et *conuersiati sunt nehemiter.* Admonent hīc nos beati apostoli, ut uero cordis affectu passionem domini deploremus, cum ipsi audientes illum passurum, tanta sunt affecti tristitia. Et cum uenisset Capharnaūm, accesserunt, qui didrachmā accipiebant. Didrachmā, id est duplex drachma, quā a quolibet habente familiam, ludæi exigebant. Est autem didrachma media pars scli: continetq; obolos decem, Exo. 30. & est quinta ferē pars aurei nostri. Quā summā fortasse Augustus Cæsar Iudæis, Cyriaco siue Cyriaco præbide, tributi nomine soluendam indixit. Accesserunt ergo qui didrachmā accipiebant ad Petrum, et dixerunt ei: Magister noster non soluit didrachmā? At, etiam. Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus, dicens: Vide tur ex hoc Petrum Christo nunciare uelle, quæ illi exactores tributorum dixerant, cui prius Iesus antequam ille aliquid nunciaret, ait: Quid tibi uideatur Simon? reges terræ a quibus accipiunt tributum, uel censum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filii. Ostendit dominus se uere ex Regum Iuda sanguine ortū, secundum carnē: nā filii Regum liberi sunt a tributo. Filii non quomodocūq; sanguine coniuncti, sed qui per lineam rectā originem trahunt: ideoq; se uocat filium, qui quidē tributum reddere non tenebatur. Nec uideretur hīc de filiatione diuina agere, cum querat a Petro: Nū reges terræ accipiunt censum a filiis suis, an ab alienis? ueluti se filium denotans: hoc est, qui uerē descendat secundum carnem ex regibus Iuda, & a tributo omnimodo sit exemptus. Illud non præterierim, quod dominus & si cætera mundi despexit: ex sanguine tamē nobilissimo originem traxit, nempe ex stirpe regia, scilicet Dauidis progenie cæterorū regū Iuda. Non autē hęc ita dicimus, ut extollamus sanguinis nobilitatē uirtutibus destitutā: sed quia nobilitas sanguinis uirtute illi adiuncta redditur illustrior. Nobilitas. n. ipsa ortū a uirtute habet. Videtur igitur uirtus cum adicitur nobilitati, in sua uera radice, a qua primū processit, collocari. Hīc etiā aduertendū, quanta sunt infamia conspersi nobiles sine uirtute, quippe qui longo interuallo a suo desectant ortu. *U. autem non scandalizemus eos.* Quia nondum illis compertum erat, Christū dominū per lineā rectā originē trahere ex regio sanguine secundū carnē, in quo nos etiam docet suo exemplo, ne cui offendiculo simus. *Vade ad mare, et mitte hancum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle.* Et aperto ore eius inuenies staterem. Stater idem est quod siclus, continens bis didrachmā: illum sumens, dā eis pro me et re, pro me scilicet unū didrachmā, & pro te alterū: quoniam iam Petri apostolorū principē cōstituerat, dicens: Tibi dabo clauēs regni cælorū. Staterem autē forte ibi creauit dominus, uel illum sciebat in ore piscis detentum. Quæ sanē reuera stimonium est potentie & præscientiæ eius: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

Sanguis no-
bilis.

TRACTATUS

TRACTATUS PRIMVS.
IN CAPITV LV M XVIII.
BEATI MATTHAEI.



N illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Quæstio hæc ortum habuit a quadam disceptatione quam discipuli, ut tradit Marcus ca. 9. in uia tractauerant: cum dñs uenisset Capharnaum post montis descensum, in quo fuerat transfiguratus: quis eorū scilicet maior esset? Audierant siquidem dominum de sua passione & resurrectione loquentem. Itē conspexerant illū seorsum bis adsumpsisse Petri & Iacobū & Ioannē in susci-

tatione filix archisynagogi, supra cap. 9. & in transfiguratione supra proximo cap. Quo circa in uia disputare ceperunt, quis maior eorum esset. O deplorandū hominū ambitio. An nō hæc fuit occasio ruine angelicæ, uelle præ esse & omnibus anteferrī? Sciens autē cacodæmon dominandi ambitionē certā esse ruinā hominū & angelorū, ter discipulos domini hac est adorsus tentatione, uidelicet in hoc loco & infra. 20. cap. cū Ioannes & Iacobus ad dextrā & sinistrā domini federe capiunt. Et Luc. 22. cap. cū iam iminere passione domini inter eos fuit contentio, quis eorū maior esse uideretur. Ab hac igitur cōtentione pernitiosissima, quis eorū scilicet esset maior, quā in uia mutuo excitauerunt, orta est hæc interrogatio: *Quis putas maior est in regno cælorum?* Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, et dixit: *Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, et efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quis maior est queritis? Illud uos primum scire oportet, quod qui de maiori parte contendunt, nisi conuertantur & efficiantur humiles, non illis regni cælorū patebit ostium: & sic in regno cælorū, nec maior nec minor erit. Nunc ad propositā quæstionē respōdit: *Quicumq; ergo humiliauerit se, sicut paruulus esse, hic est maior in regno cælorum.* Ecce qui maior est, ille scilicet qui paruuli humilitatē habet. In paruulis. n. aliqua gula & cupiditatis uestigia insunt: at uerō de principatu nulla illis est cura. Si filiolus regis inter suæ ætatis puerulos statuatur, haud dubium est, quin eadem faciat, atq; illi. Similiter. n. se fœdabit luto, laterum ac regularum fragmēta congeret, hūq; inter se compactis, domunculā aut quiduis aliud simile excutabit: ex aridine tibiā conficiet: omnibus deniq; ludicris puerilibus, naturæ suæ oblitus, indiscriminatim se oblectabit, adeo paruuli natura humiles sunt. Et qui susceperit unum paruulum in nomine meo, hoc est, non natum, sed factū propter me talem. Propterea addit talē qualē scilicet ipse dicit debere fieri, hoc est humilē, me suscipi. Ac si dicat, qui suscipit humilē discipulum, me humilitatis fontem & magistru suscipit. *Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris.* Væ mundo a scandalis. Necessē est enim ut ueniant scandalæ, ueniant. amen uæ homini illi per quem scandalum uenit. Istud est scandalum pusillo- rum, prout iam supra cap. 15. retulimus tractatu primo. Est & scandalum phariseorum, de quo non est curandum. Item actiuum & passiuum, datum & acceptum: Scandalum istud est pusillo- rum & datum illis actiue. quando scilicet

Definitio
scandali.

cet ex actu alicuius perperam agentis,probi in peccatum labuntur uel in hære-
sim, prout multos simplices decipi contingit a doctoribus, uel cum ex praua
alicuius uita debiles, similia uel reputant facienda & faciunt, uel non reputat
facienda: sed quia uident illa fieri, & ipsi faciunt. Doctè ergo scandalū a bea-
to Hieronymo definitur: scandalum, inquit, est dictum uel factum minus re-
ctum,prehens alteri occasionem ruinæ. Perfecti uerò uiri non scandalizantur,
quando illis non est ruinæ occasio actio praua alterius. Nec enim imitantur
prauos, quinimmo nec odio habent. Ideo Dauid psal. 118. ait: Pax multa di-
ligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Quod autem dominus ait:
Necesse est enim ut ueniant scandala. Hoc est, aliqua dicantur & fiant minus re-
ctè, quæ aliis præbeant occasionem ruinæ: dupliciter secundum beatum Tho-
mam potest interpretari: uel necessitatis finis, uel secundum conditionem ho-
minum. 2. 2. quaestio 44. art. 2. Necessitas finis dicitur, cum id quod fit aliqui-
bus prodest in ecclesia: manifestantur namque, & probantur boni malorū scan-
dalo, & sæpe per malos boni exercitantur. Simile est illud beati aposto. Pauli
pri. ad Corin. cap. 11. Primum quidem conuenientibus uobis in ecclesiam, au-
dio scissuras esse inter nos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreses esse, ut
& qui probati sunt manifesti fiant in uobis: Hæresis ergo iniquos prodit, eadè
& bonos indicat. Necessitas secundum hominum conditionem dicitur, eo quod
eueniet necessario secundum modum uiuendi hominum. Quemadmodum. n.
predicant medici aliquam superuenientiam infirmitatem intemperantibus, cõ-
sideratis eorum excessibus: sic quoque attenta praua hominum uita necesse est
scandala suboriri. *Veruntamen uia homini illi, per quem scandalum uenit.* Infeli-
cem se arbitretur, qui eiusmodi est. Quapropter sequitur: *Si autem manus tua,*
uel pes tuus scandalizat te, absconde eum, et proiice abs te: bonum tibi est ad uitam in-
gredi deb lem uel claudum, quam duas manus uel duos pedes habentem, mitti in ignem
æternum. Hic ostenditur pœna inferni esse æterna, cum dominus ignem dicat
æternum. *Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et proiice abs te: bonum tibi est, un-*
quam oculum habentem in uitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.
Adeo enim scandala uitanda sunt, ut omnis scandali causa omnino sit abscon-
denda. Si autem pater uel mater aut frater siue necessarius & amicus, tibi oc-
casione præbet peccandi, erue, hoc est separa te a quocunque qui huiusmodi
tibi offendicula parat. Si autem oculus tuus tibi cupiditatis retia tendit, tolle
omnem occasionem siue confortii siue loci, atque ita oculum eruis, & proiicis
abs te, ne & tu proiiciaris in gehennam ignis. Si autem manus tua ludit te, &
ena dissipat, uel pes tuus aliquo gradens noxia adfert, absconde manum & pe-
dem ne & tu in ignem æternum decidas. Non hic manum & oculum seu pedem
corporeum accipias: sed scito omnem occasionem peccati rescindendam esse,
his uerbis ostendisse dominum. Et hoc est oculum, manum, & pedem proiice
re: iterum dominus sermonem flectit ad superiora pusillos laudans: *Uidete, in-*
quit, ne contemnatis unum ex his pusillis, quia angeli eorum in cælis
semper uident faciem patris mei, qui in cælis est. Atqui cum tales habeant pedago-
gos nimium sunt uenerandi, & non contemnendi. Hic aduertendum est, ange-
los nos habere custodes, & hos beatos spiritus Deum semper cõspicere. Quã-
ta hæc hominis dignitas sit, ille uere nouit, qui angelorum & beatorum emine-
ntem gloriam & dignitatem perpendit. Magna utique dignitas hominis est, ta-
les se habere custodes, quibus & gubernetur. Quare autem dominus cum hic
de scandalo agat, potius adduxerit angelorum custodiam, quam se redempto-
rem? cum possit dicere: *Dico enim uobis, quia filius hominis eorum saluatorem*
semper uidet uerbum diuinum cui unitus est: Alia non se offert causa, nisi il-

Angelus
custos.

Iam uelimus reddere: quoniam angeli prauis superbia ceciderunt, uolendo
præesse & maiores fieri: boni autem angeli se nimium humiliauerunt, & sicut
paruuli ingressi sunt in regnum cœlorum. Hi enim beati spiritus creati sunt
ante cœlum & terram, secundum beatum Grægorium Naziazenum, & Dama-
scenum lib. 2. cap. 3. Secundum autem doctores latinos simul creati sunt cum
cœlo & terra. Quod & scriptura uidetur attestari, dicens: *In principio crea-*
uit Deus cœlum & terram. Si enim angeli prius essent creati, non diceretur
cœlum & terra in principio creata, sed post angelorum conditionem. Cum
autem dicat: *In principio creauit Deus cœlum & terram, uidetur nihil ante*
creatum. Tunc igitur creati sunt angeli boni, & qui postea corruerunt, quorū
numerus nobis est imperferabilis, iuxta illud Daniel. 7. *Millia millium mi-*
nistrabant ei, & decies millia centena millia assistebant ei. Er beatus Ioan-
nes Apocal. 5. *Et erat numerus eorum millia millium.* Creati autem sunt in
gratia domini. Erat, dicit bea. Aug. dominus, simul cõdens angelorum natu-
ram, & largiens gratiam, habueruntque de deo fidem & in illo spem cum his
tribus uirtutibus creati. Quorum unus ex præcipuis, cæteros malos qui cor-
ruerunt suo prauo exemplo corripuit, uoluit namque assimilari altissimo, &
in se gloriam habere, quemadmodum Deus, uel a se ipso suis uiribus Deum
uidere sine gratia & iuamine. Quod Esai. insinuat cap. 14. dicens: *Quo-*
modo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnera-
bas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cœlum conscendam, super astra Dei
exaltabo solium meum, & sedeo in monte testamēti, in lateribus aquilonis.
Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Veruntamen ad
infernum detraheris in profundum lacu. Boni autem quorū princeps Michael
diabolo & eius affectis prauo eorum scandalizati exemplo, fortiter resisterit.
Hoc autem prælium est quod uidit beatus Iohannes in Apoca. cap. 12. dicens:
Factum est prælium magnum in cœlo, Michael & angeli eius præliabantur cū
dracone: & draco pugnabat & angeli eius & non praualuertunt, nec locus eo-
rum inuentus est amplius in cœlo. Bonis autem se diuina essentia reuelauit,
& beatificauit sua diuina uisione & fruitione. Ex quibus ultimi nobis sunt a
Deo tutelares constituti. De istis enim dominus ait. Angeli eorum in cœlo
semper uident faciem patris mei, qui in cœlis est. Si mihi præcipere tur custo-
dire aliquem hominem, & illi semper adesse, tria hominum genera maxime re-
spuerim, nimirum desides, auaros & inuidos. Pigri in omne periculum inci-
dunt, cum per suam desidiam & segnitiam nihil eorum quod facturi sunt in tē-
pore faciunt. Auari, cum omnium malorum radix cupiditas sit, nihil intactū
per fas & nefas relinquunt. Inuidi, triste hominum genus, utpote qui de omni
proximorum bono tristantur & cruciantur, & cum bona sæpe aliis succedunt,
continuo habet inuidus unde tristetur. Et quidem auarus semper habet quid
cupiat, & etiam piger quid omittat. Si ergo O inuide oculo tuo scandalizaris,
ex proximorum felicitate, erue eum & proiice abs te: Si manus tua, O auare,
scandalizat te, & rapis & acquiris semper aliena cupiens, erue & proiice abs
te. Si O piger pes tuus spiritualia bona omittendo scandalizat te, erue eum
& proiice abs te. Habent hæc tria mala unum ingens malum: cum ipsa enim
senectute augentur auaritia, inuidia, & accidia. At contra hæc angelos habemus
custodientes, & Christum dominum: qui nos gratia sua in melius reformare
potest: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in
æternum. Amen.

De angelo
rum crea-
tione.

Prima po-
sitio pec-
cati, scilicet.
Tho. 1. par.
q. 36. ar. 6.
2 Ioa. Da-
mascenus.

TRA-

lam

TRACTATUS SECVNDVS,

In cap. XVIII. beati Matthæi.

Ambitio. CÆTERVM cum de scandalo in tractatu præcedenti sit dictum, & de ambitione dominandi: aduertendum est quanto studio sit cauenda dominandi cupido, quæ non parci apostolis domini (ante tamen aduentum spiritus sancti) pauperulis quidem uiris, qui simplici tunica amiciebantur nudiq; alebatur cibo, eoq; paucissimo. Nullus eorum collegium, redditus, nullasq; villas seu prædia possidebat. Nihilominus uerò in hominibus ita nudis & ab omni temporali auxilio destitutis, exardescit ambitionis ignis. Qui nullo quidem fomento nutritur, sed in se ipso homine dominandi cupido uiget, dummodo unus aut alter adsit homo tantum cui dominetur. Hoc adeo dixerim, ut oēs sibi ab hac peste caueant, quæ hominibus et spiritualibus aduersatur. Nutritur in domibus Regū, & ad pauperulos agricolas usq; diffunditur, siquidem beatos apostolos Christi ausa est aggredi, his inter se cõtendentes de dignitate & præcellentia. Fugiant igitur homines ambitionem, & dominū audiant, hic femel ab ore & semper ex euangelio clamantem: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, nõ intrabitis in regnum cœlorū. Paruulus non iracundiam retinet, læsus pomo placatur, præesse necit, carnis puritatem habet, & ouo simpliciq; ueste satisfacit naturæ. Hanc innocentiam amat Christus, hos amplectatur secundum Mar. ca. 9. Iis adfines in libro diuinæ sapientiæ sunt sapientes; alioquin stultorum loco potius haberentur: iuxta illud beati apostoli Pauli pri. Corin. 1. Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Et eadem epistola cap. 3. ait: Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum. Humilitas non reddit hominem nudum & imbecilem, quin potius acuit intellectum, & fortem facit. Superbus enim falsa pro ueris habet, transcuntia retinere conatur, & aura pascitur. Humilis uerò prudenter transcuntia cauet, & quæ non mutantur cœlestia obtinere nititur: Caduca respuit, rebusq; pascitur spiritualibus. Deum semper sibi propitium habere curat, & imperfractio animo tentationes expugnat. Idem se subter humū occultat, dum nihil de se magnum cogitans, totus de Deo pendet, deique illius tm̄ confidit auxilio: Vnde & inexpugnabilis redditur, secundū David prophetiam, psal. 124. Qui confidunt in domino, inquit, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem. Sic inter omnes puras creaturas beatissima Dei genitrix uirgo Maria principatum obtinuit: quia præceteris humilitate resplenduit: quippe quanto se per humilitatem deiecit, tanto ad superiora ascendit. Vnde beatus Augustinus inquit: Videte fratres magnum miraculum: altus est Deus, humilia te, uenit ad te: erigis te, & fugit a te. Quare hoc? quia humilia respicit, & alta a longe cognoscit. Humilitate igitur alta petamus: humilitate namque ad sublimia deducemur, & usque ad societatem angelorum Christi gratia sublimabimur. Ceterum quod dominus ait expedire illi, qui vni ex his pusillis, qui in se credūt scandalū dederit, ut asinaria mola ad eius collum suspensa in profundum maris proiciatur: scito hac pena olim apud Palestinos grauioris criminis conuictos affici, quocirca dñs hic eam inducit. De scandalo aut passiuo adhuc aduertendum, quod nõ quã reperitur sine actiuo, uel ab alio scãdalizante p̄sbito, uel a se ipso sumpto, qui passiuo scãdalizatur, put phariseis cõtingebat. Qui in uerbis & factis dñi

scandali-

scandalizabantur; & ipsimet sibi scandalum actiuum præstabant, dum eius sanctissimæ actiones in malum retorquebant. Bonis aut non est scandalum, quoniam quidem humilitate & ueritate præditi, in aliorū malis rueri nesciunt. Propterea quod se fragilissimos semper existimantes, & occulta Dei iudicia præ oculis semper ferentes, dum quæpiam uident male operantem, & diuinam considerant permissionem, & se multo fragiliores cadentibus arbitrantur, nisi Dei gratia protegerentur, pro peccatoribus orant, quos diligunt, & in infortum transire consortium optant. Ceterum peccata abhorrent secundum illud beati Augustini in regula: Cum dilectione hominum & odio uitiorum. De metaphorica autem domini locutione quod oculi, manus, & pedes sint eruendi & abscondendi: considerandum est ad ueram horum uerborum intelligentiam, quid in diuina scriptura oculi nomine, manus, & pedes intelligatur. Psal. 12. inquit David: Illumina oculos meos ne vnquam obdormiã in morte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum. Et ps. 4. Oculi mei semper ad dominum, quoniam ipse euellit de laqueo pedes meos. Oculi pro intellectu constat his in locis accipi, quoniam oculis corporis in morte nec illuminatur, immò comprimitur & obscuratur, nec quisquã oculis carnis respicit Deum: ut euellantur è laqueo pedes eius. Intellectus igitur quo Deum cognoscimus, hunc propheta postulat in Deo illuminari, & à uera fide & Dei cognitione cũ sit ab hac uita migrandum haud deficere. Quo etiam intellectu Dei cognitioni emancipato, sperat ut pedes eius à peccatorum laqueo euellantur. Si igitur intellectus tuus scandalizat te (prout contingit hæreticis, qui se opinantes sapientes esse, stulti facti sunt in adinventionibus suis) erue eum, proiiceque abs te, ac subde intellectum tuum hdei: & cum beato Gregorio in omnibus dic: Ego salua fide uolo amplius alieno intellectu cedere, quàm contentionibus desermi. Et illud beati Pauli 2. Tim. 2. Noli uerbis contendere. Et illud ad Titum. 3. Contentiones & pugnas legis deuita. Et prima Cor. 11. Si quis autem uidetur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec ecclesia Dei. In his autem quæ ad fidem atinent intellectum submitte ecclesie Dei, semperque illi adhære. Ipsa enim est columna & firmamentum ueritatis, 1. Timot. 3. Hæc si feceris non te scandalizabit oculus tuus: hoc est, intellectus tuus. Pes autem in scriptura affectio uoluntatis est. Nam quemadmodum pedibus ueluti quibusdam basibus totum corpus innititur, & illis quocumque uult fertur: sic & anima mouetur affectibus, ut quo illi animã concitarint, ipsa progrediatur. Vnde David dicit. Pes meus stetit in directo, in ecclesiis benedicam te domine. Cum enim affectio uoluntatis in directo est posita, laus Dei nõ deficit ab ore & opere diligentis: quoniam omnia sua in Deum dirigit, & propter illum omnia operatur. Quemadmodum & Iob 29. cap. ait: Quando lauabam pedes meos butyro, hoc est affectiones meas pinguedine charitatis. Si igitur affectio tua & amor tuus per diuersa discurrat, & tenebras mundi amat, erue eum & proiice abs te: melius enim est tibi claudū, hoc est terrena affectione priuatum, in uitam ingredi: quàm multis occupatam habens affectionem mitti in gehennã ignis. Ad hæc, manus in diuina scriptura potentiam innuit. Emitte, inquit David, manum tuam de alto, libera me & eripe me de aquis multis, & de manu filiorum alienorū. Potentia utiq; Dei postulat sibi, aduersus potentiam iniquorum: & utrãque manus appellatione significat, psal. 143. Et psal. 20. Inueniatur manus tua, inquit, oibus inimicis tuis: dextera tua inueniat oēs qui te oderunt. Et Iob c. 13. Duo tantum ne facias mihi, & tunc a facie tua non abscondar: Manum tuam longe fac a me, & formido tua non me terreat. Si igitur potentia tua scandalizat te, erue eam & proiice abs te.

M M

Quande-

Quid per
oculū, ma-
num, & pe-
dem intel-
legendum:

Quandoquidem si potens es, potentia opprimis pauperes, aliena inhiadis, & quicquid vis id fieri iubes: erue a te manum tuam. Nam melius tibi est debilem absque principatu, absque domino, & absque dignitate ad uitam ingredi, quam duas manus habentem, hoc est duplicatam potentiam in tui in gehennam ignis. Hæc tria igitur sunt: nempe intellectus, affectus, potentia, quæ maxime in præcipitum deturbant homines. Quidam enim per intellectus superbiam corrumpunt, alii uaris trahuntur affectibus, & sic in uarias præcipitant calamitates. Nonnulli potentia seculari seu ecclesiastica freti, quicquid illis in mentem uenerit, & si ab æquo & bono penitus alienum, id illico fieri uolunt. Qui quidem in tartara magno cum strepitu ruunt. Eo dominus unum quodque horum trium præcipit amputari, dum modo nobis scandalo sit, hoc est faciat ruere in peccatum, a quo gratia Christi liberemur: Cui cum Patre & Spiritu sancto est honor, & gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS TERTIUS.

In XVIII. cap. beati Matthæi.

QUANDOQUIDEM de ambitione & scandalo latius discernimus proximo tractatu, quæ pressius in primo tractatu huius 18. cap. dixeramus, non abs re erit aliqua de angelis prosequi, quæ compendio attingimus in eodem primo huius cap. 18. tractatu, occasionem sumentes ex illis domini uerbis: Dico enim uobis, quia angeli eorum in cælo semper uident faciem patris mei qui in cælis est. In primis igitur ualde obstupeo, quoties mecum perpendo, angelorum peccatum: & id quod supra commemorauimus, diabolum uoluisse Deo assimilari, in eo quod a seipso uoluit habere gloriam abque meritis & gratia, quemadmodum summus Deus omnipotens a se ipso habet, quod sit beatus. Nec minus obstupeo cum in mentem uenit impia & diabolica prorsus Lutheranorum hæresis, quæ et ipsa omne adimit & explodit meritum, totamque abolet gratiam. En quemadmodum tenebrarum princeps in filios dissidentie operatur. En ut miseros Lutheranos decipit, eodem illos, quo ipse cecidit, scelere contaminans. Ille absque meritis & gratia a se solo uoluit consequi beatitudinem: Ita & infelix Luther absque bonis operibus & gratia sola fide, falso sibi salutem spondet: ut ferè similis sit superbia Lutheranorum peccato Luciferi. Diabolus enim a se gloriam habere cupit: una sola item Lutheranis fide uoluit ad se adducere sanguinem Christi, & beatitudine frui. Quod autem diximus de malis angelis uoluisse Deo summo assimilari, & quod retulimus ex Esa. cap. 14. dixisse diabolum: Ero similis altissimo: non est ita intelligendum, ut arbitreris Diabolum uoluisse Deum esse: hoc enim est contra uniuersumque naturam uelle non esse. Nec enim Diabolus poterat uelle se Deum esse, nisi etiam uellet se non esse quod erat. Hoc autem est impossibile in intellectum angelicum cadere ante peccatum, quoniam est cœcitas omnimoda quæ alterius poena peccati est. Ex quo consequeretur, ut prius Diabolo poena infligeretur, quam reatum committeret. Hæc profecto ratio, quæ est doctoris subtilis, aliam aduersum se rationem repugnantem habet. Ut enim uelle a se sine meritis & gratia habere beatitudinem, quemadmodum & Deus, sic altissimo assimilari: siue uelle in se ipso habere beatitudinem, sicut Deus in se est beatus, cœcitas dici potest: ita per consequens poena esset infligenda, ante quam alia præcederet culpa. Cæterum hæc diluitur impugna-

tio

tio si qualitas unius alteriusque peccati, recte consideretur: Nam uelle ex se, uel sine meritis & gratia beatitudinem cōsequi, extrema superbia est: non tamen dicitur poena, quoniam non per hoc appetitur aliquid, quod sit poena: quemadmodum qui appetit alterius esse naturæ, siue angeli, siue bruti aut lapidis, appetit destruere esse quod est, & omnino uellet se ad nihilum redigi ut in alteram posset transire naturam. Nisi enim anihilaretur, non transibit. Tantum illa materia quæ est hominis, si appetat esse aliquid terrenum, transibit in formam bruti uel lapidis, siue aliquid huiusmodi. Hæc autem omnia sunt ab intellectu omnino aliena, & contra naturam, quæ seipsam omnino conseruare nititur. Velle autem sine meritis & gratia, uel in se ipso beatitudinem assequi (& si iuxta Aristotelem omnis malus est ignorans, non tamen est cum sui ipsius anihilatione) stultitia quendam magna est, extrema superbia. Non tamen dicitur poena in peccantibus angelis, sed culpa: quoniam superbia obcecati sunt, non natura. Tunc enim natura diceremus illos obcecatos, si uellent non esse quod sunt, & omnino redacti in nihilum in aliam transire naturam. Deus enim piissimus & summe bonus illos perspicuo intellectu creauit: uerum malitia & prauitate uoluntatis, & suprema superbia peccauerunt. De quibus Ioannes Damascenus ait: Diabolus peccauit in eo, ad quod peruenisset, si steterisset. Unde apparet peccatum diaboli de habenda beatitudine sine meritis & gratia, & a seipso processisse. Traxit autem secum in damnationis perpetuæ poenam tertiam angelorum partem, prout quidam interpretantur illud Apocal. Draco cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eos in terram. Hoc tamen non est nobis notum, sed Deo & angelibus beatorum, quibus quot ceciderunt compertum est: & quot permanserunt beati angeli sciunt. Ex nomine autem Michael, quod interpretatur: Quis sicut Deus? Et ex Apocal. 12. Factum est prælium magnum in cælo. Michael & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius, & non ualuerunt, nec locus inuentus est eorum amplius in cælo: cōstat Michaellem contraxisse Diabolo, cum palam fecit angelis uelle a se beatitudinem sine meritis & conuersione in Deum: & sic unus est de primis principibus beatus Michael. Legimus namque Dani. 10. angelum, qui custodiebat Iudeos in Babylone dixisse, angelum qui custodiebat Persas restitisse illi viginti & uno diebus. Cum enim illis beatis angelis nondum uoluntas Dei manifesta esset, angelus qui custodiebat Iudeos, uolebat eos a Babylonis captiuitate eripere, quandoquidem aliqui ex Iudeis in gentium trahebantur idolatriam. Angelus uerò gentium custos Iudeos detinere uolebat, quoniam aliqui ex gentibus ad ueri Dei cultum adducebantur ex Iudeorum consortio. Et ecce (inquit angelus Danieli) Michael unus de principibus primis uenit in adiutorium mihi. Et ad finem cap. dicit: Et nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps uester. Constat ex his etiam uerbis tunc Michaellem supremum custodem fuisse synagogæ, qui & nunc uere existimatur præcipuus esse ecclesie cultos: quoniam dux fuit in cælo eorum, qui pro honore diuino Diabolo restiterunt. Qui igitur zelatus est honorem Dei summi in cælo, huic etiam iure committenda est custodia uniuersalis ecclesie: ut sit ipse dux populi Dei in terra, qui eius signifer in cælo fuit. Porro angelorum nomina, cum dicimus seraphinos, cherubinos, thronos, dominationes, principatus, potestates, uirtutes, archangelos, angelos: a sacra scriptura suscepimus. Esa. c. 6. In anno quo mortuus est rex Ozias, uidi Dñm sedentem super solium: eccelsum & eleuatum, & plena erat domus a maiestate eius, & ea quæ sub ipso erant replebatur templis. Seraphin stabant super illud, sex alæ unius, & sex alæ alterius: Dua

M M 2 bus

Luthera-
norum hæ-
resis in a-
liquo simi-
lis pecca-
to demo-
nis.

Vexillifer
Dei Mi-
chael.
Noia An-
gelorum.

bus uelabant faciē eius, & duabus uelabant pedes eius, et duabus uelabāt: Hoc est, diuinitatis noticiam, & uerbi incarnati sacramentū celebrant. Et clamabant alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. In eo autem quōd ter sanctus proclamant semper beatissimæ Trinitatis personas significant. Cum autem post trinam acclamationē dicunt sanctus dominus Deus exercituum, unitatem diuinitatis confitentur. Habemus igitur Seraphinos, & hos supremos in ordinibus Angelorum. Cherubin autem nominantur Genes. cap. 3. Et collocauit ante paradisum uoluptatis Cherubin, & flammeū gladium atque uersatilem, ad custodiendam uiam ligni uitæ: Et Exo. 25. præcepit dominus Moysi: Duos quoque Cherubin aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi. Et Psal. 17. Ascendit super Cherubin & uolauit. Et Ezech. 28. Tu Cherub extensus & protegens. Throni autē, principatus, dominationes, & potestates nominantur ab Apostolo Paulo, ad Colos. cap. 1. ubi ait: Quoniam in ipso condita sunt uisibilia in cælis & in terra, uisibilia & inuisibilia: siue Throni, siue dominati ones, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt. Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Porro uirtutes Matthæi 24. & Marc. 11. & Luc. 21. a domino eodem nomine appellantur. Inquit enim: Et uirtutes cælorum commouebuntur. Et beatus apostolus Petrus pri. Epist. cap. 3. inquit: Profectus in cælum, subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & uirtutibus. De Archangelis autem meminit beatus apostolus Paulus pri. ad Thessalo. cap. 4. inquit: Quoniam ipse dominus in iussu & in uoce Archangelis, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Et beatus apostolus Iudas Thadæus in sua canonica inquit: Cum Michael Archangelus cū Diabolo disputās altercetur de Moysi corpore, &c. De angelis uerō sepe in scriptura fit mentio. Dico enim uobis quia Angeli eorum in cælo semper uident faciem patris mei, Matth. 18. idem cap. 4. Ecce, inquit, Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Et Luc. pri. Et dixit angelus ad eum: Ego sum Gabriel, qui adito ante Deum. Et missus est angelus Gabriel a Deo. Idem 22. cap. Apparuit autem angelus de cælo confortans eum. Et Psal. 90. Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uis tuis. Custodem autem angelum solus Christus Dominus non habuit, cum esset Dei uerbum, & Deus cuncta gubernans atque conseruās: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUARTVS.

In XVIII. cap. beati Matthæi.

VENIT enim filius hominis saluare quod perierat. Quid uobis uidetur? si fuerint alicui centum oues, & errauerit una ex eis, nonne relinquit nonaginta nouem in montibus, & uadit quætere eam que errauit? Et si contigerit ut inueniat eam: amen dico uobis, quia gaudetis super eam magis, quam super nonaginta nouem, que non errauerunt. Sic non est uoluntas apud patrem uestrum, qui in cælis est ut pereat unus de pusillis istis. Hæc uiltima Domini uerba interpretantur, & uerum reddunt sensum his que præcedunt. Dicens namque sic non est uoluntas apud patrem uestrum, ut pereat unus ex his pusillis, manifestat quare post illa uerba, Dico enim uobis quia angeli eorum semper uident faciem patris mei quæ
in cæ-

in cælis est, addiderit id quod sequitur: Venit enim filius hominis saluare quod perierat. Si ergo tantus domini aduentus ad saluandos hos pusillos destinatur, operepretium est, ut eos non scandalizemus, nec illis ruing occasionem demus: quippe qui apud Deum tantæ sint estimationis, ut & illis Angelos constituerit in custodiam. Quin & ipse dominus ob eorum salutem in mundum uenerit. In idē recidit prædictæ parabolæ sensus de oue perita. Si enim gregem pastor pro una oue perita, tantum laboris impendit, ut cæteris in caula relictis, circuncinctos montes & imas ualles discurrat, quouique illam inueniat: & plus afficitur gaudio pro illa inuenta, quam pro nonaginta nouem que non errauerunt: quanto magis uerus pastor Christus, uno pusillo qui errauerat inuento, nouo gaudio & noua exultatione exhilarabitur in illa hora, plusquam de cæteris qui non errauerunt? Consulto dixi noua exultatione & in illa hora plus lætari pastorem ob unam inuentam ouem, quam ob nonaginta nouem in ouili clausas, ne quisquam præferat conuersos peccatores iustis. Sed sic domini uerba accipiantur, quemadmodum dicta sunt. Quod manifestissime apud Luc. cap. 15. explicatur: Cum enim dominus hac eadem proposita parabola concluderet: Dico uobis, quia ita gaudium erit in cælo super uno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent penitentia: subiungit ad horum uerborum explanationem parabolam de filio prodigo. Is enim absumpta paterna substantia subulcus efficitur, qui tandem fame coactus in domum paternā rediit. Cui pater de eius salute lætus conuiuium parat, & illum domesticis tripudiantibus excepit. Cum uerō filius iustus, & qui nunquam patris iusta neglexerat, ex agro reuersus chorum audisset: qui nam accidisset domesticos percunctatus, aiunt fratrem eius perditum aduenisse, omnemque illam ob eius aduentum celebrari lætitiā. Obstupuit iustus, & domum nolebat ingredi, & roganti patri respondit. Ecce tot annis seruo tibi, & nunquam mandatum tuum præterui, & nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, uenit, occidi illi uitalium saginatum. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt (quasi dicat, tu mihi unice dilectus es, & omnia mea tua sunt, id est, potiora habens bona in domo mea) epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Contingit aliquando, ut etiam magnates sæculi in seruorum nuptiis maiorem ostendat lætitiā, quam in dilectissimorum filiorum nuptiis. Nec ex hoc subinfertur plus illos diligere seruum quam filium, nec seruo potiora bona largiri, quam filio. Sic lætatur de conuersione peccatoris cælestes ciues. Sic lætatur Christus. Sic illa hora uiget exultatio, plusquam de nonaginta nouem iustis. Porro iustis dicitur, fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Postquam autem ostendit dominus quantum auerti debeant scandala, quantoque in pretio apud eum est unus pusillus, qui in illo credit, mox definit quid sit agendū ab ipsis pusillis, si quando contigerit ex aliorum peccatis scandalum pati: quod supra dicta continuo adnectitur sententiæ. Si autem, inquit, peccaueris in te frater tuus, uade & corripue eum inter te & ipsum solum: si te audierit lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, uel duos: ut in ore duorum uel trium restium stet omne uerbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesie: si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. In his uerbis a domino datur præceptum de correctione fraterna, materia quidem latissima, quam paucis adnotatis percurrā, quadoquidem peragenda est diffusius a beato Thom. 2. 2. quæstione 33. & ab interpretibus collectoris

Correctio
fraterna.

In lege
scripturæ.

collektoris sententiarum in 4. dist. 19. Aliquid igitur simile reperitur in lege naturæ, cum Genes. 37. dicitur de patriarcha Ioseph: Accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo. Si autem præcessit secreta monitio, scriptura non commemorat, nisi forte publicum esset peccatum, quod nulla indiget monitione, sed ubi est cognitum statim venit denunciandum. Eccle. etiam 17. dicitur: Et mandauit illis unicuique de proximo suo. Non enim de elemosynis dandis hic agitur, quæ aliis locis præcipiuntur proximis exhiberi, sed de vitæ integritate, quandoquidem hæc præcedunt verba: Et dicit illis: Attendite ab omni iniquo, & mandauit illis unicuique de proximo suo: hoc est, vnumquemque adhortari proximum ad salutem animæ consequendam. Quod autem Ezechielis 3. & 33. dicitur: Si dicente me ad impium: Morte morieris, non annunciueris ei, sanguinem eius de manu tua requiram: ad prædicatores & prælatos spectat: ne ibi agitur de correptione fraterna. Hoc autem præceptum de correptione fraterna reducitur ad præceptum de proximi dilectione tanquam se ipsum. Nam proximum a peccatis reuocare tenemur, ne in ignem decidat sempiternum: si cum vere sicut nos ipsos diligimus. Reducitur etiam ad præceptum decalogi de honore parentum, ad quem referuntur ea quæ proximis tenemus impendere, quoniam id quod parentibus præcepto admonemur reddere, extenditur ad cæteros, quos tanquam nos diligere præcipimur. Est autem affirmatiuum præceptum, prout ex verbis domini colligitur, cuius obligatio extenditur ad omne peccatum occultum non quidem præteritum, sed præsens in quo proximus adhuc persistit, quem aliquis nouit peccare & perseuerare. Tunc siquidem post occultam admonitionem, debet qui nouit, si peccans non emendatur, adhibere secum vnum vel duos testes. Cum dicit vnum: primum quidem vnus est adhibendus, deinde duo: si monitus per corripientem & alterum non cessat peccare. Qui sanè testes non tantum ab id inducuntur, vt coram illis peccans corripitur: verum vt peccantem primo ipsi videant, deinde vt coram testibus ipse corripiens illum exoret, ne in peccato persistat. Ideo dominus dicit: Vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, prout legitur Deut. cap. 19. Quod satis lucide interpretatus est beatus Augustinus in regula cap. 3. dicens: Prius tamen est alteri vel tertio demonstrandum, vt duorum vel trium possit ore conuinci, & cõpetenti seueritate coerceri. Colligitur etiã in eo quod dicit: Vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, quod ipse corripiens, eum in delicto frater adhuc perseuerat, & ecclesie denunciatur, potest esse testis aduersus fratrem in peccato persistentem. Ad peccatorum autem occultorum denunciationem semper requiritur, quòd vel rumor præcedat vel infamia publica, & in accusatione accusantis inscriptio. Verum ennumerò de peccatis occultis, quæ secreto alicuius fidei committuntur sub sigillo secreti naturalis non sunt adhibendi testes, quandoquidem id prælato vel iudici inquirenti nõ teneor manifestare. Non enim ita scio, quod meæ fidei commissum est sub sigillo secreti vel iuramenti, vt a me propalari possit, eo modo quo ille inquirat. Si quidem præter ordinem iuris interrogat iudex de occultis. Excipiuntur peccata, quæ sunt in dispendium fidei, vel in perniciem reipublicæ, seu alicuius priuatæ personæ extinctionem: cuius sunt generis hæretici, diuinatores, incantatores, fascinatores, proditores patriæ, regum, & prælatorum, & falsæ monete excussores, siue alicuius occisores. Nam quam primum quis eos rescierit, tenetur prælatis & magistratibus indicare. Occisores autem dixi, non qui iam hominem occiderunt, sed occidere volunt, & ad homicidium perpetrandum, oportunum tempus expectant. Nam si ille qui iam occidit hominem, mihi secretum suum pandat sub iuramento vel secreto, nõ teneor manifestare: A correctionis

rectionis fraternæ præcepto excusantur illi, qui certo sciunt se nihil proficere, quinimmo & obesse probabiliter sibi videntur, quoniã correptus frater non sic melior efficitur: immò peior reddetur, indignabitur, & obdurabitur. Nã dominus ait, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si verò frater non sit lucratus, non est iam locus correctionis fraternæ, quæ tantum est de occultis. Nam de commissis publicis nulla est fraterna correctio adhibenda, quia ista sunt denuncianda. Si autem hæc occulta quæ non admittunt correptionem fraternam, quando frater non lucratur, quinimmo eo peior redditur, possint prælato denunciari secretissime, vt adhibeat peccanti medicamentum salubre tanquã pater, non tanquam iudex, non temerè definiendum est. Quanquam posse fieri reor, si prælatus sit doctus, prudens, & timoratus: si res indicata non ad eum pertineat vel ad aliquos sibi sanguine seu amicitia coniunctos: si denique sit expertus secretis magno secreto mederi, alias Christo committatur: cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In XVIII. cap. beati Matth.

V I D E quanta autoritate sancta mater ecclesia excommunicationibus agat in incorrigibiles. Quum enim dominus dixisset: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, quibus nefas est associari: consequenter addit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo. & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Si autem in his verbis tantum apostolis omnibus claves ligandi atque soluendi sponderit, non facile iudicatur. Non vtique ait quemadmodum Petro: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Hæ Petri claves excellentie super omnes, his prædictis verbis promittuntur, quæ post resurrectionem exhibentur, cum dominus ter illi dixit: *Diligis me plus his? pascè agnos meos, pascè oues meas.* Apostolis vero non dicitur: *Vobis dabo, vt quæcumque alligaueritis super terram, sint ligata in cælo: & quæcumque solueritis, sint soluta.* Cæterum dicit: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus.* Ecce ligatum, sequitur proxime: *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Porro cum post resurrectionem dominus dicat discipulis, insufflans in illos: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt, prout refert beatus Ioannes cap. 20. pro indubitato habendum est, dominum spondidisse nunc claves apostolis ligandi atque soluendi, quas post resurrectionem illis exhibuit, insufflans & dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt.* Hic inestimabile sacramentum confessionis a pertissimis verbis dominus insinuat, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt: Nemo enim potest soluere vel ligare nodum, quem non videt. Oportet igitur situ nodum ligandum vel retinendum alicui offeras, vt nodum illi ante oculos ponas. Cæcus & non videns æquiparantur: Si alicuius occipiti ponas nodum, & dicas solue, vel fortius constringe: summo tibi iure respondebit, ante oculos profer nodum, & tunc si possim soluere nec ne, tibi ostendam. Quæ quidem ita perspicua sunt, vt a nemine possint tergiversari. Nunc ergo aduerte dominum dicentem: *Accipite Spiritum sanctum,***

Excommu-
nicatio.Sacramen-
tum con-
fessionis.

sum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt. Quomodo potest sacerdos soluere vel retinere peccatum, quod ne scit? Ergo necessarium est peccatores sacerdotibus peccata manifestare, ut illis discussis possit proferri absolutionis vel retentionis iudicium: admodumque hæretici deus, quod sufficit, si quis se peccatorem fateatur, absque particulari peccatorum enumeratione. Ut enim non sufficit, qui aduersus alterum in iudicio agit, ita iudicem alloqui: Ego dñe habeo causam aduersus istum, nisi ipsius causæ statim indicet, & quibus argumentis utatur ad eandem causam probandam, & referat testium nominata: ita non sufficit coram sacerdote dicere: Ego sum peccator: quandoquidem dominus præcipit peccatam soluendi & retinendi peccatum. Quod enim de cæci hæretici proferre iudicium sacerdos poterit, cui non dicitur tantum soluere, sed soluere, vel retinere. Quomodo, inquam, sciat, an debeat soluere vel retinere peccatum, cuius causam ignorat, originem, & circumstantias? Non ergo infirmiter, quisquis cæcus Lutheranus es, sacramentum confessionis, his verbis à domino institutum: Accipite, inquit, Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt, Ioan. 20. Non enim frustra datur Spiritus sanctus: non frustra diuino anheliu in discipulo insufflat Iesus: non frustra verba omni æstimatione maiora profert, quibus sacramentum confessionis instituit: Quorum remiseritis, inquit, peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt. Necessarium ergo est, ut peccator minutissime referat peccata singula proprio sacerdoti, & ante oculos & aures eius exponat quæcumque commisit scelera: quatenus possit sacerdos iuxta præceptum domini proferre iudicium solutionis vel retentionis: alioqui cæcus male de coloribus iudicaret. Iam olim in leprosis huius sacramenti mysterium designabatur, cum inter cæteros morbos, qui medicorum arbitrio relinquuntur, sola lepra sacerdotibus ostendi præcipitur. Quo dñs constituit iudices, tam ipsius infirmitatis, quam leproforum salutis. Iudicio siquidem sacerdotis separatur leprosus, & ipsius iudicio num sit à lepra mundatus, & in consortium hominum admittendus, statuitur. Itaque retentio & solutio lepræ à sacerdotis iudicio pendet. Sic legimus Leui. 13. Locutus est dñs ad Moysen & Aaron, dicens: Homo in cuius cute & carne ortus fuerit diuersus color, siue pustula, aut quasi lucens quidpiam, id est, plaga lepræ, adducetur ad Aaron, vel ad vnum quælibet filiorum eius. Traditur deinde lepræ cognitio, tunc sequitur: Et ad arbitrium eius separabitur. Rursum in eodem cap. repetitur: Videbit eos sacerdos, considerabit eam sacerdos. Cap. autem 14. legitur: Locutusque est dominus ad Moysen, dicens: Hic est ritus leprosi quando mundandus est, adducetur ad sacerdotem. Similiter & dñs cum leprosum mundauerat supra c. 8. præcepit illi: Vade & ostende te sacerdoti. Denique præcepit, prout habetur apud beatum Luc. c. 17. decem leprosis, quos mundauit: Ite ostendite vos sacerdotibus. Nunc autem in nouo testamento & lege gratiæ dominus præcipit peccata minutissime ostendi sacerdotibus, cum illis dicit: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt: ut ipsi iudicent an sint vestra peccata retinenda, vel soluenda. Frustra enim daretur potestas sacerdotibus ligandi atque soluendi, nisi adesset materia quæ soluenda esset vel retinenda. Hæc remota, peccator est: propinqua verò, sunt ipsa peccata. Porro aduertendum est adeo sacramentum penitentia à Christo dño institutum esse, quod ab initio peccatis protoplasti semper fuerit aliquo modo indicta penitentia. Sic enim Adamo dicitur: Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Hæc pœna peccati, penitentia utique ipsius perpetrati sceleris est. Et quomodo mundatus sit a peccato

suo.

suo. Sapientia dicit c. 10. loquens de sapientia: Hæc illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo. In lege autem scripturæ quædam protestatio cum penitentia pro peccatis agebatur, quæ iam in specie peccata manifestabatur. Sic namque Leui. cap. 5. dicitur: Anima quæ iurauerit, & protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret vel bene, & non fecerit, & id ipsum iuramento & sermone firmauerit, obliuiscit, postea intellexerit delictum suum, agat penitentiam pro peccato, & offerat de gregibus agnum sine capram, orabitque pro eo sacerdos, & pro peccatis eius. Per hanc oblationem, quæ in lege scripta erat, peccatum iuramenti pro obliuionem non obseruati à sacerdote cognoscebatur. Et eodem lib. cap. 16. de capro emissario: posita super caput eius sacerdos, utraque manu confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel. Ecce generalis confessio peccatorum. Viri Niniuæ non habentes legem scriptam sed naturalem, penitentiam egerunt, inquit dominus, prout refert beatus Mattheus supra c. 12. in prædicatione Ione. Et Iob c. 2. r. Audite quæso sermones meos, & agite penitentiam. Et Sapientia 11. Misereris omnium, qui omnia potes, & dissimulas peccata hominum, propter penitentiam. Quid immoramur? Penitentiam agite, & appropinquate regnum caelorum, inquit dñs. Hæc eadem dicebat beatus Ioannes baptista. Et Luc. 24. inquit Christus: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius penitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. Et beatus Petrus Acto. 2. interrogantibus ex Iudeis plurimis, quid faciemus viri fratres? Petrus autem ad illos: Penitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Idem alii dixit Acto. 3. Penitemini, & conuertimini, ut deleantur peccata vestra. Apud Ephesum astitit, prout habetur Acto. 19. cum adesset beatus Paulus, dicit scriptura: Multique credentium veniebant, confitentes actus suos. Multi autem eis qui fuerunt curiosi sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus, & computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniæ denariorum quinquaginta millia. Ecce ut comburantur libri Ephesiorum. Comburantur ergo libri hæreticorum. Confitebantur illi prauos suos actus, cõfiteamur & nos sacerdotibus iuxta præceptum domini, peccata nostra. Quod manifestissimis verbis insinuat beatus Apostolus Iacob in sua canonica cap. vlt. Cum enim presbyteris ecclesiæ diceret orare oportere pro infirmis ait: Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, ut saluemini. De presbyteris ecclesiæ tantum agit, quibus audire confessiones, & orare pro populo ex officio incumbit. Ait namque: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & oræt pro eo, vngentes eum oleo in nomine domini. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, hoc est vos infirmi sacerdotibus, de quibus fit mentio, & non aliis. Atqui sacramentum confessionis à Christo domino institutum satis manifestatur, cum dicitur: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt. Quod promittitur hisce verbis: Amē dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in caelo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in caelo. Sed Lutherani quemadmodum, & pseudopropetæ Iudeorum non aperuerunt pro confessionem peccata populi sui decepti, ut eum ad penitentiam prouocent. Propheta tui (inquit Hieremias Threnorum 2. cap.) viderunt tibi falsa, & stultia: nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad penitentiam prouocarent. Habet namque sacramentalis penitentia tres integrales partes: nempe, cordis contritionem, aliam esse fictam: & oris confessionem, & satisfactionem precipue iniunctam à sacerdote, & a penitente admittendam. Sacerdos autem eodem diuino iure, quo Christus præcipit confessionem, tenetur peccata celare,

N N nec

nec potest detegere ex confessione notum, quamuis omnis evertatur mundus, & si mille oporteat ob id subire supplicia, & postremo mori. Hac namque est domini nostri Iesu Christi institutio, hoc & saluberrimum sacramentum: cui cum patre & spiritu sancto est honor, & gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SEXTVS.

In XVIII. cap. beati Matthæi.

Sacer or-
do.

DE ministro sacramenti confessionis oportet agere, postquam de ipso sacramento poenitentiae locuti sumus, iuxta sententiam verborum domini. *Amen dico vobis, quæcumque allegaueritis super terram, erunt ligata in caelis; & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta in caelis.* Minister autem omnium sacramentorum cum sit sacerdos, de ipso sacerdotio, primum discernendum est, deinde de omnibus sacramentis per illum administrandis. Nec mihi suppetunt verba de sacerdotio disserturo, siquidem Lutherani sacerdotium abnegant: quin & oēs homines sacerdotis posse officio fungi dicere non verentur. In quas igitur non isti decidunt errorum myriades, qui tam ingenti occupati mentis caligine sacerdotium negant? cum in omnibus gentibus sint sacerdotes diuino cultui, per quem expectatur animarum salus, destinati. An non idolatrae semper habuerunt suos sacerdotes, qui victimas & holocausta idolis offerrent? Nonne huius rei omnis orbis est testis, & ipsa martyrum vulnera? Legimus in Actis apostolorum cap. 14. cum Lystris beatus apostolus Paulus claudum sanaret: sacerdotem Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas afferentem voluisse sacrificare. Habet sacerdotes Iupiter: & Deus verus non habebit eos, ita si Deo placet Lutheranis ita uentibus? Apud Turcas Sarracenos, & quosuis etiam barbaros non desunt homines impijs eorum sacris destinati, quos sacerdotes appellant & venerantur: & verus ipse Deus carebit illis, quos nec ullo honore dignos existimabimus, quoniam sic Lutheranis placeat? Ceterum ijs omnibus, quibus attestatur vniuersus orbis, sacrae scripturae accedat autoritas: prius tamen disiectis tenebris, quibus nititur falsò Lutherani. Ait namque beatus Petrus 1. Epist. 2. cap. Vos autem genus ellectum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Hoc de vniuersis Christianis prædicat beatus Petrus. Propterea verò quod omnibus Christianis loquitur, sunt singula singulis referenda? Quemadmodum autem non omnes sunt sancti, nec omnes reges in acquisitione perseverant, sic nec omnes sunt sacerdotes. Simile dixerat dominus Iudæis ab Aegypto redeuntibus, Exodi 19. Vos eritis mihi in regni sacerdotale, & gens sancta. Nec tamen omnes reges, nec omnes sacerdotes fuisse constat. Quod sic accipiendum est, quoniam ex eis deuenturus erat Christus verus rex, & sacerdos. Habuerunt igitur regnum & regale sacerdotium: quæ omnia illis in figura cõtinuebant. Quod autem ait regale sacerdotium, ad discrimen sacerdotis dicit. Quoniam Christianorum sacerdotium non est offerentium sanguinem hircorum aut vitulorum, sed offerentium corpus & sanguinem Christi. Dicitur autem regale, quoniam Christus dominus qui est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, rex est regum, & dominus dominantium. Quem sic vocat beatus apostolus Paulus pri. Timot. 6. vt serues mandatum sine macula, irreprehensibile usque in aduentum domini Iesu Christi: quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens, rex regum & dominus dominantium. Et beatus

beatus Ioannes in Apoc. cap. 16. Agnus vincet illos, quoniam dominus dominorum est, & rex regum. Et iterum cap. 19. ait: Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum, rex regum & dominus dominantium. Sacerdotium Christi, sacerdotium regale est, non legale: in cuius etiam quod præcessit in figura sacrificium, per regem sacerdotem fuit ministratum, prout habetur Genes. 14. At verò Melchisedec rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, &c. Ed igitur, dicit beatus Petrus in ecclesia esse regale sacerdotium. Nec enim ait: Vos omnes estis sacerdotes: sed vos estis, hoc est, in vobis est regale sacerdotium, ad differentiam legalis, de quo Dauid diuino oraculo ait, psal. 109. Iurauit dominus & non pernituit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Eadem ratione diluitur nebula alia, quam Lutherani fingunt ex illa autoritate Apoc. 5. Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes. Nam quemadmodum nõ omnes sunt reges, sic nec omnes sacerdotes. Hæc asit Lutheranorum figmenta, alio etiam modo dissipantur: quoniam scriptura aliquando primarios & magnates sacerdotes vocat: non ed quod sacerdotio ad offerendas hostias Deo fungantur, vt est illud 2. Regum 8. vbi legitur: Filij autem Dauid sacerdotes erant. Qui cum non essent de genere Aaron, & tribu Leui, non erant officio sacerdotes, Deo sacrificia offerentes: sed ante regem primi. Quemadmodum lucidioribus verbis pri. Para. cap. 18. refertur: Porro filij Dauid primi ad manum regis. Ad eundem modum, cum plebs Christiana regale sacerdotium dicitur: & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes: hoc est, inter omnes gentes præcipuos & primos constituisti. Ceterum hæc clarius intuebimur, cum omnis scriptura suos constituat sacerdotes & pontifices, ab omni plebe discretos sacra unctione, & vestibus etiam distinctos a cæteris eiusdem generis gentibus. In lege naturæ occurrit nobis Noe, Genes. cap. 6. qui solus dicitur exiisse altare domino, & sacrificium ei obtulisse, cum primum egredere tur de arca peracto diluuiò. Quippe tres habuit filios Noe, nec illos scriptura commemorat tunc sacrificasse. Solus Noe altare erexit, solus sacrificium offert, odoratusque est dominus odorem suauitatis: solus Melchisedec legitur obtulisse panem & vinum. Quare autem ipse potius obtulit quam alij, continuo denotat scriptura, dicens Genes. 14. Erat enim sacerdos Dei altissimi: Cui Abraham in signum sacerdotalis officij obtulit decimas ex omnibus. Satis manifestum oraculum sacerdotum Christi, & quemadmodum ex populi decimis sacerdotes erant alendi. Et beatus Dionysius in lib. de Eccle Hierar. de pontificibus & sacerdotibus plura tractat. Et beatus Cyprianus in sermone de ablutione pedum, non iterandum sacrum ordinem confirmat, dicens: Nemo sacros ordines semel datos iterum renouat. Quæ primum-n. Deus populi suum sibi coadunare voluit, Exo. 28. ait: Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis, de medio filiorum Israel, vt sacerdotio fungantur mihi. Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorẽ. Et prosequitur dominus ornatu summi sacerdotis, ore proprio illum administrandum sacra componens. Et in sequenti cap. 29. ait: Cumque laueris patrem cum filiis suis aqua, indues Aaron vestimentis suis, idest linea & tunica, & super humerale & rationale, quod constringes baltheo: & pones tiaram in capite eius, & laminam sanctam super tiaram, & oleum unctionis fundes super caput eius. Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingesque baltheo, Aaron, scilicet, & liberos eius, & impones eis mitras, eruntque sacerdotes mihi religione perpetua. Post quæ inuiauere manus eorum, applicabis & vitulum coram tabernaculo testium onui. Deinceps verò in sequentibus duobus capitulis

lis altare præcipit sanctificari, & unguento ungi. Aded autem de minus zelatus est sacerdotium Aaron: quodd Core & congregationem in tabernaculo domini, non tamen sacerdotes ad offerendum incensum, flamma incendit, nempe ducentos & quinquaginta qui ex eis habebant thuribula fumigantia: & ceteros viuos absorbit terram, prout legitur Num. cap. 16. Vnde & beatus apostolus Paulus ad Hebræos cap. 7. ex translatione sacerdotii legalis in regale Christi sacerdotium, secundum ordinem Melchisedec, infert legis veteris translationem, & legis euangelicæ institutionem. Ait namque: si ergo consumatio per sacerdotiū Leuiticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedec, alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat. Cum autem tot sint de sacerdotio Leuitico dicta: & in veteri lege dominus habuerit sacerdotes, & alios principes sacerdotiū, & tandem unū supremum: Lutherani quomodo euadent negantes sacerdotium in nouo testamento, secundum ordinem Melchisedec? Verum innumerō dominus sacerdotes instituit, & eorum principes, atque vnum supremum beatum Petrum, cum illi præ cæteris clauis regni cælorum promissit: quas ei tradidit excellenter super omnes, Ioan. vlt. ter repetens: Simon Ioannis, diligis me plus his? Pasce agnos meos. Pasce oues meas. Cæteris autem apostolis non omnibus Christianis dicit: Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in cælis. Et cum ipsa potestas exhibetur Ioa. 20. solis tantum discipulis dicitur: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Denique cum potestas consecrandi corpus Christi verum, in ultima cœna dominus in sui memoriam fieri præcepisset, solis discipulis dicitur: Hoc facite in meam commemorationem. Constat igitur sacerdotium, sacrum ordinem, peculiare quid esse ad sacrificium offerendum corporis domini, & ad remittendum vel retinendum peccata. Potestatem igitur habent super corpus Christi verum in vltima cœna concessa, & etiam potestatem super corpus Christi mysticum in collatione clauium tradita. Quod sic interpretatur beatus apostolus Paulus ad Timot. pr. cap. 4. quem Ephesiorum antistitem constituerat. Ait enim: Non li negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyteri. Et cap. 5. de cæteris presbyteris ait: Qui bene præsumt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Et iterum: aduersus presbyteri acusatōnem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Ecce sacerdotes inferiores. Ecce Timotheū episcopum, apud quem eorum causa referantur. Quod autem iterum repetit Tito, dicens: Huius rei gratia reliqui te Crete, vt ea quæ defunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Hic maxime videtur agere de episcopis super singulas ciuitates constituendis: eo quod statim adiecit: Oportet episcopum sine crimine esse. Et ad Timot. pri. cap. 3. huius nominis episcopi meminit, dicens: Si quis episcopatum desiderat, bonū opus desiderat. Et Actuum 20. A Mileto mittens Ephesum, vocauit maiores natu ecclesie, & inter cætera dixit episcopis: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei, quam acquisierit sanguine suo. Ecce episcopos. Sequitur autem: Ego scio, quoniā intrabunt post discessionem meam, lupi rapaces, non parcentes gregi. Ecce subditos, ecce gregem, ecce pastores, ecce episcopos, ecce sacerdotem, ecce populum.

lum. Et ad Hebræos cap. vlt. obedientiam cōmendans, quam populus habere oportet ad sacerdotes, inquit: Obedite præpositis vestris, & subiaceate eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Habemus igitur sacerdotiū factis per omnem scripturam ostensum a Christo domino institutum, & sacerdotibus datam si per corpus Christi verum consecrandi potestatem, & super mysticum ligandi atque soluendi auctoritatem. Iesu Christo sit honor, gloria, & imperium cum patre & spiritu sancto in æternum. Amen.

TRACTATUS SEPTIMVS,
In XVIII. cap. beati Matthæi.

DIVINIS SIMI sacramenti eucharistiæ sacerdos primum minister ordinatur ab episcopo, cum illi iam oleo sancto vinctis manibus, calix cum uino & aqua, & patena cum hostia tangenda traduntur dicens: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missæque celebrare, tam pro uiuis, quam pro defunctis in nomine dñi. Necessariū quippe omnino est, in perfectissima lege gratiæ sacrificium haberi, quod bona gratia nominetur: id enim sonat Eucharistia. Nam in optima lege optimum decet sacrificium Deo offerri. Et quidem hoc optimum est, in quo corpus Christi continetur. Nam postquam Christus dominus se obtulit in ara crucis Deo patri pro nobis, 1. Petri 3. Quia, inquit, Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustus: quod dam sacrificium Deo offerri poterat, præter illud supremum & excellentissimum quod iam illi in cruce oblatum fuerat? Non enim amplius poterat legis Moysi abolitæ sacrificia offerri, quæ omnia Christum attestabantur genus humanum per sanguinem redempturum. Quemadmodum & beatus apostolus Paulus ostendit in epistola ad Hebræos cap. 9. dicens: Sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium, his misdari ipsa autem cœlestia melioribus hostiis, quàm istis. Et cap. 7. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Et quantum est non sine iureiurando, alii quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt: hic autem cum iureiurando per eum, qui dixit ad iulum: Iurauit dominus & nō poenitebit eum: tu es sacerdos in æternum. Tale igitur sacrificium Deo offerri oportebat, quod iam non portenderet Christum in carne venturum, & sanguine suo orbem redempturum, sed quo manifestaretur in carne uenisse, & pro redemptione nostra sanguinem suum inestimabile pretium, Deo patri in ara crucis effusum obtulisse. Quisquam bene doctus animaduertet, nunquam fuisse legem sine sacrificio, (siquidem per sacrificium Deo debitum obsequium reddimus, & illius diuinitati testimonium ferimus, & necessarium cultum impedimus) profecto manifestè intelliget sacrificium necessarium esse in lege gratiæ, nec aliud reperiet, quod legi gratiæ sit magis congruum, & Deo pro nobis semel oblato dignum, præter quàm quod tenet sancta mater ecclesia corporis & sanguinis dñi nostri Iesu Christi. In omni autem lege sacrificium Deo oblatum est: nec unquam lex aliqua fuit sine sacrificio. In lege naturæ uouerat offerre Abel iustus primogenita gregum, prout habetur Genes. cap. 4. Factumq; est post multos dies, vt etiā Cain offerret de fructibus terræ munera domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui & de adipibus eorū. Quis quæso docuit eos domino offerre munera? offerre. Abel sacrificia? Vides igitur lege naturæ hosce primum homine in Deum cultum munera & sacrificia offerentes. Vnde ergo heretice affirmare audes nunquam

In omni lege sacrificium.

nunquam sacrificium in ecclesia catholica extitisse? Post diluuium: Noe altare excitat, offertque de animalibus mundis sacrificium Deo. Quis illi præcepit offerre animalia & volatilia munda? Quis illi erigere altare iussit? Et odoratus est dominus (inquit scriptura) odorem suauitatis. Vnde ergo hæretice somniasisti nõ habuisse vnquam ecclesiam catholicam sacrificiũ? Offert Melchisedec panem & vinum dño pro Abraham, erat. n. sacerdos Dei altissimi: & Abraham illi offert decimas omnium. Vnde ergo hæretice eõ impudenter euctus es, vt affirmes ecclesiam catholicam semper sacrificio destitutam? Si legem scriptam enouas, totã sacrificiis repletam inuenies; sacrificiũ mane, sacrificium vespere, sacrificium in sabbato, sacrificiũ in calendis, in pascha, sacrificiũ in Pentecoste, sacrificium in festo tubarum, sacrificiũ in festo expiationis, sacrificium in festo tabernaculorum. In Numeris hæc habetur cap. 28. & 29. præter sacrificium pro peccatis sacerdotum, principum, & totius populi, de quibus habetur mentio Leui ca. 4. & illa oblatio solennis capri emissarii, Leui. 16. & illa de vacca rufa, Nu. 19. Ne dicas ergo hæretice nunquam habuisse ecclesiam catholicam sacrificium. Hoc enim esset detrahere legi gratiæ, & eam statuere inferiorem lege Moysaica & naturali: nec haberi vnde cultum Deo debitum reddat sacro sancta mater ecclesiæ, quæ supra firmam petram est ædificata, & in cuius sacrificij monumentum tot in lege naturæ & scripta sacrificia præcellerunt. Cæterum quibus verbis referam illud admirabile testimonium legis, quo sanctissimi corporis dñi nostri Iesu Christi sacrificium in eucharistia contenti præfiguratur. planè ignoro: tamè sufficiat dicere, & si minus quam pro rei dignitate dicatur. Volens ergo altissimum sacrificium corporis vnicæ filii sui in mundum venturi in omni lege quæ præcesserat designare, & lineis certissimis præfigurari (quate nus ostenderetur certissime sub speciebus panis & vini, corpus eius & sanguinem contineri) elegit in lege naturæ Melchisedec regem & sacerdotem: qui nõ agnorum sanguinem & adipem, velut Abel, sed panem & vinum domino in sacrificium offerret. Etiam in lege Moysi cuius omnia sacrificia per animalium sanguinem perficiebantur, in typum sanguinis Christi, qui in cruce effundendus erat, voluit dñs sacrificium corporis Christi in eucharistia contenti mirabiliter præsignare. Præcepitque Moysi facere mensam de lignis sethin, deauratam auro mundissimo, & per circuitum habentem labium aureum. Et pones, inquit, super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. Hæc habentur Exo. ca. 25. quod in Leui. cap. 24. expressius explicatur, dicente domino Moysi, Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas: quorum senos altrinsecus super mensam purissimam corã domino starnes, & pones super eos thus lucidissimum, vt sit panis in monumentum oblationis domini. Per singula sabbata mutabuntur coram domino; suscepti a filiis Israel sedere sempiterno, eruntque Aaron & filiorum eius, vt comedant eos in loco sancto, quia sanctum sanctorum est de sacrificiis domini iure perpetuo. In omnibus his verbis manifestum exemplar sanctissimi sacramenti corporis domini habetur. Mensa altare est, & ea eligitur mundissima. Panes propositionis, sanctissimum sacramenti designant, qui super mensam statuuntur, quoniam in altari dominico eius corpus offerretur, & pro infirmis adseruatur. Thus lucidissimum superponitur, adstruendum diuinitatem Iesu in ipso sanctissimo sacramento contineri. Quandoquidem thus a regibus in diuinitatis testimonium in cunabulis posito domino oblatum est; & thus precipitur cremari per Aaron mane & vespere coram domino, Exo. 30. cap. Quod autem ait, vt sit panis in monumentum oblationis domini; luce clarius manifestatur, panes istos propositionis præferre typum oblationis, quam in vltima cœna dominus

dominus sui sacratissimi corporis & sanguinis facturus erat. Quod autem panes semper sunt super mensam, denotat sanctissimum sacramentum continuo in ecclesia adseruandum, & per singula sabbata nouum consiciendum. Quod autem a sacerdotibus edi præcipitur, missam designat, quam celebrant sacerdotes. Quod autem dicitur de sacrificiis legis hoc esse sanctorum, plane ostendit sanctum sanctorum dominum in eucharistia mirabili sacramento in cuius præcedebant figuram contineri, & sacrificium esse omnium excellentissimum. Cæterum subcinericius ille panis, in cuius virtute ambulauit Helias quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad mortem Dei, ab angelo illi adductus, 3. Reg. 19. hoc idem significabat. Idem Manna Iudæis datum Exo. 16. cap. Illud autem somnium quod in reuelationem futuræ victoriæ per Gedeonem, factum est cuidam Israelitæ, Iudicum 7. idem quodam præfagij signo portendebat. Vidi (inquit ille) somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere. Cunque peruenissent ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus corquauit. Respondit vero is cui loquebatur. Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filii loas viri Israel. Sufficeret vtrique tot ostendisse huius sanctissimi sacramenti figuras, totque sacrificia in lege naturæ & scripta: tamen vt veritas lucidius manifestetur, ipsique hæretici confusi abeant, adhuc prophetarum oracula dignissima discutiamus. Dauid ps. 22. ait Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Quis vnquam conspexit mensam in inimicos armatam, domini excepta mensa salutari? in qua eius corpus sacratissimum sumitur, & sanguis potatur. Hæc enim demonibus terribilis est, carnem donat, subicitque sub pedibus manducantium mundum, omnemque animæ hostem. Profecto ciborũ carnalium mensa haud quaquam potest a tribulatione eripere, neque hostes suppressere: altare vero in quo offertur domini corpus, mensa est aduersus omnes hostes, qui tribulant nos. Eodem corde præfago ps. 41. ait: Fuernnt mihi la chrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: vbi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locũ tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. Quomodo vero transibit in domum Dei, & quomodo ibi Deum suum inueniet, continuo pronunciat dicens: In voce exultationis & confessionis sonus epulantis. Qui epulatur, non cantat, nisi sacerdos: dum sacrificium solene domino offert corporis & sanguinis dñi. Idem psal. 109. de Christo dicit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Et ps. 115. Quid retribuam dño, pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam, & nomen dñi inuocabo. Et psal. 110. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator dñs, escam dedit timentibus se. Hæc est esca timentium Deum, quæ in eius memoriam præcipitur sumi. Hic calix gratiarum actionis, corpus scilicet & sanguis Christi quod in diuinitatis sacramento continetur. Propheta enim Zacharias cap. 9. postquam dominum in paupertate venturum vaticinatus est, & regem illum futurum, & in sanguine testamenti educiturum victos, concludit, dicens. Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines: Quid autem existimari potest frumentum electorum, bonum & pulchrum eius, præter sanctissimum corpus eius? quod est bonum eius & pulchrum eius, quod sub panis speciebus cibus est electorum. Atqui vinum faciens castos, quis vnquam vidit? cum apostolus dicat: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: præter vinum istud, sub cuius tantum speciebus sanguis domini continetur. Quod si Dauidem Zachariæ addamus idem lucidius intuebitur. Ait namque psal. 22. Et calix meus inebrians, quam præclarus est. Hic calix

calix sumentes ex eo reddit castos, quoniam præclarus est: & inebrians, quod à corporeis & terrenis rebus sumentes alienos reddit. Hoc sacrificium, Malachias propheta diuino spiritu afflatus, attestatur domino nimis valde acceptum, vt pote mundissimum, inque omnem terrarum orbem offerendum, cap. 1. dicens: Ad vos o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despicimus nomen tuum? Offeritis super altare meum panem pollucum & dicitis: In quo pollucimus te? In eo quod dicitis, mensa domini despecta est. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit dominus exercituum. Et nunc deprecamini vultum Dei, vt misereatur vestri: de manu enim vestra factum est hoc, si quo modo suscipiat facies vestras, dicit dominus exercituum. Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Reprobatis tandem sacrificiis veteris legis, prout ex supra dictis verbis manifeste apparet, sacrificium mundum, quo placetur, in omnem orbem offerendum pronuntiat, dicens: Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magni est nomen meum gentibus, dicit dominus exercituum: Malum autem aliud sacrificium est, quod in terra gentium offertur Deo: illo excepto, quod ecclesia ex gentibus præcipue congregata corporis & sanguinis domini offert in omni loco, quod hic oblatio munda dicitur, eo quod supra omnem mundiciem mundum est, qui offertur dominus noster Iesus Christus: cæteræ autem gentium oblationes idolis, non Deo vero immolabantur, & sic immundissimæ reddebantur. Tantis itaque oraculis diuinissimum sacramentum pronuntiatum, tantisque figuris & sacrificiis ostensum est, quandoquidem id vnum et tribus est, quæ in Deo opt. max. admirari decet. Primum, quod se hominem fecerit, propter nos miseros homines. Secundum, quod homo factus dignatus sit pro hominibus in cruce mori. Tertium, quod corpus quod pro nostra salute sumpsit, & in cruce obtulit, dignatus sit nobis in sacrificium tradere sub speciebus panis & vini: idque nos in sui memoriam celebrare, & sumere præcipit. Quod in euangelio manifestissimis verbis ostendere voluit, dicens: Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis, Ioan. capit. 6. Sumptionis corporis & sanguinis domini verba clariora reddi non possunt. Attendant hæretici & conuertantur. Nam necesse est fateri hæc domini verba: Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Porro dominus sciens, quæ uentura erant schismata in ecclesia sua, & hæreticorum scandala, de sanctissimo sacramento ita apertissimis uerbis locutus est ut nemo ambigere possit, corpus & sanguinem suum in diuinissimo sacramento haberi: proposuitque tres euangelistas, qui corporis & sanguinis sui consecrationem irrefragabilibus eisdemque uerbis referrent. Beatum enim euangelistam Ioannem sermonem de sanctissimo sacramento referentem induxit, postremo & beatum apostolum Paulum idem proclamantem: ut iam diuini sacramenti veritas non ex ore duorum vel trium constet, immò ore quinque prorsus sit manifesta. Aduertendum autem, quanta cura de hac æterna dominus cum suis discipulis locutus est, prout refert beatus Matthæus cap. 26. dicens: Ite in ciuitate ad quendam, & dicitis ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Et beatus Marcus dicit: Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo: lagenâ aque baiulans, sequimini eum

& quocum-

& quocumque introierit: dicit domino domus, quia magister dicit: Vbi est refectio mea, ubi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis. Beatus autem Lucas cap. 24. dicit, hos discipulos fuisse Petrum & Ioannem: & refert ea quæ beatus Marcus de cœnaculo grandi strato, eo quod dominus præcipuos apostolorum ad hanc vltimam cœnam parandam misit. Quam in domo magna & strata celebrare voluit: nempe ostendens, rem magnam se facturum in illa. Quod & beatus Ioannes satis ostendit, cum ante consecrationem panis & vini, & in corpus suum & sanguinem transubstantiatione, pedum lotionem præmitit: & dominum Petro dixisse: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet: denotans, quanta puritate ornari debeat, qui corpus domini sumpiturus est. Deinde beatus Lucas refert dominum illa uerba dixisse: Desiderio desideravi hoc pascha manducare uobiscum, ante quam patiar. Non enim qui iam alias paschales celebratares cum discipulis egerat, tanto nunc desiderio flagraret hanc celebrari, nisi aliquid magnum & inusitatum peragendum esset, cuius rei iudicium & uerba ipsa & lotio pedum inusitata præferebant. Tunc (ait beatus Matthæus) accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit: deditque discipulis suis, & ait: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Marcus vero ait cap. 14. Accipit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait illis: Sumite hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Et beatus Lucas cap. 22. ait: Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro uobis fundetur. Nunc autem vniuersus sit orbis testis inter ecclesiam catholicam & hæreticos: Quibus enim uerbis magis expresse dicere potuit Christus dominus, corpus suum & sanguinem in diuinissimo sacramento contineri, quàm his? Hoc est corpus meum. Hic est enim calix sanguinis mei noui testamenti, qui pro uobis & pro multis effundetur. Non enim hic dominus parabolis utitur. Non dixit per similitudinem, exiit qui seminat seminare semen suum. Neque simile dixit est regnum celorum homini regi, sicut simile est regnum celorum homini negotiatori, & his similia. Si hoc vellet, dixisset utique: similis est corpori meo panis iste: similis est sanguini meo calix iste. At non sic inquit, quinimo omnino adfirmans corpus suum in sacramento contineri ait: Hoc est corpus meum, & omnino certissimum asserens in calice suum esse uerum sanguinem, ait: Hic est enim calix sanguinis mei noui testamenti. Non mihi hæretice dicas, hoc uel illo modo isthæc uerba esse accipienda: Christus ipse tibi adfirmat: Hoc est corpus meum. Noli uerbis contendere. Hęc enim domini uerba ita perspicua sunt, ut nullum enigma includant. Nec aliud innuunt, præter id quod sonant: Hoc est corpus meum. Sapientia patris hæc uerba protulit. Omnipotens Iesus potest hoc perscere, & mirabiliter sub panis & uini speciebus includi & contineri. Denique id ficere potest, sapiens est, & propria uerba proferre nouit. Ipse ait: Hoc est corpus meum. Quid tu hæretice uerba domini stectis? & peruicaciter aliorum torques? Tene quod dixit dominus, nec aliud suspicaris: Hoc est, inquit, corpus meum. Hoc reuera præcipit in sui memoriâ fieri. Ergo hæretice desine ab ira, & derelinque furorē: noli emulari ut maligneris, hoc est corpus meum.

○ ○ Sic

Sic credito, sic fide integra domini uerbis accedito. Tres euang. listæ fallere non possunt, sed nec unus quidem. Sic intelligito, quæ admodum audis: Hoc est corpus meum. Hic est. n. calix sanguinis mei, qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Si uerò adhuc tibi: tres non sufficientes stes: audi beatum apostolum Paulum pri. ad Corinthios. i. ca. ira dicentem: Primum quidem conuenientibus uobis in ecclesiam, audio scissuras esse inter uos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiat in uobis. Iam beatus apostolus Paulus hæreses prælagiebat, & forte spiritu iam præuidebat eos, qui ipsum diuinissimum sacramentum negaturi erant: quoniam continuo subiicit: Conuenientibus ergo uobis in unum, iam non est dominicam cœnam manducare. Ecce, ut memoriam agit dominicæ cœnæ, & eam in ecclesia celebrandam affirmat. Vnus quisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nūquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam uobis? Laudo uos? In hoc non laudo. Reprehensio igitur Corinthiis quod corpus domini in ecclesia non susciperent, prout moris & æquum erat, ait: Ego enim accepi a domino, quod & tradidi uobis. Cum uero ait: Accepi a domino, per reuelationem qua raptus est, usque ad tertium cœlum intellige. Ut notum omnibus sit Christum beato apostolo Paulo inter cætera reuelasse corporis & sanguinis sui mysteriū, & in diuinissimo sacramento sub speciebus panis & uini contineri. Sic namque ad Galatas cap. pri. inquit: Notum. n. uobis facio fratres, euangelium, quod euangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: nec enim ego ab homine accepi illud, neque didici: sed per reuelationem Iesu Christi. Nunc igitur quid illi dominus reuelauerit audiamus: Quoniam dominus Iesus in qua nocte trahebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur: hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est, in meo sanguine: hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Ecce uerba, quæ beatus apostolus Paulus refert sibi Christum dominum reuelasse, de mysterio corporis & sanguinis sui in sanctissimo sacramento contentorum. Deinde Corinthiis inculcat Paulus, quæ reuerentia corpori & sanguini domini sit exhibenda: docens illos ne ad domini mensam accedant, ueluti domi ad sua fercula: Quotiescumque enim, ait, manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis, donec ueniat. Itaque quicumque manducauerit panem hunc, & biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini: ac si dicat, reus erit eo quod corpus & sanguinem domini recipit indigne. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diuidens corpus domini. Hoc est, non discernens a cæteris cibis, sed impræparatus & peccatis repletus accedens. Et pri. Corinthiorum cap. 10. expressissimis uerbis factetur corpus domini in sanctissimo sacramento contineri dicens: Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis domini est? Nihil igitur amplius obloquaris hæretice, audi beatum apostolum Paulum, quæ illi de diuinissimo sacramento reuelata sunt differrentem. Nouerat uerba domini beatus Paulus: & postquam uerba eadem, quæ beati euangelistæ de consecratione corporis & sanguinis domini tradiderant, retulit: ipsis Corinthiis inquit, quemadmodum absque peccato illos oportet domini corpus suscipere: docens, quod

quod iudicium sibi manducant & bibunt, qui letali culpa obnoxii corpus domini sumunt, nullum facientes discrimen tanti sacramenti a cæteris cibis. De hoc autem diuinissimo sacramento dominus ipse sollemniter habuit sermonem, quem beatus Ioannes scribit cap. 6. dicens. Caro enim mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Nec simile est illud Ioan. 7. Ego sum uitis uera. Quoniam cum dixisset: Ego sum uitis uera: ad differentiam illius uitis, quæ conuersa est in amaritudinem, & fecit labruscas: addit uera: Quibus ut ostenderet, se uitem per similitudinem, & non proprietatem nuncupasse, intulit aliud simile, dicens: Et pater meus agricola est. Et addit: Ego sum uitis, & uos palmires. Non utique apostoli erant ligni palmires, nec pater cœlestis est nullis hominibus agricola, sed per similitudinem hæc dicuntur. Quemadmodum dominus Ioan. 10. ait: Ego sum ostium, nec enim ostium ex tabulis coniectum est domini. us. Hic autem cum ait: Caro mea uere est cibus, non addit aliud per similitudinem, sed persequitur ueritatem cibi & potus, dicens: Qui manducat meam carnem, & bibit meam sanguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse uiuet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducauerunt patres uestri mamma, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem uiuet in æternum. Præbet panis iste uitam æternam, habet ergo in se illam: alius non posset præstare, quod non haberet. Obstruatur ergo hæreticorum os loquentium iniqua, nec eorum uelanis opinionibus adhærendum, cum aiunt metaphorice dominum hic fuisse locutum: quoniam non uideretur oculis dominicum corpus in sacramento. Sic enim nugari aliquis posset, metaphorice dominum dixisse: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto: quoniam baptismi effectus corporeis oculis non apparet: effectusque baptismi metaphoricus, quod summa stulticia esset asseuerare. Ita & remisio peccatorum paralytico a domino condonata: Remittuntur tibi, inquit, peccata tua, effectus metaphoricus, quoniam carnis non patet oculis. Quin & paradisi latroni promissus, eadem ratione esset metaphoricus, quia nemo unquam corporeis oculis illum in paradiso conspexit. Occurrunt & id genus alia, quæ summa insania esset huiusmodi interpretari. Quod autem semper sacrosancta mater ecclesia a temporibus apostolorum ita crediderit, beatus Dionysius attestatur cap. 2. Eccle. Hierar. dicens: In fine autem omnium summus sacerdos ad sacratissimam eucharistiam uocat perfectum, & perfectiorum mysteriorum ipsi tradit communionem. Vides summum sacerdotem episcopum apostolari: Vides sacratissimæ eucharistie communionem tradi baptizato adulto. Vbi etiam ritum celebrationis missæ eodem lib. cap. 3. exponit, dicens: Summus quidem sacerdos orationem sacram super diuinum altare perficiens, ex ipso adolere inchoans in omnem uenit sacri chori ambitum. Rediensque iterum ad diuinum altare incipit sacram psalmodiarum melodiam concinente ei psalmicam sacram orationem omni ecclesiastica dispositione. Et post alia quæ ibi sequuntur, dicit: Accipiens uerò & tradens diuinam communionem: Non utique diuinam diceret, si non in illa uerum Christi corpus diuinitate cõiunctum contineretur. Quod iterum repetit in eiusdem tertii cap. Theoria, dicens: Dum consecrat, sacrificat diuinissima, sub spectu ducens Iesum Christum inuisibilem, accipiens autem & tradens diuinam communionem. Ecce communionem diuinam. Ecce Iesum Christum inuisibilem contentum in diuinissimo sacramento. Et iterum eodem lib. cap. 6. ait: Propter quod & sacerdotalibus ordinibus in sacræ communicationis suis sanctificationibus, in fine sanctissimarum suarum oblationum sanctissimæ eucharistie communicatio traditur a consumante eos summo sacerdote.

δραραυνη.
ερωτατη
ευχαρισ-
τιαν.

μετασχωρ
δεν και
την εραυρη
νι κοινα-
νιαι.

Et Cyprianus lib. epistolarum. 2. epist. 3. ait: Nā quis magis sacerdos dei summi quam dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit. Et obtulit hoc idem quod Melchisedec obtulerat, id est panem & uinum, sicut scilicet corpus & sanguinē. Libro autem pri. 2. epist. idem beatus martyr Cyprianus ait: Quos excitamus & hortamur ad proelium, non inermes & nudos relinquantur, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamur. Et cū ad hoc fiat eucharistia ut possit accipientibus esse tutela, quos tuos esse contra aduersarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus. Et paulo infra dicit: Sacerdotes sacrificia Dei quotidie celebramus. Idem lib. 3. epistola. 15. inquit: Illi contra euangelii legem, uestram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesim grauissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo & clero in pœnitentiam impositam, offere pro illis, & eucharistiā dare, id est sanctum domini corpus profanare audeant cum scriptum sit: Qui ederit panem aut biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Idem in orationem dominicam, versu: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, dicit: Quando ergo dicit in æternum uiuere si quis ederit de eius pane: ut manifesti est eos uiuere, qui corpus eius attingunt, & eucharistiā iure communicationis accipiunt: ita contra est timendū & orandū, nedum quis abstinens separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso & dicente: Nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Et idem beatus martyr Cyprianus in sermone de cœna domini inquit: Significata olim a tempore Melchisedec prodeunt sacramenta: & filij Abraham facientibus opera eius summus sacerdos panē profert & uinum. Hoc est, inquit, corpus meum. Manducauerant & biberant de eodem pane secundū formam uisibilem. Sed ante uerba illa, cibus ille cōmunis tantū nutriendi corpori cōmodus erat, & uita corporali subsidiū ministrabat: sed ex quo a domino dictum est, hoc facite in meam cōmémorationē: hæc est caro mea, & hic sanguis meus, quotiescunq; his uerbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis uitam salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens. Manifestata est etiam spiritalis & corporalis cibi distantia: aliud fuisse quod prius est appositum & consumptum, aliud quod a magistro datum est & distributum. Mox paucis interpositis ait: Panis iste quem dominus discipulis porrigebat non effigie sed natura mutatus, omnipotentia uerbi factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas uidebatur, & latebat diuinitas: ita sacramento uisibili ineffabiliter se diuina infudit essentia: ut esset religio Christianæ circa sacramenta deuotio, & ad ueritatem cuius sacramenta sunt sincerior pateret accessus. Et sicut panis communis quem quotidie edimus, uita est corporis: ita panis iste super substantialis uita est animæ, & sanitas mentis. Et infra eadem serie: Esus igitur, inquit, carnis huius quedam uitas est, & quoddam desiderium manendi in ipso. Perpes est hoc sacrificium, & semper manens holocaustum. Panis iste angelorum omne delectamentum habens uirtute mtrifica, omnibus qui digne & deuote sumunt, secundum suum desiderium sapit, & amplius quam manna illius eremi implet & fatiat edentium appetitus, & omnium carnalium saporum irritamenta: & omnium exuperat dulcedinum uoluptates. Hæc in Christi commemoracione retractantur a fidelibus, & defæctis animis. Carnis eius edulium non est horrori: potius sancti & sanctificantis sanguinis spiritus delectatur. Sed & beatus Augustinus idem faceret libro 9. confessionum, cap. 12. loquens de impensis pro-

defuncta

defuncta matre precibus: Nam neque in eis precibus quas tibi fundimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretij nostri, iam iuxta sepulchrum posito caduere priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet. Et capit. sequenti ait, referens matris preceptum de illius memoria faciendā in celebratione corporis domini: Nulla illi cura de eligendo sepulchro fuerit: non ista mandauit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat: unde sciret dispensari uictimam sanctam, qua delictum est chirographum, quod erat contrarium nobis. Hinc manifeste colligitur, sacrificium altaris corporis & sanguinis domini offerri etiam pro defunctis beati Augustini tempore. Et lib. 8. de ciuitate Dei, capit. ultimo: Quis audiuit aliquando fidelium, inquit, stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre, uel Paule, uel Cypriane: cum apud eorum memorias offerat Deo, qui eos & homines, & martyres fecit, & sanctis suis angelis celestis honore sociauit. Et lib. 10. cap. 20. inquit, de Christo: Per hoc & sacerdos est offerens ipse & oblatio, cuius rei sacramentum quotidianum uoluit esse ecclesie sacrificium. Et lib. 22. capit. 8. miraculum narrat de oblato sacrificio corporis Christi, fere his uerbis: Vir tribunitus Hesperius qui apud nos est, habet in territorio Fuffalensi fundum appellatum: ubi cum afflictione animalium & feruorum suorum domum suam spirituum malignorum uim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente presbyteros, ut aliquis eorum illum pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexerat unus, obtulit ibi sacrificium corporis domini, orans quantum potuit ut cessaret illa vexatio, deoq; protinus miserante cessauit. Idem beatus Augustinus epist. 20. ait: Vota uero sua sacrificium uult intelligi corporis sui quod est fidelium sacramentum. Et lib. prim. contra Parmenianum capit. 6. ait: Sacrificia ergo impiorum eis ipsis oberunt, qui offerunt impie. Nam unum atque idem sacrificium propter nomen domini, quod inuocatum & semper factum est, tale cuique sit, quali corde ad accipiendum accesserit. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Non ait alijs, sed sibi. Qui ergo manducat digne & bibit, gratiam sibi manducat & bibit. Idem lib. 2. contra Petilianum capit. 55. Hi utique, inquit, disturi sunt: In nomine tuo manducauimus & bibimus: & audituri, non noui uos: qui corpus eius & sanguinem in sacramento manducant & bibunt. Et idem in præfatione psal. 68. inquit: Quod admonuit etiam Ioannes euangelista, qui imminente passione, cum ueniret dominus ad cœnam, qua cōmendauit sacramentum corporis & sanguinis sui, ita loquitur. Beatus autem Ioannes Chrysolomus, tomo 5. home. 2. ait: Filius autem Dei ascendens suam nobis carnem dimisit. Ne igitur decidamus, neque lamentemur, neque temporum difficultatem timeamus. Qui enim sanguinem suum pro omnibus effundere non recusauit: & carnem suam, & rursus ipsum sanguinem nobis communicauit, nihil pro salute nostra recusabit. Quid igitur amplius dicam de hoc diuinissimo sacramento? Deficiet profecto tempus, si omnium antiquorum & grauissimorum autorum sententias huc adducere uellem. Nec quidem opus est amplius immorari, cum tot figuris sit hoc diuinissimum sacramentum præfiguratum, tot uaticinijs prophetarum ostensum, tantaque luce uerborum a Christo domino institutum: & ab eodem, ut beatus refert Ioannes, toties prædicatum, atque adeo ab ipsis apostolis commendatum: a doctoribus denique orthodoxis, & ab ecclesia catholica ubique

&

& semper ueneratum. Nulla enim unquam, prout in initio huius tractatus retulimus, fuit lex, in qua sacrificia deessent. Quapropter in lege gratiæ, ipse autor salutis & gratiæ dominus noster Iesus Christus, sacrificium istud altissimum nobis donare uoluit: & quod semel in cruce obtulit patri, eidem iugiter offerri instituit: ne tanti amoris & dignationis memoria, alio reduceretur in mentem sacrificio, quàm eodemmet corpore & sanguine, quæ ipse pro nostra salute tradidit. Hæc autem sublimia ac suprema mysteria, quippe quod Deus factus sit homo, & quod pro nostra salute, & vt nos Deo conciliaret, crucis tormentum subierit, non alio erant sacrificio recolenda, quàm eodem uero corpore & sanguine, quæ in nostræ redemptionis pretium & animarum expiationem fuerat semel in cruce æterno patri oblata. Non ergo habet quid nobis obiciat hæreticorum uulgus, cum uerbis domini credimus: Hoc est corpus meum. Quod tres simul euangelistæ testantur. Non est quid improperet, cum dominus diuinissimi huius sacramenti prædicator exiit, beato Ioanne cap. 6. referente: Caro, inquit, mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Cui omnes prophætæ testimonium perhibent. Sic & beatus apost. Paulus clamat: Panis quem frangimus, participatio corporis domini est: & calix cui benedicimus, participatio sanguinis Christi est. Sic & eius discipulus beatus Dionysius attestatur, & cæteri quos retulimus ecclesiæ sanctæ martyres & doctores. Sic & ecclesia catholica obseruauit ab ipsi apostolorum temporibus ad usq; nostram ætatem, & sic firmiter obseruauit, usque in diem, qua Christus dominus iudicaturus est orbem terrarum: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS OCTAVVS,

In XVIII. cap. beati Matthæi.

ITEM porrò sacerdotes ministri solennes sunt sacramenti baptismi, quod omnium sacramentorum ostium est. Qui enim sacrum baptismum, adhuc non suscepit, nullius alterius sacramenti capax efficitur. Non enim de eucharistia sacra participat, nec a peccatis absoluitur, nec in sacerdotum præficitur, nec moriens oleo sacro perungitur. Cæterum cum per ianuam sacramentorum baptismum uidelicet, in ecclesiam fuerit introductus, iam cæteris sacramentis communicat. Dicimus baptismi sacerdotes ministros solennes: quâdoquidem in extrema necessitate, quilibet baptizare potest, etiam infidelis. Nec enim lex suprema gratiæ inferiora lege Moysæ ad culpam originalem, & ad omne peccatum diluendum habet remedia quinimmo potiora. Legimus autem Exod. cap. 4. Sephoram uxorem Moysi circumcidisse præputium filii sui: quâdo angelus uoluit Moysen occidere ob filium incircuncisum, quem secum gerebat. cumque esset in itinere in diuersorio, occurrit ei dominus & uolebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram & circumcidit præputium filij sui, tetigitque pedes eius, & ait: sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum postquam dixerat, sponsus sanguinum tu mihi es ob circumcisionem. Cum igitur mulier & ea mater in lege Moysi instante necessitate extrema, poterat circumcisionis munus obire, multo magis eadem necessitate urgente, quilibet poterit baptizare. Atqui minister solennis sacerdos est: cum ipse baptizat omni cum apparatu, pompa & ritu per ecclesiam constitutus, cumque uerticem baptismi iniungit sacro oleo chrisimatis: & oleo cathecuminorum in peccatore

stare & inter scapulas baptizandum linit. Quod & dominus manifestis uerbis insinuauit, dicens apostolis iam ad patrem ascensurus: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Quæ ergo baptismus committatur discipulis, illi utique & successores eorum præcipui & solennes ministri sunt huius sacramenti. Quin etiam Christo prædicante baptizabant, prout beatus Ioannes refert cap. 4. dicens: Ut ergo cognouit Iesus, quia uadicerunt pharisei, quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes: quâquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius. Similiter Act. 2. cap. Cum Iudei in die Pentecostes plenos spiritu sancto discipulos conspexissent, ea re attoniti Petro prædicante dixerunt. Quid faciemus uiri fratres? & beatus Petrus: Pœnitentiam, inquit, agite: & baptizetur unusquisque uestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum uestrorum. Et qui receperunt sermonem eius baptizati sunt, & apposita sunt animarum circiter tria millia. Nec obliuioni tradendum, quod beatus Petrus adultis primo præcipit pœnitere, nepe ab infidelitate & cæteris peccatis mortalibus, ut per aquam baptismi remissionem consequantur & gratiam. Sacri baptismi ritum beatus Dionysius martyr, beati apostoli Pauli discipulus cap. 2. Eccles. hierar. describit, dicens: Et qui accipit eum, hoc est baptizandus, ducit ad Hierarcham cognominatum, qui ad uirum aduenientem accedit & interrogat eum, quid uolens uenit: eo uerò religiose accusante, iuxta anadochi traditionem, incredulitatem, ignorantiam ueri boni, a diuina uita desidiã. Et hierarcha diuinam ei conuersationem introducens, & interrogans, si sic conuersaturus est post confessionem scilicet fidei, imponit eius capiti manum: & signans describi imperat sacerdotibus uirum & anadochum, & afferunt sacerdotes unctionis sacrum oleum: & aquam sacris inuocationibus sanctificans: & tribus sanctissimi Chisimatis cruciformibus effusionibus, ad aquam ducitur: & ipsum summus sacerdos baptizat tribus perficiendi demersionibus. Plura alia beatus Dionysius ibidem recitat de ritu baptismi sacri, quæ longum esset recensere. Hæc dicta sufficiunt ad ostendendum sacri solennis baptismi ritum, quem sermè usque hodie sacrosancta obseruat mater ecclesia. Præceptum autem baptismi in paulo ante adducta beati Matth. cap. ult. sententiã continetur: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Et etiam Mar. ult. Qui crediderit (sive intellige uita charitate formata) & baptizatus fuerit, saluus erit. Et ad Nicodemum refert beatus Ioannes cap. 3. dominum dixisse: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Cæterum quod superest manifestissimis testimoniis ostendendum est aduersus nostri temporis hæreticos, qui baptismum facientes paruulos baptizandos negant: cum reuera paruulis baptismus maxime sit necessarius. Quod sanè ex ipsius domini uerbis baptismum instituentis, si rectè examinetur, colligitur. Ait namque: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Cum igitur dominus neminem hic excipiat, nec unius horum infantulum: certum utique est, quod quicumque decesserit sine baptismo, non introbit in regnum Dei. Quum igitur æquæ incerta sit hora mortis paruulis atque adultis, omnibus haud dubio præcipit dominus baptismum suscipere: cum nemo huius sacramenti expers salutem consequi possit. Id ipsum etiam comprobatur ex inducta domini sententiã, quam retulit cap. ult. beatus Matthæus: Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Paruuli enim & si non doceantur antequam baptizentur, habent anadochos doctos, habent & fi-

andoyer
idem, sus-
ceptor,
idem qui
patrinus

dem.

dem infusam in baptismo, qua uerificatur: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Credunt infantes eorum pædagogorum spõsione, habentq; fidem infusam in baptismo. Quod dominus satis innuit: cum dixit Matth. 19. prohibentibus discipulis paruulos ad illum accedere? Sinite, inquit, paruulos, & nolite eos prohibere ad me uenire: talium enim est regnum cœlorum. Regnum enim cœlorum nemo quisquam introire posset, nisi fuerit is renatus ex aqua & Spiritu sancto. Nolite ergo hæretici prohibere paruulos ad baptismum accedere, quorum est regnum cœlorum: ad quod nisi baptizati peruenire non possunt: quoniam nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Ad eò autem hoc verum est, ut beatissimi apostoli sic uerba domini interpretantes, paruulorum saluti baptismum maximè necessarium esse intellexerint: eosq; ideo ad baptismum recipi statuerunt. Quod beatus Dionysius martyr refert cap. vlt. Eccle. hier. & infideles idem irridentes, quorum loco (quod ad hanc rem attinet) subannatores hæretici successerunt. Ait igitur: Quod autem pueros nondum diuina intelligere ualentes sacræ participes fieri diuinæ generationis, & sanctissimorum diuinæ communicationis symbolorum: uidetur quidem, ut ais, immundis blasphemio risu dignum, si audire non ualentes edocent summi sacerdotes diuina: & non intelligentibus imagines, tradiderunt sacras traditiones. Et quod adhuc risibilibus est, quomodo pro eis alii abrenunciationes dicunt & sacras confessiones. Oportet tuam hierarchiam intelligentiam non angustari in errantibus: sed & timens simul & eorum lucidatus gratia diligens descendere aduersus pro eis pro laras infidias: proponentem & hoc iuxta legem diuinam, quia non in nostra scientia omnia diuina circumscribuntur. Veruntamen & de hoc ca dicimus, quæ quidem deiformes nostri sancti præfectores ab antiqua eruditi traditione in nos adducebant. Aiunt enim, quod quidem est verum, quia secundum legem diuinam ducti infantes ad habitum sanctum uenire omni purgandi, errore & immunda uita. Multum hoc diuinis nostris ducibus in animum ueniens probauerunt recipi infantes secundum hunc sacrum modum. Habemus igitur secundum legem diuinam infantes esse baptizandos, & sic per beatos apostolos, quos diuinos duces & præfectores appellat beatus Dionysius fuisse sanctitum. Et beatus martyr Cyprianus lib. 3. Epistolarum hanc causam pertractans, epist. 8. ait post plurima in eandem sententiam relata: Porro autem si etiam grauissimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cum potest crediderint remissa peccatorum datur, & a baptismo & gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccat, nisi quòd secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit. Qui ad remissam peccatorum hoc ipso facilius accedit, quòd illi remittuntur non propria sed aliena peccata. Et ideo frater charissime, hæc fuit in concilio nostra sententia: a baptismo atque gratia Dei, qui omnibus misericors & benignus & pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa uniuersos obseruandum sit, atque retinendum: tum magis circa infantes ipsos & recens natos obseruandum putamus. De baptismo etiam paruulorum beatus Augustinus uolunt edidit. Et ad Bonifatium ait: Quædiu puer intelligere non potest, ualebit sacramentum ad eius tutelam aduersus contrarias potestates. & tamè ualebit, ut si ante maioris ætatis usum ex hac uita migrauerit, per ipsum sacramentum cõmendata ecclesiæ charitate, ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intrauit in mundum, christiana adiutorio liberetur. Qui hoc non credit, & non posse fieri arbitrat, profecto infidelis est. In ueteri si quidem lege Deus præcipiebat circumcisionem, &

eam

eam octauo die fieri statuit dicens, Genes. 17. Infans octo dierum circumcideretur in uobis. Multo igitur amplius in lege gratiæ infantibus remedium cõtra originale peccatum præstandum est: ne decedentes ab ingressu beatitudinis priuentur perpetuo. Breuissimis uerbis hæc redditur ratio, quæ quidem hæreticis insolubilis est: Nempe remedia in lege gratiæ contra originale & actuale peccatum efficaciora & faciliora esse, cõsentaneum est: cum ad peccatorum deletionem Christus Deus fuerit passus. Traditus est (inquit beatus apostolus Paulus) propter delicta nostra: & resurrexit propter iustificationem nostram. Cuius iugum suauis est, & opus eius leue: cui est honor, gloria, & imperium, cum patre & Spiritu sancto in æternum. Amen.

TRACTATUS NONVS,

In cap. XVIII. beati Matthæi.

SUNT quidem & alia duo sacramenta, quæ sacerdotum ministerio peraguntur: nempe unctionis extremæ, & matrimonii sacramenta. Extrema unctio oleum est ab episcopo consecratum in die cœnæ domini intra missarum solennia, pro unguendis infirmis adseruatum. Eo enim infirmus ungitur inflante corporis morte: ut omnes per gratiam eluantur peccatorum macule, si quæ forte animæ inhæserunt: puta ad malum pronitas, torpor & ineptitudo ad bonum: & ut Christi athleta ad exitum roboretur & exhilaretur: quod certis uerbis peragitur; quibus deprecatur sacerdos infirmo peccata remitti. Porro id sacramentum a domino apostolis traditum, nulli dubium est, quo ipsi deinde usi sunt. Videtur autem in illo loco signari, quem refert beatus Marcus, ca. 6. dicens: Et excentes prædicabant, ut pœnitentiam agerent: & dæmonia multa eiiciebant, & ungebant oleo multos ægros & sanabantur. Hoc autem si euangelista non exprimit a domino institutum: apparet tamen a domino institutum apostolis: Quia enim causa ipsi potius oleo usi sunt ad unguendos infirmos, quam uino aliove liquore? quinimmo ut unctionis olei ueritas portenderetur sic peruncti sanabantur. Huius rei gratia beatus Iacobus apostolus in sua canonica cap. vlt. huius sacramenti promulgator extitit: & causam eandem profert, eum dicit: Infirmatur quis in uobis? inducat præbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei. Alleuatio hæc aliquando est infirmitatis: aliquando uerò tristitiæ & cuiusdam horroris, quibus laborat homo dum animam agit. Cæterum beatus Dionysius inducit consuetudinem unguendi defunctos oleo in significationem: quòd cum primum sint baptizati, peruncti sunt sacro chrismate. Dicit enim cap. 7. Eccle. Hierar. Post uerò salutationem infundit oleum dormienti summus sacerdos. Memento autem quòd secundum sacram theogenesis ante diuinissimum baptismum, prima participatio sacri symboli donatur perficiendo post uniuersalem prioris uestimenti depositionem sacræ unctionis oleum. In fine autem omnium nunc super dormientem oleum infunditur, & tunc quidem olei unctio ad sacra certamina uocatur consumandum. Nunc uerò infusum oleum manifestat, secundum ipsa sacra certamina militantem & consumatum dormientem. Quemadmodum igitur oleo perunguntur iam dormientes ad significandam uictoriam

Pp riam

Deiours nos
hñseuonae
θεοειδ' εις
εεροτελε-
σας.

θεοεφε-
ιας,
Idest, diu-
na regene
ratio.

riam consumatam, quoniam & sacro oleo liniti sunt, dum baptizantur: ita quoque faciendum est a domino nostro Iesu Christo institutum sacrae unctio- nis extremae sacramentum: quo iam, prout ex beato Marco retulimus, aposto- li circa infirmos vsi sunt. Cuius beatus Iacobus meminit & effectus salutis, quem refert beatus Marcus. Sic enim Iacobus ait: Etsi in peccatis sit, remittetur ei. Quin & experientia docet inunctos infirmos, si adhuc sensu aliquo ui- gent, nec aegritudinis ui, omnino mente abalienatur, exhilarari: & leuius aegri- tudinis tædium & dolores, quos patiuntur, ferre. Et si adhuc illis extrema illa non est præfinita dies, citius bene habere. Verum enim uero, nec ipsi apostoli tali uterentur remedio pro infirmitatibus alleuiandis: nec huiusmodi sacra- mentum ecclesia traderet obseruandum, nisi a Christo. Virtutis esset. Quin & ecclesia ipsa, quam semper spiritus Dei moderatur, non tanta celebritate extremae unctio- nis oleum consecraret: & in die tanti mysterii, nisi bene edo- cta a temporibus apostolorum in sacra extrema unctio- ne conficienda adeo persistisset. Porro matrimonii sacramentum, quo sancta ecclesia iungitur, a Christo domino in euangelio institutum fuisse, testatur beatus Matth. sequen- ti cap. 19. inquit: Et accesserunt ad eum pharisæi tentantes eum, & dicen- tes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa? Qui re- spondens ait eis: Non legitis, quia qui fecit hominem ab initio, masculinum & foeminam fecit eos? & dixit: propter hoc, dimitter homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. His uerbis ostē- ditur matrimonium esse sacramentum, cuius solennis minister sacerdos est. Cum uero uoluntate contrahatur, possunt adiuuicem, nisi interstet canonicum impedimentum, mulier & uir contrahere: & tali inter se mutuo animorum consensu & uerbis hunc explicantibus celebrare sacramentum. Prohibentur uero nuptiæ clandestinæ per ecclesiam: non quoad uigorem sacramenti: sed ne in prohibitis contrahantur gradibus. Proinde qui sic contraxerunt; per- manent coniuncti: nec quacunque ex causa eorum aliquis, separari sine con- trahere alibi potest, altero eorum superstitite. Quod sanè uerba domini exprī- munt, cum ait: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet: uerba scilicet referens ad uinculum sacramenti. Eadem ipsa uerba refert beatus Marc. ca. 10. Propter hoc autem & quod Deus coniunxit, magnum significationē hoc sa- cramentum esse, prædicat beatus apostolus Paulus cap. 5. ad Ephesios, dicens: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in ecclesia. Hoc Deus approbare uoluit præsentia sua, cum ad nuptias Cana Galilææ uocatus processit. Quibus interfuit & beatissima uirgo & discipuli domini, ut Ioannes refert 2. cap. Ibiq̄ue ad preces beatissimæ semper uirginis matris deficiente uino fecit dominus illud miraculum conuersionis aquæ in uinum. Ut hinc di- scant hæretici laudare nuptias intra suos terminos: sciântq̄ue nuptiis præfer- ri uirginitatem & castitatem. Nam in nuptiis defectus uini apparet, quod per uirginitatem suppletur. Bonæ sunt nuptiæ, potior uero castitas, sed & suprema uirginitas. Sicq̄ue sacrosancta mater ecclesia semper recta uia incedens uincitque quod suum est tribuit. Nuptias approbat, uide o hæretice ec- clesie candorem eximium, illasq̄ue domino consecrat & nubentibus solenni- ter bene dicit. Insuper matrimonium sacramentum esse factur, unum è se- ptem a Christo domino institutis. Cæterum uirginitatem nuptiis præfert, quoniam matrimonio iuncti tribulationem carnis, secundum apostolum, ha- bebunt huiusmodi: solliciti nempe quæ sunt mundi, & diuisi sunt. Et uxor qui- dem cogitat quomodo placeat viro: & uir præmeditatur quemadmodum vxori pla-

si placeat, & sic diuisi sunt. Innupta autē & uirgo cogit at, quæ domini sunt, quomodo placeat Deo. Quod & Christus dominus in se & in Deipara matre sua Maria præclarissimo exemplo indicat: dum a desponsata nascitur, quæ semper tamen permansit uirgo. Demon autem cuius sunt membra hæretici, medium tenere non ualeat. Ecce quosdam hæreticos, quos refert beatus aposto- lus Paulus, dantes nuptias, pri. Timot. 4. Nunc alii sunt hæretici qui affirmant omnes oportere nubere. O satana, tu extrema elatus superbia, ministros tuos non finis ullum tenere modum, & euangelio & sacrosanctæ matris ecclesie præceptis subici: quin potius confundis omnia. Nunc damnas nuptias, nunc il- licita contubernia nuptiarum nomine probas. Nescis enim modum prælige- re rebus, donec dominus misericordia sua & precibus sanctæ matris ecclesie sponsæ suæ conterat te sub pedibus nostris. Quod fiet uelociter gratia ipsius domini nostri Iesu Christi, & mirabili potentia & sapientia sua: cui cum pa- tre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS,

In XVIII. cap. beati Matthæi.

MINISTER enim sacramenti confirmationis, solus episcopus est. Est au- tem confirmatio consignatio in fronte cum oleo sacro chrisimatis per episcopū facta sub certa uerborum forma. Verba porro hæc sunt. N. Signo te signo cru- cis, & confirmo te chrisimate salutis, in nomine patris, & filii, & Spiritus san- cti: ut replearis eodem spiritu sancto, & habeas uitam æternam, amen. Hoc sacramentum, in quo exhibetur Spiritus sanctus, ad robur & dona eius a Chri- sto domino est institutum & apostolis traditum. Et quoniam solos apostolos scimus manus super baptizatos imposuisse, & per impositionem manuum eo- rum Spiritum sanctum in sic tactos descendisse, solus episcopi est hoc sacra- mentum ministrare fidelibus. Sunt quibus uidetur, & non abs re, dominum hoc sacramentum prænotasse. ubi, ut tradit Mattheus cap. 19. dicitur: Tunc oblati sunt ei paruuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem in- crepabant eos. Iesus uero ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me uenire: talium est enim regnum cælorum. Et cum imposuisset eis ma- nus, abiit inde. Et beatus Marcus cap. 10. ait: Et offerebant illi paruulos, ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum uideret Iesus, indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos uenire ad me, & ne prohi- bueritis eos: talium est enim regnum Dei. Amen dico uobis, quisquis non re- ceperit regnum Dei uelut paruulus, non intrabit in illud. Et complexus eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos. Similiter beatus Lucas cap. 18. ait: Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret. Quod cum uideret discipuli, increpabant illos. Iesus autem conuocans illos, dixit: Sinite pueros uenire ad me, & nolite uetare eos: talium est enim regnum Dei. Nun- quam enim tanta cura esset sacris euangelistis tactum & benedictionem pue- rorum exprimere, nisi aliquod sacramentum prænotaretur in istis. Nec domi- nus pueros sic tueretur a discipulorum prohibitione, nisi mysterium aliquod in suo tactu & benedictione includeretur. Ecclesia sancta oleum chrisimale bal- samo mixtum in die cenæ domini per episcopos consecrat, duodecim sacerdo- tibus pontifici assistentibus, indutis uestimentis sacris, ueluti si essent celebra- turi. Et septem diaconi, totidemq̄; subdiaconi in albis & stolis pontifici etiam

assisunt: quod episcopus plurimis orationibus & præfatione consecrat. Ita quoque legimus in actis apostolorum cap. 8. Cū audissent apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria uerbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cum uenissent, orauerunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum uenerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum. Ecce sacramentum confirmationis, quo roborantur fideles, & Spiritum sanctum suscipiunt, ministratum per manus apostolorum.

Et Actorum 19. cum beatus Paulus uenisset Ephesum, & inueniret quosdam de discipulis, dixit ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audiimus. Ille uero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptisate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptisate poenitentia populum, dicens, in eum qui uenturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Iesum. His auditis baptizati sunt in nomine domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, uenit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Quapropter cum per apostolos legimus baptizati manus impositas: solis episcopis confirmationis sacramentum ministrare traditum est. Cæterum sic fieri solitum in primæua ecclesia testatur beatus Dionysius martyr in eccles. Hierar. cap. 2. tradens quemadmodum baptizandus oleo cathecuminorum ungebatur per sacerdotes, tunc demum per episcopum chrismate confirmabatur. Sic enim ait: Et ad summum exeuntibus eum ministris afferunt quidem sacerdotes unctiois sacrum oleum, ipse ante unctioem per signationem ter incipiens. cæterum sacerdotibus uirum ungi omni corpore tradens, ipse ad matrem filiolaris uenit, & tunc aquam sacris inuocationibus sanctificans, & tribus sanctissimi chrismatis cruciformibus effusionibus perficiens illam, & chrismatis sanctissimis immersionibus. Et postquam baptizatus est, ait: Accipientes autem eum sacerdotes porrigunt accessionis anadocho & duci: & cum ipso accipientes uestimenta perficiendorum adunatum ad sacramentum sacerdotem iterū reducant. Ipse uero Deificantissimo unguento uirum signans participem manifestat de cætero sacre perfectissimæ eucharistia. Ritus autem consecrationis chrismatis eiusdem libri cap. 4. luculenter describitur: Tanta, inquit, synaxos sunt, & sic bona inuisibilia ad unum nobis, sicut sæpe diximus Hierarchichæ sacrificantia societatem. Sed est huius equi potes, altera perfectiua operatio chrismatis hostiam duces nostri quam nominant. Et post pauca inquit: Deinde chrisma summus sacerdos accipiens super ponit diuino altari circum uelatum a duodecim pennis sacris, reboantibus simul omnibus sanctissima uoce sanctum Deo acceptabilem prophetarum inspirationis melodema. Et in ipso perficientem orationem completis, in sanctissimis consecrandorum hostiis, eo utitur ad omnem fere Hierarchicham perfectionem orationem. Et in theoria eiusdem cap. ait: Dicamus igitur quomodo est myri compositio. Congregatio est quædam bene spirantium materiarum in se copiose habens qualitates odoriferas. Deinde prosequitur, quemadmodum sanctum chrisma dominum significat. Hæc uero qui legerit profecto manifeste prospiciet, quæta ratione sacrosancta mater ecclesia, sanctum chrisma ex oleo & balsamo mixtum consecrat, & eo in sacramentum confirmatio nis utitur: postquam in ecclesia primæua sic usa est sacra sanctorum societatis. Quinimo & eo inunguntur caput & manus episcoporum, dum in antistites consecrantur: prout retulimus dicentes de beato Dionysio: Eo utitur ad omnem fere Hierarchicham perfectionem orationem. Quid hic miserè heretici hi-

et hincere audeant? Quid in hoc sacramentum dicere possunt, quod tot autoritatibus confirmari uident? Discant scripturas: legantque sanctorum doctorum uolumina, qui per tempora apostolorum uixerunt, quibus id curæ fuit, eorum ritus ne obliuioni traderetur, literis mandare. Tunc enim intelligent, quanta curâ id sacramentum & cætera beati apostoli ministraverint, quemadmodum a domino Iesu acceperunt. Qui ut multa signa fecisse traditur, quæ non sunt scripta a sacris euangelistis, prout beatus Ioannes testatur cap. 20. ita profecto multa etiam dixit, quæ non fuerunt literis mandata: & si de omnibus sacramentis uel omnimoda sit forma & materia tradita: uel de illis duobus, extrema uidelicet unctioem & confirmationem signata, & per apostolos executâ, perque beatum Dionysium satis explicata. Gaudio igitur magno fideles lætari decet, cum tantis cernant, quæ sacrosancta tenet mater ecclesia, te stimoniis corroborari: sicque ab ineunte ecclesia semper in usu fuisse, & perpetuo ad usque finem futurum. Cuius autor qui fallere non potest, ipse est Deus qui nobis omnia reuelauit per dominum nostrum Iesum Christum eius unicum filium: cui cum patre & Spiritu sancto, est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS VNDECIMVS,

In XVIII. cap. beati Matthæi.

Quo ordo sacer sit sacramentum a solis episcopis traditum, & a domino nostro Iesu Christo institutum, omnis sacra scriptura docet: supra namque ostendimus tract. 6. huiusce cap. quod sacerdotes in ecclesia habent sunt. Est & ordo sacer ex septem sacramentis, quibus sancta ecclesia utitur: unum, de quo in præsentî differendum est. Constat igitur dominum dixisse discipulis: Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis. Eisdemque post resurrectionem: Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. In his autem uerbis & gratia confertur, & ligandi atque soluendi potestas: quæ tantum discipulis & eorum successoribus traditur. Igitur manifeste ostenditur sacramentum ordinis sacerdotalis, in quo & gratia & potestas confertur. In ultima quippe cœna dominus cum sui sacri corporis & sanguinis sacramentum instituisset, eius etiam conficiendi potestatem discipulis tradidit, dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Hæc igitur potestas consecrandi corpus Christi uerum; & illa ligandi & soluendi corpus Christi mysticum, celeberrimum sacramentum est. Quando ab illis, qui huius potestatis participes sunt, cætera sacramenta ministrantur, uel ab ipsis uel ab episcopis summis sacerdotibus. Huius potestatis meminit beatus apostolus Paulus prima Timot. 4. cum ait: Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyteri. Et capit. 3. de diaconis meminit, dicens. Diacones similiter pudicos. Et, Diacones sint unius uxoris uiri. Porro diaconi ordinati sunt per apostolos, Acto. 6. Et elegerunt Stephanum, uirum plenum fide & spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum apostolorum; & orantes imposuerunt eis manus. Beatus quoque

Sacramentum ordinis.

τῶν θεομα-
τικῶν τῶν
ἑσῶν.

quoque Dionysius in eccl. Hierar. ordinem describit pontificum, sacerdotum, diaconorum, & cæterorum ministrantium, quos nos subdiaconos appellamus, cap. 5. dicens: Ergo diuinus pontificum ordo primus quidem est diuini ordinationum, sublimissimus autem & nobilissimus. Iterum idem: Etsi enim a sacerdotibus perficiuntur quædam honorabilium symbolorum, sed nunquam aliquando sacram theogenesis sacerdos operabitur sine diuinitimo unguento. Hoc ideo dicit, quoniam sacerdos baptizans solenniter, non baptizat sine oleo & chrismate ab episcopo consecratis: Neque diuine, inquit, communicationis perficiet mysteria, nisi diuinitimo altari communicatiuis superpositis symbolis. Hoc ait, quoniam altare consecratur per episcopum, ut ostendat quæ potest sacerdos a potestate per episcopum tradita facere: & in aliquibus sacramentis aliquid per episcopum consecratum, apponi, dum solenniter celebrantur. Quapropter infert, nec ipse sacerdos erit nisi a hierarchicis consummationibus in hoc sortitus. Et postquam plura adduxit concludit, dicens: Ostensus est igitur a nobis pontificum quidem ordo consummatus, sacerdotum autem illuminatiuis & lucidus: ministrantium uero purgatiuis & discretiuis. Deinde mysterium sacrorum ordinum quomodo contributur ex ponit, dicens: Summus quidem sacerdos ad hierarchicam consummationem accedens, utroque pede inclinans ante conspectum altaris diuini super caput habet a Deo tradita eloquia & hierarchicam manum: & hoc modo a perficiente eum summo sacerdote sanctissimis inuocationibus consummatur. Sacerdos autem utroque pede inclinans in conspectum diuini altaris, super caput habet hierarchicam dextram: & hoc modo a perficiente eum summo sacerdote saceris inuocationibus sanctificatur. Minister uero vnum de pedibus inclinans in conspectu altaris, super caput habet perficientis eum summi sacerdotis dextram perficiendus ab ipso ministrantium consummatis inuocationibus. De hoc autem satis, quando de sacerdotibus tract. 6. huius cap. plurima diximus. An uero episcopatus sit ordo per se distinctus a sacerdotio, an sacerdotium consummatum, non est exponentis sacra eloquia iis immorari quæstionibus. Beatus Dionysius sepe repetit uerbum, pontificum ordo diuinus. In consecratione autem episcoporum, dum chrismate caput inungitur consecrato, profert hæc uerba consecrans: Ungatur & consecretur caput tuum in ordine pontificali. Cæterum cum dominus discipulis dixerit, prout refert beatus Luc. cap. 10. Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit: atque idem in traditione clauium: Quorum remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt: uidetur ecclesiasticos uiros a potestate seculari eximere: Neque id recte huc adducitur, quod dominus dixit Petro supra cap. 17. Reges terræ a quibus tributum accipiunt, a filiis, an ab alienis? Ergo, inquit dominus, liberi sunt filii. Nam illud dixit eo quod esset de stirpe regia secundum carnem de domo David. Nolite tangere Christos meos, cum reges tunc quoque inungerentur, etiam ad reges attineret. Hinc legitur Dauidem, cum a Saule persequeretur, sepe reperisse: Viuit dominus, non extendam manum meam in Christum domini. Summus etiam sacerdos in capite ungebatur, & alii sacerdotes manibus similiter liniebantur in lege, Exo. 29. Unde non tam absurde etiam pro sacerdotibus accipietur illud: Nolite tangere Christos meos. Constat autem iure consecrationis, officij, & dignitatis, a potestate secularibus, & officium consecrandi domini corpus, & absoluendi siue ligandi reos quoscumque, qui in Deum peccauerint: siue sint reges, siue principes. Dignitatem enim præpotentem habent similiter & ministri altaris, leuitæ & subdia-

coni. Si enim contrectare manibus sacramentum calicem laico non licet, sacerdotem ipsum, cui sunt concredita diuina mysteria, & sacer est, quo iure indicare licebit? Balthazarem Babylonis regem percussit diuina ultio, quia sacra profanauit uasa, quæ a templo domini tulerat, ipsius pater Nabuchodonosor. At quanto potius laicus, qui sacros domini sacerdotes tetigerit, percutietur? Cum igitur sint ministerio laicis superiores, & in characteribus distincti, & dignitate ipsa supremi, non decet utique ut potestatibus secularibus subiiciantur, nec per inferiores gubernentur. Sic reuera beatus apostolus Paulus manifestis uerbis definit, dicens ad Heb. cap. 7. Eo quod Melchisedec benedixit Abrahæ laico, sine ulla contradictione quod minus est a meliore benedicatur. Cum sacerdos igitur quoad spiritualia regibus sublimior sit, non illis iure subiici possunt: & a seculari iurisdictione liberi sunt. Porro cum beatus Paulus: Ananiam summum sacerdotem argueret, quod contra legem os eius iuberet percuti: & cognouisset, quod esset summus sacerdos, dicentibus qui adhabati: Summus sacerdotem Dei maledicis? illico uerba Paulus alioquin iusta repressit; inquit: Nesciebam fratres, quia princeps est sacerdotum: Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices. Et pri. Reg. 22. cap. Quis Saul aliquando Achimelech sacerdotem & alios simul sacerdotes iuberet interfici, eo quod Achimelech panes propositionis & arma Goliath dedisset Dauid: Noluissent serui Saul, ait scriptura, extendere manus suas in sacerdotes domini. Et Salomon ob coniurationem quam in illum fecerat Adonias filius Dauid, in cuius consortium transierat Abiathar sacerdos, præcipit illi dicens 3. Reg. 2. Vade in Anathoth ad agrum tuum. Et quidem uti mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam domini Dei. Et apud Malachiam legimus cap. 2. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus domini exercituum est. Et beatus apostolus Paulus pri. Cor. 11. A deo debet mulier, inquit, habere uelamen super caput suum & propter angelos, hoc est propter sacerdotes. Cum igitur angeli sint officio: a natura sacerdotii est, ut controuersæ sacerdotum ad suos pontifices deferantur, non uero ad laicorum iudicium tribunalia. Dominus etiam præcipit Matth. 23. dicens: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint uobis seruate & facite. Propter sacerdotium & nominis dignitatem illis obedire præcipit. Non igitur subduntur legibus secularibus principum. Quod etiam refert beatus Clemens illi inter cætera beatum apostolum Petrum præcessisse, dum illi ecclesiæ uniuersalis regimen commisit. Ait namque: Si qui ex fratribus negotia habent inter se apud cognitores seculi non iudicent, sed apud presbyteros ecclesiæ, quicquid illud est dirimatur, & omni modo obediant statutis eorum. Quidquid igitur per secularem potestatem statuitur, sacerdotes non ligat. Peccabunt autem si carius annonam: uel aliud uendant, quam sit constitutum a reipub. gubernatoribus, quorum interest rerum pretia constituere. Veruntamen apposita poena, sacerdotes non comprehendit, nisi id ab episcopo etiam statuatur. Qui autem sacerdotes habent prædica hæreditario iure acquisita, soluunt id quod cuique eorum imponitur pro publicis operibus excirandis, prius tamen literis magistratus secularis ad episcopum illius diocesis missis, ut illos compellat soluere. Sic autem iure consecrationis, officij & dignitatis natura distinctum est forum ecclesiæ a foro seculari. Sic semper obseruatum est, & a beato Syluestro papa iniunctum post beatum apostolum Petrum: in cuius typum & ipse domino dixit: Ecce duo gladii hic. Ad quem dominus: Satis est: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRA-

TRACTATUS DVODECIMVS,
IN XVIII. cap. beati Matthæi.

ITERUM dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a patre meo qui in caelis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Quoniam ante dixerat dominus quod is qui non audisset ecclesiam veluti ethnicus euitaretur: & potestatem præcipuam ligandi atque soluendi apostolis tradiderat: hæc omnia denuo in hac sententia confirmat, dicens. Si duo ex vobis consenserint super terram, necesse est ut saluente proximum quærentes, de omni re quamcumque petierint, quæ scilicet ad proximorum salutem spectet, fiet illis a patre meo qui in caelis est. Quia charitate mutua in Christo deuincuntur, omnia haud dubio facillime impetrabunt. De quibus dominus: Ego, inquit, sum in medio eorum. Quo circa & illorum semper exauditur oratio. Noui ego quendam, qui præcibus aliquorum feruorum Dei in suis tribulationibus & variis animæ anxietatibus & tentationibus, quibus impugnabatur, non semel adiutus sit: Non minimum etiam argumentum ad sacrorum conciliorum autoritatem firmandam ex his uerbis domini sumitur. Si enim pro salute alicuius duobus uel tribus in nomine Christi congregatis, eorum deprecatio tanti est apud Deum momenti, quoniã ipse Christus in medio sic zelantium proximorum salutem adstare dicitur: quanto amplius Christus Deus adfistet tot pontificibus salutem quærentibus totius Christiani populi. Quod & ipse testatur Matth. vlt. Et ego uobiscum sum, inquit, omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Quod etiam de assistentia spiritus sancti Ioa. 14. ait: Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis, qui maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis. Sumpta igitur occasione ex his uerbis domini de proximorum salutis sollicitudine, & de soluendis & ligandis peccatis beatus Petrus, dominum pœnitentis est, dicens: Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine quotiens peccabit in me frater meus & dimittam ei: usque septies? Recta sane prælati interrogatio, sed peccatoribus indulgentissima diuina responsio. Non modicum se dixisse beatus Petrus arbitrabatur, usque septies. Nam homo cum peccanti fratri septies indulget, se magnam rem peregrisse putat. Deus uero ait: Non dico tibi usque septies: Sed usque septuagies septies. Iustum quippe est, quemadmodum Deus culpam remittit, quoties peccator uerè conuertitur: ita & nos fratri, quotiens commisit scelus ueniam postulauerit, condonare: Ideoque ut scias Petre usque septuagies septies uerè pœnitentibus condonanda esse peccata: & sic accipiendum id quod dixit dominus, ut toties quoties quis peccauerit remittas illi: audi condonatem dominum uni peccatori decem millia peccatorum, quæ per decem millia talentorum designantur. Ideo assimilatum est regnum calorum homini regi, qui noluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum cepisset rationem ponere, oblatum est ei: unus, qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus eius inuindari, & uxorem eius, et filios, et omnia quæ habebat, ei reddi. Prouidens autem seruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Misereus autem dominus serui illius, dimisit eum et debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit unum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et prouidens conseruus eius rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt ualde: et uenerunt, et narrauerunt domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc uocauit illum dominus suus, et ait illi: Serue nequam, quia me debitum dimisit tibi, quoniam rogasti me:

me: nonne ergo oportuit misereri conserui tui, sicut, & ego tui miserus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet ei uniuersum debitum. Sic & pater meus caelestis faciet uobis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus uestris. Ex comparatione diuine misericordie & exemplo eius inducimur, ut simus intencem misericordes. Necessè namque est, si dominus decem millia nobis talenta dimittit, id est innumera in eam commissa scelera: ut & non dimittamus omnes, quæ in nos committuntur offensa. Sed illud animaduersione dignum, culpam aliàs remissam ob aliud peccatum puniri: non quidè quòd uere remissum mortale redeat, sed quia punitur debita & non soluta pœna, ubi quis aliud superinduxit peccatum. Seruus iste remissam a domino impetrauerat culpa: in proximum autem peccante, iam uniuersum debitum ab illo exigitur: id est, temporaria pœna debita priori peccato, quam non exoluerat, iustissimo iudicio Dei punitur. Quid enim dominus illi ignoscat, qui noluit absolutus parcere? Cæterum & illud aduertendum est, non ex hac re remissione esse intelligendum, quod non sint homines nequam puniendi, homicide, fures, adulteri, & id genus alij. Hi siquidem in republicam peccant: qua propter reges & eorum prætores hos punire tenentur, ne tota communitas ob delictorum impunitatem peccatis commaculetur. Euangelium enim agit de Deo culpam remittente, ut homines excitentur exèplo ad ignoscendum, & erubescant non remittentes: Ut Petro hinc satis constat, culpam omnino remittendâ fore, ueruntamen pœnam, si in dispendium reipublicæ uergat peccatum, ueluti necessarium quoddam medicamentum adhibenda esse: nempe ut timore pœnæ & aliorum exemplo ad bene uiuendum cæteri uel excitentur uel compellantur. Dominus quippe noster, cum fit autor dilectionis, odit odium. Ea propter præcipit ut culpis in aut peccatum ignoscamus: quando & ipse ignoscit in se peccantibus. Si autè peccatum in aliorum scandalum uergit, traditur frater in carcerem, quia remittere noluit conseru suo. Quare conserui contristati sunt ualde, & exposuerunt domino proterui serui duritiam in exigendis centum denariis: cum ipse misericordia motus decem millia talenta dimiserit? Igitur quæ in nos committuntur errata facile condonemus: Quæ uerò in Deum, siquidem occulta sunt, iniuncta pœnitentia remittamus: si uerò publica, & officium in Republica Christiana gerimus emendemus, culpam uere pœnitentibus remittentes in nomine domini, & pœnam infligentes salutarem peccantibus, ne relabantur. Quæ & exemplo aliorum est necessaria, ne ex nimia remissione Christianus populus hæresibus, maleficiis, dissidiis, litibus, homicidiis, & latrocinis & adulteriis repleatur. Misericordia namque & iustitia, quas citharam uicini recte uoces, simul connexę dulcissimam reddunt harmoniam. Si uerò alteram disiungas ab altera, iam non constabit concentus, dissipabiturque harmonia. Atque ita quidem omnia si indulgeas, ubique scelera pullulabunt: Si omnia punias, etiã omnes occides. His ergo duabus, misericordia scilicet & iustitia, omnia exæquat dominus, & summæ equitatis lance labrat moderaturque. Vnde & David Psal. 100. suauè domino melos reddere uolens ex suo officio regio, inquit: Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Cum isto seruo nequam magna est dominus misericordia usus, quoniam omne debitum remisit ei. At uerò misericordie iustitiam addit, cum ob duritiam exacti debiti eum tortori tradidit iustitiam. Iustitia igitur & misericordia omnia stabiluntur. In gloria namque relucet iustitia, dum nihil coinquinarum, quod non fuerit prius igne purgatum in illam ingreditur, & cum pro meritis bonisque operibus præmium redditur. Reposita est mihi, inquit beatus Paulus, corona iustitiæ 2. Timo. 4.

Quæ Splendet

Splendet & misericordia. Dei enim gratia sancti sunt, id quod sunt: eiusque gratia in illis non fuit vacua. Etiam in purgatorio multa domini misericordia pariter & iustitia est. Hęc enim punit, illa glorificat. Hac peccata debite exoluntur pœne: illa iam purgatos in beatorum numerum transfert. In inferno quoque iustitia damnatos cruciat, misericordia in esse conseruat. Misericordia domini plena est terra, & iustitia & pax osculatę sunt. Summa namque iustitia dominus, ne peccatum maneret inultum, crucis patibulum subiit. Summa etiam domini misericordia factum, quicumque sanguine eius Deo reconciliati & in baptismo etiam cõsepulti in uitia prolapsi fuerint, eos pœnitentię adhibito medicamento denuo expurgari. Quibus pro sua misericordia dominus dicit: Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum, & tol lat crucem suam, & sequatur me. In cuius rei typtum, prout iam supra hęc uerba tractantes diximus, crucem post dominum baiulat Simon Cyrenęus. Hoc igitur duplici sceptro reges terre feliciter imperabunt: si iustitia, publica pec cata puniant: & misericordia, fragilibus indulgeant. Hoc oportet & baculo si bi cõmissas plebes antistites gubernare: & nonnunquam pietate patris indul gere, nonnunquã uerò iudicis seueritate punire. Sed heu quis hoc nouit tem peramentum habere, ut hic indulgeas, & illic punias? hic blandiaris, & illic se uias? Heu quis in hoc summe necessariam mediocritatem seruet? Certe ut hoc consequamur oportet illam Salomonis precem qua in sui regni initio ute batur, memoria retinere, atque illã domino semper offerre. Dicebat. n. 3. Reg. 3. Dabis ergo seruo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit & discer nere inter bonum & malum. Quis enim potest iudicare populum istum, po pulũ tuum hunc multum? Utinam & omnibus gubernantibus contingat id, quod beatus Ioannes in sua prima epistola canonica cap. 2. ait: Et non necesse habetis ut aliquis doceat uos: sed sicut uisito eius docet uos de omnibus: & ue rum est. Postremo illatas nobis offensas facilius condonemus: in dominum autem peccantes, si uerè pœniteant, remissa culpa secundũ criminis qualitatẽ aliqua pœna iusta & misericordii plectantur. Quod quidẽ recte tum demum a nobis fiet, cũ bene edocti gratia Christi & alios & nos ipsos gubernauerimus: Cui cũ patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperiũ in ęternum. Amen.

TRACTATUS PRIMVS,
IN CAPITVLVM XIX.
BEATI MATTHAEI.

E factum est, cum consummasset Iesus sermones istos, migravit a Galilea, & uenit in fines Iudęe trans Iordanem, & secuta sunt eum turbe multę, & curauit eos ibi. Nullo unquam tempo re dominum deprehendes, quo non aliquid operis agat. Nunc enim docet, nunc orat, nunc infirmos sanat. Semper igitur dominus bonis instat operibus. ex quo duplex nobis proponit exemplum, nempe ut bonis operibus semper si mus intenti, ne unquam nos ociosos tentator inueniat. Simulque docet ne cessaria omnino esse opera bona ad ęternam salutem consequendam: cũ & ip se in carne ueniens nunquam operari desierit. Cuius sane exemplo ad bona opera exhortamur, si quod ille ascendit, & nos peruenire cupimus. Quod neutiquam fiet, nisi bonis operibus cum spe simul & fide intercedentibus. Cę terum

terum quo magis quisquam se bene operando exercet, eo maiorem inuidiam in se diaboli concitare ostendit: quod continuo sequitur. Et accesserunt ad eum pharisei tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacum que ex causa? Tentatio hæc talis erat: ut si dominus dixisset nulla ex causa li cere homini uxorem suam dimittere, cum apud homines accusarent, dicen tes. Ecce quid docet ille: Ergo adulteras retinebimus? & sic in odium homi num traherent saluatorem, utpote qui Moysi legi aduersaretur. Si autem dixisset dominus: licet quacunque ex causa: cum lex illa premitens libellum repudii esset mulieribus satis onerosa, apud mulieres redargueretur, quomi nus illę ad Christum conuerterentur. Atqui nulla est astutia, nullum consi lium aduersus dominum totius ueritatis magistrum. Legis Moysi quondam lator, idemque nunc euangelicę legis auctor uerum fuxę scripturę sensum reddit. Qui respondens ait eis: Non legistis, qui fecit hominem ab initio, masculu lum & feminam fecit eis? & dixit: Propter hoc, dimittet homo patrem & matrem, et adheret uxori suę, et erunt duo in carne una, Quod ergo Deus coniunxit homo non separet. In his uicimis uerbis matrimonium sacramentum esse ostenditur no uę legis, dum dominus dicit coniunctionem matrimonii & uinculum a Deo esse, nec hominem illum soluere posse, sed usque ad mortem permanere in dissolubile. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudii, et dimis sere? Scriptum quippe hoc est Deut. ca. 24. Veram enim pharisei non capien tes legem, nec scripturas uere interpretantes: quod in lege fuit permillum propter eorum pernicax ingenium, ne uxores omni die occiderent, cum fasti didirent eas: id illi tanquam inuolabile preceptum obseruantes, dicunt: Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudii, et dimittere? Dominus autem id permissione non absolute fieri indicans, ait illis: quoniam ad moyses ad duritiem cordis uestri premissi uobis dimittere uxores uestras: ab initio autem non fuit sic. Lex igitur naturalis a Deo in cordibus indicta & aliquibus signis ostensa, non per misit libellum repudii. Iudæi uerò si non esset illis permillum libellus repudii, ex eorum durissima natura uxores quotidie trucidarent. Qua propter ad eũ tandum ne hoc extremum malum proximo inferretur, permillum est illis di mittere: non tanquam minus malum, sed tanquam bonum illius magni mali impeditiuum. Itaque Iudęorum pœnata crudelitate bonum erat dimittere uxorem ne occiderent. Bonum, respectiue ad homicidium. Nec enim per mittebatur dimittere tanquam minus malum, sed tanquam bonum respectu homicidii. Non enim sunt facienda mala, ut inde euentant bona. Atqui hoc non indulgebatur ea ratione, qua uxoris dimissio erat malum: sed ea, qua impediabatur summum in proximos malum, quod est homicidium. Dico at tē uobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et a iam du xerit, mœchatur: et qui dimissam duxerit, mœchatur. Prudenter hæc legenda sunt uer ba, ne in aliquẽ errorẽ incidamus cõtra dñi nostri Iesu Christi & sensum & uer bũ: meminisse quoque oportet quod dñs supra cap. 5. dixit in hæc eandẽ causam: Di ctum est aut. Diligenter obserua nunquã dominum dixisse preceptum uel man datum esse: sed semper uel, dictũ est autem, ut ibi cap. 5. uel permillum, ut hic: Quicumque dimiserit uxore suam det ei libellum repudii. Ego autem dico uo bis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Sic igitur in presenti domi ni uerba accipienda sunt, ut uerbum, excepta fornicationis causa, referatur ad dimissionem & ad libellum repudii. Et qui dimissam duxerit mœcha tur, & aliam duxerit mœchatur, sententia est, qua indissolubilitatem uin culi matrimonii declaratur. Consequens illud quod dominus predixit

Ab initio autem non fuit sic. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Nam si cum vxor ob adulterii crimen dimittitur, vir alibi posset contrahere, & vxor similiter: vacua esset in hac materia domini precipua sententia de vinculo matrimonialis indissolubilitate: quam Christus dominus in omnem hanc causam Iudæis manifestanda & comprobanda assumpsit ad refutandam eorum propositam questionem: Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa? Cum igitur dominus iam supra cap. 5. indissolubilitatem matrimonialis vinculi comprobasset, nunc idem repetit: & eodem modo vtraque sententia accipienda est: quod videlicet vxor (quando matrimonium est sacramentū) repudiata & vir repudians, vterque ex euangelica lege vsque ad unius eorum obitum alii nubere nullatenus liceat. Ceterum quoad dimissionem per libellum repudij, tantum ob fornicationem in lege euangelica facultas datur. Quod autem in lege Moyſi ex aliis inductis causis Deu. 24. repudium fiebat: permisso tantum fuit legis antiquæ ob vxoricidium euitandum. Nec prætereundum tantam in hoc libertatem dominū repressisse supra cap. 5. & in præſentis quoniam Iudæi, eo quod licebat ob Dei populi incrementum plures vxores habere, facilliter occidebant. & libere quas vellent ducebant. Sed illud animaduersione maxime dignum quod in sacra scriptura legimus, nempe sanctum Dauid & Salomon plures habuisse vxores: Itidem Abraham & Iacob. Propterea non mysterio vacat, Isaac Patriarcha qui domini Iesu figuram sua in immolatione gessit, quoniam ligna in humeros portans sponte ob patris obedientiam se collocari super lignorum struem conſenſit, vnicam duxisse vxorem Rebeccam: quæ illi binos populos ex eodem partu in duobus paruulis peperit, Iudaicum videlicet & gentium: quando dominus Iesus vnicam habet sponsam ecclesiam adunatam ex duobus gentium & Iudæorum populis. Constat igitur ex domini verbis vnicam & indissolubile, quoad viuunt coniugum alter, matrimonij vinculum esse. Sic namque dominus in initio vni masculo vnicam associavit Euam. Quam ob rem dominus ait: Non legitis quia qui fecit hominem ab initio masculum & foeminam creauit eos? Defuncto verò altero coniugum, quicumque superſtes fuerit, libere & absque peccato ad secundus transire nuptias potest. Vtrumque autem beatus apostolus Paulus pri. Cor. 7 in hunc quem diximus sensum interpretatus est, dicens: Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego sed dominus, vxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere, innuptam, aut viro suo reconciliari. Vbi autem Deus hoc præcepit, non legitur: præter hos duos quos retulimus locos Matth. 5. & 19. vbi dominus similem omnino causam viri & vxoris reddit, dicens. Qui dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit mœchatur. Quod altero eorum defuncto, libere potest viuens alii matrimonio copulari, idem apostolus eodem cap. refert, dicens: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuunt. Quod si dormierit vir eius, liberata est, scilicet a lege viri: cui autem vult nubat, tantum in domino. Beatior autem erit si sic permanſerit secundum meum consilium, puto autem quod & ego spiritum Dei habeam. Hoc autem consilium iuueniculis viduis aliter exponit, dicens pri. Tim. 5. Adulescentiores autem viduas deuita. Et paucis interiectis ait: Volo autem iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse: nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Ceterum tanta in repudiandis vxoribus licentia Iudæi abutebantur, quod duram discipulis matrimonij inseparabilitas visâ fuerit. Qua propter obstupescit, dicens ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Quibus dominus copiosissime respondit ea, quæ sequenti

sequenti tractatu differentur gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SECVDNVS,

In XIX. cap. beati Matthæi.

CARNI indulget nimium Iudaicus populus: discipulisque videtur melius esse non nubere, quam vbi repudiata fuerit vxor, virum manere innuptum. In dispendium quippe animæ fore & publicas vias carnis labefactari arbitrabantur, si vir vxorem repudiasset: cum secundum dñi sententiam audiant nuptiale vinculum vsque ad mortem protedi. Qua propter dño aiunt: Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: et sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt, propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat. In castitate permanere viri vxorem repudiantem, & etiam illam repudiatam continenter agere non omnibus datum est: quandoquidem castitas donum Dei est, iuxta illud Sapientiæ 8. Et vt sciu quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat Sapientia, scire cuius esset hoc donum: adii dominum, & deprecatus sum illum. Et quoniam sunt eunuchi, quos natura sic in lucem prodire fecit: & alii ab hominibus execti varijs de causis, nempe ob infirmitatem, vel ad custodiam mulierum, siue vt vocem ad cantandum retineat tenuissimam: quod isti faciunt industria, & quod aliquando operatur oberrans natura, multa magis perficiet voluntas fixa gratia Dei mota, gratia Dei adiucta & conseruata. Si enim sunt eunuchi quia ita nati, & sunt eunuchi ab hominibus facti, sunt & alij qui nõ abscisis membris, sed gratia Dei amputata voluntate & carnis voluptate se castrauerunt propter regnum cælorum. Quod autem hoc raro contingat, ait: Qui potest se capere capiat. Qui potest se propter regnum cælorum eunuchum efficere, voluptatibus amputatis id quidem peragat tanquam vtilissimum donū, atque purissimum Deo præstitū obsequium. Commendatur in his verbis virginitas, commendatur & castitas. Non ergo habent vnde nos incusent heretici cum castitatis votum emittimus, & cum castitate veluti Dei donum seruamus: nec cū cælebes sacerdotes esse præcipit sacro sancta mater ecclesia. Pro cuius euidentiori notitia est aduertendum, non omnia scripti fuisse mandata quæ dominus locutus est: cum sint multa signa, vt ait beatus Ioannes, quæ fecit Iesus, quæ non sunt scripta: & alia multa quæ si per singula scriberentur, non possent ea capere homines. Ad hunc etiam modum nec omnia, quæ beati apostoli docuerunt literis mandata sunt. Vnde beatus Apostolus Paulus Acto. 20. Ephesijs vale faciens, dixit: Oportet suscipere infirmos & meminisse verbi domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere. Quod verbum domini nullibi legitur, præter quam in hac Pauli relatione. Sic etiam de apostolis ipse beatus Paulus ostendit, pri. Corint. 11. quo loco agit quemadmodum mulier velato capite in ecclesia orare debet: Si quis autem, inquit, videret contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei. Constat igitur aliquas habere ecclesiam consuetudines, quæ literis non sunt mandata, sed per sermonem & traditionem tantum apostolorum ad nostra vsque tempora deriuata. Quod & beatus apostolus Paulus 2. ad Thim. 2. capit. expressissimis verbis attestatur, dicens: Itaque fratres

Cōsuetudines ecclesie non scripte, sed recepte ab apostolis, & nobis velut per manus tradite.

fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Plura igitur tradita sunt per sermonem a beatis apostolis usque ad nos deducta, quae non fuerunt conscripta. Idem in eadem epistola capit. 3. repetit, dicens: Denunciamus autem vobis fratres in nomine domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. Ecce traditionem apostolorum non mandata litteris. De beato apostolo Paulo etiam ita traditur, Actuum 15. Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans ecclesias, praecipiens custodire praecipua apostolorum & seniorum. Iterum autem cap. 16. de beato Paulo apostolo & Timotheo legitur: Cum autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab apostolis & senioribus, qui erant Hierosolymis. Plurima igitur statuta sunt a beatis apostolis, quae non reperiuntur scripta: & inter caetera clericorum castitas & perpetuus coelibatus, cuius prima origo est ad ipsos beatos apostolos referenda: ut ea sit vna ex eorum praecipuis sanctionibus. Maxime cum haberent dominum consulentem & laudantem eunuchos, quod se castrauerunt propter regnum caelorum. Nec enim abscondere se quisquam iubetur sed continere, quod Dei munus sit. Quod quidem munus ipse non negat ei, qui id ab eo obnixè postulauerit, interim quod in se est faciens, ut contineat. Id magnopere commendatum & obseruatum inuenimus a beatis apostolis. Pri. Timo. 4. inquit beatus apostolus Paulus: Exemplo esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Non utique castitatem tantopere beatus apostolus Timotheo commendaret, nisi accepisset a domino, caeterisque apostolis presbyteros castitatem debere seruare. Quod & sequenti cap. iterum commendat, dicens: Te ipsum castum custodi. Et Acto. 24. legitur de eodem beato apostolo Paulo: Disputante autem illo de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro tremefactus Felix respondit, &c. Non usque adeo beatus apostolus castitatem Timotheo commendaret, nec de illa inter iustitiam & iudicium sermonem haberet, nisi esset ab apostolis sancita castitas clericorum & omnibus commendata. Iam olim enim Helias & Helisaeus castitatem obseruauerunt. Itidem Hieremias & beatus Ioannes baptista. Quinimmo & sacerdotes, cum per statuta sibi vices sacra ministrarent in lege Moysi ab vxorum consortio separati tempore ministrationis intenti persistebant. Sic quippe legitur de Zacaria Lucae pri. Et factum est, ut impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam. Post hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius. Si igitur legalis sacerdos ab vxore abstinet, cum ministrat: annò multo magis decet euangelicum sacerdotem, semper vxore carere, qui verum domini corpus consecrat, manibus tractat, offert, & tandem sumit? Quaeuit a Dauid Abimelech sacerdos, prout habetur pri. Reg. 21. cum esuriret ipse, & qui cum eo erant: an essent mundi pueri ad panes propositionis edendos dicens: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: (hoc est, panes propositionis quos ipse a mensa domini sumpserat) si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus, manducant. Multo amplius profecto decet a matrimonio esse alienos, qui corpus domini conficiunt, tangunt, manducant & ministrant fidelibus. Nec vquam legitur aliquem post susceptum ordinem sacrum vxorem duxisse. Licuit tamen in initio nascentis ecclesiae, qui vnicam vxorem duxerat, & eam virginem, ubi illa extremum obiisset diem, ad sacerdotium & episcopatum ascendere. Aliis nulli unquam licuit sacerdoti vxorem ducere. Et hoc est, quod beatus apostolus Paulus petit ab episcopo & diacono, quod sint vnus vxoris viri. Quoniam qui ad secundas nuptias transit, tanquam de castitate suspe-

sus

ctus non admittitur ad sacerdotium: immò nec diaconi ministerium. Quod in Canone apostolorum 17. confirmatur, cuius haec sunt verba: Si quis post baptismum secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse episcopus, non presbyter, aut diaconus, aut profusus ex numero coru, qui ministerio sacro deseruiunt. Quod autem promouendus si non virginem duxerat, minime ad sacrum ordinem admitteretur, etià Canon apostolorum 18. definit, dicens: Si quis viduam aut eiectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de iis, quae publicis spectaculis mancipantur, non potest esse episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut ex eorum etiam numero, qui ministerio sacro deseruiunt. Quod autem nullus iam ad episcopatum, sacerdotium, diaconatum, vel subdiaconatum promotus, possit vxorem ducere, probat Canon apost. 27 in haec verba: Inuuptis autem qui ad clerum promoti sunt, praecipimus, ut si uoluerint, vxores accipiant: sed lectores cantoresque tantummodo. Patet igitur quos beatus apostolus Paulus vnus vxoris viros dicat episcopos & diaconos: hoc est ante promotionem, si cum vnica & virgine contraxerint. Patet etiam quemadmodum clericorum coelibatus ab institutione apostolorum habuit ortum, & ab eorum canone & praecipuo in orthodoxam ecclesiam sit derivatus. Nunquam enim licuit sacris promotum vxorem ducere, quod tamen lectoribus & cantoribus concessum est, caeteris in coelibatu permanentibus. Ceterum iis, qui castitatis astringuntur voto, dicitur Deut. 23. Cum votum uoueris domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requirit illud dominus Deus tuus, & si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. Et Dauid Psal. 49. Redde altissimo vota tua. Et Psal. 115. bis dicit: Vota mea domino reddam coram omni populo eius. Et Psal. 85. Vouete, & reddite domino Deo vestro. Omnes igitur iure redditionis debiti prestare tenentur id, quod uouerunt. Nam si criuini datur fidem homini frangere, quodnam sacrilegium erit fidem Deo praestitam non obseruare? Vouete igitur omnes, quibus id cordi est, uouere nanque ex cuiuscunque arbitrio pendet. Reddere uero uotum emissum, iam non ex arbitrio pendet: immò necessarium est. Nam irritatio uoti pro peccato mortifero reputatur. Nec uirginitatem seu castitatem uouere est de impossibili uotum, prout falso uociferantur heretici: cum affirmet dominus esse eunuchos, qui se castrauerunt propter regnum caelorum. Non enim dominus hos commendaret, atque adeo castitatem extolleret, nisi castitas inter possessiones diuinae fauente gratia censeretur. Quod iam in Sapietia pronuntiatum extitit cap. 3. Et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima. Dabitur enim illi donum fidei electum & iors in templo Dei acceptissima. Et Esaias cap. 56. ait: Et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia haec dicit dominus eunuchis, Qui custodierint sabata mea, & elegerint quae ego uolui, & tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus. Et beatus Ioan. in Apoc. cap. 14. refert se uidisse centum quadraginta quatuor millia cantantes canticum nouum ante sedem, & quatuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Hi sunt, inquit, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: uirgines. n. sunt. Hi sequuntur agnum quocunque ierit: Nisi. n. uirginitatis & castitatis uotum acceperisimè esset apud Deum, & de possibilibus cum Dei gratia foret, non sic laudaretur & commendaretur a Deo, tum in Sapietia & Esaias: tum per dominum in presenti, & postremo per beatum Ioan. in Apoc. Ex his omnibus autem colligitur aperta responsio ad illud, quod beatus apostolus Paulus 1. Cor. 7. ait: Propter fornicationem aut uniuscuiusque suam uxorem habeat, & unaquaeque suum uirum habeat. Et, quod si non se continent,

nubant:

De uotis.

nabant : Et melius est nubere, quam vri. De illis enim hæc sunt intelligenda, qui non voto vel officio prohibentur, vt religiosi & clerici. Similiter pri. Timo. 4. Spiritus autem manifestè dicit quia in nouissimis temporibus descendunt quidam a fide, attrécentes spirítibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocritis loquétes mendacium, & cauteriam habentes suam conscientiam, prohibentium nubere. Hoc profecto beatus apostolus in eos dicit, qui damnant nuptias. Hi siquidem sunt qui prohibent nubere. Namque de continentia clericorum diuinitus dictum est in eodem cap. cum præcipit Timot. Exemplum esto fidelium in castitate. Et sequenti cap. Te ipsum castum custodi. Et in canone 27. apostolorum quem ante retulimus, solis canonicis & lectoribus permittuntur nuptiæ: cæteris autem superioris ordinis prohibétur. Quod aut dominus Genes. cap. 1. dicit Adæ eiusque vxori: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Et Ge. 9. post diluuium Noe & filijs eius eadem repetit verba, dicens. Crescite & multiplicamini, & replete terram: ipse idem est, qui factus homo in euangelio dicit: Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Ipse qui per Esaiam & sapientiam eunuchos collaudat, & illis nomen præstat a filiis & filiabus. Ipse denique est, quem sequuntur virgines, quocunque ierit. Nec enim Abel, quem dominus iustum Matth. 23. vocat: a sanguine Abel iusti, vxorem aut filios legimus habuisse. Nec postquam scriptum est Deu. cap. 7. Non erit apud te sterilis vtriusque sexus tam in hominibus quam in gregibus tuis: repulit Deus Heleam, Helseum, Hieremiam, & Daniele ob virginitatem seruatum: immò collaudat illos, & mirificè Spiritu sancto repleuit & zelo suo firmavit. Quippe illa prædicta sunt ad augmentum populi. Licebat igitur, prout ex præcedentibus liquet, vota emittere & castitatem seruare, quod semper laudabile fuit præsertim in euangelica lege: cum ab apostolis præceptum sit sacerdotibus, diaconis & subdiaconis, postquam promoti fuerint, ne vxores accipiant, quod solum cantoribus & lectoribus concessum est. Si enim beatus apostolus Paulus pri. Cor. cap. 7. consulit viris & vxoribus ad tempus a se discedere, ut magis pure & attentiori animo orationi incumbant, quâto magis puritas necessaria est illis, ad quorum officium atinet, Deo semper vacare? diuinum sacramentum corporis & sanguinis domini in singulos dies Deo offerre. Dificilis igitur tenebris hæreticorum, quorum Deus venter est, & ebrietas pater, & libido mater, ecclesiæ sanctæ conuersatio, quemadmodum in cælis est, ita in suis sacerdotibus cælebs est, permanebitque semper innixa in illo qui dixit: Sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS TERTIUS.

In XIX. cap. beati Matthæi.

T V X C oblatus sunt ei paruuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem inuenerunt eos. Iesus vero ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: Talium est enim regnum cælorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. Tractatu decimo superioris cap. diximus hanc autoritatem ad cõfirmationis sacramentum pertinere. Nunc uerò considerandû est, quod laudabilis illa ecclesiæ consuetudo, qua sacerdos manus imponit super paruulos & sacrû euangeliû legit, ab isto dñi exëplo inicitû sumpsit: tum etiã religionis ingressus nõ est prohibendus alicui, qui velit ingredi, quantumcunque paruulus sit: dummodo professio

professio fiat in decimoquarto anno. Quin infidelium paruuli, etiam inuitis parentibus sunt baptizandi, dummodo aliquod dispendium fidei, ex eorum baptismo non consequatur: siquidem eorum animæ Dei sunt, quæ pars in homine præstantissima est. Igitur ad Deum illos adducere magis decet: quam, quia parentes ius habent in filios, sub potestate illorum eos dimittere æterna luce priuandos. Quos et baptizare licet, etiam si infideles ob id eos sint occisi. Nam corpore multo est præstantior anima, cuius semper ratio haberi debet. Immo in illa occasione res agitur puerorum, exque illa cõmodum eorum attenditur: quoniam tunc occisi in limbum puerorum uadunt, qui uiuentem postea æterno infernali igni tradendi essent. Cæterum si ob baptismû huiusmodi infidelium puerorum, ipsi parentes obdurarentur, ita uel nolentes fidem suscipere, uel trucidarent Christianos inter eos habitantes siue captiuos, a paruulorum baptismo tunc cessandum est. Alia quoque adhibenda est lima baptismi paruulorum infidelium inuitis parentibus: uidelicet ut post baptismû illico inter Christianos colloccentur. Nam si relinquuntur inter infideles, peiores eo reddentur quod sint baptizati, parètum monitis & apostasiæ crimine. Eodè iure licet, nisi maius dispendium fidei suboriat, infidelium pueros, etiã infidelibus ipsis inuitis, rapî & baptizari, & illos ad terras Christianorum deducere, ut baptizentur. Possunt etiam Christiani principes a suis domiciliis infideles pellere, & ab illis possessa uel arripere: si terræ quas colunt fuerint Christianorum, si eorum primarij fuerint Christiani, si fidem illis prædicatam audire nolunt, & si datis indutijs & prædicatione euangelij sæpius repetita, contumaciter aduersantur. Quod in baptismi paruulorum, et salubri cõsilio obseruatur. Cum enim nolunt illos Christo adducere, quinimmo sacro euangelio sæpe inculcato, Christi fidem negligunt: tunc si non inde pullulet aliquod dispendium fidei inuitis parentibus sunt paruuli baptizandi, & ab eorum tyrannica possessione eripiendi, & ad gregem dominicum deducendi: quoniam in utroque casu res infidelium bene agitur, & melius illis consulitur: ne quoad vxerint, peccata peccatis accumulando, iam duriori inferni pœna plectantur. Tunc enim liberè infideles increpare licebit & dicere: Sinite paruulos uenire ad me, & nolite eos prohibere: talium est enim regnum cælorum. Quod si infideles uolunt fidem suscipere & baptizari, qui eos suis bonis spoliauerint, ad restitutionem tenentur. Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam uitam æternam? Audierat dominum dicentem, quod oportet regnû Dei accipere uelut paruulus, qui eo potiri cupit. Quapropter uoluit hic adulescens uerbis clarioribus utam, qua in regnum cælorum itur, audire. Eoq; animo accessisse ad Christum tradit beatus Marcus cap. 10. quoniam addit: Ego intuitus eum Iesus dilexit eum. Qui dixit ei: Quis me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Quoniã iuuenis hic Iesu non credebat diuinitatem, docet illi dominus oem bonitatem esse a Deo, qui totius boni est origo & fons, a quo cætera bona manant: illiq; essentialiter boni a seipso esse, cæteraq; ab illo quæ bona sunt bonitatem accipere. Vtilis re uera omnibus hæc domini sententia est, ut nemo de se gloriatur, nisi quemadmodum bea. apost. Paul. ait: Qui gloriatur in domino gloriatur. Et bea. Iaco. Omne datum optimum, & oë donum perfectû de sursum est, descendens a patre lumine. Si autem uis ad uitam ingredi serua mandata. Dixit illi: Quæ? Iesus autem dixit: Non homicidium facies. Non adulterabis. Non facies furtum. Non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum, et matrem. Dilige proximum tuum sicut te ipsum. Dixit illi adulescens: Omnia hæc custodi ui a iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus: Si uis perfectus esse uade, uende omnia quæ habes, & da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo: et ueni, sequer me.

R R Cõsiliũ

Consilium hoc euangelicum perfectissimum est, & hominem in statu perfectionis collocat. Nec proinde quis existimet, si omnibus relictis dominum sequatur: quæ pauperibus donat amittere. Ait namque dominus: *Et habebitis thesaurum in celo.* Omnia tibi retribuentur in æterna beatitudine. Optimi sunt numularii pauperes, qui non Romæ apud illos repositas pecunias reddunt, sed in æterna potius beatitudine quicquid illis donasti, cumulatori fœnore exhibent. *Cum audivisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.* Iuvenum feruor facile extinguitur. Accessit iste quærens quid opus sit factu, ut habeat uitam æternam: cumque illi status perfectus & securior esset ostensus, plus amatit terrenam quam cœlestia. *Iesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum celorum.* Et iterum dico vobis, *facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum celorum.* Similiter & beatus Marcus & Luc. difficile & non impossibile referunt dixisse dominum. Nam quemadmodum per foramen acus sunt, quo anchora in profundum maris immittitur, nisi id miraculo fiat, transire non potest: ita etiam Dei adiutorio diues arctabitur, ut intrare possit in regnum cœlorum. *Auditis autem his, discipuli mirabantur ualde dicentes: Quis ergo poterit saluus esse? Afficiens autem Iesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem, omnia possibilia sunt.* Gratia namque diuina ubi cor diuitis tangit, ita illum afficit, quemadmodum beatus apotolus significabat. 1. Cor. 7. dicens: Et qui emunt, sint tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Et pri. Tim. ult. Diuitibus huius seculi præcipe, non sublimè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuio (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant ueram uitam. Quod & beatus Marcus ca. 19. unico verbo ex ore domini sumpto cœcludit, dicens: *Filii, quia difficile est cœclidetes in pecuniis, in regnum Dei introire: Quibus uerbis stupescit beatus Petrus, tunc respondens dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia & sequi sumus te: quid ergo erit nobis? Qui omnia reliquisse dicit, etiam se reliquisse arbitrandus est. Frustra enim omnia dicerentur relicta, si quis adhuc intra se maneret. In nullo namque loco maiori cum periculo uersari quis potest, quam in se ipso. Amici uera & bona amicis consulunt, & a plurimis animæ & corporis auertunt periculis. Inimici cum detractionibus & persecutionibus suis inimicos sæpe cautiore reddunt, ut de futuris dânis sibi prospiciant. At uero si tibi te ipsum tradas, ac totus in te uerferis, & quæcunque uoles libera tibi sit faciendi licentia, heu quanta peccatorum fœce quot malorum uorticibus in dies obrueris? Quod Dauid psal. 80. uaticinatus est, dicens: *Dimisit eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis.* Dum utique dimittuntur in manibus desideriorum, currunt peccatores in adinventionibus suis. Qui omni fera facti crudeliores seipfos præcipites furibundo impetu in infernum deiciunt. Igitur qui domino uelit cum Petro dicere: *Ecce nos reliquimus omnia: seipsum relinquit, a seipso discedat, nihilque aliud uelit præterquam Deum, a quo totus pendeat, & cuius uoluntatem summa semper cum alacritate perficiat.* Quapropter dominus fere in medio eius quam nos docuit precationis, hanc petitionem, fiat uoluntas tua constituisse uideret: tanquam ab illa cæteræ illustrarentur ac perficerentur. Ita & sol inter cœlestes orbes medium tenet, ut suo lumine superiora & inferiora collustraret sydera. Ita & cor medium corporis occupat, quoniam ab illo uita deriuatur: estque primum membrum quod organizatur ultimū quod anima extens definit informare. *Iesus autem dixit illis: Amen dico uobis, quod uos qui**

secuti


secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit: Multi autem erunt primi, nouissimi: & nouissimi, primi. Beatus Hieronymus quærit, quare dominus ad secundam partem propositæ a beato Petro sententiæ respondit: nihil dicens de prima? Vos qui reliquistis omnia: sed, Amen dico uobis, quod uos qui secuti estis me, & cæ. Quod inde arbitramur factum, quoniam continere potest, quod aliquis relinquit omnia seipso seruato, & sic non sequitur Christum. Alii postquam reliquerunt ad relicta iterum reuertuntur siue amissionem affectu & desiderio, seu retro aspicientes cum uxore Loth. Et quoniam imitatione Christi religio uera consistit, cuiuscunque status & conditionis sit homo: propterea dominus ad illud, quo homines perfecti redduntur, primo respondet apostolis: deinde de relinquentibus omnia loquitur: Vos igitur, inquit, qui secuti estis me, in regeneratione ultimæ resurrectionis: cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel; quia noluerunt credere tot a me uisus operibus, quæ alius nemo fecit, tanta ac tali audita doctrina, quæ nemo alius docuit, & post Spiritus sancti aduentum ex ore apostolorum euangelicam legem audierunt, & mirabilia & signa oculis perspexerunt: propterea igitur uos uel dices eorum eritis. Iudiciaria potestas Christo est data, & ipse iudicabit orbem terrarum: quoniam pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Sedes autem apostolorum & iudicium, quo iudicabunt duodecim tribus Israel, approbatio sententiæ iudicis est: cum & ipsi beati apostoli referent quicquid fecerunt, ut Iudæi redemptionis fidem amplectererentur. Qui & comparationis iudicio illos iudicabunt. Ait namque beatus Hieronymus: Quia uobis credentibus, illi credere noluerunt: Quemadmodum & dominus intelligit supra cap. 12. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia penitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plusquam Ionas hic. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia uenit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plusquam Salomon hic. Porro illud est aduertendum, quod totum euangelii pondus in uera imitatione Christi consistit, præcipue uero in humilitate, patientia, & charitate, præsupposita castitate. Superbia enim Lucifer & assectæ eius superbissimi & nequissimi spiritus corruerunt: Superbia etiam primus homo deiectus est: ea propter totum in humilitatem euangelium fertur: *Discite a me, inquit dominus, quia mitis sum & humilis corde.* Item, exaltauit humiles, & qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Nunc ad primam partem propositæ sententiæ Petri dominus respondet, dicens: *Et omnis qui reliquerit domum, uel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit.* Hæc relictio temporalium primo loco signat actualem relictionem omnium, & soli Christo uacare. Quod autem de uxore ait, accipiendum est ex consensu eius, & ipsa religionem ingrediente, uel in loco tutissimo & omni suspitione carente amore diuino recedente, & uotum castitatis emittente. Largissime autem extenditur ad relinquentes omnia, secundum antm præparationem: & Deum semper præponentes parentibus, uxoribus, filiis, & possessionibus. Atqui quemadmodum supra cap. 5. diximus: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, de illis qui omnia reliquerunt, & nihil amplius concupierunt, recte interpretari: ita & hic

R R 2 accipien-

ut stipendia iusta illis constituentur, ne unquam penuria a uero discedere compellantur. Tales profecto uiros, Ietro consulebat Moyse eligere, qui populi causas definirent, Exo. 18. cap. dicens: Provide autem de omni plebe uiros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit ueritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore. Quatuor uirtutes requiri in uero iudice ostendit Ietro. Prima est scientia, ne ex defectu iuris oberret, & iniquam proferat sententiam est. Secunda est, Dei timor. Nam quantumcunque scientia abundet iudex, nisi Dei timor adsit, ad iniustitiam facile commouebitur. Qui enim mendacis delectatur, nunquam mentiri verebitur, quemadmodum lingua, ita pariter & scripta sententia. Quarta est, & qui oderit auaritiam: quod ita dictum accipe, ut non modo iudex non sit auarus, sed ut auaritiam etiam abominetur & fugiat, ne unquam muneribus corrumpatur, & peruersum iudicium proferat. Inuigilent ergo Christiani proceres tam ecclesiastici quam seculares, ut tales habeant iudices, si uelint a iusto uerissimi iudicis domini nostri Iesu Christi iudicio liberari: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS PRIMVS,
IN CAPITVLVM XX.

BEATI MATTHÆI.



QVVM tanta dominus illis pollicetur, qui parentes, fratres & agros relinquunt propter nomen eius, intulit: *Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi*; ac si diceret, hoc modo multi sanctorum noui testamenti erunt in præmio primi, & multi sanctorum ueteris testamenti erunt nouissimi. Quoniam illi relinquentes omnia præferentur antiquis possidentibus omnia, & si corde puro. Perse & ius quippe est, omnia pro Christo actu relinquere, quam possidere omnia corde puro: Diuitiæ si affluant, inquit Dauid, nolite cor apponere. Hęc namq; erat gratia priscorum sanctorum. Diuites fuere Abraham, Isaac, Iacob, Iob, Dauid, & plurimi alii, habueruntq; uxores; cæterum omnibus bene uidebantur, & sincero corde possidebant, & plurimis bonis uacabant. Atqui uiri perfecti in nouo testamento, omnibus reiectis & pauperes pro Christo effecti, illi soli adherent nihilq; arbitrantur se habere præter Christum dominum. Ideoq; primo collocantur loco. Ad manifestationem igitur huius prædictæ sententiæ adducit dominus hanc præsentem parabolam, in qua ostendit iustissime agere eum his nouissimis, si eadem præmia illis reddat in breuissimo tempore, quæ expectauerunt iusti a tempore Abel usque in illum diem: & hoc præhabito parabola plana redditur, quæ multipliciter a plurimis explanatur: *Simile est, inquit, regnum coelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere perarios in uineam suam. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diuit-*

216,

no, misit eos in uineam suam. Et egressus circa horam tertiam, uidit alios stantes in foro oriosos, & dixit illis: Ite & uos in uineam meam: & quod iustum fuerit dabo uobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam, & fecit similia. Circa undecimam uero exiit, & inuenit alios stantes, & dixit illis: Quid hic statis tota die otiosi. Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & uos in uineam meam. Cum sero autem factum esset, dicit dominus uinea procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a nouissimis usque ad primos. Cum uenissent ergo qui circa undecimam horam uenerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus patrem familias, dicentes: Hi nouissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & estus? At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & uade: nolo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi, quod uolo, facere ad oculum tuum nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Non habent quid huic parabolæ obiciant Lutherani, cum homines mercenarii sint laborantes & operantes, non autem desides & ignaui credentes. Voca operarios, dixit pater familias. Tales enim Christus credentes querit, qui operentur: atque illis retribuitur merces, non otiosis. Optime autem ad literalem quem dicimus sensum uinea ecclesiæ typum gerit: & ille horæ dicuntur mundi ætates, in quibus electi & sancti uocati sunt. In die autem prima hora dicitur quando sol oritur, tertia uero, tribus deinde decursis horis: quæ more Hispanico dicitur hora nona. Sexta in meridie computatur. Nona, hora est tertia post meridiem. Undecima autem una hora est ante solis occasum. Hora igitur prima ad sensum parabolæ, in quo a saluatore inducitur, est prima ætas: quæ decurrit ab Adam usque ad Noe. Tertia, a Noe usque ad Abraham. Sexta, ab Abraham usque ad Moysen. Nona, a Moysen usque ad aduentum domini. Undecima a Christo domino usque ad finem mundi. Alio etiam modo annuerantur mundi ætates, & horæ huius parabolæ. Prima mundi ætas fuit ab Adam usque ad Noe. Secunda, a Noe usque ad Abraham. Tertia ab Abraham usque ad Moysen. Quarta a Moysen usque ad Dauid. Quinta a Dauid usque ad Christum dominum. Sexta a Christo domino usque ad mundi exitum. Horæ autem parabolæ modo supradicto dicuntur, quoniam dominus in omni tempore excoluit uineam suam, semper operarios misit, semper suos sanctos edidit. In omni nempe ætate uocauit suos, & sua gratia iustificauit: & quot sanctos ecclesia reddidit, quasi tot palmites protulit. Porro cum sancti usque ad Christi aduentum multis curis disturbarentur, possiderentq; terrena, nimis erant anxii cum Christo ueluti prospicerent a longissima uenientem regione: qui etiam exuti hac corporali uita discedant: alioquin in purgatorio expiantur. Illis autem de quibus agit parabola, qui scilicet spretis ac relictis omnibus Christum dominum sequuti, & pro uiribus imitati sunt, denarius continuo datur. Labores igitur diuturni temporis patres portantes, & diei & ætus legis tot ceremoniis totq; præceptis onustæ iugo adacti, cum uident gentes credentes, aduersus patrem familias murmurabant, disceptantes ob eam causam cum beato Petro: eo quod præcepisset baptizari Cornelium & domum eius, qui erat ex gentibus, ut traditur Act. 11. his uerbis: Audierunt autem apostoli, & fratres qui erant in Iudæa, quoniam & gentes receperunt uerbum Dei. Cum autem ascendisset Petrus

Petrus Hierosolymam, disceptabant aduersus illum qui erant ex circuncisione dicentes: Quare introisti ad uiros præputium habentes, & manducasti cū illis? Multa namque admiratione repleti sunt Iudæi, cum audirent gentes ad fidem uocatas circa undecimam horam, & pars fieri illis qui portauerit pondus diei & æstus. Cæterum cum beatus Petrus illis exponeret, quemadmodum spiritus sanctus uenerat super Cornelium & cæteros ex gentibus audientibus uerbum, tacuerunt & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus id uitam? Quid autem dicerent sancti patres in limbo, si audirent uocem domini ad latronem, dicentis: Hodie mecum eris in paradiso? Illa erat uox expectata & super omnia a sanctis desiderata: quam prius audiuit latro, quam sancti ab initio mundi procreati. Consulto dixi, audiuit latro, & non suscepit: quoniam dominus hora nona expirauit: & sanctos patres in limbo illum diuinæ uisionis denarium ab initio seculi expectantes receperunt, latrone adhuc uiuo in cruce existente, usque quo illi & socio fracta sunt crura. Qui cum expirauit & si modico tempore laborauit, continuo factus est denarij uisionis diuinæ particeps. Etiam meminisse oportet aliud esse accipere denarium pro uisione diuina obiectiua, aliud autem pro graduali, iuxta illud quod dominus ait: In domo patris mei mansiones multe sunt. Et quemadmodum, inquit beatus apost. Paulus, stella differt claritate ab alia stella, sic & resurrectio mortuorum. quoniam denarius tantum sumedus est pro uisione & fruitione diuina, non pro modo uidendi & fruendi, quo unus differt sanctus secundum merita ab alio. Sic igitur prout prædictum est: Erunt nouissimi primi, & primi nouissimi, gratia domini nostri Iesu Christi: cui est patrè & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternam, Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In XX. cap. beati Matthæi.

QUONIAM quandoque contigit in ipsa etiam euangelica lege, aliquem sero conuersum tanto rapi seruore, tantumque bonis operibus insudare, ut cœquari mereatur a iuuentute segniter operanti, merito prædicta parabola ad hominum uocationem moraliter adducitur. Sunt igitur, qui a primo rationis initio in uineam uocati ueniunt conuersi ad Deum, uoluntque bene uiuere & omne malum uitare. Sunt rursus alii, qui in iuuentute omnibus spretis, religionem aliquam approbatam ingrediuntur. Sunt etiam qui media ætate hora sexta, & qui nona, & qui iam senes undecima hora uocantur ut a malo recedant, per patremfamilias mittuntur in uineam. Tantumque aliquis iam decrepitus una hora potest operis impendere, quod per totam uitam desiderabat laboranti qui portauit pondus diei & æstus, æquetur. Quapropter haud superbi licet, qui primo mane in uineam ueniunt, nec desperare, qui iam senes uineam cœperunt excolere: adeo siquidem possunt in senectute cumulo bonorū operum abundare, ut cæteris a iuuentute operantibus cœquantur. Magna igitur Dei prouidentia & æquissima iustitia fit, dum tempus non tantum attenditur, quin etiam ad præmium computatur opus. Da igitur qui sero conuersus es, & in uineam domini sole iam occidente uenisti, tot elemosynas in uno anno, quot alter quā diu uixit: tot item ieiunia totque orationes multiplica, tot te flagellis afflige, & sic idem faciens, idem tibi reddetur præmium, & eris in nouissimis primus, & primus eris nouissimus. Nullum ergo ociosum pult patremfamilias

terfamilias habere seruum. Propterea omni hora exiens quotquot reperit ad laborandum conducit. Mercenarius uero qui non laborat, præmium sero sibi retribui falso expectat. Nemo enim quisquam tam est impudens, qui ab illo denarium postulet, in cuius opus nunquam manum admouit. Unde & beatus Iob hominis omnimodam uitam completens ait: Et sicut mercenarij dies eius. Mercenarius siquidem operis & laboris mercedem capit. in quo magna clementia Dei est consideranda. Nam si mercenarius propter opus sibi iniunctum quod in suum ipsius commodum uergit, præmiaretur a patrefamilias, magna illius profecto esset liberalitas. Sic cum dominus operarios tanquam mercenarios recipit, & omnia quæ fecere in uniuscuiusque operantis utilitatem conuertit: nec ideo dominus omnipotens ditior est factus aut potentior, sed ipse homo laborans inde redditur gloriosior. Magna utiq; clementia Dei id factum est: magnaque & inexhausta misericordia eius ostenditur. Sic namque & ipse ait: Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite serui inuitiles sumus: quod debuimus facere fecimus. Licet igitur omnia præcepta custodias, licet eremum habites, & corpus ieiunij & uigiliis affligas, seruus inutilis es: quia nihil horum in utilitatem domini uertitur, qui nullius eget: sed in tuū ipsius incommodum cedit. Nec n. qui seruum misit in agrum, quot silcos uertit, quot glebas conterit persecratur, ut feruierius illi præmiū reddat, sed quoniam feruus eius est victum illi tribuens operibus satisfacit. Dñs uero noster cum serui simus, opera attendit, muneratur & præmiat: & cum nostris non egeat omnia in nostram utilitatem quæ operati sumus conuertit. Propterea paterfamilias ait: Redde illis mercedem. Vnus quisq; namq; (ait beatus apostolus Paulus pri. Cor. 3.) propriam mercedem accipiet secundum suū laborē. Et cū gratia Dei fiant bona opera nostra meritoria, ipse Dominus deus apponit gratiam, & mercedē reddit mercenariis. Nec n. si non essent opera nostra libera præmiarentur, nec sine gratia essent meritoria ad præmium consequendū. Pater n. familias omnes hos a prima usq; ad undecimam horā uocauit, & omnibus laborantibus præmium reddi iussit, quod appellauit mercedem: in magna hæreticorū confusione negantiū operū bonorū meritū, & piissimi Dei donatā mercedē. Omnes igitur ex hoc euāgelio ad laborē uocamur, incitamur ad opus, docemurq; bonis operibus mereri uitā aeternā. Siue igitur puer existas, postquā ad annos discretionis perueneris, siue adolescens hora tertia, siue iuuenis hora sexta, siue uir hora nona, siue senex hora undecima sume ligonem, uade in uineā domini, labora bona opera, eaq; multiplica; neque te hæreticus quisquā decipiat, nec persuadeat sine labore & bonis operibus aliquid saluari posse. Voca operarios dicit: nō ait eos qui uacua ab operibus fidem tenent, atque omnino extrinsecam: sed operarios uoca & redde illis mercedē. Vade igitur in uineā domini & opera charitatis multiplica. Nā in uia hac nō procedere, retrocedere est, inquit beatus Bernardus. Si filii tibi sumus, curua illos a pueritia, eos in uinea operari doce. Nunquā eorum inueniatur manus sine sarculo ad operandum: ut semper operibus intendant adolēcentes, iuuenes, uiri & senes. Boni sint omnes & uigilantissimi operarii: quando dominus iubet operantibus reddi denarium diurnum, dicens: Voca operarios, & redde illis mercedem. Suspecta etiam omnibus sit hora uocationis eorum. Cum sero autem factum esset dixit dominus uineæ procuratori suo: Voca operarios. Quid? si ut promissum redderet, non caret citius? Præinde unusquisque uigilet, quoniam nec diem nec horam scimus. Sententia Dei inconcussa manet: In quacunque hora comederis ex eorum morte morieris. Quādo n. cuique sit ex eundem omnino incertū est, ut de incerta hora suspectiores reddamur: cū in omni ætate, oī die, oīq; hora ad exēdū pos-

simus compelli. Nec enim arbitrium nostrum expectandum est, nec cum uolumus exiemus: sed qua hora non putatis, filius hominis ueniet. Numerosam annorum copiam fore sibi fingebat ille, de quo habetur Luc. ca. 12. cuius uberes fructus ager attulit, dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? & dixit: Hoc faciam: destruaui horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quae nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animae: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe & epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, nullo alio nomine eum magis dignum iudicauit dominus, qui sibi annos plurimos uitae annumerauerat, quam isto ignominioso stultum uocans. Stultus quippe caret rationis usu, ab omnibus irridetur, a pueris insequitur, atque ipse omnes lapidibus impetit. Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te: quae autem parasti, cuius erunt? Ecce quo clauditur sine hac labilis uita, & natura hominis uitre. Ob uitae igitur incertitudinem, & uolentiae mortis suspicionem patrefamilias omni hora operarios ad uineam suam uocat, excitatque, ad opus: ne quisquam uacuis bonis operibus ubi ad discretionis annos peruenerit, reperitur, ne & hinc uacuis exiens, in stultorum locum uacuis coniciatur. Iam igitur a domino factis praemoniti in uinea eius nunquam non laboremus, & bonis operibus exerceamur: ut cum sero sit factum, nobis uera merces donetur. Quod uni post decenium, alteri post uigesimum, alij post quadragesimum seu centesimum annum uel etiam amplius contingere potest. Vnus quis que suum habet solis occasum, & tunc illi sero iam fit cum morte praeventus amplius operari non ualet. Denarius merces est, ut unicam diuinitatem ostendat: & si tres sint diuinae ac semper beatissimae trinitatis personae, in uisione diuinae essentiae omnis nostra merces posita est. O diuinitissimum praemium, o inenarrabile donum, o inestimabile pretium! Quis enim laborem fastidiat? quis se lassum dicat? quis operari negligat? cum audiat dominum ipsum omnium bonorum nostrorum operum futurum praemium? Videbimus eum sicuti est, inquit beatus Ioannes. Et beatus ad faciem. Paulus: Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. O quando id uidere licebit? quando frui dabitur? Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut uideant claritatem meam, quam dedisti mihi. Ioan. 17. Verbo uiso uidetur & pater: Philippe, qui uidet me, uidet & patrem meum, Ioan. 14. Videtur & spiritus sanctus, qui ex patre filioque procedit, unus in essentia Deus: Cui est honor, gloria, & imperium in aeternum. Amen.

TRACTATUS TERTIUS,

In XX. cap. beati Matthaei.

Et cum primis contentio denarii diurni. Secundis uero qui hora tertia uocati sunt, & tertijs qui sexta, & quartis qui nona ait dominus: Quod iustum fuerit dabo uobis. Vltimis uero undecimae horae nihil amplius additur quam: Ite & uos in uineam meam. Quoniam iustis qui nunquam peccauerunt post susceptum baptismum, conuentionis praemium redditur, quod pollicitus est dominus iustis donare, seipsum scilicet, quemadmodum & in lege naturae dictum est Abraham, Gen. 15. Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Conuersis autem dicitur. Quod iustum fuerit dabo uobis. Iam prope mortem conuersis nihil aliud dicitur praeterquam: Ite &

uos in uineam meam. Omnibus tamen datur in fine diuina merces obiectiuallis. Caeterum ut unusquisque cognoscat quod sibi datur a Deo, ut iusto iustitia: cum his conuentio fit. Conuersis & sero uenientibus poenitentia, omnibus uero misericordia: a cuius gratia efficitur, ut iustus & poenitens iustificetur, & sero conuersus saluetur. Gentes, inquit beatus apostolus Paulus ad Roma. 15. super misericordia honorate Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus domine, & nomini tuo cantabo. In omnibus his iustitia attendenda est huius patrisfamilias uicem Dei gerentis. Quoniam & si misericordia usus est magna, uocans omnes in uineam suam: quando primos & nouissimos euangelium uocatos dicit, continuo conuentionem facit cum primis, & iustam illis reddit retributionis mercedem. Caeteris tertiae, sextae, & nonae dicit, Quod iustum fuerit dabo uobis. Vltimis nihil promittit, quoniam illos tali hora uocare, abundantissima & ineffabilis, rara tamen misericordia est. Inquit beatus Augustinus: Saluatur latro in hora mortis, ne desperes: & unus est, ne pressimas, & te in peccatis putrescere usque in horam mortis finas. Cum autem quod iustum fuerit dare patrefamilias audiuimus: quid iustum dabitur superbis, inuidis, incontinentibus, homicidis, adulteris, latronibus, detractoribus, & similibus? Iustum promittis domine, & terribilis es, & quis resistet tibi? In his perseverantibus relinquitur secundum beatum apostolum Paulum ad Heb. 10. terribilis quaedam expectatio iudicii, & ignis aemulatio quae consumptura aduersarios. Caeterum uia peccatoribus, si conuersi fuerint, spes relinquitur iustitiae Christi: quemadmodum & beatus Iob cap. 6. cum iniustitiae argueretur a primo loquente sibi amico, dixit: Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas quam patior in statera, quasi arena maris haec grauior apparet. Si in cruce domini statera facta corporis peccata nostra appendantur, longe maior fuerit iniustitia eius, quam iniustitia nostra. Tunc enim appendentur, cum unusquisque a uia sua mala conuersus crucem suam operibus poenitentiae bauiauerit, & secutus fuerit dominum: & per iustitiam Christi liberabitur, qui factus est nobis a Deo iustitia, sanctificatio & redemptio, secundum apostolum pri. Cor. 1. Et Dauid sic dominum exorat bis, Psal. 30. & 70. In te domine speraui, non confundar in aeternum: in iustitia tua libera me. Domine in Deo nostro secundum beatum Tho. pri. par. quaest. 21. non illas uirtutes tribuimus, quae sunt moderatrices & regulatae passionum: non temperantiam qua moderantur appetitus ciborum, nec mansuetudinem, qua moderatur ira. Dominus enim non irasci actus, sed effectus irasci dicitur, quoniam punit. Has & alias similes non assignamus in Deo: ut etiam iustitiam commutatiuam quae est directiua commutationum. Haec enim dirigit emptiones, commutationes, collocationes, debitorum solutiones, & mercenariorum & seruorum retributiones. Dominus namque nulli est debitor, atque ideo illi non attribuimus iustitiam commutatiuam: etsi ex debito gloriam reddit, id tamen, quia est debitor sibi, non autem nobis. Sibi inquam: quoniam sic sua misericordia statuit, sua pietate uoluit, sua magnificentia reddit, sua liberalitate donat, sua largitur gratia. Et cum coronat merita nostra, inquit beatus Aug. nihil aliud coronat, quam munera sua. Ipse redimit, ipse largitur gratiam, ipse denarium gloriae donat. Est & alia iustitia, quam dicimus distributiua, quae est directiua bonorum communium in particularibus: prout sunt ecclesiastica beneficia, officia publica, & honores. Et quoniam dominus Deus sua dat debito modo iustissimoque, absque ulla personarum acceptione, habere eum dicimus iustitiam distributiua. Verum enim uero omnibus his modis loquendi omisiss, dominus nos

ipſemet iuſtitia, ipſe miſericordia, ipſe bonitas, ipſe & veritas eſt: iuſtus honorum dator, & diſtributor iuſtiſſimus, & laborum præmiator æquiſſimus. Semel, inquit Dauid, locutus eſt dominus: Duo hæc audiui, quia potestas Dei eſt, & tibi domine miſericordia, quam tu reddis unicuique iuxta opera eius. Omnibus igitur in uinea laborantibus mercedem iuſtam retribuit & pietate reſertam: quandoquidem primis dans id quod ſponderat, cæteris quoque eundem denarium largitus eſt. In omni nempe ætate ſi attendas, & iuſtiſſime præmiantem & punientem uidebis. Suſcipitur Abel iuſtus: & tali decoratur a Chriſto nomine: A ſanguine, inquit, Abel iuſti, Matth. 23. Punitur deinde Cain fratricida. Saluatur Noe iuſtus. Diluuiio perit nequiſſimus mundus in ſecunda ætate. In tertia verò Abraham, & Loth iuſtus ſaluatur ab incendio: Extinguuntur abominandæ Sodomorum urbes. In quarta ætate eripitur Moyſes cum populo Iſraelitico a Aegyptiaca ſeruitute. Tyrannus Pharaon demergitur cum curribus & equitibus ſuis in mari rubro. In quinta liberatur Dauid a poteſtate Saul, idem ab Abſalon perſequentem. Occiditur Saul: & Abſalon ex arbore ſuſpenſus cincinnis tribus tranſfigitur iaculis. In ſexta ætate hora ſam vndecima gentilitas ſuſcipit fidem, & Chriſtum agnoſcit dominum, & Iudæi increduli puniuntur: Hieruſalem diſſipatur, templum funditus euertitur, & vſque in ſinem perdurabit deſolatio; id Daniele prænunciante cap. 9. Demum Iudæi impij per uniuerſum orbem diſperguntur. Vides æquitatem Dei. Vides retributionem omnium. Oculis tuis igitur conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis. Boni & conuerſi, non deſides uelut Lutherani, ſed in uinea domini operantes præmiantur, iniqui in impietatibus perdurantes puniuntur. Attendant proinde quibus populorum commiſſa eſt gubernatio, quanta iuſtitia in ſibi ſubditas gentes agere eſt neceſſarium, quando tam iuſtum habent iudicem Deum. Non enim illis fas eſt in diſtributiua peccare iuſtitiam tribuentes officia indignis. At in peius profeſto incident iudicium, qui beneficia præcipue curam animarum habentia indignis conferunt. In commutationibus autem talem habere oportet vigilantiam, ne fraudentur pauperes debita mercede: ne quiſquam in bonis ſuis vim patiat: Ut unicuique, quod ſuum eſt tribuatur, & tales iuri dicendo iuri præſtiantur, ut omnibus liceat cum pace & tranquillitate ſua retinere, oppidaque & viæ a prædonum incurſu libera ſint. Quoniam iuſtus paterfamilias omnia proſpicit, omnibuſque ex æquo ius adminiſtrat: bonis quidem denarium tribuens, iniquis vero infernum. Attendant quod ſcriptum eſt: Per me reges regnant, per me principes imperant; & potentes diſcernunt iuſtitiam, Prouerb. 5. Et beatus apoſtolus Paulus ad Rom. cap. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas niſi a Deo. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Cum autem a Deo iuſtiſſimo ad gubernandos populos conſtituantur præſecti ſi iuſtitia polluerint, & in ſuis dominis contaminari admiſerint, quod nam quæſo iudicium in ſe a iuſtiſſimo Deo experientur? niſi illud quod pronunciauit Sapientia cap. 6. dicens: Audite ergo reges & intelligite. Diſcite iudices ſinium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines & placetis nobis in turbis nationum, quoniam data eſt a domino poteſtas vobis & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera ueſtra & cogitationes ſcrutabitur, quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte iudicatis, nec cuſtoditiſtis legem iuſtitie, neque ſecundum uoluntatem Dei ambulatiſtis. Horrende & cito apparebit nobis: quoniam iudicium diſtiſſimum in his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta

menta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus, qui eſt omnium dominator, nec ueerebitur magnitudinem cuiuſquam, quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus. Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio. Ad uos ergo reges ſunt hi ſermones mei: ut diſcatis ſapientiam & non excidatis. Qui enim cuſtodierint iuſtitiam, iuſte iudicabuntur: & qui didicerint iuſta, inuenient quid reſpondeant. Voluntatis iuſtiſſimæ Dei noſtri plana hæc ſunt teſtimonia: cuius tanta eſt pietas, ut nobis uoluntatem ſuam apertiſſime pandat. Nam quæ oportet agere, ſæpe repetit: & quæ cauere debemus, ſæpe monet: ne nos vnquam eorum quæ uult obliuio capiat: quin potius timore iuſtitie eius excitati, & ipſius bonitatis amore & præmij ſpe allecti, in omnibus iuſtitiam cuſtodiamus, atque bonis ſemper operibus gratia domini noſtri Ieſu Chriſti incumbamus: Cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUARTVS,

In XX. cap. beati Matthæi.

TRIPLEX remedium ac documentum nobis huius parabolæ litera adtu lit, contra triplex inextricabile peccatorum genus. Sunt ſi quidem hac tempeſtate hæretici, qui falſo ſibi ſola fide ſalutem conſequi gloriantur, & ad ſe dominicæ paſſionis fructum ſola fide trahere falſo contendunt. Dominus autem tanquam hos præuidens, omnes a ſe uocatos in uineam miſit: & illos operarios uocat, & pro opere mercedem reddere iubet. Non utique dicit: Itc in uineam meam, & credite me huius uineæ dominum eſſe: ſed conductos illos ad operandum miſit. Neque cum ſero eſſet factum diſtum eſt: Voca credentes, qui ſub umbra frondosæ uitis ab æſtu quieuerunt: ſed inquit: Voca operarios, & redde illis mercedem. Operarios uult dominus, & operariis mercedem tribuit. Non igitur ſola fides abſque charitate operante mercedem æternæ retributionis alicui confert, nec fructum dominicæ paſſionis aſſequitur. Alii ſunt peccatores, qui ueritatem tenentes, & ſcientes quod ſola fides non ſufficit ad ſalutem: eo quod diu perſeuerauerint in peccatis, impoſſibilibus illis uideatur ſalus. His propoſuit dominus quosdam vndecima hora euntes in uineam, qui tota die ocioſi permanſerant: quibus & denarium donari iubet quemadmodum etiam primis: tantum quiſquam poteſt impendere laboris, totis que uiribus inſudare in operibus bonis, ut ipſe breui tempore alij medio-criter per longum tempus operanti, cœquetur. Conſumatus in breui expleuit tempora multa, inquit Sapi. cap. 4. Omnis igitur qui tarſo greſſu acceſſit iam denuo totis uiribus inſtet operando: ſciens dominum, a nouiſſimis inci-piendo qui una hora fecerunt, retributionem dari præcipiſſe: qui & ipſi ſingulos denarios acceperunt quemadmodum & primi. Iuſtus namque dominus uniuſcuiuſque laborē penſat: Siquidem certiffimum eſt, hos nouiſſimos niſi in illa, quæ illis ſupererat hora, laboraſſe: & a iuſto paterfamilias ea de cauſa illis retributum denarium. Eſt & tertium peccatorum genus, qui ita ex peccandi conſuetudine affecti ſunt, ut nulla poſſint auelli ratione: qui & conſitentur & corpus domini ſuſcipiunt optimo propoſito; affectus uerò iterum illos in occaſionem peccati uel ipſum peccatum facit incidere: ac quodam ſubrepticio modo labefactatur: His dominus mirabiliter in huius ſacra-
lectionis

lectionis contextu medetur: quando cum primis conuentionem facit, excitans illos ad laborem, & cæteris dicit: Ite & uos in uineam meam, & quod iustum fuerit dabo uobis: ultimis uero, Ite uos in uineam meam. Omnes in uineam mittit, atque omnibus præmium pollicetur, nisi ultimis: quasi dicat, opus vestrum interpellabit pro uobis: adeoq; diligentes esse poteritis, ac tantum adhibere laboris, quod parem cæteris recipiatis retributionem. Considera hic quanta sit huius herois prudentia, qui ab affectu ociose uitæ ad diligentem affectum traducit hominem. Non enim prudenter agit, qui peccatorem obstinatum uia malo abstrahit. Anima quippe mouetur affectu, amore graditur: Amor meus, pondus meum: illo feror, quocunque feror, inquit beatus Aug. Affectus iste quadruplex est, cõsensu omnium & sanctorum & philosophorũ: uidelicet gaudium, spes, dolor, & timor, prout supra diximus cap. 12. tractatu 6. Tu autem quicunque uis ueterem cicatricem peccati curare, attendas primo necesse est, quo nam istorum affectuum seu qua passione duceris in peccatum: ut pro ratione affectus, adhibeas oportuna & efficacia medicamenta: alioquin reddetur difficilius curationis plaga tua. Pater utique iste familias prudentissimus omnes ad suam uineam uocat, omnes ad laborandum excitat: Ad dicit etiam præmium, dulciterque illos attrahit ad iniunctum opus perficiendũ. Præterea illud aduertendum est, affectus seu passionis istas animæ, quibus prolabitur in peccatum homo, neminem radicitus euellere posse. Siquidem animæ insunt, nec diuelli omnino queunt. Proinde prudentis est obiectum simul & causam mutare. Quod si diuina id gratia fiat, mutabitur homo, & a malo recedet: incipietque diligere quod bonum est. Audi Dei nostri sapientiam infinitam: cum uellet ab Aegypto euocare populum suum, sciensque illum rudẽ atque carnalem nimiumque esui ac potuit deditum (quod & ostenditur cum statim egressi recordati sunt quando sedebant super ollas carniũ in Aegypto, & comedebant panem in saturitate) sic eos alloquitur per Moysen, Exo. 3. Dominus Deus patrum uestrorũ, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad uos, ut educam uos de afflictione Aegypti in terram Chananaei, & Ethæi, & Amorrhæi, & Heuæi, & Iebusæi, ad terram fluentem lacte & melle. Ecce quemadmodum dominus affectum non tollit vi, sed transfersa ciuis Aegypti in terræ promissionis potiores cibos. Si cum Petrum & Andrea, Iacobum & Ioannem qui erant piscatores uocaret, ait illis: Venite post me, & faciam uos fieri piscatores hominum. Non dixit illis: Constituam uos principes super omnem terram: & Petro, faciam te vicarium meum in terra, sed solum transfert affectum a piscatione in piscationem, ne horreat neue timeant si in initio uocationis audiant mirabile officium apostolicum ad quod uocabantur. Sic & Mariæ Magdalene affectio amoris carnalis transmutatur in affectionem dilectionis diuinæ. Sic tu etiam medice spiritualis quisquis es, si in peccatorem qui uoluptatibus uacat incidere, non illi tristitia statim obicitas: sed potius propone aliam sublimiorem & dulciorem dilectionem: & exhortare ut experiatur, quã suavis est dñs. Delectabatur ante carnalibus: nunc delectetur delectatione mirabili, quæ illi erit ex sumptione corporis domini: delectetur creberrima peccatorum purissima confessione: delectetur largo lachrymarum imbri: delectetur oratione pura, & meditatione passionis Christi assistentem qua ad uana mundi gaudia trahebatur, in ueram spiritualium dilectionem commutabit. Si autem spe tenetur, muret spem in Deo uerò. Nam bonum est sperare in domino, quàm sperare in principibus. Cæue si peccator omnem suam spem siue in principibus siue in bonis terrenis repositam habet, ne illum

ne illum dimoueas ab hoc affectu: sed enitere ut transferatur affectus, & dicit: Ne spem abicitas o peccator, nõ tamen sperare deest in rebus caducis, quemadmodum fecisti hæc enus: sed spera in Deo, qui nunquam in se sperantem confundit. Audi quid apostolus dicat pri. Tim. vii. Diuitibus huius seculi præcipe, non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo, & cæt. Hic erit consideranda beati apostoli prudentia: Non enim præcipit, ut reducat illos in mundi desperationem, sed ait: præcipe illis, ne spe fallantur ex incertitudine diuitiarum. Ostende illis quam sit incerta diuitiarum spes, quæ tandem reducit hoc ad uerbum, nescio. Si enim queras: cui diuitias congregas o auare? liberis, respondebit. Si rursum queras: Scis ne illos fore superstitiosos quando morieris? respondebit, nescio. Scis ne an fur aut ignis seu domus ruina, aut alius quiuis casus dissipabit, quæ congregasti? dicet nescio. Scis ne an filii tui unica die (ut iam demus post tuum ex hac uita discessum fore superstitiosos) dilapidabunt, quæ tu tot annis congestisti? dicet nescio. Si igitur nihil eorum, quod de tuis bonis futurum est sciri potest: quin semper respondes, & quidem uere, nescio: ne spem tuam colloques in incerto diuitiarũ, sed illam transfer. Spem uolo habere, inquit apostolus sed in Deo uiuo, qui prestat nobis omnia abunde. Nec te pauperem uolo, qui teneris affectu diuitiarum: sed diuitem fieri in operibus bonis. Sic dominus iuueni super cap. 19. ait. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo. Non tibi diuitias tuas adimo, sed commuta illas. Habebas in terra conditas, reconde in cœlo. Habebas thesaurum in terra, habe thesaurum in cœlo. Si tibi peccator dixerit: semper dolore afficior, quia non possum patienter ferre, ut me alius antecellat, quin & de bonis proximi doleo: nolo ut dolorem illi & tristitiam adimas: sed in tristitiam & dolorem peccatorum commuta. Doce quantum hæc tristitia illi cõducit ex beato apostolo Paulo 2. Cor. 7. ita dicente: Quæ enim secundum Deum tristitia est, salutem in uitam habilem operatur: seculi autem iustitia mortem operatur. Doce ex Dauide, qui cum rex esset, ait: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo, psal. 6. Si tibi peccator dixerit: Timeo ualde homines: nam si uoluerò uitam gerere spiritualem, me tanquam hypocritam subfannabunt: nec enim hæc minima impugnatio est: adducto dominum non tollentem, sed permutantem formidinem, qui dicat: Nolite timere eos qui occidunt corpus, & amplius non habent quid faciant: sed potius timete eum, qui potest animam & corpus mittere in gehennam. Herus igitur & Deus noster ad uineam operarios mittet, illos ad laborem inducit, ad uineæ culturam pronocat, mercede allicit: docetque nos quemadmodum nostræ, tum & peccatorum affectiones sint commutandæ: ne si uelimus in alteram partem ui non arte flectere, quos in directum uolumus reducere ramos, frangamus. Velit Christus dominus noster semper nos edocere in nostrã & aliorum salutem: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUINTVS,

In cap. XX. beati Marthæ.

SIMEE dicit regnum cœlorum homini patrifamilias. Iam similitudines per saluatorem nostrum ponuntur de regno cœlorum: ut cum nouerimus uerba, quæramus & regnum. De hoc regno loquamur, meditemur, tractemus: nec excusemur magnitudine rei, quin iam & in regum aulis & in officinis fabricrorum,

brorum, & in agriculturalum campis de regno cœlorum agatur, & in regnum cœlorum æstuet desiderium. Dicitur profecto regnum, quando dominus regnat in animabus: unde illud Luc. 11. Peruenit in uos regnum Dei. Qua quidem in re regnū Dei est admirabile. Nam cū quis in externa proficiscitur regna, dicitur abiisse in regnū Franciæ, uel in aliud quoduis: non tamen uenisse in illū Galliæ regnum recte dicitur. Cæteri cū regnū Dei prius in hominē ueniat, quā homo in illud ingrediatur, optimè dicitur peruenire in nos regnum Dei: Tunc enim regnat in homine, cū anima illum suscepit per fidē & charitatē. Reges terreni in subditos regnant per potentiam: raro tamen eorum uoluntatibus dominantur, quā non diliguntur ab illis: atqui domino nostro regnandi modus est: nempe totū sibi subicere hominem, & in anima per amorē sese insinuare, & ab illa super omnia diligi. Quapropter regnum Dei prius in nobis uenit, quā nos deueniamus in illud: quoniam dominus, qui est regnum nostrū, qui est possessio nostra, uenit in nobis, habitat in nobis per gratiam, diligiturque a nobis per charitatem. Sic Luc. 17. dicit dominus: Regnum Dei intra uos est. Quando scilicet dominus in nobis habitat, tunc regnum Dei intra nos est. Nam si dum uiuimus, Deum per gratiam susceperimus, atque ita inuenierit nos hora mortis, ingrediemur in regnum Dei, in quo facie ad faciem ipse conspiciatur. In ecclesiam ergo militantem peruenit regnum Dei per gratiam, ut ipsa perueniat in æternum regnum Dei per gloriam. Est igitur ecclesia militans tanquam domus nouorum militum, in qua edocentur exercere militiā spiritualem, ut in religionibus sacris: & in qua omnem præliandi modum, aduersus hostes spirituales edocentur tyrones. In militanti ecclesia habitum religionis Christianæ suscipimus, dum in baptismo alba contegimur ueste: Qui cunque, inquit beatus apostolus Paulus, in Christo baptizati estis, Christum induistis, ad Gal. 3. Qui igitur tali ueste induimur, talem oportet uitam agamus, quæ tota referat Christum: & quæ nullatenus ab eius deuiet charitate. Sic uenit in nos regnū Dei, ut sequatur. Proinde de hoc ergastulo carnis cū exierimus, regnū Dei in quo facie ad faciem cernitur ipse Deus, sequetur. Igitur simile est regnum cœlorum homini patrifamilias: non utique ait regi aut imperatori, sed patri: ut nouerimus, quæ nobis a Deo præcipiuntur, tanquam a patre præcipi: nihilque tyrannicum eius continere præcepta: sed omnia nobis tanquam piissimum patrem distribuere, omniaque in utilitatem filiorum dirigere. Non igitur singas laboris plena esse præcepta: ama patrem, & omnia facile adimplebis: ama Christū, omnia tibi erunt suauia: dilige Deum, & omnis labor iucundus erit. Suauē nāque iugum domini est, & onus leue: immò & amanti nihil est difficile. Non quasi nos, dilexerimus Deum, inquit beatus Ioan. epist. 1. cap. 4. Sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris. Hæc est. n. charitas Dei, ut mandata eius custodiamus: & mandata eius grauiā non sunt, inquit beatus Ioan. eadem epist. cap. 5. Mandata nempe eius grauiā non sunt, siquidem qui uerè amat onus reputat leue, & illi est iugum suauē. Pater etiam cum sit, grauiā filii non iniungit, sed omnia plena dilectionis & charitatis suauia sunt & dulcia, prout Dauid canit psal. 118. dicens: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo, a mandatis tuis intellexi. A mandatis igitur tuis intellexi, quod grauiā non sunt sed dulcia eloquia tua, præceptum suauē, & onus leue, dīmodo uera charitas adsit. Hic pater familias neminem inuocatum relinquit, omnes uult saluos fieri, omni hora exit, lumina cū diligentia operarios in uincā suā querit, inuentos mittit, & usque ad undecimā uocat, in quo eius ineffabilis cōmendat benignitas. Cū uocauit Iudæos, uocauit etiam grecos. In omnē orbē terrarū misit apostolos

apostolos suos, & unumquenque nostrum non semel & iterum immò sæpe uocat: in pueritia, adoleſcentia, ætate virili & senectute. Nunquā. n. monere desinit, uel compellere beneficiis, uel excitare infirmitatibus, uel aliis mille modis uellicare uacantem, dummodo mentis aures adhibeamus, & uocem eius percipiamus, qui nunquā desinit omni die uocare. Circa horam undecimā reperit ociosos quosdā: quanquā forte nemo existimabit se ociosum, cum se uiderit mille curis angi, distrahi, atque discerpi: tamen, ociosum dicitur, quicquid ad æternam uitā minime conducit, uel quod ad aliquid animæ uile minime conuertit potest. Nā quemadmodū tu cū cernis puerulos occupatissimos in domunculis fabricandis, ex laterū & regularū fragmentis cōminutis, suppositaque arundine ueluti equo huc atque illuc discurrere, illos ociosissimos iudicas, quanquam ipsi sibi occupatissimi uideantur: sic perfectio cum nos temporalibus ualde intectos, nihilque interim de celestibus cogitantes paterfamilias cernit, ociosos tota die iudicat, & si nos occupatissimos existimamus. Ita nāque Prou. cap. 1. Sapientia nos uocat paruulos, & infantū opera nos uisurpare asserit his uerbis: Sapientia, inquit, foris prædicat, in plateis dat uocem suā, in caute turbarū clamitat: usque quo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia, cupient? Inquit beatus Bernardus: Non tatū ociosus est, qui nihil operatur: sed etiam ociosus est, qui continuè laborat, nihilque tum inde lucratur. Cum igitur actus nostri qui non sunt peccatū, nec sunt actus in differentes, ut conſpicere barbā, scalpere caput, & huiusmodi, qui referri possunt ad bonū finem, aduertendū est semper, & populus a concionantibus & a concionariis edocendus, ut omnia in Deū referant, nihilque faciant absque cōſideratione. Idem a doctoribus in scholis discipulis suis sæpe inculcandū est. Beatus nāque apostolus Paulus sic suos edocebat Corinthios dicens pri. epistola, cap. 10. Siue ergo manducatis siue bibitis, uel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sic fiet ut in finē diei retribuat denariū merces bene in uinea laborantibus, quod utique maxime expendendū est. Nā quid prodest uiuere, nisi deus semper uinere? Quid prodest esse diuitem per annos centū, & in inferno pauperem in æternū? Dives ille epulo, de quo meminit beatus Luc. ca. 16. qui quotidiē epulabatur splendide, & induebatur byſſo & purpura, cuius uitæ tempus tacetur, quid illi per tot annos profuit in deliciis uiuere? quum mortuus guttam aquæ ad refrigeranda linguam flamma cruciatus a Lazaro petiit, quæ in æternum non dabitur ei. Quid prodest omni dominari orbi, & in æternum sub diaboli pedibus conculcari? Dominus noster pater misericordiarum semper nos uocat, & in uineam mittit. Presto laborantibus adest, ut mercedem reddat, nec unius horæ spatio laborante despicit, immò & denarium mercedis tribuit. Nō ergo abutamur Dei nostri misericordia, nec obturemus aures ipso clamante, nec obduremur corde ipso uocante. Sed eius audientes uocem, illico reuertamur, atque illi in omnibus, prout par est, obtemperemus: qui largissimus retributor est. Rex erat Dauid, omnibusque a tergo relictis, Psalm. 26. dicebat: Unam petii a domino, hanc requiram, ut in habitem in domo dñi omnibus diebus uitæ meę. Ut uideā uoluntatem dñi, & uisitē templū eius. Hanc uitā Dauid postulauerat, & hanc requirebat, omnia sua dirigens in rectum finē, sciens omnem actū mortale sine fortiri speciē: quæ ad modum speculatiuū a principio, secundū philosophorū praxin. Nec una hora dicit uel una die, sed omnibus diebus uitæ meę. Nec sane cuiquam uita longa uideatur: nam breuis admodum est, habetque intrinsecā a se malitiam: cum non simul uiuitur per centū annos, sed successiue per breuissima momenta temporis uita discurret. Solū nobis adest momentū unū: alterū effluit, ut succedat sequēs.

T T Idque

Arist. 7.
Ethic.

Idque cum acquiris, recessit quod erat præsens, & sic deludimur: adeo ut cum extrema hora deuenit, qui vixit per centum annos, vnum se momento arbitretur vixisse. Sic Iacob ingressus Aegyptum, cum a Pharaone interrogaretur, Genes. 47. Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? respondit: Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali. Paruos dixit annos, quando in momento omnia concluduntur tempora: malos propter immensos labores, quos secum tanquam inundans flumen vitæ omni hora desert. Igitur fumentes voluntatis nostræ ligonem, laboremus in vinea domini, vniuscuique prout accepit a domino: vt cum dies extrema venerit, detur nobis denarium beatificæ visionis & fruitionis gratia domini nostri Iesu Christi: cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SEXTVS.

In XX. cap. beati Matthæi.

REPETIVIMVS non semel, in sacrosancto domini euangelio antidotum contineri, sufficientissimumque remedium ad diluendam omnem prauitatem hæreticam. Nam cum Deus omnium futurorum sit præcognitor, sciens que omnia quæ ventura erant aduersus sanctam ecclesiam suam: eam sufficienter munit contra omnem hæresim salubris doctrinæ clypeo & armatura. In hac igitur parabola decem euertit hæreses, quæ quodammodo dici possunt omnium hæresum fontes. Cæterum cum sint homines, secundum beatum apostolum Paulum ad Titum cap. 1. qui licet catholici circa fidem videantur, tamen factis repugnant: Verbis, inquit ille, confitentur se nosse Deum, factis autem negant, hos in calce erroris cuiuscumque coarguemus, vt legenti hæc detur vtriusque notitia. Primus igitur error est idolatrarum plures Deos constituentium, quorum multiplex impugnatio & confusio habetur per beatum Aug. lib. pri. 2. & 3. de ciuitate Dei. Hunc errorem mirabiliter confundit Christus, cum vnicum patremfamilias inducit, & vnicam vineam: vt omnes nouerint, vnum esse Deum, & vnicam sanctam ecclesiam eius sponsam. Ait enim: Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam: non dixit: simile est regnum cælorum hominibus patribusfamilias, qui exiit operarios conducere in vineas suas. Sic & alibi: Simile est, inquit, regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis: non hominibus dicit, sed homini regi, semper vnitatem deitatis signans, & vnum patremfamilias cunctorum creatorem & moderatorem. Hunc moribus sequuntur errorem, qui Dei beneficiorum oblitii, non vnicum vitium, sed plura sequuntur vitia: vt sunt periuri, illusores, alea tempus & substantiam dissipantes, adulteri, vinolenti, irati, superbi, qui que ex vno in alterum se præcipitantes peccatum vsque ad ima inferni discurrunt. Secundus error fuit Aristotelis nostri philosophi, qui posuit mundum a Deo ab æterno fuisse creatum: cum hoc tanquam problema reliquerit, dicens pri. Topic. Sunt aliqua problemata dialectica, de quibus rationes non habemus: vt vtrum mundus sit æternus. Hunc errorem confundit dominus, dicens primo mane exisse patremfamilias. In tempore siquidem productus est mundus: quando in principio creauit Deus cælum & terram: & finem habiturum hominum genus denotat, dum ait: cum sero aut factum esset,

esset, præcipit procuratori suo, dicens: Voca operarios, & redde illis mercedem. Hunc autem errorem moribus imitantur, qui nulla præhabita consideratione omnia iniuste congregant, possessionem possessioni, agrum agro, vineamque vineæ superaddentes: ac si hæc terrena principio careret & fine. de quibus Esai. aperissime ait cap. 5. Vt qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio tertæ? In auribus meis sunt hæc dicit dominus exercituum. Nisi domus multæ fuerint grandes & puchræ, absque habitatore. Tertius error fuit Epicuri & eorum qui illum sequuti sunt, negantium mundum istum inferiorem a diuina prouidentia gubernari, sed tantum superiorem. Quod dominus aperte confundit, quando paterfamilias exiit primo mane conducere operarios ad vineam excolendam, tum & hora tertia, sexta, nona, & undecima: adeoque omni momento illi est cura de omnibus istis inferioribus, vt nec folium arboris cadat præter ipsius nutum. Hunc errorem moribus imitantur: qui aliena surripientes, siue famam, siue temporalia bona, nulla illos tangit de restitutione cogitatio, audientes: Non dimitti peccatū, nisi ablatum restituatur. Dissimulant moribusque asserunt, quod Epicuri & hæretici confirmant verbis, illud Iob dicentis, 22. cap. Supra cardines cæli ambulat, nec nostra considerat. Hos confundit dominus, cum omni hora mittat operarios, nullum intermittens tempus, quo non vineæ suæ curam habeat. Quartus error fuit Manichæi statuentis duplex rerum principium: vnum bonorum, alterum malorum. Quos confundit dominus, mittens omnes in vineam suam, & bonos & defides hora sexta & nona, & ociosos hora undecima. Itaque bona Deus facit, mala fieri permittit occulto nobis, sed iusto suo iudicio, malaque poenæ inferit: Si erit malum in ciuitate, quod non fecit dominus, Amos cap. 3. Hos imitantur moribus astrologi iudicarij, qui fato & sideribus tribuunt, que sunt in diuina mente, & quæ a libero arbitrio hominis pendent. Qui cum sapissime metiantur, & nunquam sibi cauant, per principes sunt puniendi. Nec peccato istorum mathematicorum conuiuere decet, nisi illis pro poena sint mendaciorum portenta, quæ ipsi crebro effutiant: qui si erubescere nosset, non hæc illis minima poenitio foret. Verum enimvero patrifamilias iamiam meritas poenas soluent & ipsi, & alij omnes maledicti, qui demones sibi associant, & illorum familiaritate vtuntur. Quintus error fuit Bigardorum, de quibus habetur in Clementina: Ad nostram, de hæreticis. Isti inter octo maledictos errores debacchati sunt dicentes: in tantâ quis posse deuenire viuens perfectio nem, quod amplius mereri non posset. Hos expresse confundit dominus, cum mittat omni hora in vineam operarios a prima vsque ad undecimam vltimamque diei horam: hæc scilicet ratione docens, posse semper augeri meritum operanti. Hos moribus imitantur, qui se pro peccatis iam satis fecisse cogitantes segnit viuant. Ignorant etenim beatum apostolum Paulum de se dicentem pri. Cor. 4. Nihil mihi censeis sum, sed non in hoc iustificatus sum. Et illud Ecclesiastes cap. 9. Sunt iusti, atque sapientes, & operariorum in manu Dei. Et tamen nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit. Vigilantissime igitur operari oportet, & in vinea domini quo ad poterimus insudare. Sextus error fuit Sabelij, ponentis unam tantum personam in diuinis: quem confundit dominus, dum paterfamilias non reddit mercedem laborantibus, sed dicit procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem. Siquidem pater omne iudicium dedit filio, & ipse non iudicat quemquam. Septimus error fuit Saducæorum negantium resurrectionem, angelos & animas. Hos confundit dominus: Nam cum sero iam esset factum: hoc est, in mundi fine; siue

3. Error.

8. Error.

4. Error.

5. Error.

2. Error.

6. Error.

7. Error.

in vniuſcuſuſque obitu reddi laboris mercedem, & omnes in vltima diei hora congregari iuſſit ad operum præmium ſuſcipiendum. Hos imitantur, qui nimium lugentes mortuos ſuos, nulla illis eſt cura de animalibus illorum, nea in teſtamento legata adimplere fatagunt. Quinimmo Saducæis ſimiles lugent cadauera, & nulla illis interim de animabus eſt cura. Octauus error fuit blaſphemia Apellis hæretici, qui ſtultiſſime aſſeueravit in ſua vnumquenque poſſe ſecta ſaluari. Hunc confundit dominus, cum præmium nemini alij iuberi dari, niſi tantum a ſe vocatis: & in vineam euntibus, & vſque ad poſtremam horam laborâtib; vt ſciant omnes neminem extra ſancam eccleſiam ſaluari poſſe: nec præmiũ alijs quã laborantibus tribui. Nonus error eſt Iudeo- rum, qui in ſuis ceremonijs & oneroſo legis labore exiſtimant eſſe ſalutem. Quibus dominus ſecundum beatum Hilarium & Chryſoſtomum, reſpondit: Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conueniſti mecum? Dicis te portafſe pondus diei & æltus: at ego volo huic ex gentibus aggregato populo, quemadmodum & tibi donare denarium. Sed audi quoniam tu non iam vocaris ad onus legis portandum a Deo, ſecundum voluntatem patrifamilias te viuere oportet. Habet vineam, habet filium vnicum, quem miſit pro ſalute omnium, non poteris ſaluari niſi in ipſius vinea. Vineam enim tua deſerta eſt, fecitque labruſcas: nec dulces & ſuaues, ſed agreſtes & acerbos racemos protulit, qui manducantium dentes ſtupore aſſiciunt. Vide quoniam ſic ſtatutum eſt per filium dari præmium: nec aliud nomen eſſe ſub cælo datum hominibus, in quo oportet nos ſaluos fieri, niſi in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Huic omnes propheta teſtimonium perhibent, quod remiſſio peccatorum per nomen eius accipiant. Si ergo circumcidimini, nihil vobis o Iudæi proderit Chriſtus: omnes ſub veſtrę iugo legis & ceremoniarum onere preſſi conciditis, a vinea domini & a laborantium in ea præmio excluſi. Nec tu quiſquis es, ſine uocatione patrifamilias in vineam eas: ut hinc ſcias non ſecundum tuam opinionem & errorem te ſaluari poſſe, ſed cum per vnicum filium Dei carne indutum vocatus fueris. Ideo autem patrifamilias omni hora vocat operarios vt nullus ex ſuo ſe arbitrio ingerat, ſed ſecundum euangelium per legem & prophetas prædictum ingrediatur eccleſiam, præmiumque recipiat: dummodo bene uſque in finem operatus ſit. Decimus error eſt Lutheranoꝝ, qui ſine ſacramentis & bonis operibus fide tantũ ad ſe merita Chriſti trahere volunt, & ſanctis æquiparari. Hos tota hæc parabola confundit, cum omnes patrifamilias in vineam mittat. Ecce una vinea eſt, & vna eccleſia ſancta catholica, nõ diuiſa in Lutheranos, ſed congregata, que permanet in catholicis. Oēs vult operarios eſſe patrifamilias, aliã mercedem non ex ſola fide recipient. Voca, inquit, operarios: ceteros ergo excludit, cum tantum operarios uocari præcipit: & redde illis mercedem. Ecce merces, ecce retributio operibus reddita. Non dicit utique: Voca credentes, ſed voca operarios, inquit, & redde illis mercedem, quam labore & ſacramentis acquiſiuere, boniſque operibus promerere gratia domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

8. Error.

9. Error.

10. Error.

TRACTATUS SEPTIMVS.

In XX. cap. beati Marthæi.

Ad quod opus iſti in vineam conducti ſunt: vtrum ad paſſinandam, an ad vires putandas, ſive ad palmites ſtipibus ſubleuãdos, in ſacri huius contextuſ litera non exprimitur. Quod forte dominus ideò fecit, eo nos admonere uolens, ut quantuncunq; poterimus operã in vinea uera que eſt eccleſia, impendamus: niſi ilq; pro ſalute noſtra facere recuſemus: quin operi, quod ſe primum nobis obtulerit, modo ſit Deo gratum, manum adhibeamus. Vel ideò dominus opus vineę ſupprimat: quòd ſunt diuerſi ſtatus in ea laborãtium. Nonnulli nãque religionis uoto aſtricti ſunt: alii uero clerici & prælati: multi etiam coniugati, & a matrimonij lege ſoluti: Quibus omnibus in vinea domini laborare expedit. Et quanquam non omnes eadem poſſint, unuſquiſque tamen prout ualet, & ſecundum conditionis ſuę modulũ operam impendere tenetur, modo uelit mercede denarij diurni præmiari, iuxta illud apoſtoli Petri: Vnuſquiſque prout accepit gratiam a domino in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratię Dei. Hunc denarium omnes pro diuina uiſione & fruitione arbitrantur intelligendũ: quod unum eſt & duobus maxime animam erigens a terrenis. Duo nãque præcipua ſunt, que animũ hominis ad cœleſtia ducunt, alterum incarnatio & paſſio filij Dei; alterum uerò diuine uiſionis & fruitionis conſideratio. In his duobus, penè omnis diuina ſcriptura uerſatur, ſpondens Deum futurum hominem, ſuoſque ſanguine redempturũ genus humanum, quod iam factum eſt; tum & hominem per gratiam Chriſti adepturum æternam in gloria felicitatem. Hoc releuatum fuit Adẽ in ſopore illo, cum è coita eius dominus fabricaret Euam licet ignorauerit, qua ex cauſa Deus carnem ſuſcepturus eſſet, ſecundum beatum Thomam. Hoc & Abrahę ſignificatum eſt in immolatione filij ſui Iſaac: quum uiuo Iſaac remanente, aries in uepribus cornibus hærens offerretur in holocauſtum. Nec immerito beatus Aug. & beatus Hierony. ſepe contendunt promiſſiones illas terrę Chanangoꝝ, plus eſſe exiſtimandas cœleſtes, quã terrenas. Siquidem terra Chanaan, quam dominus poſſidendam Iudæis tradidit, ab idolatris occupabatur. Egre ditur populus ab Aegypto mirabilibus ſignis & prodigijs. Columna enim ignis nocte ducitur, & inter diũ columna nubis. Dantur illi & coturnices & manna ad ſaturitatem: & aqua de petra prodiit ad bibendum: que omnia maiora portendebant, quã ſolam habitationem terrę Chanangoꝝ. Dauid rex erat Iſrael totius promiſſionis terrę, & clamat: Satiabor cum apparuerit gloria tua, nec ſe regno ſatiatum prædicat terrę fluentis lac & mel; ſed tunc ſatiari ſeſe exiſtimat, cum apparuerit gloria domini. Et idem alibi ait: Regnum tuum regnum omnium ſeculorum. Et, Beati qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Et Iob cap. 36. inquit: Annunciat de ea amico ſuo, quòd poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere. Super hoc expauit cor meum, & motum eſt de loco ſuo. O Iob, num expaues ſterquilinum in quo iaces? nõ & vlcera & paupertatẽ miraris, qui hæſterna die diues & ſanus eras? Nihil ita mirandũ arbitratur Iob, quã quid annunciet dñs amico ſuo; q; poſſeſſio eius ſit ipſe Deus, & quòd ad illam poſſit peruenire beatitudinẽ: Super hoc expauit, inquit, cor meũ, & motũ eſt de loco ſuo. Mortui enim eſtis inquit beatus

TRAC-

beatus apostolus Paulus ad Colof. 3. & vita uestra abscondita est cū Christo in Deo. Et dominus seruo bono ait: Intra in gaudium domini tui. Hæc confideratio maxime eleuat cor a terrenis, & collocat in excelsis: iāque huius denarii diurni contemplator illuc ascendere cōcupiscit, vbi sperat sine fine facieque ad faciem contemplari omnium conditorem & redemptorē. vbi nullus dolor, nulla infirmitas, nulla egestas sentitur, immō omnia læta, omnia sana, omnia ingentium diuitiarum cumulis sunt repleta. In quo autem felicitas hæc consistat, dominus sepe repetiuit, dicens: Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum. Ecce locum, in quo se dig natus est dominus beatis apostolis ostendere: & vitam æternam possidebunt, inquit, supra cap. 19. hi nempe qui propter eius nomē omnia reliquissent. Et infra cap. 25. dum agit de ultimo iudicio, ait: Ibunt in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam. Capite autem Ioan. 12. iam explanans hæc vita æterna quæ sit, inquit: Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Constat autem Christum dominum beatum esse a primo suo beatissimæ incarnationis momento, semperque frui diuinitate: cui est vnita humanitas in vnitate suppositi. In visione igitur diuinitatis & fruitione beatitudinem nostram consistere, minime est dubitandum. Eadem verba dixisse narrat beatus Ioan. cap. 14. dicens: Et si abiero, & preparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam uos ad me ipsum, vt ubi sum ego, & uos sitis. Ecce iterum repetit accepturum illos ad se, vt vbi ipse est, & ipsi sint, in visione scilicet & fruitione diuinitatis. Quod adhuc tertio ostendit manifestissime, prout idem beatus Ioan. tradit cap. 17. Pater, inquit, quæ dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. In visione igitur diuinæ essentia diuinarum personarum fruitione constat consistere beatitudinem. Videmus nunc per speculum, tunc facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum, inquit beatus apostolus Paulus pri. Cor. 13. Et beatus Ioannes Epist. 1. cap. 3. Charissimi, nunc filij Dei sumus, & non dum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. Decimo Ethic. dixit Aristot. vnum, quod in hoc mundo terreno reperiri non potest, cum ipse agere videatur de terrena felicitate: Felicitas, inquit, est, quæ nullius rei indiget: sed est per se sufficiens, & in otio videtur consistere, & in eo quod est optimum. Nullus est in hac vita homo: qui quantumcunque dominetur orbī, sit per se sufficiens, vt nullius egeat, & in eo consistat quod est optimum. Quod proinde est ac si diceret, in Deo quod est optimum oportet felicitatem consistere. Nec enim appetitus in tota natura hominum frustrari potest, quia omnes cupimus esse beati: omnesque idolatre suam expectant in futurum felicitatem, quam falso sibi promittunt, cum & ipsi falsæ cupiditati falsa ex equo respondeat & inanis felicitas. Cum igitur a natura sit vt volatilia volare appetant, vt etiam pisces natate & animalia gradi, minimeque in his frustratur natura: ita & homines natura appetunt beatitudinem: quam necesse est haberi in futuro seculo, cum nullibi in isto reperiat, in qua homines, qui illam meriti fuerint, collocentur, & qua appetitus humanus satureretur & conquiescat. Est etiam considerandum, quemadmodum omnia quæ sunt in natura, suo principio adungi cupiunt. Quo fit cum terræ centrum sit omni graui inferius, nullum esse graue, quod non collocari in centro appetat. Quod si aperiretur per diuinam potentiam aliquis in terra hiatus, vsque ad eius cœtrum: quodcumque graue descenderet, nusquam quiesceret, quousque illud

illud pertingeret. Idque etiam docet experientia: nam quantumcunque altum puteum fodias, in quem paruum dimittas lapidē, haud dubio ad finē vsque perueniet: & si iterum altius fodias, etiam ad putei ima descendet. Idem iudicium habetur de igne, qui cupit ad usque sphaeram ignis si possit pertingere: & quæcumque leuia in sublimi appetunt collocari. Itaque anima cum sit spiritus, naturaliter appetit supremo spiritui, a quo creata est, adherere: nullaque illi interim erit requies, nisi cum ad illam peruenire licebit. Beatus apostolus in Epist. ad Heb. cap. 12. inquit: Patres carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerentibus eos: an non multo magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus? Patrem spirituum vocat Deū. Sic & beat. Ioan. refert dixisse dominum Samaritanæ, cap. 4. Deus spiritus est. Appetit igitur anima, dum recto intellectu vitur, (quod dicimus propter damnatos) summo spiritui, qui Deus est, coniungi. Nam vt volatilia volare gaudent inque sublime ferri, & natatilia aquas sulcare: vt etiam grauibus naturale est ferri deorsum, leuibufque sursum, itemque vt aquæ omnes in mare uadunt, ita et animæ notus est Deus, feruntur in illum desiderio libero & naturali, quodamque intrinseco appetitu. Quibus licet omnes spiritus cœlestes ad fruendum tribuas, non erūt beate, quoniam adhuc illis quod maius est deficit: pater scilicet spirituum, vt inquit beatus apostolus, qui est Deus: quoniam omnis in illo requiescit spiritus & perfecte fruitur felicitate. Ex parte autem Dei felicitas in altera uita esse ostenditur, cum uidemus iuxta illud Abacuc, cap. pri. Quousque respicis contemptores, & races conculcantem impium iustitiam? Et Dauid Psal. 92. Quam bonus Israel Deus, iis qui recto sunt corde. Mei autem penē moti sunt pedes, penē effusi sunt gressus mei. Quia zelauī super iniquos, pacem peccatorum videns. Prospere igitur agunt in hac vita plurimi iniqui, tribulanturque fere homines pii. Cūque Deus omnipotens sit & iustissimus, non utique in ista vita tribulationibus bonos afficeret, & iniquis terrena bona suppeditaret, si non vice uersa in alia uita bona iustis, & mala iniquis retrā buerentur. Sic Luc. cap. 16. diuiti in inferno iacenti dicitur: Fili recordare, quia recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu uero cruciaris. Quod autem hæc consistat felicitas, & denarius hic diuinus in diuina visione & fruitione, iam satis ex diuina scriptura ostensum est: dummodo omnes intra vineam domini sacrosanctam, uidelicet intra matris ecclesiæ grenium persistamus: extra quam non est salus: dum modo, inquam, omnes ociosam fidem non habeamus, sed laborantem & per charitatem operantem. Sic fietur hora mortis instante detur nobis æternæ retributionis denarius gratia domini nostri Iesu Christi: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS OCTAVVS,

In XX. cap. beati Matthæi.

DOMINI uerba, quæ ultimo prædicta sunt loco: Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi: subsequuntur. hæc nempe, Multi sunt uocati, pauci uerō electi. Quæ a plurimis diuersimode interpretantur, quorum interpretationes longum esset repetere. Quod tamen literæ propius uidetur accedere domino suggerente dicemus, nihil aliorum sensui detrahentes: Vnusquisque

per successionem in tempore? Non igitur, ut inquit beatus apostolus Paulus, iniquitas est apud Deum, ad Rom. cap. 9. eo quod Iacob dilexit: Esau autem odio habuit. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex uocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Mala cap. pri. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Hæc enim uerba beati apostoli de natalitate in mundo accipienda sunt: & quod non ex operibus in uno quidem bonis, in altero uero malis, nondum adhuc exhibitis. Cæterum omnia hæc, & Iacob & Esau, & utriusque opera ante conspectum domini Dei ab æterno fuere: & Deus utriusque opera æternaliter uidit, protulitque simul uoluntatem & iudicium æternum, ut omnia simul unico actu uideret, iudicaret, approbat, reprobaret. Idque iustissime facit, retribuens ab æterno, quod homo iustus successu temporis, unum ex altero inferens ac deducens, faceret. Qui si tot sanctissima opera Petri, & pro negatione magistri sui poenitentiam, & demum crucis affixionem propter eundem conficeret, Petrum illico iudicaret præmio æterno dignum. Hoc facit Deus unico illo ac simplicissimo actu, quo illi ab æterno fuit omnis uita & exitus Petri notus. Illum uita æternæ præmio iudicauit dignum, elegitque eum ante mundi constitutionem: & gratiam illi & omnibus electis tribuit, qua ipsi optime usi sunt. Ideoque dicit beatus Paulus ad Rom. 9. Igitur non uolentis, nec currentis, sed miserentis est Dei: qui sua misericordia nemini in necessariis deest. Qui enim damnatur, sua ipsius culpa damnatur. Gratiam enim negligit, & Deo uocanti aures obturat: uocationique resistit, ambulans uias non bonas. Qui tandem peccatorum onere pressus maxima se in tartarum ruina precipitat: quo Deus summe bonus, quem nunquam audiuit uocantem, præciuit eum uenturum. Non igitur Dei præscientia ac reprobatio in causa sunt, ut damnatur iste. Si quidem Deo omnia sunt unico actu ab æterno nota & comprehensa, illamque simul uolitionem habet, & ab æterno de unoquoque eam proferet sententiam, quam quilibet iustus arbiter in damnatos, & in bene gratia uolentes electos proferet. Non ergo confundamur in præscientia Dei, cum a natura diuinitatis habeat omnia ab æterno noscere & præuidere. Scientia enim æterna iuste damnat impios, ac iuste coronat pios. Voluntas eius iustissima bonorum est causa efficiens: quoniam iustissime & rectissime uult, quicquid uult. Et sic uult istis dare uitam æternam, & illis damnationem æternam: uidens simul omnia, quæ acturi sunt bona & mala. Qui non successiue contuetur futura, ut nos qui prius cognoscimus, deinde uolumus. Deus autem noster simul cognoscit, uult, approbat, reprobat, unicoque uoluntatis actu hos ab æterno reprobat, illos eligit. Ergo opera bona fac & uitam bonis operibus claude, ut ex numero sanctorum sis: Quem te talem futurum ab æterno uidit, elegit, & probauit gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS NONVS,

In XX. cap. beati Matthæi.

ET accedens Iesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos suos secreto, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotibus, & scribis: & condemnabitur eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum,

flagellandum, & crucifigendum: & tertia die resurget. Semper dominus sacratissime & acerbissime passionis suæ memoriam facit, uolens ut perpetuo eius recordemur. Cum enim semper haberet præsentem dolorem & illusiones, quibus in passione sua erat afficiendus, sæpe hæc discipulis repetit: ut annuntiant mundo, se sponte sua neci oblatum, cui erant omnia cognita: pariterque, ut omnes sciant, quo pretio redempti sint: & peccatores agnoscant, quæto sint supplicio digni, cum non aliter a peccatis quam Christum morte liberentur: denique ut discant omnes quam deceat a peccatorum forde alienos esse, cum nõ remittantur peccata, nisi precioso sanguine agni immaculati. Instabat igitur tempus passionis domini, ideoque discipulis uentura prædicit: Et filius hominis, inquit, tradetur, &c. Hanc Iudæ traditionem prius enumerat, tanquam passionis futuræ initium, ac ueluti nimis abominandum scelus: ut re uera erat a discipulo tradi magistrum. Prophetauerat iam diu de hac traditione Dauid psal. 54. ex persona Christi Iudæ improperans: Quoniam si inimicus meus, inquit, maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si quis oderat me supra per me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: Tu uero homines unanimes, dux meus & uetus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu: Sic & inproperauerat pretium uile spiritu sancto affixus Zacha. 11. cap. dicens: Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit dominus ad me, Proiice illud ad statuarii decoru pretium, quo appetiatus sum ab eis. Nimis. n. Deum offendit, dum se peccator ab illo auerit, atque ad minima transit conuertiturque. Auerfio autem ab incommutabili bono formale est in peccato: conuersio uero ad commutabile bonum materiale. Quapropter auerfio in inferno poena damni respondet: Auerfio a Deo: Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es domini creatoris tui: recipere ergo in poenam nunquam illum uisurum. Poena autem sensus respondet conuersio ad creaturam. Conqueritur igitur Deus de uili pretio, quo eius filius a Iuda uenditur, per Dauidem & Zachariam. Quid ergo dicturus est illis, qui minus triginta argenteis peierant, blasphemant & irascuntur? Vnusquisque, & illi terga uertens, ad uile creaturam conuertitur. Haud aliter quam si quis dum regem alloquitur, eo insalutato discedit, & ad æthiopem deformem conuersus illum amplectens. Et iterum uocante rege non modo ueni re contemnit, sed uultum etiam uertere dedignatur. Qui sanè magno dignus est supplicio: nempe ut ab aula regis proiciatur: deinde ut flagellis cæsus, quæ diu uixerit, conspectu regis priuetur: ut qui æthiopem adeo inceptis Regi proposuerit. Quo d si hæc iure fiant, temporario rege despecto: cur nõ potius deteriora peccator mereatur supplicia omnium rege Deo neglecto? Vilipendium traditionis Deus initio posuit: *Filius hominis*, inquit, *tradetur*. Et *condemnatur eum morte*. Mortales uitam ad mortem damnant, ad nostram abolendam mortem, secundum uaticiniũ Osæ 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne. Ea propter illam iam beatus apost. Pau. uocat somnum, dicens pri. ad Theff. c. 4. Nolumus uos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Sic enim morti illuditur a puellis, dum cædis ac tormentorum minis a tyrannis terrentur: *Quin ita despexere mortem*: ac si quis pellè serpentis paleis plenam conspiciat, sciens non sub pelle habitare serpentem, qui iam sit occisus: sed ipseus imaginem artificio adsimilari. Sic uirgines sanctæ, & quotquot fuere martyres, neglexerunt mortem. Quoniam a Christo domi-

Auerfio
a Deo poe
na damni,
conuersio
ni ad crea
turam poena
sensus re
spondet.

Mors Chri
stivita fuit
nostra.

no mors mortua est? cuius tñ figura manet, cū oporteat nos debitum hoc persolvere. Quod iam gaudentes lætique reddamus, prout fecerunt beati martyres, & alii quam plurimi sancti, qui cupierunt dissolui & esse cum Christo, qui hilari vultu exceperunt mortem, lætati quoniam in domum domini ibant. *Ad illudendum.* Illusiones dominus, cum sit sapientia patris, nimium sensit. Sapientiam namque sentit illudi: quoniam contraria est illuso sapientiæ. Ad nostras igitur irrationes & illusiones soluendas dominus in sua passione illuditur. Omnia namque peccata sunt illusionibus plena, quibus variis modis decipimur & irridemur: vt omnino similia uideantur illusionibus istis ac præstigiatoribus, qui cum aureum globum alicui tradant in manum: atque is aurum se habere cogitet, mox aperta manu acum seu papyrum reperit. Hunc ad modum peccator arbitratu se ex peccatis delectationis aurum habere, pro auro perpetuæ damnationis chirographum; & acum, id est conscientia morsum, qui animam æternaliter pungat, inueniet. Quod optime Dauid insinuat, psalmo. 39. dicens: Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus. Illuserunt me, inquit, delectationes, quas cum uideret habere, nihil inueni alicui tradant quãdam illusionem, qua peccati reatu obstrictus sum. Quod & beatus apostolus Paulus ad Ro. 6. insinuat, dicens: Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationem. Et paulo infra: Nam finis, inquit, illorum, mors est. Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Ecce finis illorum illusio est. Expectabas ex auaritia uitam, accipe mortem. Expectabas ex delectatione gaudium, accipe mœrorem. Nam finis illorum mors est. Illusio ergo est: & nihil aliud habes in his, præter quam modo habes erubescitiam. Illuditur igitur Christus dominus, ut nos a nostris eripiat illusionibus. *Et flagellandum.* Vide, quoniam omnia in passione domini ignominia plena sunt & dolore: vt scias, summam ignominia peccati esse. Non enim tot opprobriis redimeremur, si peccata ipsa non essent ignominia & opprobrio plena. Ideoq; in mortali decedens peccator, ignominioso carcere inferni recluditur, tãquã sceleratus ac facinorosus. Illusiones dñs patitur, & flagella? Flagello quippe cœduntur plebei homines & honore priuati. Dominus autem flagellatur pro nobis: Ipse autem, inquit Esa. cap. 53. vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ, super eum, & liuore eius sanati sumus. Toto corpore dominus flagellatur, nulla que pars remansit intacta, ubi non sanguinea aut liuida durissimum flagellorum uestigia apparerent. Cum autem dominus toto corpore sit flagellis cæsus, ac uolens Dauid gratiarum actionem rependere, ait psal. 34. Omnia ossa mea dicent, domine quis similis tibi? Quippe qui neruis omnibus super ossa extensis passus es dolores, dum flagellaris. In gratiarum uero repensione, omnia ossa mea laudabunt te, & dicent: Domine quis similis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum eius, scilicet demonum: & egenum & pauperem a diripientibus eum, peccatis scilicet. *Et crucifigendum.* En genus mortis ignominiosum. Non enim se decollari permisit, aut strangulari secreto: sed sibi elegit despicatissimum mortis genus, vt nos a uilissimo & deiectissimo peccatorum statu liberaret. Nec solum supplicium maximis plenum doloribus & abiectissimum perpeffus est, quinimmo & inter ignominiosos latrones cruci affigitur, prout prophetauit Esa. cap. 53. dicens: Et cum sceleratis reprobatus est. Qui continuo addit: Et ipse peccata multorum tulit. ait

ait beatus apostolus Paulus ad Colof. 2. cap. Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis uestræ, conuiuificauit cum illo: donans uobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, assignens illud cruci: & spolians principatus & potestates traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso. *Et tertia die resurget.* Ecce quemadmodum spoliavit diabolum, & triumphauit de morte, peccata abstulit & chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & die tertia uictor resurgit: vt sciamus quanta circundabimur gloria, si modicum quid patiemur. Domini passio per noctem durauit & horam Diei nonam, quæ apud nos est tertia fere post meridiem: in sepulchro quieuit per dies & noctes tres: Resurgens autem a mortuis, iam non moritur amplius. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem uiuit, uiuit Deo, ad Ro. 6. Isto enim sine clauduntur diuina. Nam si pro Deo terrena spreueris, & commissorum penitentiam egeris, id quidem proficiet breui: quod uero tibi reddetur præmium, in æternum durabit, & in æternum uitam uiues beatam, in angelorum & sanctorum societate Deum aspiciens, & illo fruens perpetuo, gratia domini nostri Iesu Christi: qui tradidit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS,

In cap. XX. beati Matthæi.

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, aduersans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid uis? At illi: Dic ut sedeam hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possimus. At illis: Calicem quidem meum bibetis: sed ego autem ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est a patre meo. Et audientes decem indignari sunt de duobus fratribus. Iesus autem uocauit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter uos, sed quicumque uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus: sicut filius hominis non uenit ministrari sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Quod autem beatus Marcus cap. 10. ait, Iacobum & Ioannem accessisse ad dominum postulantem, ut ad dexteram & sinistram eius sederent: idem cum eo est, quod beatus Matthæus dicit: nempe quod accessit mater filiorum Zebedæi cū filiis suis. Tacuit autem beatus Mar. accessisse matrem. Beat. uero Matth. matrem & filios accessisse refert. Mater, inquit, filiorum Zebedæi cum filiis suis: Et quidem mater pro filiis postulat, quod & ipsi perse a domino petiere, secundum beatum Marcum. Non nostris unquam sensibus aut uoluntati quicquam indulgendum est nisi ad sit ratio, siue diuina scriptura dirigens nos. Ecce mater filiorum sequentium Christum & præcipuorum apostolorum: & ipsi tales filij, in eo quod postulant sibi errant. Quis ergo unquam tuto audebit postulare quicquam? Ex quo recte concludit beatus Thom. 2. 2. quæst. 83. nihil temporale posse quenquam iuste a Deo absolute petere, nisi cum additamento, si uelit: & si saluti animæ sit proficuum. Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, Hiere. 9. Sic per sensus & uoluntates nostras ingreditur

ingreditur mors. Quocirca necesse est semper uoluntati & sensibus, quibus ad deteriora prouocamur, cum rationis tum & diuinarum scripturarum adhibere libram. Si enim scires, per aliquam domus tuæ fenestram, te sagitta aut iaculo inimici impetiturū, haud dubium quin sinuino studio id cauere: nepe ut equum est, de salute & uita tua sollicitus. Appone igitur talē sensibus & uoluntati seram, ne cupiditatis mors animam inuadat. *Acessit ergo ad eum mater filiorum Zebedaï, cum filiis suis, adorans & petens.* Si princeps es, cū tibi aliquis adulatur, caue. Nam quæ admodum piscator escam hamo apponit, non ut cibet pisces sed ut extrahat: similiter adulator non tibi, sed tuis extrahendis bonis adulationis uerba componit. Non te laudat, ut tibi sed ut sibi & confulat & proficiat. *Dicit sedeat hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.* Cum audissent dominum de sua passione & resurrectione loquentem: existimarunt illum postquam resurrexisset, temporaliter regnaturum, qua propter iure propinquitatis primas in regno eius postulant dignitates. Quibus respondetur: *Nescitis quid petatis.* Propterea igitur quicquid petierimus, in diuinæ uoluntatis sinu proiciamus: nihil absolute uolentes, præter id quod domino fuerit placitum: alioquin si imper abrobitimus & in omnibus decipiemur, cum parum nobis constet, quid crastino futurum sit. Vnde & beatus apostolus Paulus ad Ro. 8. cap. ait: Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid, oramus sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis. Sit igitur omnis postulatio nostra Deo innixa semperque referatur ad illum, & eo sine claudatur: *Fiat uoluntas tua, sicut in cælo & in terra.* Nec quod ego uolo domine, sed quod tu. Atqui mundani homines asseruerant recte hos apostolos petiisse: quoniam ipsi præcipue cum Petro semper ad secreta uocati erant fratres domini, nati ex sorore beatissimæ uirginis: quibus secundum mundi legem præcipue sedes debebantur. Magno satis periculo sunt mundi leges admissæ. Siquidem homines ex communi quadam consuetudine maxime illas tuentur, immo & uirtutum nomine uita sepe occultant. Qui enim sordido quæstu, ne dicam rapina & usura opes contraxit, industriam uocant: ut etiam prouidum ac diligentem, qui ad aliquod munus publicum siue honorem callide obrepit. Sic homines duplici corde sapientes: Sic detractores & adulatores urbanos: Sic & iniuriam retaliantes, & quos nunquam malefactorum conscientia ad poenitentiam mouit, magnanimos ac fortes appellant: & ut semel dicam, quicquid est uirtutum uirtutis nomen adumbrat. Dominus autem & ueritatis magister Christus nihil horum dissimulat, immo ambiciosus respondit: *Nescitis quid petatis: & ceteros indignantes reprehendit, ne sub rationis pretextu & uirtutis nomine aliqued adumbret uirtutum beatos apostolos: Nescitis, inquit, quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Inquiunt, possimus. At illis: Calicem quicum mecum bibetis.* Ecce quanto dominus bonæ tribuit uoluntati: addit gratiam, ipsi uero liberum habere arbitrium denotantur, cum dicunt possumus, uoluntate utique & libertate parati bibere domini calicem. Dominus enim dum illis calicem hibendum porrigit, gratiam bonæ uoluntati apponit. Quæ calicem beatus Iacobus primus omnium apostolorum bibit, dum ab Herodæ Agrippa martyrio coronatur, capite absciso, prout habetur Act. cap. 12. Eodem autem tempore misit Herodes rex manus ut affligeret quosdam de ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Beatus autem Ioa. in ipsa domini passione de calice satis bibit: deinde Romæ in feruentis

uentis olei dolium missus a Domiciano, morti se sponte obtulit: domino uero aliter disponente a uase victor & non adustus euasit. *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est a patre meo.* Non negat se posse dare, sed illis quibus paratum est a patre: in quo se unius uoluntatis cum patre ostendit. & Dei filium: cui eadem est uoluntas cum patre communis, quia dum postulatur ratione propinquitatis humanæ, dare illis se negat ratione unius uoluntatis diuinæ. Quæ admodum si a rege statueretur, eum magno quodam honore haberi dignum qui aliquod in rempub. memorabile beneficium contulisset: atque aliquis qui nihil unquam beneficium contulit magnum illum honorem sibi postulasset, recte illi responderet rex: Non illum tibi possum concedere, sed cui destinatus est. Idque dicens non negat potentiam, sed pandit iustitiam: cum ille honor debitus sit beneficium Reipub. conferenti, quod iste postulans non contulit. Sic profecto dominus cum sit rex gloriæ: & dicat, dexteram & sinistram, idest potiora loca, & sublimiores sedes, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est a patre meo: non utique potentiam negat sed iustitiam prædicat. Hinc attendant quibus datum est honores ac dignitates in ecclesia siue in seculo distribuere, ne ambitione circūueniantur consanguineorum & familiarium: libereque respondeant cum immeriti postulant, *Nescitis quid petatis:* Et, non est meum dare uobis. Sicque exemplo domini omnem adimplebunt iustitiam. Quod autem decem indignati fuerint duobus fratribus, eadem ambitio est: iam siquidem aliam in uia cum peterent Capharnaum, prout habetur Mar. cap. 9. inter se tractauerant, quis eorum maior esset. Non enim minima inter homines est honoris ratio, sed nulla est uisus eiusque meriti consideratio: Vnusquisque se opinatur cæteris dignorem: nec modo æqualibus sed & præstantioribus quisque uult anteferri. Cumque honor sit uirtutis præmium, nemo sublimari uirtute postulat: immo multi superbia & inani quadam iactantia ac tumida ambitione cæteris præferri uolunt. *Scitis quia principes gentium dominantur eorum.* Hoc est, hominum ambitiosorum: pessimum dominium ac deplorandum, cui tales subditi subiciuntur, superbi, elati, cupidini, inuidi, ac detractores. Quo enim se uertant reges, quo uultum flectant, quo figant oculos tali stipati: ceterua? Omnes quæ sua sunt querunt & non est qui doleat uicem potentium. Qui enim maxime illos expilat, is inter cæteros felicissimus ditissimusque euadit: & qui maior est, in reliquos potestatem exercet, ne dicam tyrannidem. *Non ita erit inter uos.* Alium regendi modum atque aliam gubernandi legem adduxit euangelium Christi: *Quicumque uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus.* Eligite ergo nunc inter uos primatem qui tamen futurus sit omnium seruus & minister. Videte, si hac lege dextra uel sinistra sit appetenda, & prima inter uos ambienda sedes. Quod & suo exemplo confirmans ait: *Sicut filius hominis non uenit ministrare, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis.* Si ego cum sim filius Dei carne indutus omnium factus sum minister & non qualiscunque minister, sed animam meam pro multis daturus sum: uos hoc idem etiam obseruare debetis, facti omnium serui & animas uestras dantes non utique in redemptionem pro multis, quod quidem ad solum pertinet Christum: sed dantes illas pro Christo. Quod postea fecere beati apostoli gratia domini nostri Iesu Christi: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS VNDECIMVS,

In XX. cap. beati Matthæi.

Oſa ſunt **CONSIDERANDVM** eſt in hac poſtulatione matris filiorum Zebedæi, quemadmodum dominus ſe habet, reſpondens illis: Nescitis quid petatis, quoniam in ratione poſtulati & accepti, penè confunduntur omnia. Nempe ſi quis poſtulat concionandi copiam, cum ſit indoctus, niſi illi dicatur: Nescitis quid petatis, & illi concionandi poteſtas fiat, quot quæſo inceptas & errores in audientium animos diſſeminabit? Si quis etiam ad ſacrum ordinem promoueri poſtulat, nec is habet ſufficientem literaturam, ſi ordo ille facer ei conferatur, haud dubium quin exinde plurimos deſectus committere: maximè uero celebrans, & audiens confeſſiones. Siquis beneficium poſtulat, non habens ſcientiam ad animarum regimen, & ei beneficium conferatur, innumeris & ſeiſpſum & oues exponet periculis. Si quodcunque officium reſpublicæ neceſſarium inſufficiens poſtulet, & ei conferatur, plurimis rempublicam damnis afficiet. Quin ſuſpicor præcipuam partem malorum, quibus hodie Chriſtiana reſpublica conquaſatur, ab iniuſtis poſtulationibus & iniuſtis conſeſſionibus principum, tam eccleſiaſticorum quam ſecularium, originem habuiſſe. Præuidens autem dominus Ieſus iniuſtam horum poſtulationem, negatione poſtulati conſutat, dicens: Nescitis quid petatis. Vnicòque omnes exèplo doctus, quibus fas eſt diſtribuere eccleſiaſtica ſue laica munera: ne aliquid inſufficiètibz & indignis cõterat, ſed inique poſtulatibus libere dicat: Nescitis quid petatis. Quandoquidem iniuſte petens atque iniuſte conſerens, peccato grauiffimo afficiuntur: quin conſerens plurimorum peccatorum cauſa exiſtit, quæ ab inſufficienti ad publica munera aſcito in poſterum ſunt committenda, & illius errorum particeps efficitur. Quapropter beatus apoſtolus Paulus admonet Timotheum diſcipulum ſuũ, ne facile ordinem ſacrum alicui tribuat, dicens pri. Timot. 5. Manus ſcito nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis. Attendant etiam poſtulantès a dominis temporalia, ſimulata aliqua occasione & falſa, peccare: & teneri ad reſtitutionè, ſi dominus aliàs non eſt illi debitor, nec fuiſſet daturus. Quod a doctoribus adnotatur ſub hac forma uerborum: Recipiens aliquid occasione habitudinis ſimulatæ non exiſtentis, aliàs non receptorus, fraudat donantem, & tenetur ad ſe accepti muneris reſtitutionem, ſi illud aliàs ſibi non eſt debitum. Cæterum aduertendũ eſt, quòd non modo ad dandum dominus non eſt procliuſ, quum iniuſte poſtulantibus petita negat: ſed etiam quòd iuſta concedit: Calicem quidem, inquit, meum bibetis. Quod magnum eſt Dei donum, iuxta beati apoſtoli Pauli ſententiam, pri. ad Phil. 1. Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quales & uidiſtis in me, & nunc auditis de me. Fecit dominus bona ſua communia, & edocès nos, ut iuſta perentibus facile tribuamus. Quod ſi iniuſte poſtulant, iniuſtitia reſutata, aliud quiduis, quod iuſte donari poſſit, elargiamur. Terra nãque omnibus communis eſt: animantibus, & ratione præditis, ſid elibus & inſidelibus. Sol & pluuia communia ſunt, & paſſionis Chriſti theſaurus omnibus, qui ad ſanctam matrem eccleſiam uenire cupiunt, patet. Ipſa dominica ſæcra menta ſic adminiſtrantur agricolis quemadmodum & regibus. Nos uero cõtra omnia nobis uolumus uendicare ac retinere. Quod quidem grauiffimum eſt: & plurimorum malorum occaſio. Legitur namque Nu. 33. cap. quod filii

Ruben

Ruben & Gad habebant pecora plurima, & erat illis in iumentis infinita ſubſtantia: qui deprecari ſunt Moylem, ne illos cogeret tranſire Iordanè. Quibus reſpondit Moyleſ: Nunquid fratres ueſtri ibunt ad pugnam, & uos hic ſedebitis? Qui etiam paruulos ſuos & pecora dimiſerunt in locis illis, & ipſi ad prælium ultra Iordanem progreſſi ſunt: ne terram relinquere, quam iam propriis uſibus uendicauerant. Tanta eſt hominum præua cupiditas, adeoque terrenis, qui uel illa poſſident uel cupiunt, conglutinatur. Nimiũ namque cogitatio poteſt, quæ nimis multa breuiſſimo tempore ſibi proponit. Nec enim quiſquam tantum poſſidere poteſt, quantum concupiſcere, nec tanta habere aſtu, quanta cogitatur. Sic etiam & pii homines, non tot agere & exercere uirtutes poſſunt, quot animo uolunt. In puncto omnem ſubuertunt hæreſim, omnem reformant eccleſiam, omnia a gentibus idola pellunt, iidem ſanctificant & inter cœleſtes ciues adnumerant omnium hominum cõtum: cum penè paucos ſumma adhibita diligentia a grauiffimis poſſint ſcelerebus dimoueri. Summus namque artifex omnium horum diſcipulorum cogitatus ſedauit, duobz ſatribz dicens: Nescitis quid petatis: & uice dextræ & ſiniſtræ ſedis calicem paſſionis porrigit: ac cæteros indignatos reuocat, dicès: Qui uoluerit primus eſſe, erit omnium ſeruus, ut ſupradictus ſuperior in inferiorum omnium uſum, dominandi affectum compeſcat: & indignationi ſtatim incedatur, ne prouehatur in odium. Ideoque dicit: Ieſus autem uocauit eos ad ſe, & ait: Principes gentium dominantur eorum: inter uos autem non ita erit. Odium quippe eſt cordis uenenum, quod etiam moriens homo a ſe quandoque reicere minime poteſt: præſertim ſi proceſſu temporis radicem altius fixit. Quapropter odium a ſapientibus nimium cauendum eſt: & inſipientes de hoc malo ſæpe admonendi & edocendi ſunt. Dicit enim Hugo de ſancto Viſtore: quòd nihil dæmon in nobis ſic perhorreſcit, quam ſi nos uideat diligere charitate, quæ omne pellit odium, tanquam unicum eius remedium & antidotum ſingulare. Si enim ieiunas, optimum quidem eſt, nec tamen dæmon te perhorreſcit, quando ipſe nunquam manducauit & bibit, ſed ſemper ieiunus permanſit. Indigentibus tribuis neceſſaria, excelsa quidem & hæc uirtus eſt, nec adhuc te timet dæmon, quando ipſe nunquam aliquid temporalium rerum poſſedit. Oras aſidue, pientiſſimum agis opus: nec. n. adhuc horret dæmon, cum ipſe nunquam orauit. Caſtitem ſeruas, nec ob id dæmoni horribilis eſt, tanta puritate a Deo dotatus, quãdo uſque ad mortem carnis circumdatus eſt infirmitate. Charitatem habes, qua Deum & proximum diligis ut nunquam in inimicum odium conceperis: iam tum dæmoni horribilis eſt, nec te præſentem ſuſtinere ualet, cum uideat hominem charitatem & pacem ſeruare in terris, quam ipſe non potuit, quia noluit, ſeruare in cœlis. Merito igitur dominus hanc toties præcepti ſui nomine commendat, dicens: Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis inuicem, ſicut dilexi uos, Ioan. 15. In hoc cognofcent omnes, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem ad inuicem habueritis. Et, mandatum nouum do uobis ut diligatis inuicem, ſicut dilexi uos, Ioan. 13. Hæc eſt ſanctorum ſcientia, charitatis omnimoda conſeruatione. Hanc ut conſeruaret dominus in diſcipulis ſuis, affectum iniuſte perentium coarguit, dicens: Nescitis quid petatis. Et indignationem aliorum reſpreſit, dicens: Si quis inter uos uult primus eſſe, ſit ueſter ſeruus. Hac mutua debetis lege deuinci, ut charitatis ſemper inter uos dilectionem habeatis, ne unquam odium ueſtrum inuadat collegium. Odium enim congregata diſſipat: charitas autem diſperſa congregat, & congregata conſeruat. Qui charitatem habet, Deum proſecto habet. Quoniã Deus charitas eſt, inquit beatus

Xx Ioa.

Odium.

Charitas.

Alex. 4.
par. q. 86.
& Gab. in
4. diſt. 15.
q. 9.

Ioan. & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Qui charitate habet, cum sanis de eorum salute gaudet: cum diuitibus, de bonis eorum lætatur: cum iustis, de eorum iustitia gessit: cum sanctis, de eorum gloria gloriatur: cum infirmis, & ipse infirmatur: cum scandalizatis, cõtristatur: cum peccatoribus, & eorum ipse peccata luget: cum conuersis & pœnitentibus, de eorum conuersione iubilat: & nihil habens, omnia cum possidentibus possidet. Hilaris in tribulationibus, lætus in tolerandis iniuriis, mitis in remittendis, placidus in debitis condonandis, suauis in monendis fratribus, iustus & æquus, si illi incumbit, pie puniendo errata. Et factus est quasi cilibanus ardens, & quasi caminus ignis, in quo omnes paleæ & stipule defectuum proximorum cremantur, & in quo omne aurum & argentum uirtutis clariora redduntur. Accendat igitur sua misericordia in nobis dominus ignem amoris sui, & flammam charitatis æternæ, per Christum dominum nostrum: cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DVODECIMVS,

In cap. XX. beati Matthæi.

Hic admirari subit, quòd eo tempore dextera & sinistra confessum filiorum Zebedæi mater filiis suis a domino postulerit, quo ipse loquutus fuerat de passione sua: nempe ut tradendus erat principibus sacerdotum, qui eum ad mortem damnaturi essent: tum etiam tradendus gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum. Vnde mirum, quòd sedere ad dexteram & sinistram domini, tunc expetuerint. Quanquam dicas illis etiam verbis dominum addidisse, & tertia resurget: atque ideo arbitantes eum temporaliter regnaturum: & quoniam præmiserat illos sessuros super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel, ex his duodecim sedibus primas postulasse. Quæ sanè omnia uera sunt, sed expectanda erat resurrectio diei tertia, tuncque postulanda sedes. Cæterum ambitio & inuidia nec modum nec locum querunt: in ecclesia, in altari, in choro, in die passionis domini non quiescunt. Ecce plangendum foret, quia dixerat dominus: Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & condemnabunt eum morte: & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum: & die tertia resurget. Tunc tamen accessit mater filiorum Zebedæi, quod satis aperte ostendit euangelista, dicens: Tunc accessit, nempe cum hæc uerba dominus diceret, tunc accessit. Nimium obæcat ambitio mentem, obnubilatque inuidia: siquidem duo apostoli primas sedes postulant: decem uerò inuidia concitat illis indignatur. Quos omnes dominus corripit, duobusque dicit: Nescitis quid petatis. Cæteris ait: Qui inter uos uult primus esse, sit omnium seruus. Hæc igitur duo mala duris uerborum flagellis compefcit, exemplo admonens principes, si quem senserint ambitione captum uel inuidia percitum, ut flagellis hæc duo abigant: ridiculum namque esset, hominem insana mentis molli- bus ac blandis uerbis uelle in sensum reducere, & ratione cum illo agere. Flagello etenim opus est, quando hæc duo mala a recto sensu, ita homines trans- uersos rapiunt, ut nec sacris parcant: immò ab ipsis ambitio simul & inuidia mor- dicus retinentur. Sunt & alia crimina, quibus dominus conuenit: hæc uerò illi- co reprimat, ne ambitio transeat in extremam superbiam, & inuidia crescat in odium. Dissimulauit namque dominus, prout legitur Exo. 17. cum Amalech, qui bellum commouerat Israelitico populo, nolens illi præpedire ingressum in terram

in terram promissionis, dicens Moysi: Scribe hoc ob monumentum in libros, & trade auribus Iosue: Delebo enim memoriam Amalech sub cælo. Quadringenti effluerant anni a Moysse, usque ad Saul primum Iudæorum regem, ad quem dominus misit Samuelem, ut hæc illi annuntiaret, prout habetur pri. Reg. 15. Me misit dominus, inquit, ad te, ut ungerem te in regem. Nunc ergo audi uocem domini: Hæc dicit dominus exercituum: Recensui quæcunque fecit Amalech Israeli: quomodo restitit ei in uis, cum ascenderet de Aegypto. Nunc ergo uade, & percutere Amalech, & demolire uniuersa eius. Nō parcas ei, non concupiscas ex rebus ipsius aliquid. Non ergo arroganter sibi peccatores placeant: cum non continuo demoliantur a terra. Audiant domini post quadringentos annos, & eo amplius Amalech peccata enumerantem, ac cum de- leri funditus præcipientem. Saul uerò contra, pingua seruauit pecora, & ip- sum pinguisimum Amalech regem. Cui dixit samuel: Quia abiecasti sermo- nem domini, abiecit te dominus ne sis rex. Præceptum igitur domini oportet ad unguem seruare, & ne apicem quidem præterire: ne quando infascatur do- minus, hominesque & regem in aliorum potestatem tradat. Punitur Ama- lech peccatum post quadringentos annos. Ceueant ergo sibi peccatores, ac timore domini percellantur. Delet regnum a domo Saul, quòd præceptum do- mini ad unguem non obseruauerit. Timeant & reges terræ: nisi deleuerint peccatores publicos, ne regnum eorum tradatur alteri. Etenim peccata pu- blica alios ad peccandum stimulant; præsertim uerò cum animaduersa deli- ctorum impunitate, & peccandi licentia ad eadem scelera perpetranda ueluti manu ducuntur. Qui autem rex sua retinere uelit, & in successorum suorum hereditatem autum regnum transire in super & gloriosus & diues inter alios reges haberi, audiat Dauid regem, psal. 111, ita canentem, Beatus uir qui timet dominum, in mandatis eius uolet nimis. Atque ipse primo Deum re- ueretur, & præceptis pareat: deinde operam suam impendat uigilantissime, ut optimum decet principem, ne aliter quam ipse, circa Deum se gerat popu- lus. Quæ duo si obtinuerit, potens in terra erit semen eius, & generatio eius benedicetur, gloria & diuitiæ in domo eius, Tria enim sunt, quæ a principi- bus iure optari possunt: successorem scilicet regni, potentiam, & diuitias. Quæ tria spondit Deus regibus timetibus se, & in mandatis eius uolentibus nimis: quin potius & omni homini hæc facienti eadem pollicetur. Non igitur conui- ueant principes peccatis publicis: cum uideant dominum discipulos suos car- pisse, & duos quidem ambitione, & alios liuore tactos, duri uerbi uindicta re- pressisse. Qui ne ullum quidem uerbum, postquam illos increpauit dominus, addiderunt. Nec illi, quibus dextra & sinistra sedes negata est, uel eorum ma- ter, quidquam de hac re amplius loquuti sunt. Sed omnes pariter decidentes, a cogitationibus suis, Christo humiliter partere. Ex quo singulari admonen- tur exemplo subditi, cum a superioribus appetitus eorum reprimatur, ne sub- murmurent, uerum æquo id ferant animo. Quòd si ob conceptam in aliquem indignationem carpuntur, absque mora illam, si rationi uideatur inuitti, de- ponant. Ita sane & gratiarum actiones, Deo debitas, alacres persoluamus: uel cum postulatis abnuat, uel cum tribulamur: scientes quòd tribulatio pa- tientiam operatur, patientia autem probationem: probatio uero sp̄s. Spes autè non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis, ad Ro. cap. 5. Porro gratiarum actio omni die fieri debet, ex tribus maximis acceptis, a Deo beneficiis: Primo quòd rationalis & Christianus es factus. Secundo quòd Deus carne nostra indutus te sua mor- teredemittit. Tertio quòd sepe tibi peccata remittit, & ne cadas sepe ructua.

Quo re- gnorū suc- cesso con- seruatur.

Gratiarū actio om- ni die.

Æquis hæc cogitans non accendatur? & in meditatione eorum exardescat ignis? Ignis, inquit dominus, in altari semper ardebit, quem nutrit sacerdos, subiciens ligna mane per singulos dies. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficit in altari, Leuit. cap. 6. Ligna quibus ignis iste succenditur, prædicta Dei beneficia sunt: quæ debet sacerdos in memoriam fidelium sepe adducere. Meminerint Christiani, quanto sunt beneficio Deo astricti, qui illos de nihilo ad sui imaginem condidit, & sacri baptismi lauacro a peccatorum forde mundos effecit: insuper & homo factus, sua nos passione redemit, & a plurimis eruit nos peccatorum tenebris: quinimmo & subleuauit, & ne in deteriora prolaberemur enexit. In cuius cor his tribus subiectis lignis: immo nimium accensis prunis, non ardet ignis, tanta mundi auaritate frigidescit, quod forte non calcet, nisi in igni sempiterno positus. Discipuli autem domini perdocti cor habentes, continuo subticent domino coarguente, parentesq; dicto nihil loquantur amplius, adeo verba domini cor quierum reddunt, & ab omni ambitione & inuidia abalienant. Cor mundum crea in me Deus, inquit Dauid: & spiritum rectum innoctua in uisceribus meis. Non enim ait: Da, sed crea. Creare autem est ex nihilo facere. Se ergo prorsus indignum reputans, postulat diuinam potentiam & misericordiam simul: potentiam, quoniam ipse solus potest facere mundum de immundo, prout dicit Iob: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? non ne tu qui solus es? Misericordiam uero, cum ad omnes sequentes postulationes præmiit: Misere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Illam utique dicit magnam, quæ est super omnia opera eius, quæ est incarnatio & passio eius. Secundum hanc igitur misere, & cor mundum crea ab omni alienum ambitione, & ab omni inuidia: a spurcis cogitationibus, & ab omni terrena cupiditate. Quod si plurimi tantum in hac oratione temporis insumerent, quantum in postulandis; quæ non certo constat, an sint proficua (quæuis omnia etiam terrena a Deo ita sunt postulanda, ut fateamur illum omnium dominum, omniumque bonorum etiam temporalium largitorem: quæ sub conditione postulare oportet, cum ignoremus an ad profectum uel in dispedium animarum futura sint) profecto misericors & miserator dominus cor prauum ab illis auferret, & cor mundum daret. Misera sanè conditio nostra, qui tot pro terrenis preces effundimus, ac summa celeritate, quæ ad animæ salutem faciunt, agimus: ualde solliciti, cum temporaliter tribulamur: & nimium desides, cum ab aliquo uitio impugnamur. Quot enim ieiunia frequentant matres, quot preces offerunt pro liberorum ualitudine: & è diuerso quam exigua est illis cura de eorum animarum salute? Equidem parentibus parcerem, qui temporalia filiis moderate quærunt, cum ipse apostolus dicat: Non enim thesaurizant filii parentibus, sed parentes filiis, 1. Cor. 12. si de animæ eorum salute, si de optimis induendis moribus, præcipua cura esset. Si nullus parentum ad filiorum uitia conuiceret: si non audiret iurantes, si ludentes, & uana festantes, & amatoria carmina componentes serio obiurgaret, & stricta lege præciperet, qui legem Dei uiolasset, ne se patrem agnosceret. Hæc facientes optimas sedes filiis compararent, & cælestia post hanc uitam darentur illis, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVSTERTIVS,

In XX. cap. beati Matthæi.

INCREDULAT iam fama promissionis domini beatis apostolis his ner-

bis

bis factis: Vos qui secuti estis me in regeneratione, cum fedit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel: ex qua die existimo agiturum esse inter filios Zebedæi & matrem, de primarum sedium postulatione: cum se sanguine coniunctos, & primos cum Petro & Andrea uocatos meminissent. Petrus uero sibi præponendum timebat, quia illi prædictum fuerat: Tu es Petrus, & super hanc Petrus ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferni non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo clauas regni cælorum. Occasionè igitur omni hora expectantes, cum dominum de passione sua secreto disserentem audissent: & ad hanc subeundam nunc ultimo ascendere Hierosolimam, ac die tertia resurrecturum, matri rem gestam nuntiant. Quæ pietate materna mota una cum filiis dominum adit, adorans & petens aliquid ab eo. Non enim statim postulata proponit, sed prius petendi tempus obseruat: ne forte responderet dominus: agetur de hoc postea, uel non est tempus nunc opportunum. Dominus autem matris & filiorum cogitatus agnosces, & quæ postulare uolebant: ut exemplo admoneamur, ne dignitates & officia publica, secundum carnem & sanguinem distribuatur, dixit illi: Quid uis? ac si diceret: loquere, postula: tunc ait illa: Dic ut sedeam hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. Digni siquidem sunt, ut hoc illis præstes, tum iure propinquitatis, tum quia magno aguntur in te amore, & magna sanctitate pollent. Iustus autem dominus omnem in istis beatis apostolis uolens docere hominem, cui ex officio incumbit officia & beneficia conferre, ait: Nescitis quid petatis. Non tantum iniuste petitis & importune, sed & nescientes: dum me temporaliter regnaturum suspicamini, quem uidistis fugere, dum me uoluissent in temporalem eligere regem. Cæterum uti optimus & gubernator & ductor uolo, id quod nunc postulatis, in iustum diuere tramitem: & maius quippiam dare; quam ipsi petitis: insuper & modum, quo id acquirere ualeatis, demonstrare. Potestis, inquit, bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Calicem passionem domini intellige. Ipse namque ad Petrum ait de passione loquens: Calicem quem dedit mihi pater, non uis ut bibam illum? Et oras, ait: Pater si possibile est, transeat a me calix iste. Passionem utique denotans. Sic discetis quæ postulanda sunt: sic præ cælestibus terrena despiciere. Quod Deus non dixit pro potentia passiuæ sustinendi probra & mortem, quæ maxime roboranda erat Spiritus sancti uirtute, sed pro actiuæ uoluntatis dispositione diuino spiramine adiuta. At illi dicunt, possimus: Parati sumus, quantum ex nobis est, calicem hunc bibere. Hoc uobis diuina gratia donatur, calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare uobis. Quædo hoc non in temporali regno, prout arbitramini, futurum sit: sed in cælesti, ubi dextera & sinistra, potiora loca gloriæ intelligenda sunt. Sed quibus paratum est a patre meo. Quoniam non hac ratione qua postulatis, datur gloria cõiunctis sanguine, sed potius meritorum suffragiis: Nec. n. me impotètem ostendo, cum dico: Non est meum dare uobis: qui iustissimum, cum assero meum esse dare, quibus paratum est a patre meo. Quando eadem est uoluntas patris, filii, & Spiritus sancti. Cõiice quam turpiter peccant, qui propinquis suis, indignis, siue miclusis: quoniam in his administrandis utilitas reipublice attendenda, non re dituum copia. Nec quærenda officia & beneficia propter homines: sed sufficientissimi quicumque querendi sunt, ad beneficentia & officia perfectissime exercenda. Cæteris autem paribus, locus est gratificationi, possuntq; dignissimis consanguineis & familiaribus, beneficia & officia conferri. Indignis autem & minus idoneis respondendum est: Nescitis quid petatis, beneficia & officia

S. Th. quor
l. 4. q. 15. &
doct. in. 4.
dist. 15.

officia ad que apti non estis postulando, Qui & vos & danterem deicere uultis in tartarum, & propter lucrum temporale indigentiam pari perpetuam. Vnusquisque igitur uoluntatem suam euangelica regula moderetur, & ratione gubernet. Hæc enim est mater honorum & malorum effectuum, quæ semper sublimia querit, nec aliquo potest alimento satiari; quin uno cibo sumpto alterum iam esurit; vno beneficio adepto vel officio alterum ambit: vna ad præ dignitate aliã auide cupit. Et sic insatiabilis persecrans totum hominẽ quærit, nec quietem vaquam habere sinit concupiscendi uoluntas: a qua diuersorum desideriorum scaturigines tanquam e fonte dimanant. Hæc igitur edocetur a domino, instruitur, ac regulatur per euangelium in iis que postulanda, vel reicienda, seu retinenda sunt. Læua eius, inquit sponfa, sub capite meo; & dextera illius amplexabitur me, Cant. 2. cap. Læua, terrena uidelicet sub capite sunt ponenda, non super caput. & cœlestia amplexanda, ac totis uiribus procuranda. Volentibus enim terrena dicitur: Nescitis quid petitis. Calicem bibite, calicem accipite, calicem domini diligite: Duplicem namque reperimus in diuina scriptura calicem. Est calix domini: Calicem, inquit uicium bibetis. De quo Dauid: Calicem salutatis accipiam. Et psal. 22. Et calix meus inebrians quam præclarus est. Est & calix dæmonis, de quo beatus apostolus Paulus pri. Cor. cap. 10. inquit: Non potestis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum. Et Hier. propheta cap. 5. ait: Calix aureus Babylon in manu domini, inebrians omnem terram, omnem scilicet hominem terrenum. In manu domini dicit, quando nihil potest dæmon, nisi iusto Dei iudicio permittente. Et quemadmodum inebriatus uino nihil sentit, quinimo in mo & in furorem incitatur; ita hæretici & mali Christiani sæpe insanunt, ut nulla cum eis possit ratio agi sed omnia furiosa quadam pertinacia clamoribusque confundunt. Ita etiam aliqui temporalium cupiditate, usque adeo inebriantur, ut minime, licet clamet, audiant: licet prædicet, non attendunt; & si rationibus agas, non percipiunt. Oranda & postulanda est diuina misericordia pro istis ebriis a calice dæmoniorum inebriatis, ut rectum donet illis sensum scripturam percipiendi, atque rationi cedendi, & ea que sunt uera se standi. Calix uero domini inebrians, quam præclarus est? aliam nempe rationem habet: sensus inebriat, atque intellectum illuminat, uoluntatem purificat, totamque reddit animam claram: Ideo dicitur, quam præclarus est. Si accipias sanctorum aliquem, adeo perspicies hominem a sensibus alienum, ut tibi ebrius uideri possit. Pone autẽ ob oculos beatum Franciscum, coramque illo constitue purissimi auri ingentem massam: quid hic uideas facturum hominem? qui præcipit fratribus suis in regula: ne manu quidem pecuniam tangat quantuncunque modicam. Num ebrius tibi uidebitur homo, sic a sensibilibus alienatus? ac totus præclarus factus a præclaro charitatis, quo inebriatus erat calice? Quærunť pecunias homines, illumque arbitrantur telicem, qui illis abundat. Bea. uero Franciscus pecuniã negligit, nec illis, qui eiusdem sunt instituti, tangere illam fas est. Iuuenes delicias quærunť: & appetit foemina beatum Bernardum: at is exurgens a lecto intenta proclamatur uocẽ, latrones, latrones. Quod cum ter faceret a sociis percontatus mane: quid nocte clamaret latrones? respondit, acclamasse in foemina, suam uolentem pudicitiam violare. Alios etiam uide inebriatos. Actorum ca. 5. Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii: quia digni habiti sunt, pro nomine Iesu, contumeliam pati. Gaudent hi cæsi, nec tantum sustinent, sed patienter tolerant. Aliud est gaudere in contumeliis, quia cæsi sunt pro nomine Iesu, non tamen quia cæsi: sed quoniam illos Deus fecit dignos, & tanto donauit honore, ut digni essent

Calix duplex.

igni essent pro nomine Iesu contumeliam pati. Dæmon utique nomen Iesu infestatur, quia illum uicit, spoliaque detrahit. Quapropter quam maxime inducit aliquem ad peccandum, ut creatori offensam faciat. Beatus Greg. ca. 8. lib. 2. Moral. ait. dæmonem non contra Iob, sed contra Deum certamen gessisse. Materia uero certamini ipse Iob fuit Nimum igitur cauendum est a peccatis, ne domino faciamus offensam: & cacodæmon de membris Christi trium phum reportet. Si enim seruum Christiani regis in conspectu ipsius ac totius curiæ, Mahumetanus ad singulare certamen prouocaret, & Christianus uictus succumberet, nonne rex & omnes proceres inde offenderentur? Sic quoque de mon cum aliqua tentatione Christianum aggreditur in conspectu Dei: si quod absit, dæmon uictor euadit, ualde offenditur Deus cuius in conspectu deuictus est seruus eius. Offenditur inquam, quoniam ignauia quadam succumbi uoluit: & quoniam dæmoni sponte cessit, eius uoluntatem potius adimplere uolens, quam preceptum Dei, quod uolauit. Et sic tandem lethali culpa prostratus iam non resurgere ualet absque gratia domini nostri Iesu Christi: cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amẽ.

TRACTATUS DECIMVS QVARTVS,

In XX. cap. beati Matthæi.

INTENTVS dominus rei tam seriæ, ut erat consideratio passionis suæ: quam & discipulis suis studiose proponit, ad supplicationem matris filiorum Zebedei præbere aures non dedignatur: docens principes, licet magnis teneantur negotiis, ut pauperes libenter audiant, & indigentibus facile annuant. Cui hæc igitur cum filiis accederet, adorans & petens aliquid ab eo, ipse libenter quærit: Quid uis? audit, negat postulata, concedit calicem, aliorum discipulorum componit animos, & uere princeps & rex regum sic occupatur in maximis, ut nec minima negligat, aut parua fastidiat: & perinde audit, & effatur matrem filiorum Zebedæi, ac si illi aliud non esset negotium. In hoc enim se Deum ostendit, quia sic angelos pascit in celo, ut minimi passeruli non obliuiscatur in terra: Dei uero & hominum mediatorem in hoc, quod crebro de sua passione loquitur, qua sanus Deo reconciliati. Mediator, inquit apostolus ad Galat. cap. 3. unius non est: Deus autem unus est. Et pri. Timor. 2. Vnus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Secundum enim formam serui obtulit & oblatuſ est: & est hostia & sacerdos, & secundum hanc mediator est, inquit beatus Aug. lib. de Ciu. Dei. 10. cap. 6. Cuius rationem assignat beatus Thomas 3. parte quæst. 26. dicens: Ad mediatorem spectat differre ab utroque extremo. Christus dominus in quantum Deus est, non distat: quoniam ipse Deus est. In quantum homo distat a Deo in natura, & ab hominibus in dignitate gratiæ & gloriæ. Et secundum quod homo, ei datum est homines Deo coniungere. Ideo distractos per ambitionẽ discipulos postulata ad dextram & sinistram sessionis negatione reuocat: coniungit uero concessione calicis. Eodem modo & decem de indignatione reprehensos ad ueram sui imitationem prouocat, dicens: Quemadmodum filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis: Sic qui uoluerit inter uos primus fieri, sit omnium seruus. Sic quidem oportet principes dissidentes reconciliare, & errantes dirigere. Nec cuiquam in iudicio agere aduersus aliquem permittendum esset: nisi prius ad literatos & optimos uiros, quos admodum pium esset ad hoc præ-

dicere,

Disceptan
tū cōcilia
tores ante
quā, ad iu-
diciū līs
deferatur.

ficere, actionis cognitio delata esset: vt si quo modo fieri posset, & futuræ lites componerentur, & ipsi disceptatores absque rei familiaris dispendio apud illos conciliarentur. Hoc esset munus sanctum & pium, & charitatis plenum, atque omni Christiano principe dignum: si huiusmodi viros in sua curia contulerint, quinimmo & in singulis oppidis. Quod si disceptatores hac ratione quā, ad iudiciū līs deferatur. Quo quidem modo & multorum spiritali salutē & paci, atque adeo numini consultum esset: nec tantis litibus iudiciaria fora perfrerent. Hoc dominus insinuat, cum harum petitionum dissonantiam in veram calicis postulationem conuertit: cumq; ceterorum indignationem ad concordiam reuocat. Sic & alio exemplo admonentur principes, neminem a se uacuum eriam postulantem indigna, dimittere: cum dominus postulata indigna corrigat, & calicem præstat. Ita princeps dum postulans indigna petit, corripit: & aliud quod utile sit petenti, tribuat: nec postulantem a bire vacuum sinat. Eo enim modo regem regum & dominum dominantium imitabuntur: qui & si postulata discipulis non concessit, alia tamen donauit. Præcipue vero semper habenda ratio est de postulantis virtute. Hi namque discipuli sancti erant, & cognati domini ac maxime familiares: ipsa vero, mater etiam dominum, prout poterat, sequebatur: quæ materna pietate postulando errauerat: atque illi forte sibi debita postulasse opinabantur. Dominus autem uirtutem illorum, & pietatem matris attendens, errata corrigat: & quæ postulanda erant ipsis cōcedit, dicens primo: Nescitis quid petatis: deinde, Calicem quidem meum bibetis. Hæc sunt uiscera pietatis Iesu: Neminem a se uacuum abire uult: omnibus utiliora largitur: qui & si aliquando uotis abnuat obsecrantis, annuit tamen postulantis utilitati: & sic omnibus misericordiam suam tribuens, omnes implet benedictionibus suis. Fons enim est inexhaustus bonorum omnium, qui semper fluens nunquam arefcit, ac semper largiens nunquam minuitur: cumq; plura donat, multo illi plura donanda suppetunt. Hac de re perspicuum habemus in euangelio testimonium: cum quinque panes & duo pisces augentur, usque ad saturitatem quinque millium hominum, quæ plus creuere dum saturantur, quàm cum a principio tradita sunt in Christi manus largienda: duodecim namque fragmentorum cophini superfuere ex quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus. Ad Christi igitur imitationem se componant principes, & exemplum sumant dignitati suæ accommodatum. Prospiciant claris oculis dominum in re tam ardua occupatissimum, de petitione matris filiorum Zebedæi non dedignari: & cum postulata essent iniusta, quod iustum & utile erat, illis donasse: nec a se uacuos dimisisse. A se uero abigant prauos & iniquos, detractores, inuidos, & ambitiosos compescant. Quod quidem exemplum ueluti præuidens Dauid psal. 100. cum iam pacifice regno frueretur, suæ domus reformationi intentus, hunc psalmum composuit: quem titulo prænotauit sibi ipsi dicens: Psalmus ipsi Dauid: Misericordiam, inquit, & iudicium cætabo tibi domine. Recordabor quod iustus es & misericors: iustus, ut timeam; misericors, ne desperem: Psallam & intelligam in uia immaculata, quando uenies ad me. Laudabo utique te, & ambulabo in uia immaculata. Omnibus equalis ero: nec literas nec uocem enuntiam, ut alicui faueam in iudicio disceptanti. Hoc namque erit, omne ius & æquum confundere ac disturbare: nec post lapam sententiam, ne illa executioni detur, aliquo modo oborari: nec consignatas mea manu literas ad id concedam, nec uoce ipsa præcipiam: quinimmo aduicari ut si imper absque macula ambulem: & ratione semper, tanquam qui uicari ueloci, cur sors in celo conuerlabor, ut sciam quando uer-

Regia re-
formatio.

nies ad me: Hoc est, quid uelis me in omni negotio agere: & hoc quod tibi beneplacitum sciueris, id faciam: Perambulabam in innocencia cordis mei, in medio domus mee. Simpliciter & non duplici corde regnum & domum dirigebam. Quod si erraui in gubernandis populis mihi commissis ex ignorantia accidere potuit, non ex malitia, quoniam in innocencia & simplicitate cordis omne negotium dirigebam. Non proponebam ante oculos meos rem inuultam, facientes preuaticationes odiui. Nunquam in iniustitiam aliquam consensu incidere: immo nec tuli ante oculos meos quicquam iniuste fieri: sed leges transgredientes odiui. Non adhæsit mihi cor prauum. Non contepsi aduersus aliquem odium: nec ita alicui regni gubernacula tradidi, quin semper cor meum liberum & rectum ad gubernandum maneret. Magni enim periculi res est, cum rex non danda largitur: multo uero periculosius, si ita se alicui tradat, ut ad nutum illius omnia disponantur: nisi is sit illo spiritu sancto afflatus, quo ipse rex in uitam rectam dirigendus est. Si a me declinabat malignus aliquis tanquam a me molestatus, non cognoscebam: nec uilla mihi de eo cura. Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar: Si uel id oculo, siue oris distorti signo, siue uerbo ageret. Cum perciperem detractorem efficere, ne iustitiæ debitum alicui redderetur, quia id sibi aut suis donari uellet, hunc persequebar, & conuictijs incessabam, ac longe a conspectu meo exterminabam: ne ipse nec uillus alius, detrahedo proximis suis, obitaculo sint, quominus secundum uisus cuiusque merita & officia, & beneficia conferantur. Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Hoc est, non præstabam cibum superbis, & illis qui erant insatiabiles, omnia sibi & suis donari uolentes. Quos igitur o Dauid in amicitiam tuā ascisti? aut quales elegisti famulos? Oculi mei ad fideles terræ, ut sedent mecum. Patriæ & reipublicæ amatores hi sunt terræ fideles: quos consultores elegi, ut mecum sederent ad gubernandum regnum. Ambulans in uia immaculata, hic mihi ministrabat. Domestici ac priuati obsequii hos elegi ministros: qui Deum reuerentur ambulantes in uia immaculata. Non habitabit in medio domus mee, qui facit superbiam. Qui uoluerit, quemadmodum superbissimus Lucifer, cuius fuit animus assimilari altissimo, mihi regi similem fieri, ac tanquam regem ob omnibus colli: hunc non consensu habitare in domo mea. Qui loquitur iniqua, semper in colloquiis uagus & mordax, & cuius in ore omnia aliorum benefacta notantur: cui nihil uidetur rectum, atque omnibus dedignatur, nec caste loquitur, non direxit in conspectu oculorum meorum. Ab illo oculos auertebam, qui nimirum esset indignus conspectu. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: ut disperderem de ciuitate domini, omnes operantes iniquitatem. Hoc est quam cito homicidas, fures, adulatores, & huiusmodi notæ publicos peccatores interfici præcipiebam, ut expiaretur ciuitas domini: utq; in conspectu eius nemo reperitur, qui publice scelus committat: ad legis præscriptum in illos fenerissime aduertens, ac ceteros exemplo admonens, ne similia agant. Hæc nimirum est uera gubernandi norma, & regni sceptrum tenendi, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

Y TRA-

TRACTATVS DECIMVS QVINTVS,

In XX. cap. beati Matthei.

BEATVS Hieronymus per dextram & sinistram que a matre & filiis postulatur, primas sedes in regno cœlorum existimat postulas. Videtur huic fauere sententię, quod dominus respondit, dicens. Sedere autem ad dexteram meam uel sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est a patre. Nam si de sessione terrena beati apostoli agerent, dixisset dominus. Non sum temporaliter regnaturus, prout suspicamini. Cum uerò ait: Non est meum dare uobis, sed quibus paratum est a patre meo, de sessione spiritali in gloria uidetur agere. Sed tunc perplexa quedam suboritur questio; Quare illi & mater coarguuntur; Nescitis quid petatis, cum postulare gloriam optimum sit: estque unum è tribus que absolute postulare licet: alterum uerò gratia: tertium, peccatorum remissio. Ad quod respondetur; postulare gloriam optimum quidem est, atque unum è tribus absolute petendis; sed determinatum & certum glorię gradum petere, hoc peccatum est. Si quis enim postulare a Deo eundem glorię gradum quem habet beatus Ioan. baptista; uel ut inter apostolos collocaretur, magna dementia esset: Sic petere in cœlo dextram & sinistram filii, potiora scilicet loca, presumpcio & ambitio est. Quapropter mater & filii a domino increpantur, dextram & sinistram sedem in regno suo postulantes. De hoc satis sit dictum, si fortè beati apostoli potiora loca in cœlis consequi ambierunt. Ceterum aduertendum est, ad id quod diximus illa tria absolute postulari posse, uidelicet peccatorum remissionem, gratiam, & gloriam, huius rei causam hanc assignari. Quia his quibus possumus bene uel male tri, hac conditione & appendice sunt postulanda; Si dominus nouit hæc profutura, atque meliores nos inde fore (huiusmodi est salus, dum infirmamur, ac diuitiæ, dum pauperes sumus, & his similia) quoniam ignoramus, an hæc in salutem an in iacturam animarum uergant: illa uerò ex quibus constat nullum nobis damnum inferri, immò & ualde proficere ad animarum salutem, absolute & absque addito postulari possunt. E quorum numero sunt; peccatorum remissio, que nobis ualde proficua est; gratia, qua iustificamur, que ualidissima est; gloria, que in omnem salutis securitatem nos constituit. Honores nempe terreni & dignitates periculo ambiuntur, sed multo periculosius habentur & retinentur: Crucem id beatus Bernardus uocat: O ambitio, inquit, erux ambientium, quomodo homines torques, & omnibus places? Sunt enim quedam peccata que suam secum baiulant crucem, non utique illam Christi, nec boni latronis, sed durissimum mundi supplicium, prout sunt ambitio, odium, & inuidia. Que maxime uitia cor torquent, somnum & quietem auferunt, ac totum hominem inanibus curis & sollicitudine obrunt. Quapropter crucem secum baiulare dicuntur, in qua peccator in singulos dies & noctes supplicium patitur. Si enim inuidus est, omnia bona proximi sunt illi tormentum. Si odium gerit, quicquid boni accidit illi quem odit, immanium cruciatuum causa existit. Si ambitiosus, quoties alios euectos cernit, nimio dolore compressus, cogitabundus semper incedit, secum reuoluens cuiusmodi dignitatibus a rege aut papa, uel quouis alio principe seu prelato decorari possit, ac quibus id modis sit consequendus exquirat. Et sic totus disturbatur curis ambitiosus; Omnibus inferuit; Verba ualidissime omnibus loquitur; Omnes ueneratur, ut illum iuuent in sublime ascendere,

Pecata secum suam crucem baiulantia.

ascendere; miserum utique seruitutis iugum, & nimium auersa res a sanctorum cogitationibus. Illi namque cum se magis in sublime uehi considerabāt, magis timebant; ambitiosi uerò cum ascenderint, tunc se laetos & securos reputant. Inquit beatus August. In nullo sentio mihi sic Deum iratum, quam in hoc; qui cum essem indignus ad remigium poni, positus sum ad gubernaculum. Et beatus Greg. dicit; Dominus quos tenerè diligit, ab externis actionibus abscondit. Timet beatus Aug. prelaruram, & hanc peccatores ambiunt; Dominus quos tenerè diligit, abscondit ab externis tumultibus; peccatores gaudent, cum externis negotiis preficiuntur; ob id nempe quoniam nemo non se non timet, quinimo pro uiribus ad hoc peruenire nituntur: quia nesciunt, quanto quis in sublimiori loco sit constitutus, tanto in maiori uersari periculo. Eccesse arbores a quouis aura concutiuntur: humiles uerò non nisi magna tempestatis vi commouentur. Ignorant miseri ambitiosi qui aliis prestant, quam domino reddituri sunt rationem de animabus sibi commissis: ideo ignari periculi se his fluctibus iactari cupiunt. Quos autem dominus tenerè diligit ab eternis actionibus abscondit; Nam pater filium a labore prohibet, ad quem mittit seruum. Unde & dominus exteriora uelamina tabernaculi foderis, prout legitur Exo. cap. 26. iussit fieri ex saccis cilicinis & ex arietum pellibus. Sunt enim qui positi sunt ad exteriora negocia conficienda, tanquam operimentum quo superinduimur ad arcendam pluiam & ad reliqua indumenta conseruanda. Qui uerò ad contemplationem & orationem purissimam eliguntur a Deo, pars optima illis concessa est in ecclesia. Inde fit, ut prelati a religionibus enocentur, ueluti a consummata perfectorum uita: qui partim orationi & contemplationi vacare, partim animarum profectui semper debent esse intenti. Hæc dicitur optima pars. Bona est pars Marthe, melior contemplatiua, optima Marię, que uerbo Dei semper mente adhaeret; Hęc est Maria, que unguentum quandoque effudit super caput Iesu, & parauit aromata ad eius corpus unguendum, quem adhuc credebat in monumento iacere, cum iam a mortuis resurrexisset. Edocemur etiam ex uerbis domini, si amicitiam cum aliquo inierimus, rationem nulli amicorum tradendam, sed soli hanc Deo reseruandam esse: quemadmodum & dominus qui quamquam hos discipulos habuit familiares, tamen negauit petita. Atqui uoluntatem amicis exhibere possumus, paucissimis uerò familiaritatem. Ex tot discipulis tres elegit dominus, Petrum, Iacobum & Ioannem: quibus & si familiariter uisus est, non tamen rationem tradidit. Cum enim contra rationem postulassent, illico respondit: Nescitis quid petatis. Ita oportet agere principes, & qui seculi tenet gubernacula: si familiares habuerint, ratio tamen apud eos maneat expedita, ut possint semper que iusta sunt libera administratione perficere. Unde Eccles. 6. dicitur; Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille. Sic Salomon ait Prou. 20. cap. Virum fidelem quis inueniet? Principibus igitur & etiam omnibus tria hæc documenta sunt necessaria: nempe ut charitatem & amicitiam ad omnes Christianos habeant. Ceterum ad familiaritatem, vnus eligatur de mille: A ratione uero amicum & familiarium causa, nec tantillum quidem discedant; nec familiaritas ultra aras progrediatur. Familiares utique erant Christo & etiam coniuncti sanguine beatus Iacobus & beatus Ioannes: sed cum iniusta illi postulassent, tanquam extranei repelluntur, quibus dicitur: Nescitis quid petatis. Principe namque cum ueluti fontes sint, a quibus aqua petatur, a nemine nobis prohiberi debet, quo minus illos, cum opus sit, alloquamur. Iure siquidem is pun-

Amici plurimi, familiaris vnus. Nulli ratio danda.

retur, qui sibi soli publicum fontem vendicare vellet: ac vallo & fera additis ne quis inde libat prohibere. Ita quoque maxime sunt puniendi, qui sibi solis principes conciliantes, a quibus omnes iustitiam haurire oportet, veluti muro circumdant, & obfirmant fera, ne quis nisi eorum favore intercedente a rege hauriat necessaria. Atqui quemadmodum aqua illa salubrior est, quæ impermixta terræ nullum habet saporem, sic inter principes ille reipublicæ erit utilior, qui nullius terreni hominis admixtam habuerit familiaritatem: Nam quantumvis inclutus sit princeps, nihilominus, ut mundissimum quoddam speculum a circumstantis flatu obnubilatur, nisi tali sit spiritu atque us, ut nihil velit præter rationem agi. Ratio igitur maneat semper expedita: atque huiusmodi cum familiaribus sit amicitia, ut semper sibi soli princeps rationem retineat, qua cuncta distribuatur, gubernetur, dirigatur, mala puniat, bona largiatur, virtuti faueat, & male postulantibus illud objiciat, Nescitis quid petatis. Quemadmodum & dominus quem nec sanguinis necessitudo, nec arctissima familiaritas commouerunt, quominus Ioanni & Iacobo sibi amicissimis, qui & maximis præditi erant virtutibus, responderet, cum iniuste peterent: Nescitis quid petatis. Maxime igitur aditantur principes tum & ecclesiastici proceres, ut omnia recto tramite dirigantur gratia domini nostri Iesu Christi, Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS SEXTVS,

In cap. XX. beati Matthæi.

MAGNANIMOS decet magnas virtutes efficere, quibus magni debentur honores. Non tamen honorem propter se querit magnanimus, nec propter honorem consequendum virtutes insignes agit, sed quia id illi est peculiare, & a natura inditum: ex quo magnis honoribus affici eum oportet. Magnanimus, inquit Boetius, est, qui contra diuersos insultus fortunæ vnanimi mentis constantia militat. Siue igitur inclutam & excelsum adsecutus sit magnanimus dignitatem, siue ad infimam deprimatur fortunam, constanti equoque animo vtramque fortunæ aleam subiit: nec enim sublimi eleuatur statu, nec deicitur infimo: quin semper vnus persistens, vndiqueque virtuti adhæret. Magnarum virtutum decore insignis apud Romanos fuit Cato; sed in hoc a magnanimo deuiat, quia propter virtutem honores ipse petiuit. De eo inquit beatus Augustinus libro de ciuitate Dei 5. cap. 12. Honores quos expetiuit Cato petere non debuit, sed eos ciuitas ob eius virtutem non petenti dare. Vnde & Romanos refert ibidem beatus Augustinus ingentes duas ædes ædificasse, vnā virtuti, alteram honori: quas beatus Antoninus archiepiscopus Florentinus in 2. parte summe, agens de ambitione, ait illas proximè ædificatas, ut nemo posset in eadem honoris nisi per eam virtutis transire. Huic igitur magnanimitati aduersatur ambitio, quæ est immodicus appetitus honoris prout in præsentī lectione euangelica edocemur ex matre filiorum Zebedæi & filiis eius, qui dexteram & sinistram præcipuas sedes a redempore postulauerunt. Cæterum cum in omni peccato contingat peccare venialiter & mortaliter, exceptis periurio & confessionis reuelatione, quæ non recipiunt magis & minus. Quoniam omne periurium de quacunque re leui mortale est, eo quod Deum falso in testem adducit, & illum mendacii testem fieri vult: in quo domino Deo maxima irrogatur offensa, qui summa & infinita

& infinita est veritas. Reuelare confessionem (& si de leuissimo fiat peccato) mortale est, quoniam sub præcepto mortalis grauissimè reatus tenetur sacerdos, quodcumque veniale leuissimè sigillo arctissimo tegere. quoniam confessionis materia quæ panditur sacerdoti, a Deo cuius ipse locum tenet, sic summo abseruatur secreto: eodemque præcepto includitur id sine quo aliquid fieri non potest, quemadmodum & illud quod fieri præcipitur. Cumque nemo velit confiteri peccata, nisi secretissimo occultentur sigillo. Qui enim præcipit confiteri, dicens: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quæ retinueritis, retenta sunt, idem præcipit audienti confessiones, ut quæcumque minima cælet, vel etiam leuissimum veniale peccatum etiam si mille proponantur mortes. In ambitione verò cum maius & minus contingere possit, videtur mater filiorum Zebedæi & ipsos beatos apostolos, venialiter in hac sedis dextræ & sinistræ postulatione tantum peccasse: cum pro certo tenendum sit, tantæ virtutis viros (& si rem magnam petebant) ratione consanguinitatis & familiaritatis sibi has sedes deberi existimasse. Ipsi namque ex stirpe Dauid ex parte matris Salome, filix beatæ Annæ, ac beatissimæ Dei genitricis fororis originem ducebant: Cuique opinarentur secundum communem doctorum sententiam, dominum temporaliter regnaturum, sibi que has sedes iure deberi existimabant. Accedit ad hoc sanctorum animi æquitas, dum patitur repulsam, qui non amplius domino molesti fuere: immo cum illis dominus dixit: Nescitis quid petatis, tacentes intra se verbum continuerunt: Vnde eorum animi coniecturatur simplicitas. Nam si ambitione nimium essent commoti, non ita æquo animo se postulatis frustrari ferrent. Qui cum vnico verbo coerceantur sub arbitrio voluntatis domini postulationem suam proposuisse videntur: & sic tantum venialiter illos peccasse in postulatione dextræ & sinistræ sedis verisimili coniectura elicitur. Atqui tripliciter in peccato ambitionis peccare contingit. Secludimus autem ab hac distinctione prælaturæ spiritualis ambitionem, quæ aliis regulis est mensuranda. Siquidem nemo assumit sibi honorem nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Intra autem cordis arcanum de virtutibus, quibus prælatos adornari oportet cogitare, & velle pro Deo & proximorum salute illud onus subire, tolerabile est. Cum & idem apostolus dicat: Qui episcopatum desiderat: non dicit, ambit, aut querit verbis, uel negotio agit, ut ad episcopatum ascendat: sed tantum desiderat inquit, ut ecclesiæ proficiat, & non ut redditus sibi accumularet, bonum opus desiderat. In peccato igitur ambitionis, prout est immodicus appetitus honoris, tripliciter peccare contingit, secundum beatum Thomam, 2. 2. questione 131. Primo quidem appetendo honorem ultra id quod merita uniuscuiusque exigunt. Sed bone Deus, quis stateram hanc meritum, ad honoris cumulum poterit adæquare? Nemo siquidem est, qui non existimet se vel exiguis meritis, ne dicam nullis, magis esse honoribus dignum. Idcirco plurimi peccant ambitionis peccato, cum ob exigua merita ingentes sibi honores conferri uolunt. Hæc præsumptio, & hæc ambitio peccatum grauissimum est. Peccatur secundo quādo quis merita habet, non tamen honorem in Deum refert. Peccatur denique, cum etiā quis assequitur honorem seu dignitatem non in proximorum utilitatem, sed in suam potius vanitatem conuertit inflatus. Honor autem præmium cum sit virtutis, honorem in illum oportet referas, a quo ipsa virtus oritur, qui Deus est, & in proximorum etiam utilitatem: ut hinc oblique referatur in uirtutis autorem Deum, qui præcipit nos utilissimos esse debere proximis, & sicut nos ipsos eos diligere. Vanus Absalon, 2. Reg. 15. occiditur, dum regnum arripere vult viuo parète Dauid: qui nec propter Deum & proximorum utilitatem,

De prælati, S. Tho. 2. 2. q. 85 & quodl. 2 q. 11.

nec ob uirtutis premium id est aggressus, sed sceptrum iniquitatis sibi vindicare cupiens. Idem Adoniam contigit, Reg. 1. & 2. cap. qui adhuc uiuente patre Dauid, cum tamen iam esset vicinus morti, sibi fecit currus, & equites & regnum euoluit, nec Dei nec patris expectata finia. Isti ambitiosi fuere, & sui uterque criminis penas dedit, vitam cum morte commutare coactus. Satis misera hominum natura est, qui cum ad honores procliuēs sint, & ad postulandum admodum importuni: nemo unquam nouit, an his honores quem ambit, & ea quae cupit, noxia vel utilia, bona vel mala illi futura sint. Eo enim processit hominum ignorantia. Importuni nimium in postulando, avari in accipiendis honoribus profecto ignorantissimi. Haud sciunt enim id quod tan topeare quaerunt, proficiat noceatue. Est & consimilis honor cuidam volucris formicarum generi: quas cum in altum pueri alarum remigio effertur vident, captant, tendiculisque apponunt auiculis escam. Quae sane formicæ si caruissent aliis, non efferentur in altum, nec appeterentur a pueris, dentque nec auiculis darentur esca, Triste spectaculum est, quem hodie vidisti hominem in sublime euectum, atque omnium oculos in se conuertentem: iam breuissimo momento temporis aedē deiectum esse, ut illum suo consortio nemo arbitretur dignum. Cuius rei exempla nimis multa quotidie se se nobis offerunt. Hæc enim sunt testimonia mundi, hi & honores quibus suos afficit. Quapropter veri honores è manu Dei expectandi sunt. Qui licet per ministros homines conferantur, tunc vere de manu dei accipiuntur, cum quis non quaerit eos nec ambit, sed soli Deo innixus firmus in incommutabili deo manet. A uarietate quippe desideriorum manat varietas conquisitorum. Varietas autem desideriorum originem habet ab ægitudine animæ. Qui enim infirmus est, plurima cupit: nunc fontes, nunc frondes, nunc illos, nunc istos cibos, nunc flumina, nunc pisces, nunc & impossibilia quæuis imaginatur. Hæc omnia facit honoris, quibus quis infirmatur varietas. Qui igitur cupit istis non angī, nec distrahi curis, peccatorum humoribus euacuatis, soli Deo placere contendat. Et cum illi soli totam adhibuerit mentem, ac totis viribus eius obsequiis sese dederit, anima quieta pace fruatur, nec desideriorum varietate distracta languescet. Quin potius dicet cum sponsa in Canticis; Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Qui potuit turbatum mare sedare, & dicere illi: Tace obmutescet, & seculi & honorum desideria comprimet. Ille, inquam, qui unico uerbo discipulorum corda sedauit, dicens: Nescitis quid petatis. Ille denique qui alios decem disturbatos indignatione & commotos unico uerbo compefcuit. Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum, Amen.

Cant. 4

TRACTATUS DECIMVS SEPTIMVS,

In XX. cap. beati Marthæ.

ACCESSIT mater filiorum Zebedæi ad Christum: nec impetrat quæ postulat, sed quæ non petebat accepit. Ex quo exemplum nobis relinquit accedendi ad Deum: præcipue uero cum nunquam quis, modo recto & puro accedat corde, a conspectu eius redierit uacuus. Accedite ad eum, inquit Dauid Psal 33. & illuminamini: & facies vestre non confundentur. Illuminantur nempe discipuli, dum edocentur non recte postulare: & facies eorum non sunt confusæ,

confusæ, quando illis calix bibendus porrigitur. Quo hausto ingens illis gloria honor est datus. Qui igitur sequitur Christum, accedit ad eum: & qui necedit, illuminatur: & facies eius non confunditur. Qui accedit ad temporales dominos, nec illuminatur, nec facies eius a confusione est aliena, quoniam mundus in tenebris ambulat. Nescierunt, inquit Dauid Psal. 81. nec intellexerunt, scilicet homines mundi sectatores; in tenebris ambulat; mouebuntur omnia fundamenta terræ. Christus autem lux mundi est. Ego, inquit ipse, sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ, Ioan. 8. cap. Ad hanc igitur lucem accedentes atque illam sequentes illuminantur, & eorum facies non confunduntur. Sic profecto non bene postulantes beatus Iacobus & beatus Ioannes docentur, & illuminantur, & facies eorum non confunduntur. Erubescunt mundani homines cum postulata non impetrant. Non erubescunt discipuli domini cum negatur illis quod postulant, dum illis datur quæ postulare debuerant. Nescitis, inquit dominus, quid petatis. Calicem potum meum bibetis. Negat & donat dominus. Negat quod non bene petitur, donat quod fuerat postulandum. Sic dominus, ut supra retulit cap. 7. beatus Mattheus, semper ueritatis auctor adimplet: Petite & dabitur uobis: quaerite & inuenitis: pulsate, & aperietur. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quaerit, inuenit: & pulsanti aperietur. Perierunt beati apostoli Iacobus & Ioannes. Omnis qui petit accipit. Acceperunt siquidem quod postulandum fuerat, non quod minus recte petebant. Nemo igitur accedit ad dominum, qui non impetret vel quod petit, vel quod illi magis utile est. Quapropter accedentes ad Deum illuminantur, & facies eorum non confunduntur: quoniam non scandalizantur scientes iustissimum datorem Deum & quod iustissime negat, quod non iuste petitur: cumque aliud loco postulati donat, illud esse quod postulantibus prodest. Cæterum cum domini temporales sepe iniuste donent, nullo pretextu se excusare possunt cum ab illis quod iniustum est petitur, nisi hanc unam proferant uocem: Nolle se tortens iniusta concedere, nec peccata accumulare peccatis. Quo circa postulantes scandalizantur, cum alijs indignis donari uident, quod etiam ipsi indigni postulant. Maxime igitur considerare oportet, ne alicui iniuste petita concedatur. Quod omnino etiam cauendum est: ne cum accesserit alius iniusta postulant, erubescat negans, & confundatur qui non accipit. Ex parte autem petentis, si is æquo animo uelit suscipere negantis responsum, oportet non sic absolute uelle omne quod petit: sed prius habenda ratio est cum Christo, an iuste postulet: & in manus eius prius fitas offerat preces, quam illas proponat in conspectu principum. Atque ita Deo omnia sua committens, precetur: si quæ petenda sunt, in conspectu eius habentur iusta, cor dantis ad illa concedenda appetat: Sin minus, a postulatis ipsum auertat. Qui sic accedit illuminabitur, & facies eius non confundetur: quoniam Deus cui commisit efficiet, ut quæ iusta sunt illi donentur, alijs auertat. Hæc sunt postulationes homini Christiano dignæ. Hic petendi modus, quem omnes sequi oportet. Qui & si abierint uacui a postulatis, consolatione tamen pleni exibunt a conspectu non dantis: & alias prouidebit dominus, qui nunquam suis deficit: qui & illi aliud utilissimum deinde concedet. Verum enim uero consideranda est statera æquitatis domini, quæ merita omnium postulantium librat, dum ait: Non est meum dare uobis: sed quibus paratum est a patre meo. Meum utique est dare, sed illis quibus a patre paratum est, non uobis ratione propinquitatis. Nec est meum dare sine debitis meritis dextræ uel sinistræ sedem. Itaque

Sanctorum
merita.

Itaque si adessent merita, darentur petite sedes. Ait enim: Sed quibus paratum est a patre meo, quibus scilicet merita suppetent ad primas obtinenda sedes. Confundatur ergo heretici, negantes sanctorum merita, cum neque ipsi apostolis familiaribus & coniunctis sanguine non datur quod petunt, ob defectum ad tanti fastigij culmen meritorum. Donandę quippe sunt dextrę & sinistra sedes, sed quibus a patre ob excellentiam meritum donari constitutum est. Ad dextram Christi nulli dubium est sedere eminentissimam matrem eius semper beatissimam Mariam virginem: hoc est, in potioribus bonis. Hęc sic accipienda est dextra, quemadmodum & Christus dominus sedet a dextris Dei: hoc est, in potioribus bonis glorię. Ita sanę ait bea. Marc. cap. vlt. Iesus autem assumptus est in cœlum, & sedet a dexteris Dei. Quod olim & Dauid p̄dixerat, P̄sal. 109. Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis. Ad dextram ergo patris Christi: ad dexteram vero Christi, quę postulat abeatis fratribus sedes, mater eius, Maria sedet hoc, est in potiori gloria post Christum dominum. Sic de illa prophetauit Da. P̄sal. 44. Assitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. In cuius figuram Salomon cum regere cepisset, adueniente matre surrexit, 3. Reg. 2. ap̄positusque est thronus matri regis, quę sedet ad dexteram eius. Et hoc idem verba sanctę matris ecclesię sonant, dicētis: Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad cœlestia regna. Cum enim dicit super choros angelorum, ad dexteram benedictissimi Iesu intelligendum est, quo in loco nemo alius sedet. Quis autem post Mariam Deiparam beatissimam secundum locum obtineat, sciunt beati qui habitant in domo domini, quibus in secula seculorum datum est deũ laudare. Nobis .n. temerarium esset id definire. Meritis igitur non confan guinitate aut familiaritate coniunctis cœlestes donantur sedes. Vnquisque bonis operibus insudare non negligat. Nam quo potiora quisque habuerit merita, eo potiorcm obtinebit gloriam: quia tu reddis vnicuique inquit Dauid, secundum opera sua. Et, Opera illorum sequuntur illos, inquit beatus Ioan. in Apocalypsi. De hac vero sententia plura diximus in cap. 16. cum illa verba domini interpretarcmur: Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundum opera eius. Et Salomon Prouerb. capit. vltimo de forti muliere inquit: Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. Nullus vnquam iustus rex aut dominus alicui quicquam donauit, si intra iustitię limites vixit, nisi secundum opera & merita eius. Porro heretici dum non ad merita & bona opera, sed ad solam fidem Deũ attendere volunt, asserunt ipsum non esse iustum, quod est impossibile diuinę naturę: quę summa iustitia est, atq; omnis iustitię fons & origo. Qui toties iustus in diuina scriptura dicitur, quod hic repetere nimis esset longum & fastidiosum. Iustus dominus, & iustitias dilexit: equitatē vidit vultus eius. Iustus es domine, & rectū iudiciū tuū, in iustitia tua libera me. Merita igitur plurima congregemus, nec deficiamus bonis operibus insistentes. Sequamur cū his beatis apostolis & eius matre dñm, iusta postulantes. Et ut nostrę sēper sint iusta postulationes, aliud nihil pręter quā quod diuinę uoluntati bene placitū fuerit, adipisci velimus. Sic quęcumq; aduenerint nobis, securē & læti possidebimus. Noc cum arcā in gressus fuit vt saluaretur ipse & filii eius a diluuiō: tūc securus est redditus, q̄si ostiū arcę manu domini fuit clausum. Gene. cap. 7. sic legitur: Et inclusit cum dominus de foris. Cum ergo dominus nostris rebus manum apponit, & nos de foris includit, omnia secunda sunt: etiam si totus tribulationum aqua obruatur

obruatur orbis. Quod gratia præcipuē sit domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS OCTAVVS,

In cap. XX. beati Matthæi.

OPERE PRÆTIUM est de matre, & his beatis apostolis domini, quorū mentionem fecit beatus Matthæus aliqua considerare, cum & sanguine sint domino valde coniuncti, & familiaritate deuincti, & sanctitate præcipui. De matre beata Salome, ait beatus Ambrosius: Considerandum est, quę mater filiorum Zebedæi, cum filiis & pro filiis petat. Mater est utique, cui pro filiorum honore sollicita immoderatio quidem, sed tamen ignoscenda mensura votorum est. Atque mater ætate longęua, studio religiosa, solatio destituta, quę tunc temporis, quando vel iuuanda uel alenda foret ualida proli auxiliio, abesse sibi liberos patiebatur, & uoluntati suę mercedem sequenti, Christum prætulera filiorum. Ipsa enim dominum, prout poterat sequebatur: & in passione domini non derelinquit, prout dicit beatus Matth. ca. 27. Erant autem ibi mulieres multę a longę, quę secute erant Iesum: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Quę tres etiam dominum ungendum in sepulchro manē dominicę resurrectionis quęsierunt. Sic enim ait beatus Marc. cap. 16. Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt uenientes ungerent Iesum. Ecce quanta pietate mater filiorum Zebedæi Christum colebat, quę illi nec defuit in passione, nec defuit quærere positum in monumento. Huius filii relicto patre secuti sunt dominum, etiam relicta matre: quos dominus familiariter una cum beato Petro sibi coniunxit, quibus & arcanum transfigurationis aperuit: & hos solos secum introire permittit in cubiculum, cum suscitauit filiam Iairi archifynagogi. His etiam tribus iam passioni propinquis separatis dixit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hic, & uigilate mecum: tanquam illos eligens consolatores in eo agone. Quibus præ cæteris & dilectionis signa ostendit: nimirum Petro, cum illi omnem ecclesiam gubernandam commisit, ter illum incultans: Pasce agnos meos, Pasce agnos meos, Pasce oues meas: Iacobo, cum illum in gloria primum recepit ante omnes beatos apostolos: Ioanni, cum uirginem Deiparam uirgini commendauit in cruce positus. Nam cum dominus in cruce penderet, pro nostra reconciliatione & salute, uidens mortuissimam matrem adesse, & discipulum quem diligebat, inquit: Mulier ecce filius tuus. Deinde ad discipulum: Ecce mater tua. Ex quibus uerbis colligitur beatum Ioseph sanctissimę Deiparę sponsum iam obiisse: nam si adhuc uiueret, non opus erat Deiparam alteri commendare. In filium igitur donatur uirgini uirgo Ioannes: ut qui tam tenerē diligebatur a Christo, amore filiali diligeretur a uirgine matre: & ipse tanquam filius obsequentissimus esset illi solatio. O beati uiri & uirginis Ioannis gloria, cui cœlestis thesaurus committitur. Cui arca, in qua dominus dignatus est habitare, & carnē de eius sanguine purissimo sumere, custodienda traditur. Vere omni tempore, inquit, Salomon in prouerbis, diligit qui amicus est: & frater in angustiis comprobatur. Vere a Christo domino Ioannes diligitur: Vera & ipse dilectione in Christum afficitur: qui fugientibus omnibus apostolis, solus dominum secutus est. Vnde & introduxit Petrum in domum Annę, & cruci ex omnibus

Z z discipulis

discipulis solus astitit. Quo circa amoris præcipui privilegium meruit, nempe ut in filium matri domini donaretur, quam ipse deinceps habiturus esset in matrem. Optima commutatio beato Ioanni contingit: dum pro matre Salome, ipsius amita & mater domini sibi in matrem datur. Non tamen beatissimæ uirgini equalis est permutationis repensio: dum pro filio Dei accipit in filium beatum Ioannem. Hæc sunt præconia tua, o beate Ioannes, qui dextrâ & sinistram tibi & fratri optabas. Accipe pro dextra, domini matrem in matrem: quæ omni dextera, si cogitabas terrena, dexterior est: quæ omnibus dignitatibus, quæ sub Deo sunt, excelsior, mater est eius qui est altissimus: quæ & omnibus diuinitis ditior, mater est domini omnium. Quod si dextram optabas in cælis, accipe in matrem, quæ sedet ad dexteram filii: & dexteram matri libenter cede, cui soli debetur merito sedere ad dexteram filii: quem admodum & filio, secundum humanitatem debetur sedere ad dextram patris, cui est æqualis, secundum diuinitatem. Tantæ autem puritatis & uirginitatis fuit beatus Ioannes, ut ea dignus fuerit matre, & eius supremæ uirginis uocari filius, quam sibi in matrem elegit Deus. Cæterum soli beato Ioanni datur in cæna supra pectus domini recumbere: & illi soli occultum peccatum Iudæ proditoris, signo buccellæ innixtæ reuelatur, quod beato Petro instante Ioannes a domino quæsierat. Veruntamen beatus Ioannes Petro non reuelauit. Atqui si percontaris, quomodo Christus dominus occultum peccatum Iudæ Ioanni reuelauit: dicendum: quod illud peccatum & si occultum, quia continuo omnibus erat manifestandum, pro aliquo magno profectu spiritali Deus soli Ioanni reuelauit. Eadem namque hora exiit Iudas, & receptis triginta argenteis dominum tradidit. Propterea occultum peccatum statim manifestandum dominus reuelat soli Ioanni: qui sic contempsit uerbum, ut nulli tunc reuelauerit: Quod ex hoc magnus secretus sit spiritalis profectus, colligitur ex eo, quod inde sponte sua passum fuisse dominum comprobatur, cum posset traditionem discipuli, quam sciebat uitare: & Deum esse, qui omnia sciret, se ostendit futuro euangelistæ, qui hæc postea diuino instinctu scripto euangelio prodidit. Sunt qui dicunt, quod Christo domino erat publicum Iudæ peccatum tanquam Deo, ideo reuelauit. Sed cum corpus suum & sanguinem dedit Iudæ, ideo factum ne illum manifestaret. Existimoque soli euangelistæ detectum, quoniam illico erat manifestandus: & quoniam a Ioanne postea in euangelio hæc tradenda erant, ad ostensionem scientiæ & spontaneæ passionis Christi, quod multum facit ad fidem diuinitatis domini astruendam. Solus beatus Ioannes post resurrectionem, cum ad piscandum Petrus accessisset, cognouit dominum in littore ambulantem & quærentem: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non, dixit eis: Mittite in dextram nauigii rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non ualebant illud trahere præ multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est, Ioa. 21. Hoc ergo soli Ioanni datur privilegium, dominum præ cæteris tunc cognoscendi: qui præ aliis in euangelio ipse diuinitatem manifestauit. Ioannes enim nouissimus omnium de Christi diuinitate contra Ebionitas euangelium edidit: tum & epistolas tres charitate & dilectione plenas. Ipse adeo Christum diligebat ardentem, atque ita a domino ipse uicissim diligebatur, ut hoc titulo prænotaretur: Discipulus quem diligebat Iesus. Cuius omnis uox, charitas est & dilectio. Et tanquam caminus ignis ad usque cælum charitatis & dilectionis flammam emittit. Ipse præterea spiritu prophetico reuelatum est ecclesiæ sanctæ successus, usque ad mundi finem, cum exularet in insula Pathmo. Ipse denique martyrii cordis laurea insignis est:

S. Tho. 2.
2. q. 33.

est: dum penes crucem, tum domini cruciatus, tum & matris Deiparæ uirginis dolores ipse deseret. Cæterum in dolio feruentis olei a Domiciano immisus, iamque uoluntate martyr effectus (domino sic disponente, quasi quos pertulerat ad ipsius crucem dolores, satis ad martyrium forent) unctus è dolio, & non aduersus exiuit. De cuius obitu sic ait beatus Hieronymus: Hic est Ioannes, qui sciens superuenisse diem recessus sui, conuocatis discipulis suis in Ephezo, per multa signorum experimenta promens Christum, descendens in defossum sepulturæ suæ locum, facta oratione positus est ad patres suos, tã extraneus a dolore mortis, quàm a corruptione carnis fuerat alienus. Sine dolore moritur, qui dolores passionis domini, & cruciatus cordis moestissimæ matris eius in corde pertulit. Sine dolore obiit, qui carne incorruptus, uirgo semper permanit gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS NONVS,

In XX. cap. beati Matthæi.

PETIERAT autem beatus Iacobus maior matru Ioanne, una cum matre & fratre dextram & sinistram in regno Christi, cum se sanguine & familiaritate cerneret Christo coniunctiorem. Qui repullam tulit, etiam si ei calix passionis porrigitur: quem ipse libenter acceptat, dicens vna cum fratre Ioanne: possumus, possumus pro te o Christe probra sustinere, irrationes tolerare, flagellis dorsum libenter dare, os cõtumeliis & caput gladio submittere. Fuit beatus Iacobus unus ex tribus domini familiaribus, quem ipse in suæ transfigurationis, & puellæ filiæ archisynagogi suscitationis testem elegit. Hunc Christus dominus passione instante suæ moestitiæ noluit esse consortem, quem priorem susceptorus erat in cælum in sedem apostolorum sessorem. Hunc dominus Hispaniæ prædicatorem & patronum dedit: cum eius beatissimû corpus apud Compostellam afferuari uoluit. Hic vnicus infidelium est debellator, cuius patrocinium nostri sæpe in bello experti sunt: eoque duce perpauca milites ingentes Maurorum copias deuicere. Quibus apparebat apostolus: ipse conspicuus, equo insidens albo, ac lucidissimis armis totum corpus cinctum, & luciformi gladio inimicos Christi percutiens. Quod ipsi etiam Mahumetani fatentur: qui inter spolia a nostris captiui ducti, illum militem admirabantur qui candido equo uectus & splendidissimis armis munitus, stragem magnam suis dedisset: nunquam se similem conspexisse asseuerantes, & quod aspectu esset terribilis, & quocumque se uergeret plurimos uno ictu prostrasse, nec suorum unquam illi telum huc gladium nocuisse. Huiusmodi signis experiuntur Christiani beatum Iacobum, quem vno ore pugnaturi aduocant: suis Hispanis præsto adesse, veræ fidei propugnatores: pro qua primus omnium apostolorum capite plexus est. Felix nimirum Hispania est, quæ tanto ditatur patrono, & cui in apostolum datus est unus è tribus illis selectis discipulis domini familiaribus & consanguinitate coniunctis. Beatus apostolus Paulus se in Hispaniam profecturum bis profectus, ad Roma. capit. 15. dicens: Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens uideam nos, & a uobis deducar illuc, si uobis primum ex parte fructus fuero, Et iterum. Hoc igitur cum consummauero, & assignaero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. Non tamen liquido scimus, an ad nostros priores patres ecclesie rit beatus apostolus Paulus. Compertum tamen habemus ad Hispanos uenisse

Z z 2 se beatum

se beatum Iacobum anno salutis nostræ, ut quidam referunt, xxxvii. atque illis euangelio Christi prædicato Hierosolymam iterum concessisse: ubi ab Herode Agrippa martyrii laurea coronatur anno primo Claudii cæs. qui fuit nonne salutis quadragesimus. Deinde apostoli corpus nauigio impostum a discipulis, marique se committentibus: in Hispaniam ad litus Gallæciæ prope Compostellam diuinitus delatum esse. Quo loco hodie ab omnibus Christi fidelibus undique confluentibus summa religione uisiturat & colitur: ac multis ibi decoratur miraculis, sanguine & familiaritate Christo coniunctus beatus noster patronus Iacobus. Cum hæc ciuitas Conimbricensis a Mahumecanis teneretur, & eam obsideret Ferdinandus Legionis & Castellæ rex, nec eam capere posset: in crepusculo illius diei quo capta est urbs, oranti episcopo Compostellano coram beati Iacobi apost. ara, visus est illi beatus clauis manu gestans, qui suum antistitem his uerbis sic alloquitur: Eo nunc, inquit, aperueris seras urbis Conimbricensis, ut rex Ferdinandus illam ingrediatur. Qua quidem hora Ferdinandus regi Mauris profligatis tradita est. In eius rei testimonium, adhuc ciues Conimbricensis ad uigesimum quintum diem beato Iacobo sacrum, militares ludos exercant, equis cursitantes per totam urbem ac uexillum eius portantes. Sed hæc hæc tenus. Optime igitur dextra & sinistra temporalis regni, quam beatus Iacobus perierat, compensata est: Illi enim primo omnium apostolorum diuina uisio & fructio datur: & fidei factus est propugnator, & dux equestris, qui antea fuit piscator. O admiranda charitas Christi: retia reficiebant fratres cum uocantur a domino, beatus Iacobus & beatus Ioannes: nunc autem fidei illustrissimi sunt defensores, & infidelium expugnatores, unus euangelio, alter gladio. Si quis diceret beato Iacobo, cum patris retia reficiebat. Ecce tu uocaris a Christo domino, erisque strenuus miles, cui inimicorum gladius nunquam nocere poterit: tuus uero, quocumque illum uibraueris, plures uno ictu occidet. O beatissime præsul & sacerdos Iacobe, quomodo euasisti in re militari felicior Alexandro, fortior Samphone, & omnibus inuictis ducibus magis inuictus? Sic iam nobis erit gratiæ consideratio, quemadmodum ipsa naturam superat: ut qui habuerit illam, redditur in omni opere exercitatus. Discipuli natura pauidi, qui omnes de relicto domino in ea nocte, qua ipse traditus est, fugam arripuerunt, adueniente Spiritu sancti gratia facti sunt fortissimi & fidei intrepidi propugnatores. Omnibus namque se opposuerunt idololatriæ regibus & principibus mundi, atque illis fidem prædicauerunt. Præterea gratia infans & rudes facit disertos. Vides namque quanta celeritate, beatissimi apostoli per Spiritum sanctum omnem scripturæ sensum edocti sapientissimi euaserunt: & qui linguam tantum vulgarem nouerant, ubi Spiritus sancti gratia participes fiunt, omnium loquuti sunt linguis. Calicem igitur domini beatus Iacobus omnium apostolorum prior bibit, & torrente voluptatis domini potatus est. Quod si magnum est, gratia mutare naturam: amplius donum est animam beatificare in gloria, & reddi illi merita gratiæ in superna beatitudine. Magno quippe munere donatus est a domino beatus Iacobus, quem primum omnium supernæ ciuitatis uoluit constituere ciuem, & tanquam apostolorum primitias ad se suscipere ad videndum sedes, quas duodecim olim promiserat. Gaudeat igitur beatorum apostolorum chorus, quia ex illis martyrii ducē & primitiā elegit Christus beatum Iacobum. Quem Herodes aliquos de ecclesia aspicere uolens, ex apostolorum collegio demptum, præ cæteris capite plexit. Primus igitur & duodecim numero fuit, qui mortem, quam pro nobis est saluator passus, saluatori reddidit. Habetque iam beata duodecim societas, primum e iuis

martyrem,

martyrem, qui in conspectu Christi semper adsistat, & beata uisione & fructio ne detrahitur gaudeat. O uere beate Iacobe, tibi data est una ex sedibus duodecim apostolorum præ ordinatis. Tu prior e tuorum fidelium numero beatorum cuius effectus es. Manent labores Petri & tuo germano fratri Ioanni, cæterisque tuis consortibus: tibi præ cæteris datur requies, ac primus ad sempiternam quietem electus, tantum pro fide certas: qui omnibus te inuocantibus Christianis aduersus infidelium turmas, illico in patrocinium ades. His te uoluit decorare muneriis Christus, ut quod cæteri plurimis laboribus uerbo fecerunt tunc uincas, nulliusque sit fidei hostis, qui te adueniente non profligetur & pereat. Gaude Hispania, quæ tanto donaris patrono: & in gratiarum actionem prorumpe, ac semper in fide stabilis persevera: cum tanto sis dotata apostolo, decorata martyre, sublimata duce, honorata Christi familiari & consanguineo: Cui Christo domino cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS VIGESIMVS,


In XXI. cap. beati Matthæi.

ET egredientibus illis ab Hierico, secus est eum turba multa: & ecce duo cæci sedentes iecis uiam, audierunt quia Iesus transiret: & clamauerunt dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. Et stetit Iesus, & uocauit eos, & ait: Quid uultis ut faciam uobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et consilium uiderunt, & secuti sunt eum. Quod semper turba sequatur dominum Iesum, multitudo miraculorum facit. Nunquam enim dominus operari cessat & docere, ut in omnibus se Deum & Messiam in lege promissum ostendat: & ut nulla Iudæis sit excusatio eorum, quæ uiderunt & audierunt. Datur & exemplum sequentibus Christum, nullam illis deesse spiritualis consolationis gratiam. Cæterum de salute iis cæcis præstita, de qua hic beatus Matthæus agit, non minima inter doctores conquisitio est. Siquidem beatus Marcus cap. 10. ait: Et ueniunt Hierico: & proficiscere eo de Hierico, & discipuli eius, plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat iuxta uiam mendicans. Et beatus Luc. 18. capit. inquit: Factum est autem, cum appropinquaret Hierico, cæcus quidam sedebat secus uiam mendicans. Matthæus duos cæcos fuisse tradit. Marcus & Lucas unum tantum referunt. Huius autem dubitationis facilis erit solutio, si sacra scripturæ morem attendas. Sic profecto beatus Matthæus cap. 8. dicit: Et cum uenisset Iesus trans fretum in regionem Gerarsenorum, occurrit ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes sæui nimis, beatus Marcus cap. 5. ait: Et exeuntes ei de nauis, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo. Et beatus Luc. cap. 8. Et cum de nauis egressus esset ad terram, occurrit illi uir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis & uestimento non induebatur neque in domo manebat sed in monumentis. Duplicem dæmoniacum fuisse constat ex beato Matthæo. Beatus autem Marcus & Lucas unum tantum dicunt: quoniam hic magis insignis & sæuus altero erat. Sic & beatus Ioa. cap. 12. solum Iudam refert detrahentem Mariæ Magdalene, eo quod unxisset pretioso unguento domini pedes. Maria ergo (inquit Ioannes) accepit libram unguenti Nardi pificæ pretiosæ, &

vixit

unxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capellis suis: & domus impleta est ex odore unguenti. Dixit ergo unus ex discipulis eius Iudas Iscariotes, qui erat cum traditurus: Quare hoc unguentum non uenit trecentis denariis, & datum est egenis? Beatus autem Matthæus cap. 26. ait: Cum autem Iesus esset in Bethania, in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: Vt quid perditio hæc? potuit enim istud uenundari multo, & dari pauperibus? Idem quoque refert beatus Marcus, addens Magdalenam fregisse alabastrum. Itaque beatus Matthæus & Marcus super caput narrant effusum unguentum, & subticent unctionem pedum, quæ facta est primum, secundum beatum Ioannem. Matthæus etiam tacet fractionem uasis unguenti. Beatus Ioannes unctionem pedum & extensionem capillis factam exponit, & capitis unctionem tacet, Iudamq; solum inducit dicentem: Vt quid perditio hæc? & cetera. Itaque accipiendum est Iudam prius detraxisse unctioni & unguenti effusioni, mox ceteros concitasse discipulos: quibus & detractio placuit, existimantibus bono zelo id Iudam dixisse, cui de egenis nulla erat cura: sed cum sur esset & haberet oculos, pecuniam concupiuit, quæ ex unguento in eius manum deuentura erat. Similiter cap. sequenti de asina & pullo adductis ad Iesum scripsit beatus Matthæus. Ceteri tres beati euangelistæ tantum de pullo mentionem faciunt. Sic igitur in loco, quem nunc tractamus, censendum est beatum Matthæum duos posuisse cæcos: beatum uerò Marcum unum tantum, nempe illum, qui erat magis insignis & notus omnibus, cuius nomen & patris eius declarat. Quod igitur unus euangelista subticet, exprimit alter: ut cognoscamus per Spiritum sanctum conscriptum esse sacrum euangelium Christi, cum a diuersis omnia referantur omni contrarietate semota, eodeni spiritui alii suggerente, quod alius tacet. Et sic quatuor sancti euangelistæ, in diuersis mundi partibus existentes, in euangelica narratione admodum concordés sunt, nunquam sibi pugnantiæ, licet diuersa conscribentes: nimirum quæ unus tacuit, altero profertur. Ex quo luce clarius patet patrocinio Spiritus sancti nere illos omnia retulisse. Porro alterum dubium hic nobis occurrit priori difficilium, cum beatus Matthæus dicat: Et egredientibus illis ab Hierico: ecce duo cæci sedentes secus uiam. Beatus Marcus ex illis tantum magis insignem referens, ait: Et proficiscente eo de Hierico, & discipulis eius, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus sedebat iuxta uiam mendicans, Marci 10. Beatus uerò Lucas cap. 18. Factum est, inquit, cum appropinquaret Hierico, cæcus quidam sedebat secus uiam mendicans. Beatus Matthæus & Marcus dicunt, quod recedente domino ab Hierico: beatus Lucas ait, cum appropinquaret. Sunt qui dicant eisdem esse cæcos, quos beatus Matthæus & Marcus & Lucas referunt. Et quod beatus Lucas ait: Cum appropinquaret Hierico, in recessu ab Hierico intelligendum: ac si dicat excessit eum de Hierico, cum adhuc Hierico propinquus esset, cæcus quidam sedebat in uia mendicans. Cæterum cum uerbum, appropinquaret, a recessu & exitu sit diuersum, alius uidetur cæcus sanatus in ingressu Hierico, de quo apud Lucam: & alius, Bartimæus sanatus in exitu ab Hierico, de quo apud Marcum, quorum apud Matthæum nomina reticentur: & si omnes illos iussit Christus ad se adducere, & eadem uerba proferunt, & a turba clamare prohibentur. Namque domino iam Hierico appropinquante, secundum Lucam, sedebat quidam cæcus secus uiam mendicans, qui clamabat: Iesu filii Dauid, miserere mei. Et qui prebant increpabant illum, ut taceret: ipse uerò multo magis clamabat:

clamabat. Fili Dauid, miserere mei? Quem dominus iussit ad se uenire, & illi uisum reddidit. Hæc ab amicis uel fortè ab ipso eodem cæco, potuerunt referri aliis duobus cæcis, qui ad exitum Hierico considebant: qui eisdem uerbis dominum interpellant, & prohibiti sunt a turba. Hos dominus iubet ad se adduci: quod ex eo magis apparet sic contigisse, quoniam beatus Lucas cæco illuminato in ingressu Hierico tradit dominum dixisse: Respice, fides tua te saluum fecit. Et contestim uidit. Beatus autem Matthæus, duos illos cæcos dicit tactu domini illuminatos, dicens: Quid uultis ut faciam uobis? Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. Misertus autem Iesus eorum, tetigit oculos eorum, & contestim uiderunt. Huic interpretationi beatus Aug. consentit lib. 2. de Consensu euangelistarum cap. 65. dicens: Proculdubio Bartimæus iste Timæi filius, ex aliqua magna felicitate deiectus, notissimæ & famosissimæ miseræ fuit: quod non solum cæcus, sed etiam mendicus sedebat. Hinc est ergo, quod ipsum solum uoluit commemorare Marcus. Cuius illuminatio tam claram famam huic miraculo comparauit, quam erat illius nota calamitas. Lucas uerò quamuis omnino eodem modo factum, tamen in alio cæco intelligendus est par commemorare miraculum, & eiusdem miraculi parem modum. Ille quippe hoc factum dicit, cum appropinquaret Hierico: at illi cum egrederetur ab Hierico: sed nomen ciuitatis & facti similitudo putari suadet semel esse factum: Sed euangelistas in hoc sibi aduersari, quod alius dicat: cum appropinquaret Hierico: alii, cum egrederetur ab Hierico, non sane hoc persuadet nisi eis, qui procliuus credi uolunt mentiri euangelium, quam duo similia similiterq; miracula fecisse Iesum. Quid autem sit credibilium, & quid potius uerum, omnis fidelis filius euangelii facillimè uidet: & omnis contentiosus, saltem cum admonitus fuerit, uel tacendo, uel etiam si tacere noluerit cogitando, sibi ipsi responderet. Constat igitur cæcum unum, quem ponit Lucas, illuminatum in ingressu Hierico: duo uero in recessu ab Hierico. Nec prætermittendum, quod in ingressu & recessu Hierico inueniat dominus cæcos: quando Iudæa, quæ per istos cæcos designatur, nec recepit dominum ingredientem in mundum, & tot miracula efficiens: nec nouit in recessu a mundo, cum resurgens a mortuis cælum ascendit gloriosus: nec euangelio credidit domino prædicante, & discipulis eius post aduentum Spiritus sancti idem annunciantibus: nec denique cum a Iudæa discipuli recesserunt & conuersi sunt ad gentes. Merito ipse Hierico cum a Iosue capitur, non armis sed tabis uincitur sacerdotum: quoniam acclamantibus beatis apostolis tradita est Iudæa in excidium Romanorum, eo quod non cognouit domini uerbum & apostolorum. Dixitq; Iosue: sit ciuitas hæc anathema, Iosue cap. 6. Sic & Iudæa perpetuo percussa est anathemate, usquequo reliquæ saluentur ex ea, secundum uaticinium Esai. ca. 10. Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquæ conuertentur. Nos igitur quibus datum est agnoscere dominum nostrum Iesum Christum, cum his cæcis illuminati sequamur illum: laudantes & magnificantes diem, qui dedit nobis redemptionem & gratiam, per dominum nostrum Iesum Christum: cui cum patre & Spiritu sancto est gloria, honor, & imperium in æternum. Amen.



T cum appropinquassent Hierosolymis, & uenissent Bethphage ad montem oliuæ: tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra uos est, & statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea: soluite & adducite mihi: & si quis uobis aliquid dixerit, dicite: quia dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. Hoc autem factum est, ut adimpleretur quod dicitur per prophetam: Dicite filie Sion. Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiectionis.

Zacha. 9.

Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos uestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauit uestimenta sua in uia: alii autem cadebant ramos de arboribus, & sternerant in uia: turba autem quæ præcedebat, & quæ sequebatur, clamabat dicentes: Hosanna filii Dauid: benedictus qui uenit in nomine domini: Hosanna in altissimis. De pago sacerdotum in quo nutriebantur pecora ipsorum, uidelicet Bethphage inter Bethaniam & Hierosolymam sito, misit dominus discipulos Hierosolymam ad afferendum pullum & asinam. Quoniam futurum erat a templo sacerdotum legalium, eo relicto, declinandos esse apostolos ad pullum, idest gentium populum adhuc indomitum domino afferendum, & asinam Iudæorum gentem quotquot ex illis crediderunt adducendam. Beati tres euangelistæ, Mar. 11. cap. Luc. 19. Ioan. 12. de pullo tantum faciunt mentionem. Matthæus uero & asinam inducit, quoniam asinam super utrumque dominus sedit, aliquando in uino, nonnunquam uero in altero iumentorum. Et quoniam beatus Matthæus Hæbraica lingua euangelium scripsit Iudæis illos a Christi fide non excludit: cum & plurimi ex eis crediderint. Cæteri uero tres euangelistæ quoniam inter gentes conscripsere, Marcus in Italia, Lucas in Achaia, Ioannes in Asia: de pullo quo gentes significantur indomitæ, & sine legis fræno uiuentes, mentionem tantum fecerunt. Propheta porrò Zacharias cap. 9. sic ait: Exulta satis filia Sion (Dicite filie Sion scriptum est ab Esaia cap. 62.) iubila filia Hierusalem: ecce rex tuus ueniet tibi iustus & saluator: ipse pauper & ascende super asinam, & super pullum filium asinæ. Nimis fidem confirmat, Christum dominum sic uenisse & sic fecisse, quemadmodum per prophetas fuit prænuntiatum. Prophetias siquidē quas legitur de Messia, in euangelio adimpletas cernimus. A deo uero humilis dominus Hierusalem ingreditur, quoniam ad patiendum in ea uenerat: quo & se adductum sponte sua ostendit. Qui tantam turbam tunc in obsequium habuisset, poterat ui humana, si uellet, ne pateretur sese trahi: præsertim uero cui præsto adessent, si id quoque uellet, angelorum infinitæ myriades, cui omnis obsequitur cælestis curia. Quod Iuice clarius manifestatur, cum dixit Petro Matth. 26. An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? maxime

maxime cum in populari illa acclamatione diuinitas eius satis prædicaretur, a turba dicente: Hosanna filio Dauid, salua obsecro fili Dauid, in altissimis salua nos, non a temporali seruitute Romanorum, sed salua a tyrannide diaboli, mundi & carnis: Salua in altissimis. Omnium proculdubio se etiam ostendit dominum, cum dixit discipulis quos misit ad adducendam asinam & pullum: Si quis uobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet. Dominum absolute se dicit, non dominum Hierusalem, uel Iudææ, sed dominum uiuicorum: Dominus, inquit, his opus habet. Sanè admirabilis fuit hic ingressus domini in Hierusalem, quem super asina & pullo sedentem plus ueneratur turba, ac maiori acclamatione extollit, quam si a plurimis stiperetur militibus, & phalerato equo urbem ingrederetur. Nam si ob humanam pompam & factum ueneretur a turba, & illi acclamaretur a populo, cultui regio id factum tribueretur. Cum uero dominus nunc tanta humilitate ingreditur, nimirum duodecim pauperulis discipulis associatus, & super despicit animalibus sedens, quibus pro sella apostolica uestis substernitur, Christi diuinitatis indubitata sunt testimonia. Quo etiam tendit acclamatio illa, Rex Israel, Ioa. 12. & illa: Deus qui saluat in excelsis: Item quòd palmarum ramis excipitur, uictoriam designantibus: quodque plurima turba uestes iterum in uia, & alii etiam ramos de arboribus casos. Ex quibus omnibus manifeste ostenditur regnum ipsius spirituale, omniumque dominum esse uniuersalem & regem, qui altiori modo & sublimiori, quam huius seculi reges, in nobis regnet ac dominetur. Quòd autem uestes prosterantur in uia, uoluntatem designat, qua tota uestitur anima, Deo subiectam fieri, idque quod plus amatur illi submitti: quod raro terrenis offertur regibus. Deo uero is temper offert, quisquis est illi uerus fidelis. Nam Dei regnandi consuetudo uoluntatis amore inchoatur. In capite libri scriptum est de me ut facerem uoluntatem tuam: Deus meus uolui, & legem tuam in medio cordis mei, Psal. 39. Reges terreni corporibus imperant non affectibus. Regi uero cælesti obsequio corporis inferuere non prodest, nec flectere genua nisi illi flectatur & mens, & uoluntas deferatur & amor. O regnandi solius Dei maiestas, o nimia subiectorum felicitas, quando ipse Deus amore regnat, & subditus amando obsequitur. Exuamur ergo terreno amore, uoluntatem nostram qua transiturus est dominus illi prosternamus, ut nobis & mansuetus appareat, & in cælestem Hierusalem regnantem cernamus. Nam si uirtutes & penitentiam furori domini opposuerimus, mansuetus tunc, & dicitur nobis: Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus. Sic penitentibus Niniuitis mitem se dominus præbuit, cum clamaret Ionas quadragesimo die urbem subuertendam. Sic Ezechia stetit ad quindecim annorum spatium protenditur uita, Esa. 38. Igitur uoluntatem ab omni temporali desiderio exuamus, illamque domino prosternamus, nihil uolentes, nihilque amantes præter ipsum aut propter ipsum. Ramos alii de arboribus cadebant sternerentes in uia, abscondendos errores & peccata significantes, quæ sub pedibus domini ut emundarentur submittebant. Bene ad pedes domini ruit Magdalena in ciuitate peccatrix, Luc. 7. quando & hii ramos scindentes submittebant domini pedibus. Si superbus es rescinde superbiam, & sub pedibus domini submitte ambitionem humilitate prostratus, & ab excelsa arbore ramum detraxisti. Si ira percutis es, desine ab ira & derelinque furorem: & sub pedibus domini submitte patientiam suscipe ab illo: qui cum maledicebatur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, & ramum ab ignea arbore detraxisti. Si ab auaritia occuparis, domini pedes cum peccatrice

superfluum bonorum largitione in pauperes terge, nec tatur ramum sed & radicem plurimorum malorum amputasti. Si temporalis dominus es, uel rex, seu spiritalis praelatus, quot uitia a subditis pellis, tot ramos cedis & sub domini pedes sternis. Si tibi compertum est iudicem uel praeorem tuum ius uiolare, frange uirgam illius & alij officium tradito, & sic de arboribus ramos caedisti, & sub pedibus domini strauisti. Hos igitur ac similes ramos homines a se ipsis caedere oportet: quando ipse dominus & Deus noster, & si nos reliquerit in manu consilii nostri, tamen habenas manu sua retinet, ut in chamo & freno maxillas eorum confringat, qui non approximant ad illum. Tu sane dices, rex sum: sed uide habenam in manu domini: terribilis & ei, qui aufert spiritum principum, terribilis apud reges terre. In manu enim domini est, regnum & dominium tibi auferre. Dedit tibi Deus oculos, tamen eius in manu est, te quotiens uelit priuare uisu. Dedit tibi diuitias, sed eius in manu est, quotiens uelit, eas tibi auferre. An non sic sentit ille, qui ex diuitie in summam deiectionis miseriam dixit: Dominus dedit, dominus auulsiuit: Donat tibi uitam, uerum in eius manu est tollere eam. Dominus mortificat, & uiuificat, deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat & subleuat, dixit Anna mater Samuelis, prim. Reg. 2. cap. Itaque semper dominus sedet super asinam & pullum, siue senes siue iuuenes simus. Ipse, inquam, desuper sedet, habenas in manu habens. Quod si non recte incederimus, percutiet & confringet nos. Qui autem uoluntatis uestes prosternunt, super omnia Deum diligentes, & ramos peccatorum cadentes, sub eius pedibus spargunt frondes, ueram agentes poenitentiam. Quibus dicitur, cum finis appropinquauerit: Dicite filiae Sion, Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus. Filia Sion dicitur Hierusalem: quoniam mons Sion imminet urbi, quam muniebat arx eo in monte posita. Est & mons Caluarie in eius montis parte in quo dominus patibulum subiit, nosque a tenebrarum potestate redemit. Est & coenaculum, ubi diuinissimum sacramentum, dominus corporis & sanguinis sui instituit: ubi & spiritus sanctus in discipulos domini aduenit, & gratia confirmauit: cui cum patre & spiritu sancto est gloria, honor, & imperium in aeternum. Amen.

TRACTATVS SECVNDVS,

In XXI. cap. beati Matthaei.

IN hac soleni pompa qua suscipitur dominus in Hierusalem, uoluit designare statum futurae militantis ecclesiae, & sui aduentus in carne exitum gloriosum, quo die qui ab isto fuit octauus, resurrexerat, diabolo & morte deuictis abolitisque peccatis. Ideo mittit duos ex discipulis in Hierusalem, ut inde ducant asinam Iudaeorum oneribus legis asuefactam: asinumque populum gentium, pullum super quem nemo hominum sedit: quoniam per hos duos populos eius erat sacratissima passio consumanda, quando ipse praedixerat: Ecce ascendimus Hierosolimam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis: & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum: & die tertia resurget. Adducunt discipuli utrumque iumentum, nempe utrumque populum: quoniam Iudas ex apostolorum numero unus illius Iudaeis tradidit: & Iudaei gentibus, qui illiusum & flagellatum cruci affigunt. Victor tamen dominus ex hac beatissima

tissima passione sua euasit: cum peccata deleuit, mortem & diabolium uicit. Et quia id fuit opus summæ misericordiae, ramos in uia illi strauit turba: & quia uictor ascendit die tertia, cum ramis palmarum illi obuiam uenit: & quoniam per passionem eius redempti sumus a miserrima seruitute diaboli & peccati, illi acclamatur: Hosanna in altissimis, salua obsecramus te, salua in excelsis. Pius redemptor summo nos diligens affectu, non dedignatur asina & pullo uehi in Hierusalem, qui pro nobis dignatus est patibulum crucis subiire, & in medio duorum latronum collocari, & a populo Iudaeorum & gentium in illam humilitatem deuenire pro ipsarum gentium & Iudaeorum salute. Atque apostolica uestis iumentis substernitur, quoniam super sanctum Baptismum per apostolos praedicatum Christus dominus in utroque erat populo habitaturus. Procedit igitur Christus dominus uiam suam in Hierusalem, eique obuiam turba uenit cum ramis palmarum, acclamantes: Rex Israel, secundum beatum Ioan. capit. 12. & Luc. capit. 19. & secundum Marc. capit. 11. dicentes: Hosanna, benedictus qui uenit in nomine domini: Benedictum quod uenit regnum patris nostri Dauid, Hosanna in excelsis. Cum audis diuersas populorum uoces, quae tandem in idem redeunt: scito omnia illa uerba exclamasse turbam: & unum quidem euangelistam unum illorum uerborum: alterum uero, alterum recitasse. Itaque simul collectis uerbis, haec erat acclamatio: Hosanna filio Dauid, benedictus qui uenit rex in nomine domini: & benedictum quod uenit regnum patris nostri Dauid, pax in caelo & gloria in excelsis, Hosanna in altissimis: hoc est, salua obsecramus te in excelsis. Turba igitur diuino instinctu in illa hora afflata, diuinitatem Iesu pariter & humanitatem confessam est, cum regem aeternum, cuius regni non erit finis acclamans: & saluatore in excelsis, salutem nimirum aeternam donantem, & uerum Dauid regnum cuius non erit finis aduenisse protestatur. Nulli unquam Romanorum uictori Caesari sic est a populo acclamatum, nec tales unquam honores tulit, ut illum turba ciuitate egressa palmarum ramis lata exciperet, & in uia uestes prosterneret: & omnes una clamarent: Salua nos, o rex, salua, benedicte, qui uenis in nomine domini: Salua obsecramus te: Salua nos in aeternum. Hoc enim signant uerba in altissimis & in excelsis salutem aeternam: qui cum saluatur in caelo, in aeternum saluus erit, dicente domino de iniquis: Ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in uitam aeternam. Christus autem dominus, quoniam morte doloribus & opprobriis plena nos in cruce saluaturus erat, ad tantum triumphum & uoces, super asinam & pullum humilis processit, considerans quot cruciatibus pax illa in terra & gloria in excelsis hominibus reddenda erat: & quot flagellis donanda illa aeterna salus, quam uehementissimo turbæ affectu poscebant. Quapropter & beatus Lucas refert dominum lachrymas emisisse, dum uideret ciuitatem Hierusalem, eo quod non cognouisset tempus uisitationis suae, quodque die ab hinc sexta esset acclamatura: Tolle, tolle, crucifige eum. Ad eum est instabile uulgus: praesertim Iudaeus ille populus a pharisaeis & pontificibus suis subornatus. Hinc etiam edocemur, ut honores terrenos uilipendamus, utpote fragiles & instabiles. Propterea Deus, cum illi ueras laudes popululus reddidisset, ipse lachrymas fundit uidens ciuitatem: & asina uehitur, tanquam omnia parui pendens. Apostolis porro praecipitur soluere asinam & pullum, quibus peccatorum solutio erat committenda: & per quos a tenebris eruentus erat uterque populus sua praedicatione, per illos utique & utrumque animal soluendum erat & adducendum ad Iesum. Iidem beati apostoli uerba sua iumentis substernunt, ut super sedeat Iesus: Quoniam ipsi cum per uniuersum orbem duxerunt: nimirum

rum sanctissimam eius uitam, prædicationem, & miracula annuntiantes: eum & verum Deum & Messiam in lege & prophetis promissum, qui peccata deleturus erat & animas saluaturus, omnibus prædicantes. Sedit igitur dominus fide & charitate super vtrumque populum, paucis Iudæorum credentibus & bona operantibus. Procehit dominus stipatus caterua gentium credentium & diligentium populorum, associatus beatis apost. Sic oibus acclamantibus: Benedictus qui uenit in nomine domini, rex Israel, Hofanna in excelsis, Hierosolymam ingreditur. Hanc vocem sacrosancta mater ecclesia bis in fine præfationis misse repetit. Dicens enim, Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus Deus Sabaoth, quo trinitatem diuinarum personarum in essentia unitatem denotat, addit Hofanna in excelsis. Tunc sumens a turba ista Iesu acclamanti, Benedictus qui uenit in nomine domini, iterum eandem vocem repetit, Hofanna in excelsis. Exuunt vestimenta sua, & prosternunt in via plurimi: quoniam futurum erat plurimos relictis omnibus dominum imitatuos: ac nudos a secularibus bonis nudum in cruce dominum sequuturos. Quin plurimi eorum futurum erant martyres, non temporalia tantum relicturi, sed ipsum corpus animæ quodammodo tegumentum cruciatibus tradi turi: Quorum quidam membratim dissesti sunt, alii decorati, alii igne adusti, alii gladio, alii sagitta percussi: corpusque ipsum pro Christo tradiderunt uultu ita alacri & prompta uoluntate, uelut si corporis indumentum deposuissent. Quod iam tunc significans turba uestimenta sua sternebat in uia: alii cadebant ramos de arboribus: & sternebant in uia, temporalium rerum superflua abscindenda esse significantes. Quæ plurimi reges & imperatores & diuites mundi absciderunt & a se abstulerunt, ecclesias & xenodochia & orphanotrophia constituentes, ac redditibus plurimis dotantes: infirmos, pauperes, expositosque infantes alentes, & omni pauperi subuenientes. Vnum ueruntamen inter cætera huius admirandi triumphii mirabilius est: quod duci & imperatori post actam uictoriam exhibetur triumphus, & uictoris præconia acclamantur: Cæterum Christo domino ante actum proelium, ante deuictum diabolum, mundum, & mortem triumphus exhibetur, & acclamatur: Benedictus rex, qui uenit in nomine domini, Hofanna in excelsis. Per hoc significante spiritu sancto uictoriam in manibus Christi semper fuisse, & quotienscunque uellet posse illam de inimicis habere. Cæteri uero reges & duces, tunc potiuntur uictoria, cum hostem sibi submitunt: non cum ipsi uolunt, sed quando illis desuper datur. Igitur Christus dominus cum uoluit, tunc uictoriam reportauit, quæ dubio procula uoluntate uictoris pendebat. Quia uero postquam conceptus est in uero, & natus & uiuens nunquam uicisse destitit, ob id a populo illi acclamatur & exhibetur triumphus antequam morte sua & gloriosa resurrectione consumetur uictoria, tanquam semper uictori, & qui eam posset de hoste quancocunque uellet referre. Benedictus sit igitur in æternum Christus, Saluet obsecremus omnes nos in excelsis gratia sua: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS TERTIVS

In XXI. cap. beati Matthæi.

LABYNTIA populi inenarrabili suscipitur dominus in Hierusalem, quoniam iam

iam præfiguratur fore, ut doctrina Christi summa alacritate in omni terrarum orbe recipiatur. Quidam igitur exuentes uestes sternunt illas in uia, eo significantes & lignum esse Christum, cui totus orbis subdatur: & propter nomen eius omnibus relictis idolis & ceremoniis legis abolitis, solum illum adorandum esse, ac soli Deo inferendum. Alii arbores ramis spoliant, quibus uiam replent: uiam mandatorum eius significantes ornatam & lætam uiuentibus operibus bonis: nullumque in ea offendiculum reperiri, nullumque sicum & aridum honorum operum mandatum esse, immo uirentia ac fructuosa omnia facientibus ea. Ita de se dominus dixit stentibus mulieribus: Si in uiridi ligno hæc faciunt, seipsum denotans, quemadmodum & Dauid de uiro beato ait, Psalm. pri. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Alii egressi de ciuitate cum ramis palmarum exterunt obuiam domino, significantes qui dominum Christum sequuntur, semper uictorie palmam obtinere. Persequi namque possunt sed hæc nequeunt: Capi etiam possunt, sed uerbum Dei (inquit beatus apostolus Paulus) non est alligatum. Torqueri possunt, ac non fortitudine animi & constantia deiici: Occidi possunt, non tamen uinci. Quin potius torto res ipsi a pueris & puellis pro Christo lætissime morientibus deiici sunt. Super asinam & pullum sedet, qui super animam & corpus suorum fidelium quietus sessurus erat. Illi obsequitur anima cogitationum onere pressa, & sub eius uirga ab omni distractione & multitudinis cogitationum quietata degit. Corpus etiam pullus indomitus a uariis concupiscentiis abstinet: recte per os Dauid spiritu sancto id significante, qui Psalm. 83. ait: Quam dilecta tabernacula tua domine uirtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum uiuum. Cæterum hoc ualde admiratum dignum in hac celebri domini pompa, quod post Lazari suscitationem collecto consilio, pharisæi & sacerdotum principes illico decreuerunt (dicente Caipha: Expediit, ut unus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat) interficere eum, dederantque mandatum ut si quis cognouerit ubi sit, indicet ut apprehendat eum. Dominus autem iam non palam anbulabat apud Iudæos, sed abiit iuxta desertum in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis, Ioan. 11. Veniens autem in Hierusalem suscipitur cum ramis palmarum acclamante populo: Benedictus rex, qui uenit in nomine domini, Hofanna in excelsis. Iam promittebatur, quo magis mundus obfisteret Christo, eo amplius mundi succumbere & iugo Christi submitti. Sic quoque euenit prædicantibus per orbem discipulis, ut quo plures illis opponerentur, eo plurimi conuerterentur, id acclamantes: Benedictus qui uenit in nomine domini, Hofanna in excelsis. Ostendit autem dominus facillimum illi esse orbem, si uellet, sub pedibus suis subdere: & quotiens uellet, & quomodo uellet introire in Hierusalem: & sola uoluntate sua, & propter obedientiam patris pro salute humani generis fuisse passum. Per medios igitur hostes dominus eximia caterua procedit, omnique Hierosolyma admiratur, uidens illum tanta acclamatione & pompa susceptum, & sic intrepide introire in urbem, aduersus quem iam promulgatum erat mandatum: ut si quis cognouerit ubi sit, indicet ut apprehendant eum. Ecce illum dicitur Caipha: ecce illum dicitur pharisæi: ecce illum, non opus est ut quis indicet ubi sit. Ecce adest super asinam sedens, innumerable turba circumdatus, & palmarum ramis susceptus, & uocibus ad cælum usque sonantibus: Benedictus qui uenit in nomine domini rex. Benedictum quod uenit regnum patris nostri Dauid: Salua nos obsecramus te in excelsis. Accedite

Accedite o pharisei, accedite sacerdotum principes, qui coacto concilio decreto statuistis, ut capiatur Christus & occidatur, nunc capite & interficite: ecce palam adest. Sed o diuini miraculi magitudo. Pharisei & sacerdotum princeps cæci, ubi cum Deum omnipotentem agnoscere debuerunt, ibi ignauia & stupore depressi, nec capiunt, nec illi credunt: sed mirantes pompam, & consonam populi vocem, quodque palmarum ramis victoria illi portendebatur, ad rem ipsam attoniti tacere: nec tunc licuit illis in Iesum violentas manus iniicere: quia nondum uenerat hora, qua ipse pati dignatus est. Lætitia ergo inenarrabili hac die lætata est in ingressu domini Hierusalem, significans lætaturum orbem in aduentu domini, cum per apostolos annūciabitur iuxta vaticinium illud Esaiæ 9. dicentis: Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda quando diuidunt spolia. Ingum enim oneris eius, & virgam humeris eius, & sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian. Sicut igitur qui in messe lætantur, cum iam tempus adest fructus percipiendi: & victores cum spolia diuidunt, labori sine imposto: ita & nos lætabitur coram te, quoniam tu unus nobis causa fuisti, ut bonorum operum maturecerent fructus, ut iam non reponatur iusti in Abraham sinu: sed fructum bonorum operum, cum decesserint, per gratiā passionis tuæ præstiterim (quam gratiam nobis per sacramenta donandam patiens meruisti) statim in gloria consequatur: vel si quæ reliquæ peccatorum uenialium inhæserent, vel pro mortalibus satisfactiones non præstiterent, purgentur: ut purgati continuo Deum facie ad faciem uideant: quando tu dominicæ satanicum ingum quo humanum genus idolorum cultura deditum, subiiciebatur: & uirgam humeris eius, qua nos percutiens superbia sua, quocumque uellet trahebat: & sceptrum eius, qui peccatum per primos parentes commissum a nobis cum usura multiplicum peccatorum exigebat, superasti. Superasti, inquam, quando crucem humeris baiulans ingum tuum suauiter nobis præstitisti, & onus tuum leue humeris nostris imposuisti, & peccatum primorum parentum & nostrum tua passione abolutum a nobis per sanctum baptismum deleuisti: iterumque commissa per sacramentum confessionis & ueræ poenitentiae abtulisti. Sicut in die Madian inquit, quandoquidem Gedeon (prout habetur Iud. cap. 7.) congregatis contra Israel Madianitis numero centum triginta quinque millium, trecentis tantum uiris associatus, & hi sine armis, quorum singulis lagenas vacuas lumine intrus inluso, sinistris ferrent, dextris uero tubas, quibus clangentibus, & lagenis inuicem complexis, & lumine coruscante, & ad tubæ sonitum ipsis clamantibus gladius domini & Gedeonis, omnis Madian perit, cæsis centum viginti millibus. Dominus igitur sicut in die Madian uictoriam fecit: quando non armis, sed paucis discipulis congregatis, qui per totum orbem nomen Iesu acclamarent: & lagenis inter se complexis, id est discipulorum corporibus torturæ & neci propter idem nomen expositis, lumen spiritus sancti in terris apparens, multos longa obtenebratos caliginæ ad ipsius Christi Dei & hominis cognitionem adduxit. Qui & ipse dum crucifigitur, lumine suæ diuinitatis ibi ostenso, multi pectora tundentes conuerrebantur. Et latro eum Deum proclamat, inquit: Domine memento me, dum ueneris in regnum tuum. Item Centurio & qui ex aduerso stabant custodientes Iesum, timuerunt valde, dicentes: Vere filius Dei erat iste, cuius in decessu terra tremuit, sol obscuratus est, ac monumenta mortuorum aperta sunt, & uelum templi scissum est a summo usque deorsum. Suscipitur igitur dominus a turba in Hierusalem palmis & acclamatione diuina: qui a toto orbe suscipiendus erat lætitiæ magna; sicut lætantur qui fructus colligunt, & diui-

& diuidentes spolia deuictis hostibus, sicut in die Madian gratia domini nostri Iesu Christi cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUARTVS,

In XXI. cap. beati Matthæi.

SUSCIPE Christum Iudæa. Suscipe, noli abicere. Tibi enim missum est. uerbum salutis. Tibi Christus promittitur. Ipse Dei uerbum tuus est prædicator. Ipse te querit. Ipse inter tuos nunquam uisā miracula operatus est, operique opus adnectens usque ad Lazari suscitationem processit: qui iam quæriduo in monumento iacebat forrens. Agnosce astorem uite, largitorem salutis, operatorem redemptionis, ac mortis abolitorem. Verum ad te Messiam aduenisse agnosce: uerum filium Dei uiui crede: uide turbam tum acclamante: Benedictus qui uenit in nomine domini rex, & benedictum quod uenit regnum patris nostri David, Hosanna in excelsis. Futurum quippe erat credituros ex Iudeis quorum in die pentecostes crediderunt tria millia, & iterum die altera quinque millia prout habetur Acto. ca. 2. & 4. tanto agi spiritu, ut omnibus suis uenditis, & eorum pretio ad pedes apostolorum deposito, nihil præter Christum possiderent, & in communia agerent uitam: quam nostri temporis ueri religiosi imitantur. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum que possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed omnia illis erant communia. Hoc turbæ significauerunt, proficientes a se uelimenta sua & proferentes in uia, qua dominus transiurus erat. De his qui omnibus renunciauerant, & quibus omnia erant communia, magna semper apostolis cura fuit: nec minima etiam diabolo est, detrahendo sacris religiosi in hanc diem usque per Lutheranos, qui uoce domini condemnantur: cum Mat. supra 19. cap. dixit iuuenti: Si uis perfectus esse, uade, uende omnia que habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in celo, & ueni, sequere me. Et iterum: Omnis qui reliquerit domum, uel fratres aut sorores aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, & uitam æternam possidebit. Mat. 19. Conuincit etiam hos hæreticos sacras impugnantes religiones, inducta proxime ex Actis apostolorum autoritas cap. 4. Nec quisquam eorum que possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Habebant quidem in communi, sed nemo suum esse dicebat: nec priuatim alicuius eorum erant in communi possessa. Beatus apostolus Paulus, prout ipse narrat ad Gal. 2. cap. illi commendatum dicit a beato Petro, Iacobo & Ioanne, ut gentibus prædicans pauperum in Hierusalem memor esset: Et cum cognouissent, inquit, gratiam que data est mihi Iacobus & Cephas, & Ioannes, qui uidebantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ, societatis: ut nos in gentes, ipsi autem in circuncissionem tantum ut pauperum memores essemus. Quanta autem sollicitudine iniunctum piū opus beatus Paulus compleuerit, ipse ad Ro. cap. 15. refert, dicens: Nunc igitur proficiscor in Hierusalem ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctos qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis, & debitoribus sum eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis. Hoc igitur cum consummauerō, et assignaueo eis fructum hunc, per uos proficiscar in Hispaniam. Nec beatus apostolus per alium

Religiosi
approbati
a domino
ostenduntur.

illis hunc fructum mittit, sed per se ipsum: quanta deuotione in pauperes in communi degentes affici debeamus, ostendens. Et pri. Cor. 6. cap. ait: De collectis autem quæ sunt in sanctos, sicut ordinari ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite: Per unam sabbati unusquisque uestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non cum uenero, tunc collectæ fiant. Cum autem præsens fuero, quos probaueritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam uestram in Hierusalem. Quod si dignum fuerit ut ego eam, mecum ibunt. Et ad Cor. 2. cap. 9. ait: Nam de ministerio quod sit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere uobis. Scio enim promptum animum uestrum, pro quo de uobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaia parata est ab anno præterito: & uestra emulatio prouocauit plurimos. Misimus autem fratres, ut ne quod gloriamur de uobis, euacuetur in hac parte: ut (quemadmodum dixi) parati sitis: ne cum uenerit Macedones mecum, & inuenerint uos imparatos, erubescamus nos, ut non dicamus uos, in hac substantia. Necessarium ergo existimauimus rogare fratres, ut præueniant ad uos, & præparent re promissam benedictionem hanc, paratam esse sic, quasi benedictionem, non tanquam auaritiam. Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Unusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim dato rem diligit Deus. Plura alia beatus apostolus profequitur, usque ad finem eiusdem capituli: suadens Corinthiis, ut hanc faciant elemosynam in sanctos, qui sunt in Hierusalem. Quanto autem studio beatus apostolus Paulus ueneretur illos, qui uestibus spoliati, sua omnia sub pedibus domini submiserunt, uerba eius totiens repetita, & sollicitudo eius in subueniendis illis ostendunt. Cõfundantur igitur detrahentes sacris religionibus, & sanctis uiris religiosis, qui omnia sprete uitam agunt celibem: & in communi degentes, nemo aliquid sibi possidet, sed omnia illis communia sunt, imitatores beatorum apostolorum domini facti & sanctorum prescorum, qui in initio nascentis ecclesiæ fuerunt in Hierusalem, quos mirabiliter designarunt isti deuotissimi uiri, qui a se proiectis uestimentis suis, illa sub pedibus domini eunt in Hierusalem strauere. Nec minus mirabiliter alii ramos oliuarum cedebant & sternebant in uia, designantes oleastrum infructuosum, id est gentium populum in bonâ oliuam inferendum fore, cuius rami cæsi, & in uia sunt conculcati. Quod & beatus apostolus Paulus manifestis uerbis insinuat ad Rom. cap. 11. dicens: Vobis enim dico gentibus: Quandiu quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo: si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi: que assumptio, nisi uita ex mortuis? Quod si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt: tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriaris aduersus ramos. Quod si gloriaris, nõ tu radicem portas, sed radix te. Dicit ergo: Fracti sunt rami, ut ego inserar: Bene: propter incredulitatem fracti sunt: tu autem fide fitas. Intellige fidem gratia formatam, quod iam aliàs diximus. Quotiens enim audis hominem, si aliud non additur, intelligis uiuam: cum audis fidem, intellige gratia operantem, uiuam, non denique mortuam. Tu autem fide fitas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit ne forte nec tibi parcat. Ramis igitur oliuarum, quos multitudine illa frangit, & in uia proicit designant gentem incredulam Iudæorum a Christo domino recessuram: & illorum loco gentium populum inferendum, alii autem de ciuitate Hierusalem

sem exentes ramos palmarum manibus portant, signantes uictoriam a Hierusalem exituram, quam dominus in die suæ sacratissimæ passionis operatus est. Ipse namque dixit, prout refert beatus Luc. cap. 13. Veruntamē oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare, quia non capit prophetam perire extra Hierusalem. Quod autem Dauid pronunciauerat, dicens psal. 136. Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ. Ecce Hierusalem posita est in principio & uictoriæ & lætitiæ, quia non capit perire prophetam extra Hierusalem: illum scilicet de quo Moyses dixerat: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum. Qui autem uerba eius quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ulro exiitum. Sequitur oratio Dauid pro populo gentium, dicens: Memor esto domine filiorum Edon, in die Hierusalem, quando scilicet ueneris in Hierusalem memorare populi gentium. Quod & dominus fecit, sedens super pullum indomitum, qui tyrum gentium gerit. Quod nunc significatum post resurrectionem impleuit, dicens: Euntes ergo docete omnes gentes, Matth. ult. Et Mar. ult. Euntes in mundum uniuersum prædicate euangelium omni creature. Ecce quomodo memor fuit Deus filiorum Edon in die Hierusalem. Dicitur ergo agnus triumphans in Hierusalem immolandus, quod multis retro seculis designatus erat per agnum illum paschalem, quem dominus solenniter immolari præcepit, Exo. cap. 12. ut sanguine eius superliminaria, & postes domorum fidelium intincta liberentur a morte perpetua, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUINTVS,
In XXI. cap. beati Matthæi.

POPULI excelsa uoce unanimes Deum laudant, dicente euangelista: Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes. Hosanna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini, Hosanna in altissimis. Et beatus Luc. cap. 19. ait. Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ descendentiū gaudentes laudare Deū uoce magna super omnibus quas uiderant uirtutibus, dicentes. Benedictus qui uenit rex in nomine domini, pax in cœlo, & gloria in excelsis. Non habent quid garrant hic taciturni hæretici, damnantes laudes uocales, & omnem orationem uocalem silentio prætereuntes, cum satis perscipiant magna hic uoce populi laudatum dominum. Quin mihi uidentur similes phariseis quibusdam, qui inter eam turbam commixti erant, de quibus refert beatus Lucas, dicēs. Et quidam phariseorum de turbis, dixerunt ad illum. Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico uobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt. Hæreticorum patres hi pharisei sunt, prohibentes laudes uocales domino reddi. Quas ipse maxime probat, inquit, Dico autem uobis quia si hi tacuerint, lapides clamabunt. Post ultimam illam cenam, in qua dñs diuinitatibus sacramentum corporis & sanguinis sui celebrauit, & consecrandi potestate apostolis tribuit, laudes reddit una cū discipulis uoce sonora, ipse homo sibi ipsi Deo & patri & Spiritui sancto, dicente beato Mar. ca. 14. Et hymno dicto exierunt in montem Oliuarū. Et bea. Luc. cap. 2. refert, saluatore nato, angelos mirifice cecinisse pastoribus audientibus. Et subito facta est, inquit, cum angelo multitudine militiæ cœlestis, laudantiū Deū, & dicentiū: Gloria in altissimis Deo, &

in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Canunt angeli, acclamant turbe, os claudunt heretici. Hymnum cum discipulis concinit Christus: approbat & laudes, quæ uoce intenta sibi redduntur a turba clamante: Benedictus qui uenit in nomine domini: & heretici uolunt omnem Deo gratiarum actionem & laudem silentio reddi. Beatus apostolus Paulus Ephesios commonefacit, ut gratias, agant Deo uocales, dicens ca. 5. Et nolite inebriari uino, in quo est luxuria: sed implemini spiritu sancto, loquentes uobis metipsis in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus uestris domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Iesu Christi Deo & patri. Quod autem dicit in cordibus uestris, perinde est ac si dicat: cantantes & psallentes ex cordibus uestris domino. Hoc ideo, ut in psalmis & hymnis, qui uoce alta canuntur, cor cum uoce consonet, & uox e corde procedat: ne dum uox laudes creatori reddit, cor uanis afficiatur cogitationibus. Idem repetit ad Colof. 3. cap. dicens: uerbum Christi habitet in uobis abundanter in omni sapientia, docentes, & commonescentes uos metipsos, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus uestris Deo. Si tantum in corde uellet apostolus laudes Deo reddi, uel ore silenter, non sane faceret de canticis mentionem, iterumque repeteret: cantantes & psallentes. Similiter & beatus Iohannes in apocalypsi cap. 4. ait sanctos in gloria Deo laudem uocalem reddere hisce uerbis: Et quatuor animalia singula eorum habebant alas fenas, & in circuitu: & intus plena sunt oculis, & requie non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui uenturus est. Et cap. 5. ait: Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & uiginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, & cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es domine aperire librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es. Et iterum dicit: Et uidi, & audiui uocem angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentium uoce magna: Dignus est agnus qui occisus est, accipere uirtutem & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Etiam cap. 7. ait: Post hæc uidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant uoce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum & agno. Rursus capit. 19. Post hæc audiui quasi uocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluia. Et iterum dixerunt, Alleluia. Et adorauerunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen alleluia. Et audiui quasi uocem tubæ magnæ, & sicut uocem aquarum multarum, & sicut uocem tonitruorum magnorum dicentium, Alleluia. Videant nunc heretici toties reperitam uocalem laudem: & edoctam a spiritu sancto cognoscant sanctam ecclesiam, quæ dominum laudando in terra imitatur cælestes ciues, Deum uoce magna collaudantes in cælo Tobias etiam capite decimotertio, loquens de Hierusalem cælesti, inter cætera ait: Et per uicos eius alleluia cantabitur. Moyses cum uideret Aegyptios in mari rubro subuersos, & filios Israel mare sicco transisse uestigio Exo. 15. inquit scriptura: Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc domino, & dixerunt: Cantemus domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare. Et infra dicitur: Stupescit ergo Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus ipsa præcinebat

præcinebat dicens: Cantemus domino, gloriose enim magnificatus est: equum & ascensorem deiecit in mare. Porro Dauid, cum arcam domini reduxisset de domo Abinadab, prout habetur 2. Reg. cap. 6. & omnis Israel iudebant coram domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis & lyris & tympanis & fistris & cymbalis. Cum etiam arca de domo Obededem reduceretur in locum, quem Dauid statuerat: Dauid percutiebat in organis armigatis, & saltabat totis uiribus ante dominum. Porro Dauid erat accintus ephod lineo: & Dauid & omnis domus Israel ducebant arcam testamenti domini in iubilo, & in clangore buccinæ. Item 1. Paral. 6. isti sunt quos constituit Dauid super cantores domus domini. Et cap. 15. eiusdem lib. Dixitque Dauid principibus Leuitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum. Cum Iosaphat pugnaturus esset contra filios Moab & Ammon, factus est spiritus domini super Iazihel leuitam de filiis Asaph, & hic dixit: Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem. Deditque consilium populo, & statuit cantores domini, ut laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac uoce consona dicerent: Confitemini domino, quoniam in æternum misericordia eius. Cumque cœpissent laudes canere, vertit dominus insidias eorum in semetipsos, 2. Paral. cap. 20. Item Ecclesiasticus c. 27. laudans Dauid ait: Et stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos. Esaias quoque refert cap. 6. se uidisse dominum super solium sedentem excelsum, & eleuatum. Aitque: Seraphim stabant super illud: sex ale uni, & sex ale alteri: & clamabat alter ad alterum, & dicebat: Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria eius. Et de Sion, inquit idem Esaias cap. 51. gaudium, & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & uox laudis. Igitur hæc tantopere in scriptura sacra approbata & celebrata uox laudis perseverabit in ecclesia usque in finem, deuictis & profligatis aphonis istis hereticis. Quæ laus ortum habuit ab initio nascentis ecclesie teste Tertuliano in Apologetico aduersus gentes. Is enim refert in 2. cap. de ignorantia, Plinium secundum cum prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, eorumque multitudine perturbatus, Traianum imp. consuluisse quid de cætero ageret. Cui allegauit præter oblationem non sacrificandi nihil aliud se de sacramentis eorum comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum Christo & Deo. Hinc igitur constat uocalem laudem semper esse Deo a Christianis reddita, ab ipso primo ortu ecclesie. Proinde uoce & iubilo, laudemus dominum in tympano cum Dauid, choro, chordis, & organo: in cymbalis bene sonantibus, & cymbalis iubilationis: ad quem turba uoce magna clamabat: Benedictus qui uenit in nomine domini, Hofanna in excelsis: Salua nos obsecramus te, o Christe redemptor in cœlis gratia tua: cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SEXTVS,

In XXI. cap. beati Matthæi.

Et cum intrasset Hierosolimam, commota est uniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilææ. Et intrauit Iesus in templum Dei, & etiebat omnes uendentes & ementes in templo, & mensas

nummulariorum, & cathedras uendentium columbas euerit, & dixit eis: Scriptum est. Domus mea, domus orationis uocabitur: uos autem fecistis illam speluncam latronum. Sumpsit dominus ex Esaia cap. 56. Domus mea, domus orationis uocabitur: & ex Hieremia cap. 7. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Nunquid ergo (inquit Hieremias) spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis uestris? Ego, ego sum, ego uidi, dicit dominus. Cum Christus omnem semper aspernatus fuisset pompam: uidentes eum tanto triumpho Hierosolymam ingredientem, commoti sunt dicentes: Quis est hic? populi autem dicebant: Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilææ. O admiranda Iudæorum cæcitas: primi eorum querunt: Quis est hic? populi uero tantum prophetam esse arbitrauerunt, cum tamen signa fecisset, quæ nemo alius fecit, quibus se Deum ostendit: Hic est, inquit, Iesus propheta a Nazareth. Cæterum dominus templum illico petiit: eo docens nos, ut cum in aliquem locum deuenerimus, ecclesiam primum ingrediamur. Ibi que inueniens uendentes & ementes, eiecit eos, & mensas nummulariorum, & cathedras uendentium columbas euerit: & non sinebat, inquit beat. Marc. cap. 11. ut quisquam transferret uas per templum. Hæc animaduertere oportet, ac sæpe populo Christiano inculcanda sunt: ut sciant, qua obseruantia eos in templo esse necessarium sit. Nec enim prophana negotia, quod sæpe fit, in ecclesia tractanda sunt: nec ociosa uerba loquenda: sed omni modestia & humilitate coram Deo adstantum est. Neque aliud quicquam ibi fieri decet, quam orare & psallere, & tota mente Deo uacare: quoniam domus domini, domus orationis est, non autem domus negotiationis. Quod si dominus ea quæ ad sacrificia legis pertinebant, in templo uendi & transmutari non patitur, quid de illis statuet, qui aliena diuino cultui & obseruantie in templo agitant? Ad hæc attendendum est, quomodo hi passi sunt se e templo eici, ac mensas & cathedras suas eueri, quas sacerdotum consensu illic habebant. Quod iam iterum fecisse dominum in initio prædicationis sue, narrat beatus Ioannes capit. 2. dicens: Et prope erat pascha Iudæorum & ascendit Iesus Hierosolymam, & inuenit in templo uendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis (hos ibi forte reperit, quibus boues & oues ligati trahebantur) omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Atqui non dubium est, uel aliquid arcani terroris, in corda uendentium hæc dominum impisisse: uel in uultu Christi negotiatores istos aliquod inspicere, quo non ausi sunt præcepto resistere: quinimmo obtemperantes omnia e templo eici sustulerunt, iuxta illud quod legitur Leui. 26. quod si quis non obserauerit legem domini, ad sonitum folii arboris expauescet. Hinc etiam dominus sacrificia illa cito abolenda esse monstrauit: & euangelicos sacerdotes ingenti supplicio dignos ostendit, cum negotiantur in templo, & beneficia hinc inde congerunt, non attendentes qua ratione illa sint instituta. Qui igitur iniqua ista labe cupiditatis, et abominabili lepra simoniaca corripuntur, miseri omnino sunt: quibus cum egrediantur e corpore animæ, dominum sibi iratum conspiciant. Nec enim alibi legitur in euangelio manus Iesu alicui rei euertere appositas, præterquam in templo negotiantium mensas. Nec id commisit discipulis, nec se comitantibus turbis: immo suis eiecit manus omnes uendentes de templo & mensas nummulariorum, & cathedras uendentium columbas euerit. O miseri uenditores & emptores beneficiorum. O iniqua eorum fors, qui plura sibi negotiantur animarum curam habentia: & qui pauperioribus clericis, ut

Cauenda in templo negotiatio.

illis beneficia adimant, licet iniustus mouet, ueluti lupi quidam famelicis reddi tibus inhiantes. Qui tandem cum in Christi manus inciderint, debitas illi illius lupinæ rapacitatis in æternum persoluent penas. Cæterum quid hic dicendum de perceptoribus, qui signati cruce percipiunt fructus ecclesiarum, tantum illis concessos, qui contra nostræ religionis hostes armis pugnauerint? Quorum plurimis contigit (pudet dicere) non modo cum illis inquam fuisse congressos, sed ne oculis quidem conspexisse. Nemo negotietur in templo. Caneant strictum iudicium Dei: & reminiscantur solos in templo negotiantes Christum propriis manibus flagellatos eiecisse de templo: quos & durissimis uerbis increpauit, dicens: Domus mea, domus orationis uocabitur, uos autem fecistis illam speluncam latronum. Quod autem mensas nummulariorum euerit, designat thesauros ecclesiæ in pecuniis nequaquam haberi, nec ecclesiæ redditus nummulariis committendos esse sed pauperibus (prout quisque ualet) erogandos, subueniendis que uiduis, & dotandis puellis. In his bonis operibus ecclesiæ redditus sunt expendendi. Nam uerum thesaurum ecclesiæ non alium esse nouimus, quam Christi domini & suæ sacratissimæ passionis merita, tum & beatissimæ uirginis matris eius & sanctorum omnium, non autem hoc materiale aurum & argentum. Precibus pugnat Moyses contra Amalech, Exo. cap. 7. non argento & auro. Hæc autem quæ hodie uiger avaritia & morum corruptio inter aliquos ecclesiasticos præ se fert signum desolationis dicente domino per prophetam Micheam cap. 7. Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos uindemiæ, non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desiderauit anima mea. Nunc erit uastitas eorum. Botrus non inuenit dominus ad comedendum, ideo erit uastitas & desolatio. Et uere cupiditas omnem populum Christianum euerit secundum uaticinium Zachariæ capi. 5. Et egressus est angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me, Quid est hoc quod egredietur? Et dixi, Quidnam est? Et ait. Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in uniuersa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ. Et dixit, Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius. Et leuauit oculos meos, & uidi, & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas milui: & leuauerunt amphoram inter terram & cælum: Et dixi ad angelum qui loquebatur in me. Quo istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me, Ut adificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basim suam. Cupiditas namque amphora est, qua recluduntur auarorum thesauri: & hic est oculus eorum in uniuersa terra, quando serue omnes homines cupiditati suo quisque modo inseruiunt: & sapientes sunt, ut faciant mala, bonum autem facere nequeunt, inquit Hier. cap. 4. Subtilissimi etiam sunt reddituum congregatores. Et ex his diuitias artifices sibi acquirunt, qui in uestibus cæterisque delitiis, & in elaborandis uasis aureis argenteisque noua omni penè die inueniunt. Ut hinc istæ artes, uere dicantur mœchanicæ, quoniam mœchatur in his intellectus, reiectis ueris proficijs; uirtutibus. Egreditur continuo de amphora talentum plumbi, grauitas scilicet huius peccati, quæ hominē a cupiditate difficulter resilire sinit. Est et mulier in medio cupiditatis, cui nomen impietas: quoniam qui plura cupit, cū sibi omnia desicere opinet, nihil indigētibus clargitur licet illos efflare animā cernat. Præterea captiuorū, ægrotantiū & incarcerationū, nulla illis est cura, nec ulli homini, quantumuis indigo subsidio sunt. Egrediuntur deinde aliæ duæ mulieres, quæ sunt superbia & uana gloria, quæ diuites fere oēs tumidi & uani sunt.

Hæc dese-

erat potestas in qua Christus hæc faciebat, quoniam Messias erat, & uerus Deus. Si autem dixerimus ex hominibus, timemus urbem, omnes enim habebant Ioan-
nem sicut prophetam. Et respondentes Iesu dixerunt: Nescimus. At illis & ipse. Nec
ego dico uobis, in qua potestate hæc facio. Cum ita sitis peruersi, quod Ioanni testi-
monium de me perhibenti non credidistis, & nunc dicitis, uos nescire ipsius
baptismus unde sit, ex Deo an ex hominibus, non uobis proderit, si dicam in
qua potestate hæc facio, cum omni de me testimonio calumniam faciatis: qua
propter nec ego dico uobis, in qua potestate hæc facio. Dicam tamen, quomo-
do peccatores publici & meretrices uobis facti sunt meliores, qui ad prædica-
tionem Ioannis relicti peccatis in me cui ille testimonium perhibuit, credi-
derunt. Vos autem nec in me creditis, nec Deo obtemperatis. Quare in uos
metipfos iudicium proferetis. *Quid autem uobis uidetur? Homo quidam habebat
duos filios.* Intellige istos iustificantes se phariseos, seniores & principes sacer-
dotum unum ex filiis: alterum uero, peccatores: qui erant plurimi publici in
Iudæa. Iudæos namque credentes consueuit scri-^{ptura} uocare filios. Filius
meus primogenitus Israel, Exo. 4. diuiti epuloni uicium dictum est: Recordare
fili, quia receperisti bona in uita tua, Luc. 16. Et accedens ad primum dixit: Fili,
uade hodie operari in uinea mea. Ille autem respondens, ait: nolo. Postea autem pœni-
tentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait:
Eo domine. Et non iuit. *Quis ex duobus fecit uoluntatem patris? Dicitur ei: Primus.*
Dicit illis Iesus: Amen dico uobis, quia publicani, & meretrices præcedent uos in regno
Dei. Venit enim ad uos Ioannes in uia iustitiæ, & non credidistis ei: publicani autem,
& meretrices crediderunt ei: uos autem uidentes nec penitentiam habuistis postea, cre-
deretis ei. Publicanos igitur & meretrices intellige filios dicentes: Nolo ire
in uineam ad operandum. Postea uero pœnitentia ducti, operati sunt. Phari-
sæi autem & scribæ & sacerdotes dixerunt se ex animo paratos esse ad operan-
dum, & miserunt ad Ioannem sacerdotes & leuitas quærentes: Quis nã esset?
cæterum operari in uinea noluerunt dicentes: Imus. Quapropter publicani
& meretrices pœnitentiam agentes & operantes in uinea domini præcedent il-
los in regno Dei. Considera autem quod omnes isti fidem Dei habuere, & nihî
lominus tam unus filius quam alter missi sunt operari in uinea, & pœnitentiã
agere, credentes in Christum, ut totiens repetitis operibus multipliciter con-
fundantur hæretici, arrogantes sibi sine operibus bonis sola fide saluari posse.

Diluitur
fophisma
hæretico-
rũ, de falsa
quam uo-
cant pœni-
tentia.
Sine pœni-
tentiã sunt
dona & uo-
catio Dei:

Quod autem aliqui eorum dicunt pœnitentiam ueram esse, propositum non
peccandi deinceps, nec opus esse de peccatis præteritis habere dolorem, con-
torquentes illud beati apostoli Pauli ad Romanos cap. 11. Sine penitentia. n.
sunt dona & uocatio Dei, hæreticum est: quoniam dominus dicit: Penitentia n.
agite. Et hic ait, Nec penitentiam habuistis. Apostolus uero loquitur de pri-
ma uocatione, quemadmodum & isti duo filii uocati sunt in uineam, & genti-
bus prædicatum est euangelium. Hæc enim prima uocatio, quæ doni Dei est,
sine penitentia est. Sed iam uocati necesse habent agere penitentiam, quem-
admodum legimus Acto. 2. cap. His autem auditis compuncti sunt corde, &
dixerunt ad Petrum & ad reliquos apostolos: Quid faciemus uiri fratres? Ec-
ce uocatio, ecce donum Dei sine penitentia. Sequitur deinde penitentia,
quam de præteritis peccatis agere oportet: & baptismi susceptio. Petrus au-
tem ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite. Non dicit tantum, Deinceps bene
uite, sed pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine
Iesu Christi in remissionem peccatorum uestrorum, & accipietis donum spiri-
tus sancti, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto
est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRA-

TRACTATUS OCTAVVS,

IN XXI. cap. beati Matthæi.

PRIMA parabola de duobus filiis in uineam missis, discrimen facit inter
ipsumet Iudæos pœnitentiam agentes & in Christum credentes, & inter ce-
teros obduratos. Altera uerò quæ sequitur, & alia de rege faciente nuptias
filio suo, de reprobatione Iudæorum agit, & de ecclesia ad gentes transfutura.
Hoc præhabito, ut parabolæ utriusque sensus reddatur facilior, prosequitur
euangelium dicente domino. *Aliam parabolam audite: Homo eras paterfam lias,
qui plantauit uineam, & septem circundedit ei, & fudit in ea torcular, & edificauit tur-
rim, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est. Cum autem tempus fructuum
app. opi. quasset, misit seruos suos ad agricolas, ut acciperent fructus eius. Et agrico-
læ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium uero lapidauerunt.
Ictum non misit alios seruos, plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Quis in me autem
misit ad eos filium suum, dicens: Verebatur filium meum. Agricola autem uidentes fi-
lium, dixerunt intra se: Hic est hæres, uenite occidamus eum, & habebimus hæreditatem
eius. Et apprehensum eum, eiecerunt extra uineam, & occiderunt. Cum ergo ueneris do-
minus uinea, quæ faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet, & uineam suã
locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Dicit illi Iesus: Nun-
quam legis in scripturis, Psa. 117. Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic sa-
ctus est in caput angulis. A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.
Ideo dico uobis, quia auferetur a uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus
eius. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem uero ceciderit, con-
teret eum. Et cum audissent principes sacerdotum, & pharisei parabolam eius, cogita-
uerunt quod de ipsis diceret, & quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam si-
cuti prophetam eum habebant. Prima igitur difficultas in hac sacra beati Matthæi
litera interpretanda uenit, in eo quod dicit: Aiunt illi, Malos male perdet,
& uineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus
suis. Beatus autem Marcus cap. 12. Sic ait: Quid ergo faciet dominus uin-
eæ? Veniet, & perdet colonos, & dabit uineam aliis. Quibus sane uerbis
insinuat hic euangelista dominum id dixisse, & non illos, ut Matthæus tra-
dit, & in prauos colonos sententiam protulisse. Quod & beatus Lucas apertius
declarat, dicens cap. 20. Quid ergo faciet illis dominus uineæ? Veniet, &
perdet colonos istos, & dabit uineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Absit.
Quod quidem facile concordari potest, si regulam obseruemus, quæ supra po-
sita est, ca. 20. ubi agitur de duobus cæcis, quibus dominus egressus Hierico ui-
sum restituit, cum Lucas unus tantum meminerit, quæ sanauit dominus Hier-
ico appropinquans. Quod utrumque illi contigisse intelligendum est: nempe
unum illum cæcum, de quo Lucas, sanatum fuisse iuxta oppidum, domino illuc
properante, & alios duos pariter, iam recedente. Cum igitur diuersa a sacris
euangelistis enarrantur (quæ contraria nunquam esse possunt, quãdo uno eo-
demque spiritu illa conscripserunt) utrumque contigisse credere oportet, &
quod unus tacuit, alterum retulisse. In hac itaq; responsione accipiendum est,
& dominum prius dixisse & protulisse sententiam, quam beatus Luc. & Marc. re-
ferunt, & illos deinde quasi cogitabundos eãdem repetisse & addidisse: Absit.
Sic ergo dicendum secundum Lucam: Quid ergo faciet dominus uineæ? Ve-
niet & perdet colonos istos & dabit uineam aliis. Quo audito ipsi ueluti cogi-
tabundi & capite annuentes ac uerba ex ore dñi assumetes, aiunt: Malos male per-
det,*

det, & uineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis? Absit: quod posuit beatus Lucas. Cæterum beatus Aug. li. 2. de consensu euangelistarum cap. 70. inquit: Cum dominus hæc uerba diceret: Quid faciet dominus uineæ? aiunt hoc uerbum dixisse aliquos ex astantibus: Malos male perdet, & uineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Tunc dominum dixisse, quod Lucas refert: Veniet & perdet colonos istos, & dabit uineam aliis. Qui audientes dominum confirmasse, quod aliqui ex astantibus dixerunt. Malos male perdet, dixerunt illi: Absit. Quod autem parabola reprobationem Iudæorum, & gentium uocationem quibus uinea locanda est, contineat, litera ipsa docet apertissime: cum totam parabolam dominus ad hunc reducat sensum: Ideo dico uobis, auferetur a uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Quod autem ait: Qui ceciderit super hunc lapidem confringetur: Non credens scilicet euangelio, pro ut dicebant sæpe Iudæi. Vnde hic literas scit, cum non didicerit, & alia similia: confringetur damnabiturque. Super quem uero ceciderit lapis, quia proterue egit, nolens scrutari scripturas, & attendere miracula domini (prout fecerunt principes sacerdotum, scribæ & pharisæi, nolentes ex innata malitia illuminari, qui legem & tempus aduentus Messie tenebantur perferuari) conteret eum, comminuet, & in puluerem minutissimum rediget, quemadmodum illis contigit, ablato ab eis sacerdotio, templo direpto, & Hierusalem uastata. An uero cognouerint Iudæi & eorum primates sacerdotes, Pharisæi & scribæ dominum esse filium Dei uel Messiam, non minima est conquisitio inter doctores, eo quod dominus dicit misisse filium suum dominum uineæ, & colonos dixisse: Hic est hæres, uenite occidamus eum, & habebimus hæreditatē eius. Beatus uero Petrus Act. cap. 3. prædicans Iudæis ait: Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis uirum homicidam donari uobis: auctorem uero uirtutis interfecistis. Et paulo infra inquit: Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes uestri. Et beatus apostolus Paulus pri. Cor. 2. ait: Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam uero non huius seculi, neque principum huius seculi, qui destruantur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit: si enim cognouissent nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Quod idem Paulus Actor. cap. 13. cum in synagoga Antiochiæ Pisiæ sabbato Christum annuntiaret, his uerbis ait: Viri fratres, filii generis Abraham, & qui in uobis timent Deum, uobis uerbum salutis huius missum est. Qui enim habitabant Hierusalem, & principes eius hunc ignorantes, & uoces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt, & nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. Dixrunt ergo: Hic est hæres, quia filium Dei se fecit, dicebant Pilato, non quidem scientes, sed suspicantes hunc esse heredem, quoniam ueri hæredis in eo signa conspiciant. Non tamen acquieuerunt doctrinæ eius, miraculis, & temporis aduentus eius, quamquam dominus sæpe hæc omnia illis exprobareret, dicens Lucæ cap. 12. Hypocritæ, faciem cæli & terræ uobis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? Et Ioan. 5. Scrutamini scripturas: quia uos putatis in ipsis uitam habere. Et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Et Ioan. 10. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non uultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia pater in me est, & ego in patre. Nolentes igitur intelligere ut bene agerent,

& ex

& ex malitia & auaritia insatiabili ignorantiam affectatam habentes, extra uineam eiecerunt hæredem, & occiderunt: Sic enim de illis prædictum est, Sapi. 2. cap. Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & distamat in nos peccata disciplina nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Factus est nobis in translationem cogitationum nostrarum. Grauis est nobis etiam ad uidentem, quoniam dissimilis est aliis uita illius, & immutata sunt uita eius. Tanquam nugaces existimati, sumus ab illo, & abstinet se a uitis nostris, tanquam ab immunditiis, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermone illius ueri sint, & tentemus quæ uentura sunt illi, & sciemus quæ erunt nouissima illius. Si enim est uerus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Contumelia, & tormento interrogemus eum, ut sciamus reuerentiam eius, & probemus parentiam illius. Morte turpissima condemnemus eum, erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitauerunt, & enarrauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei, nec mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum. Hæc sapientiæ prophetica præuentionio magis euangelium expressisse uideretur, quam prædixisse futura. Refert enim Iudæorum cogitatus & proteruam malitiam, qua aures obturauerunt, nolentes credere Christo, nec scripturis, nec illius operibus, sed potius experiri uolentes, an Deus eriperet eum de illorum manibus, dum cruci affigitur Quos sane malitia & praua uita in tantam cæcitatem induxit ut nec tempus aduentus Messie considerauerint impletum, nec operibus domini crediderint, quæ nemo alius fecit, nec scripturas sunt scrutati: sed inaudita quadam cupiditate, quam primo apponunt, dicentes: Quoniam inutilis est nobis, uidentes suæ auaritiæ dominum aduersari & illorum hypocritam manifestare, ac ferali aduersum eum commoti odio, extra uineam eiecerunt, & occiderunt, suspenses in ligno. Quorum affectata & uolita ignorantia non excusauit illorum peccatum, sed grauius reddidit, ita ut uinea locaretur gentibus, qui redderent domino fructum temporibus suis. Tu autem scito fructum bonorum operum semper a credentibus euangelium exigere in hæreticorum & Iudæorum magnam confusionem. Domino nostro Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS NONVS,

In XXI. cap. beati Matthæi.

Sunt quidem sancti & doctissimi uiri qui dicant, maiores Iudæorum scri- S. Tho. 3. pturam scientes cognouisse dominum Iesum Christum uerum esse Messiam in par. q. 47. lege promissum, non tamen eum Dei filium patri equalem cognouisse, & om- art. 5. nibus supra adductis autoritatibus: Scio fratres, quod per ignorantiam fecistis, sicut & principes uestri. Et ignorantes hunc, & uoces prophetarum. Et si cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Et excæcauit eos malitia eorum, nescientes sacramenta Dei, hæc cogitauerunt & errauerunt, respondent, quod ignorauerunt eum esse Dei filium, sed non Messiam in lege promissum. Aliis uero uideretur nec Messiam nec Deum dominum cognoscere hoc. ca. q. 10. uisse Iudæorum maiores. Adeo namque patebat deitas Messie in scriptura, 102.

Ccc 2 atque

atque adeo manifeste a prophetis prædicta erat, quod scientes illum esse Messiam, Dei quoque filium fateri necesse esset. Qua propter (inquiunt) si scirent Messiam, scirent & filium Dei, cum igitur non cognouerunt illum Dei filium, nec profecto Messiam. Quod autem dicunt: Hic est hæres, occidamus eum, & nostra erit hæreditas: hocque dico, quod a domino sepe audierant, se esse filium Dei: quasi dicerent: Hic est hæres, qui scilicet se hæredem iactat: occidamus eum, & nostra erit hæreditas: Quod autem de Messia sepe in scriptura reperatur, esse Dei filium, inquit David psal. 2. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et Psal. 109. Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Tecum principium in die uirtutis tuæ, in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te. Item psal. 129. Et ipse redimit Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Et Esaias ca. 9. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius: & uocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius Deus. Et cap. 35. Ecce Deus uester ultionem adducet retributionis: Deus ipse ueniet, & saluabit uos. Tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Miracula quæ facturus esset Messias, quem Deum uocat, descripsit propheta: ut ex signis cognosceretur: Quæ signa dominus omni ferme die ab initio prædicationis suæ palam operatus est. Et ca. 48. ait: Hæc dicit dominus Deus, redemptor tuus sanctus Israel. Et ca. 54. Redemptor tuus sanctus Israel Deus omnis terræ uocabitur. Et Baruch. 3. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit eum uiam discipulæ, & tradidit illam Iacob puero suo. et Israel dilecto suo. Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est: Has igitur scripturas non ignorabant principes sacerdotum & scribæ populi, qui Herodi Messiam nasciturum in Bethleem pronunciauerunt. Quia propter si Messiam illi agnoscerent, utique scirent & Deum esse. Cum autem diuinitatem ipsius nescierint, secundum beati apostoli Petri & beati Pauli sententiam nec Messiam dominum agnouisse uerisimile est. Verum enim uero cum dominus dicat: Agricola autem uidentes filium dixerunt: Hic est hæres: uenite occidamus eum: aliquam diuinitatis eius notitiã habuisse uidentur. Quo circa opere pretium fuerit hæc duo cõciliare: primum quomodo agricolæ, scribæ scilicet & principes sacerdotum & pharisæi dixerunt: Hic est hæres, Alterum quomodo uerum est quod per ignorãtiam occiderint, non cognoscentes dominum. Atqui ex uerbis domini, quæ referuntur a beato Ioanne ad finem ca. 5. magna mihi coniectura fit: hos quos prædiximus colonos siue agricolas nimirum principes sacerdotum, scribas & pharisæos, nutantem habuisse de aduentu Messie opinionem, & exiguam fidem (quandoquidem in fide dubius infidelis est) eo quod dominus illis improperat non credere literis Moyfi dicens: Nolite putare, quia ego accusaturus sum uos apud patrem: est qui accusat uos Moyses in quo uos speratis. Si enim crederetis Moyfi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit Si autem illius literis non creditis quomodo uerbis meis credetis? Perspicuum ergo est, istos defecisse a literis Moyfi, quibus dominum uenturum prædixerat. Quando dominus ait: Si autem illius literis non creditis quomodo uerbis meis credetis? Beatus Hieronymus in expositione reuocationis domini ab Aegypto, cum angelus defuncto Herode, ut habetur Mat. 2. apparuit in sonnis Ioseph dicens Surge, & accipe puerum & matrem eius, & uade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quærebant

quærebant animam pueri ait: Ex hoc loco intelligimus non solum Herodem sed & sacerdotes & scribas, eodem tempore necem domini fuisse meditato. Id autem colligit beatus Hieronymus: eo quod euangelista dicit: Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Si enim solus Herodes dñm præmeditatus esset occidere, dixisset. Defunctus est enim qui quærebant animam pueri. Igitur cum sacerdotibus & scribæ in infantia interficere cuperent, quem reges Messiam natum prædicabant. Et sibi ostium per istos radium asserabant, forsitan non credebant legi Messiam promittenti. Nam si crederent, adorare cuperent non occidere: Dubitabant igitur Messiam & Deum in carne uenturum: vel literis Moyfi de Messia non præstabant fidem: quoniam ex malitia conferre tempora & miracula noluerunt. Illud ueruntamen, de Christo suspicabantur: Si Messias uenturus est, hic est hæres: in hoc Messie signa concurrunt. Cæterum obcæcati malitia, atque odio maximo in Christum dominum concepto: ut impleretur sermo, qui in lege eorum scriptus est, inquit dominus: Quia odio habuerunt me gratis, interficere cogitauerunt. Quod expresse Sap. 2. cap. prænucciatur, dum omnia subdubitantes loquuntur, dicentes: Ipse præfert nouissima iustorum. Ipse gloriatur patrem se habere Deum, filium Dei se nominat. Videamus si sermones illius ueri sunt. Si enim uerus est filius Dei, liberabit eum de manibus contrariorum: Morte turpissima condemnemus eum. Suspiciati igitur hunc esse Messiam: non tamen id certa fide credentes, quoniam de Messia illis dubium erat, non credentibus literis Moyfi, ait dominus: Dixerunt, Hic est hæres. Si aliquis hæres futurus est, hic est: Venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Si enim est uerus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Sic hæredem cognouerunt suspicantes & dubitantes, non tamen uerè credentes, & sic affectata ignorantia occiderunt, malitia eorum obcæcati; & nescierunt sacramenta Dei, nec mercedem sperauerunt iustitiæ, iustificationis, scilicet per Messiam faciendæ; nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum, hoc est animarum salutem; sed arbitrati sunt Messiam ad instar regum terrenorum, regnum sibi affectaturum, si tamen in mundum uenturus esset. Quæ sanè ignorantia nihil illos excusat, immo ut prædiximus statu præcedenti eorum peccatum aggrauat. Qui nec tempus aduentus Messie, nec miracula, nec prædicationem & uitã Christi defæratim animis perpendentes, quo facile credere possent illum uerum Deum & Messiam in lege promissum, nihilominus ad crucifigendum gentibus tradiderunt. Profecto iam hæc legentibus timor incutitur; ne quisquam ita moribus sit corruptis, ut a uera fide deficiat. Id enim hæreticis contingere quotidie experimur, quos malitia eorum obcæcat, ne cognoscant sacramenta Dei, nec mercedem sperent iustitiæ, nec honorem animarum sanctarum iudicent. Sic his colonis uinæ contingit, sic hæredem filium occiderunt. Quod autem dominus ait, misisse primum seruos suos ad agricolas, iterum & secundos: ex quibus alium percussurum, alium lapidauerunt, & alium occiderunt, ostendit non semel prophetas misisse, qui eorum peccata corripissent, & illos debitum uinæ fructum domino reddere commonefacerent; quos percusserunt & occiderunt, nunquam ad meliorem frugem conuersi, sed in peius semper decedentes. Quod Esa. cap. 5. mirè uaticinatus est, dicens: Vineam factam dilecto meo in cornu filio olei. Et sepuit eam, & lapides elegit ex ea, & plantauit uineam electam. Et edificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea. Et expectauit ut faceret uuas, & fecit labruscas. Ecce quomodo dominus uineam plantauit electam, elegit ex ea populum sibi, sepuit eam, edificauit turrim, extruxit torcular, expectauit fructum: & ecce labruscas. Nunc ergo habitatores Hierusalem, & uiri Iuda, iudicate inter me & uineam

& uineam meam. Quid est quod debui ultra facere uineæ meæ, & non feci eî? An quod expectaui ut faceret uuas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam uobis, quid ego faciam uineæ meæ, Auferam sepe eius, & erit in direptionem. Dirtam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam. Non putabitur & non fodietur: & ascendent super eam uepres & spinæ: & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. Uinea enim domini exercitus, domus Israel est: & uir Iuda, germen delectabile eius. Et enim sic Iudæis contigit, qui dati sunt in conculcationem & direptionem gentibus: & ablata est ab eis diuina munitio & custodia: & repleta est Iudæa spinis & uepribus infidelium: & nubibus desuper mandatum est, ne pluant super eam imbrem: quia nulla cœlestis gratiæ apud illos reperitur gutta, non sacrificium, non templum, non sacerdotium, non regnum, non propheta. Omnino sicca & arida Iudæa est, penitusque deserta. Ne autem Iudæi dicant, de aliquo alio populo Esaiam hæc prophetasse, concludit dicens: Uinea enim domini exercituum, domus Israel est: & uir Iuda germen delectabile eius. Qui in omnia hæc incidunt mala, dominum crucifigentes, nec filium Dei & Messiam credentes. Cuius & doctrinam respuerunt: nec miracula & apertissima signa diuinitatis eius cū tempore aduentus Messie ex scriptura sacra contulerunt. Quo circa malos dominus male perdidit: & uineam suam locauit gentibus quæ reddant ei fructum temporibus suis per gratiam eius: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS,

In cap. XXI. beati Matthæi.

ATTENDANT nunc qui uineam a Iudæis demotam locatam tenent: ut eam diligenter excolant. Nunquam enim dominus huius uineæ fructum desinit exigere, id est bona opera, quorum illi ratio reddenda est, qui dominus huius est uineæ. *Homo erat traverfamilias, qui plantauit uineam.* Qui ecclesiam suam condidit. Et sepe circumdedit eam: muniuit illam diuina custodia. Ecce non dormitabit nec dormiet qui custodit Israel. Et, Angelis suis mandauit de te ut custodiant te in omnibus uis tuis. Ecquis ergo fugiat recedatue ab ecclesia tam alto muro circumdata, atque adeo forti uallata maceria? nisi is qui plurimis oppressus peccatis, & multiplicibus assuefactus uitiiis, non meretur diuino auxilio protegi: quod unum est ex grauioribus flagellis Dei: nempe cum pro uoto peccata succedunt, & unum altero pro uoluntate peccantis accumulatur peccatum. Hi sunt de quibus scriptum est: Dimisi eos in desideria cordis eorum ibunt in adinventionibus suis, Psal. 80. Secundum autem flagellum simile est huic, dum punitionem unius culpæ, iusto Dei iudicio permittente, non febrî, non pleurisi aut paralyfi, siue alio quouis morbo peccans corripitur, sed in aliud flagitium prolabi illi permittitur. De huiusmodi dictum est psal. 68. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & nō intrent in iustitiam tuam. Deleantur de libro uiuentium, & cum iustis non scribantur. De Iudæis quoque non reddentibus uineæ fructum, hæc dicta sunt, quæ in omnibus similibus peccatoribus uerificantur. Precabatur Dauid Psal. 70. ab huiusmodi flagello eripi, utque dominus alius illum castigaret suppliciiis, ne non correptus emanciparetur æternis, dicens: Ne proicias me in tempore senectutis: cum defecerit uirtus mea ne derelinquas me. Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit

dereliquit eum, per sequimini & cōprehendite eum, quia non est qui eripiat. Deus ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum respice. Vallata est uinea, forti est circumsepata ecclesia muro: fugiunt hæretici, recedunt falsa seminantes, plurimus demerentibus eorum peccatis, & facinorum multiplicatione grauati deseruntur. Et fodit in ea torcular. Machina est torcular, qua premuntur racemi, e quibus unum eiectis acinis fluit. Hæc uero penitentiam innuit qua eiectis peccatis anima suauis lachrymarum fluxu perfunditur dominoque uineæ ex omni suscepta sacramentorum gratia recondit fructum. Primum enim baptismo lota, si postea peccare contigerit purissima peccatorum confessione & satisfactione peracta, diuinumque suscipiens eucharistiæ sacramentum, deinceps multiplicem bonorum operum fructum Deo reddidit, charitate id exigente quæ cœlestibus dotata est sacramentis. Et edificauit turrim. Fidem scilicet posuit fortissimam quæ omnem circumspectat uineam, ne a bestiis, id est hæreticis, conculcetur. Hæc indeficiens est: quando quidem immobili Deo innititur, & ueritati eius infallibili. Sed illud animaduerte, quod intra uineam stat turris, ut scias extra ecclesiam non haberi fidem, sed hæresim. In ea enim & torcular ueræ penitentię est, in ea ueri exprimuntur fructus, in ea denique uera est fides. Extra uero ecclesiam, nec uera penitentia est, nec ullum meritorium opus, nec fides. Sic munita uinea, locauit eam agricolis. Cum audis locatam, scito non esse dominum uineæ, nisi tantum in celo. In terra autem, inquit dominus Luc. 12. quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Et ipse beatus uicarius Petrus ait pri. Petri 4. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrans, sicut boni dispensatores multiformis gratię Dei. Et beatus apostolus Paul. pri. Cor. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Hic iam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inueniatur. Quapropter ipse beatus apostolus 2. Cor. 10. & 13. idem repetens ait: Ideo hæc absens scribo, ut non præsumas durius agam secundum potestatem, quam dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem. Omnia hæc non dominos sed colonos uineæ ecclesiæ præfectos ostendunt. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos dominus ad agricolas, ut illi fructus uineę suę traderent. Hi sunt predicatorum, & omnis cui ex officio incumbit populum adhortari, ut debita domino reddantur obsequia. Ut omnes sciant pro suæ conditionis modulo, domino se debitores esse, nec negligent bonorum operum fructus illi offerre. Qui sane tunc domini seruos cædunt, lapidant & occidunt: cum ueluti surdi ad predicatorum monita, & seges ad operandum redduntur, occidentes in se uerbum Dei: cum dominum debito fraudantes fructu, perinde ac si essent domini uineæ, & non coloni, omnia in suos priuatos usus conuertunt: Cum nulla illis est de egenis & infirmis cura, nulla de afflictis, uincis, & captiuis commiseratio: cum omnia ita sua esse existimant, ac si secum ex hac uita migrantes deferre possent. Loquitur cum illis missus a patre ex euangelio filius, quem & si cruce non occidunt, tamen factis abnegant, quem se uerbis hæredem agnoscere consitentur. Quid ergo faciet dominus agricolis istis? utique malos male perdet: & uineam suam locabit illis colonis, qui reddant ei fructum temporibus suis: & quod maxime dolendum est, plurimæ per orbem ecclesię & regiones, quæ a Christianis colonis obtinebantur, traditæ sunt nō colonis reddentibus fructum temporibus suis, sed perfidis & infidelibus Mahumetanis nullum reddentibus, nisi impietatis malum, quemadmodum annotat bea. Aug. in psalmi illum. 77. quando dixit propheta. Et


Extra ecclesiam nō est salus.

ea: Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitauit in hominibus. Et tradidit in captiuitatem uirtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. Et conclusit in gladio populum suum, & hæreditatem suam spreuit. Iuuenes eorum comedit ignis, & uirgines eorum non sunt lamentate. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & uidux eorum non plorabatur. At namque: Cum ergo digni non essent homines, in quibus habitaret Deus, cur non repelleret tabernaculum, quod utique propter se non influerat, sed propter ipsos homines, quos iam iudicabat indignos in quibus habitaret? Hoc lamentabatur David: & perficiendam uineam propter Christum Deum deprecatur, dicens psal. 79. Vineam de Aegypto transfulisti, ei: cisti gentes & plātaisti eam. Dux itineris fuisti in conspectu eius, & plantasti radices eius, & impleuit terram. Operuit montes umbra eius, & arbuta eius cedros Dei. Exterendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines eius. Ut quid destruxisti maceriam eius? & uindemiant eam omnes qui prætergressi sunt uiam? id est, tam seculares quam ecclesiastici, iuuenes & senes. Exterminauit eam aper de sylua, immundissimus scilicet Mahumetanus gladio, & singularis ferus, depaustus est eam, nimirum hæretici qui sanctæ ecclesiæ subiecti nolunt, sed infracti & singulares suis in erroribus persistere. Deus uirtutum conuertere, respice de cælo, & uide, & uisita uineam istam, & perfice eam, quā plantauit dextera tua, & super filium hominis, quem confirmasti tibi. Propter Christum scilicet uisita uineam tuam, ac bonos redde agricolas gratia tua, qui reddant tibi fructum temporibus suis, immanissimum quoque aprum Mahumeranum exingue: feros hæreticos & superbos deuince. Vnaquæque est anima uinea domini est circūuallata diuina & angelica custodia: Angeli eorū (ait dominus) semper uident faciem patris, qui in cælis est. Habet enim plures palmites potentiarum. Vtirur & sensibus interioribus & exterioribus: habet etiam torcular, uoluntatem scilicet, quæ omne opus perficitur: & turrim id est rationē quæ semper deprecatur ad optima, & a qua dominus fructus postulat. Reddat igitur e memoria actionem gratiarum, recolens beneficia Christi, a uoluntate, liberos bonum operum fructus. E sensibus etiam oculos semper cōuertat ad dominum, itemq; aures, ut audiat quid illi loquatur dominus Deus. Manus elemosynarum fructus exerceant, ore laudes Deo reddat, sicut apostolus ait ad Heb. 13. Per ipsum ergo offeramus hostiā laudis semper Deo: id est, fructum laborum contentium nomini eius. Pedes ut semper sint in directo: Pes meus, inquit David, stetit in directo, in ecclesiis benedicam te domine. Anima, inquit Origenes in 2. ca. epist. ad Rom. habet rationem supremam, & infimum corpus. Voluntas est, quemadmodum medium in domo. Manet igitur libera, pulsat Deus, tangit dæmon. Vide cui aperias, si dæmoni, seruus efficietis peccati: Diciturque tibi malos male perdet. Si aperis Deo, fructi creatori reddes & redemptori. Regnum Dei non auferetur a te: quin potius augebit tibi gratiam suam, quia semper uberes fructus reddens, peruenias in atrium domini: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRA-

TRACTATUS PRIMVS,
IN CAPITVLVM XXII.

BEATI MATTHAEI.



T respondens Iesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: Simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos, uocare inuitatos ad nuptias, & nolentes uenire. Iterum misit alios seruos, dicens: Dicitis inuitatis, Ecce prandium meum parauit, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in uillam suam, alius uero ad negotiationem suam, reliqui uero tenuerunt seruos eius, & contumeliosis affectibus occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, & misit exercitus suos, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit: Tunc ait seruis suis: Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni: Ite ergo ad exitus uiarum, & quoscunque inueneritis, uocate ad nuptias. Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos, & impletae sunt nuptiae discumbentium. Intrauit autem rex, ut uideret discumbentes, & uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo haec intrasti, non habens uestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris, ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt uocati, pauci uero electi. Hæc est secunda parabola, quam proponens dominus principibus sacerdotum & senioribus, ostendit eorum reprobationem & gentium uocationem. Quæ similis est in effectu precedenti de uinea. Fecit igitur nuptias filio suo rex pater æternus, quando uerbo suo unigenito, humanitatem associauit: quam ipse Deus uerbum in unionem sui, positi indissolubili uinculo deitatis, cooperante Spiritu sancto sibi uniuir. Vel quando Deus homo factus, sibi ecclesiam copulauit, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, secundum illud beati apostoli Pauli ad Ephe. ca. 5. ubi a matrimonio spirituali Christi cum ecclesia, ad matrimonium inter uirum & uxorem contractum argumento sumpto, ait: Mulieres uiris suis subditæ sint, sicut domino: quoniam uir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ. Ipse saluator corporis eius. Sed sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres uiris suis in omnibus. Viri, diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata. Ita & uiri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus ecclesiam, quia mēbra sumus corporis eius de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhaerebit uxori suæ, & erūt duo in carne una. Sacramentum hoc magnū est: ego autem dico in Christo & in ecclesia. Ecce nuptias. Gaudeamus & exultemus, inquit bea. Ioa. Apoc. 19. & demus gloriam ei: quia uenerūt nuptiæ agni, & uxor eius preparauit se. Et datū est illi, ut

D d cooperat

cooperiat se byssino splendenti, & candido. Byssinū enim iustificationes sunt sanctorum. Has nuptias iam pridem promiserat dominus per Osee prophetā, dicens cap. 2. sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide: & scies quia ego dominus. Fidem semper accipias, pro fide una bonis operibus & charitate formata. Quod autem talis intelligatur sponsus, prius praeiudicium sit: sponsabo te mihi, inquit, in iustitia, qua uidelicet homo iustificatur. Hæc est formalis gratia. concurret etiam fides, ueluti radix & principium iustificationis, prout sæpe aliās repetiuimus, & prout prædiximus de beato apostolo Paulo, qui nunquam locutus est de fide, prout est initium iustificationis: quin uel præcedentem uel sequentem poneret gratiam, formaliter iustificantem. Sic & propheta Osee Spiritu sancto afflante profert: Sponsabo te mihi in iustitia & misericordia. Deinde sequitur: Et sponsabo te mihi in fide, quando sine fide impossibile est placere Deo. Ad nuptias ergo agni, qui ecclesiam desponsauit sibi charitate & fide, misit rex uocare inuitatos. Non utique euangelium dicit, quando inuitati fuerunt, quoniam a peccato primorum parentū non fuit unquam salus sine fide & gratia mediatoris. Quod & bea. apost. Paul. ad Eph. cap. 1. offendit, dicens: Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in cœlestibus, in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius, in charitate, sic iustificatus est Abel iustus usque ad ultimum iustum. In Abraham autem, Iudæi etiam ad nuptias agni inuitati sunt, dum illi repromissio de Messia est facta, dicente domino: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, Genes. 22. cap. Quod interpretatus beatus apost. Paulus ad Gal. cap. 3. ait: Non dicit in feminibus, quasi in multis, sed in semine tuo, qui est Christus. Misit ergo dominus seruos suos uocare inuitatos, quos in Abraham & per legem tot sacrificiis inuitauerat, & noluerit uenire. Iterum misit alios seruos, primos prophetas intellige, secundos autem apostolos discipulos domini, qui nomine suo dicerent inuitatos: Ecce prandium meum parauit, tauri mei, & altaria occisa sunt. Omnia sacrificia legis consummata sunt, quoniam post domini passionem suam illa significatum & officium peregerunt, & omnia parata, nihil agendum restat, uenite ad nuptias. At illi ne gllexerunt. Qui occasionem cum sese offert non arripere nouit, deinceps quod arripieda, cum se offert. Occasio querit non consequetur. Dum isti inuitantur & uocantur reuocant, quod querant non accipient. Da sapienti, inquit Salomon Proverb. 9. occasionem, & addetur ei sapientia. Et beatus apost. Paul. Rom. 11. Qui quærebant Israel, non est consecutus, electio autem consecuta est, ceteri uero excæcati sunt. Discamus igitur inferuire occasione. Venit namque nos, quando nemo potest operari, Ioa. 9. Atqui dum uiuimus operemur, quia omnis uita postrema hora nobis esse debet: cum præsertim totius uitæ tempus ad bene moriendum nobis sit datum. Dum enim uiuimus licet mortem unicuique suā penicillo depingere, pulcherrimamque efficere. Quod beatus etiam Aug. in præfatione, psal. 36. his confirmat uerbis: Qualis uis esse, inquit, in morte, talem te potes facere uiuens. Si uis mori omnibus sacramentis susceptis, frequenta confessio nem, & assidue suscipe corpus domini, & sacramentis refectus discedes. Vis mori testamento condito, condito dū uiuis. Vis in statu gratiæ mori, ita semper uiuio, & semper gratiam promeraris, in qua si permanseris, nunquā ab illa exclusus decedes. Vis mori ut sanctus, uide quid dicat Balam: Moriatur anima mea morte iustorum, & sicut nouissima mea horum similia, Nu. 23. Vis ut docerent sancti, & quemadmodum sanctus morieris. Qui enim ad ho-

RAM

eam mortis ea differunt agere, quibus opus habent, similes illis sunt, qui longius nauigaturi, nihil secum asportant, sed soluentes a portu, tunc demum recordantur eorum, quæ illis sunt necessaria, cum iam non liceat retro ire nauim. Sic iam morituro, nihil eorum agere licet, dum in extrema agonis hora est constitutus, quæ uiuens perficere potuit. Vocati sunt Iudæi ad nuptias, & neglexerunt uenire, & abierunt, alius in uillam suam, alius uero ad negotiationem suam, alii seruos contumeliis affectos occiderunt. Lapidauerunt enim beatum Stephanum: & beatum Iacobum Ioannis fratrem gladio percussurunt, & alios nimis multos. Rex autem cum audisset, iratus est, & perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum succendit missis exercitibus suis: Titum scilicet & Vespasianum Romanos imperatores. Hic considerandum, quemadmodum misericordia Dei longa nimis est, ira autem breuis. Misericordia domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum, Psal. 102. Et Psal. 7. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur dominus, & peccatis de uia in ista, cum exarserit in breui ira eius. Ira denique breuis est. Per misericordiam longum tempus expectat. Cum autem irascitur breuissime percutit. Sic ait beatus August. in Psal. 36. uersu: Et adhuc pusillum, & non erit peccator. Cito ueniet ira super peccatorem, super persecutorem, Tu dicis, Ego flagella patior, & uideo iniquum exaltatum, uelut cedrus Libani. Hoc tibi uidetur, quoniam infirmus es. Infirmitas namque nihil sit cito, omnia moram trahere arbitrantur. Quid superbis inique? omnia feci quæ uolui, omnia cōsummaui. Quid superbit impius? quia pater meus de illo fecit flagellum? Nam pater flagello percutit filium, quod continuo in ignem proicit. Visum est Iudæis, dum occiderent seruos domini, & a Iudæa profligarent, uicisse. At rex iratus missis exercitibus suis perdidit homicidas, & Hierusalem succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, omnia sacramenta instituta, passio domini consummata, mors abolita, dæmon & mundus deuicti, sed qui inuitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quoscunque inuenieritis uocate ad nuptias. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine patris, & filii, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandauit uobis. Factum est ita, & impletae sunt nuptiæ discumbentium. Intrauit autem & rex, ut uideret discumbentes: exemplo suo reges commonefaciens, ut uisitent populos suos, & omnibus præbeant aures. Et uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptiali, hoc est charitate. Nam certū est, qui ad nuptias uocatus uenerat, fidem habere nuptiarum, & sponsum fide cognoscere, aliās non esset ingressus domum, quam fide non nouerat. Notus ergo fide erat, cui dicitur: Amice, quomodo huc intraisti sola fide, sine operibus charitatis, sine ueste nuptiali? At Lutherani & eorum similes hic obmutescunt, quia tunc missus est in infernum miserulus ille homo, sola fide deceptus sine operibus, quæ se saluari existimabat. Multi n. sunt uocati, pauci uero electi. Hoc de Iudæis ad literam intelligendum est, quando unus tantum sine ueste nuptiali ex gentibus excluditur, per quem etiam plures signantur. Nec ideo quis definire potest, num maior sit numerus saluandorum an condemnandorum, quod Deo soli reseruatū est, prout supra cap. 20. dum hæc eadem uerba interpretaremur, diximus. Timeat igitur unusquisque, qui intra ecclesiam uiuit, habere fidem sine operibus. Sciat neminem sola fide, ac sine operibus charitatis saluari posse. Quod si in charitate decedat, saluabitur gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In XXII. cap. beati Matthæi.

Magister f. 4. dist. 20.

Non desunt qui dicant, has nuptias significare inter Deum & iustam animam coniunctionem, quando scilicet per charitatem anima unitur Deo. Sic enim habetur in epistolis decretalibus pontificum, De bigamis, cap. Debitum pastoralis officij. Et infra, Fraternalitati tuæ duximus respondendum, cum duo sint in coniugio, scilicet animorum consensus, & communitio corporum. Quorum primum significat charitatem in spiritu, quæ est inter Deum & iustam animam. Alii autem has nuptias etiam amplificat ad illam in gloria unionem, qua anima Deo coniungitur, tanquam uitæ suæ, secundum illud apostoli ad Colos. 3. Mortui enim estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Mortui nempe sumus & si uiuimus, quoniam omni die morimur: quapropter uita nostra dicitur umbra mortis. Nam cuiuscunque sit umbra, siue albi simi equi, siue arboris uiridis, siue hominis diuersis coloribus induti, semper nigra est umbra: quoniam omnis dies uitæ morte finitur. Cum igitur morte hæc præsens finiatur uita: & dum transigimus uitam, omni etiam die transigunt uitæ dies: finis corporis, mors est: & finis uniuersusque dies, umbra est mortis. In gloria autem, quoniam uiuere non habet finem: ibi uita uera est uita: quoniam nunquam desinit dies, ut altera succedat dies, quæ uia est semper, cum nullo unquam terminetur fine. Sic uita nostra Christus dicebat: Ego ueni, ut uitam habeant, & abundantius habeant, Ioan. 10. Cæterum nuptiæ hæc inter Christum dominum, & ecclesiam per uerba de præfenti celebratæ sunt in utero uirginis: quando nostram dignatus est filius Dei naturam assumere, & ecclesiam sibi coniungere manibus in cruce datis. Et per mortem eius, hoc sacramentum celebratum & consummatum illo dicente, Ioan. 19. Sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura dixit: Sitio. Vas autem erat postum aceto plenum. Illi autem spongiâ plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Sic etiam beatus August. Deus enim securus moriens dedit sanguinem suum pro ea, quam resurgens haberet quam sibi coniunxerat in utero uirginis. Misit igitur ad inuitatos, ut uenirent ad nuptias, & nolabant uenire. Vide hic arbitrii libertatem contra hæreticos: Nolabant, inquit, uenire. Liberi enim sunt, quamuis a Deo uocentur. Possunt proinde uocationem renuere, prout miseri isti fecerunt. Et nolabant, inquit, uenire. Iterum alios seruos misit, dicens: Dicite inuitatis: tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. Omnis namque scriptura de aduentu Messie impleta est: omnia etiam instituta ceremoniarum sanguinis hircorum, taurorum, & esus agni paschalis, quæ in figura Iudæis præcipiebantur: tum & prophetarum oracula Esaiæ, Hieremie, Ezechielis, Danielis, Davidis, & cæterorum impleta sunt: omnia denique, quæ prædicabantur in nouo testamento futura, parata sunt. Iam enim hauriuntur in gaudio baptismi aquæ de fontibus saluatoris: iam uox domini super aquas: iam & contritum caput draconis in aquis, & datum in deuotionem gentibus, populis Aethiopum: iam facies exhilaratur in oleo, & cor hominis panis confirmat: iam omnes sitientes ad aquas ueniunt, & emunt absque ulla commutatione uinum & lac: iam cibatur homo pane uitæ & intellectus: iam est confessio peccatorum, & pulchritudo, quam peccator confessione acquirat

quiret in conspectu eius, sanctitas & magnificentia in sanctificatione eius. Iam Christus domatur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Venire igitur ad nuptias. At illi paruipenderunt, quemadmodum & Dauid dicit: Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Et dixit, ut disperderet eos, si non Moyse electus eius iterisset in confectione, in conspectu eius: hoc est, in confectione uituli quem fecerunt, quem contriuit Moyse redigit quo in puluerem: uel quia contractus & contritatus nimium Moyse mortem appetiuit, nisi populo ueniam dominus daret, dicens: Vel mitte eis hanc noxam, aut dele me de libro uitæ, ut auerteret iram eius, & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, Psal. 105. Sic neglexerunt Iudei uitam eternam, in cuius figuram iam olim pro nihilo habuerunt terram desiderabilem promissionis, & abierunt, alius in uillam suam, alius uero ad negotiationem suam. Occupationes terrene & neglectus cœlestium, hos pessum abire fecit. Cum enim homo cœlestia paruipendit, & magis temporalibus inhiat, frigescit anima, & incalcescit caro, & sic utriusque eterna salus amittitur. Alii porro subuidi negotium nuptiarum uolentes dissoluere, seruos contumelios affectos occiderunt: Salubre utique illis consilium, dedit Gamaliel, Actorum quinto. Hæc autem, inquit scriptura, cum audissent, per longum uidelicet sermonem de diuinitate Iesu, quem apostoli prædicauerant, dissecabantur, & cogitabant interficere illos. Surgens autem quidam in concilio phariseus, nomine Gamaliel, legis doctor, honorabilis uniuersæ plebi, iussit foras modicum apostolos secedere, dixitque ad illos. Viri Israelite, attendite uobis super hominibus istis, quid acturi sitis. Ante hos enim dies exiit Theudas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus uirorum, circiter quadringentorum, qui occisus est, & omnes qui credebant ei dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc exiit Iudas Galileus in diebus professionis (quando scilicet omnes profitebantur in suam ciuitatem ad soluendum tributum Octauiano Augusto, quo tempore dominus natus est in Bethleem) & auertit populum post se, & ipse perit, & omnes quotquot consenserunt ei, dissipati sunt. Et nunc dico uobis, discedite ab hominibus istis, & finite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur, si uero ex Deo est, non poteritis dissoluere, ne forte & Deo repugnare uideamini. Consenserunt autem illi. Et conuocantes apostolos, ex his denunciauerunt, ne omnino loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt illos. At hi tandem optimi huius consilii Gamalielis obliti, quosdam postea occiderunt, & alios percusserunt. Misit ergo dominus exercitus suos, & homicidas disperdidit, & per apostolos congregauit gentes, Petro sedem fixâ apostolicam in capite orbis Roma collocante. Et sic congregati sunt gentium populi innumeri ab oriente & occidente, imperio fidem suscipiente tempore Constantini magni. Inuentus autem est homo ueste nuptiali non decoratus, charitate uidelicet, quæ est uinculum perfectionis, & missus est in tenebras exteriores. Illud namque est a sapientibus uiris obseruatum, ut secundum patriæ morem, in qua degunt, uestiantur, alioquin iriderentur. Hinc etiam est, ut quicumque uitam in cœlo decreuit agere, ut ad morè cœlestè uertè componat. Veltis autem cœlestis charitas est, quæ secundum beatum Petrum operit multitudinem peccatorum, secundum uero beatum Paulum, maior est fide & spe, & secundum beatum Ioannem, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Quæ eadem uestis intelligenda est, de qua beatus apostolus Paulus ad Rom. 13. inquit. Non in commestationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitis, sed induimini dominum nostrum Iesum Christum, nõ utiq; scissam uestem

Quinque
hominum
genera qui
uestem do-
mini par-
tiuntur.

uestem superiorem, quam partiunt inter se milites, sed tunicam charitatis illam inconsutilem, de super contextam per totum, que in te gra manet. Quinque enim sunt in orbe hominum genera: nempe idololatraz, Mahumietani, uel alii huiusmodi sectæ addicti, Iudei, hæretici, qui Christo non induuntur, quoniam uestem eius superiorem diuidunt in quatuor partes: & sic nemo illo rum induitur. Omnes isti audierunt Christum in carne uenisse, & hæretico- rum aliqui credunt: & terum nec fidem nec charitatem habent, quoniam uestem sciderunt, & Christo sponso nec sponsæ ecclesiæ cohærent. Catholici uero Christiani, tunicam habent inconsutilem, fidem scilicet charitate desu per contextam per totum. Hæc tunica non induitur, qui fidem habet absque charitate, cui dicitur: Amice quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem? Qui sine obmutuit. Quis enim non obmutescat arguente Deo? Quid misera anima illo increpante respondere poterit? Quis excusabit illo damnate? profecto nemo. Quapropter dicitur: At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris, quia iste noluit operari, sed Lutheranis similis factus, fidem sine operibus inanem habuit: & quia manibus pedibusque fuit ligatus ad operandum, quando uixit: nunc denno eisdem ligatis, ne iam in æternam operari possit, in tenebras exteriores eiicit. Sic Eccles. cap. 9. exhortatur homines, ut operentur dum uiuunt: quoniam post mortem nullum est meritorium opus. Inquit igitur: Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas: tu scilicet, qui sine operibus charitatis uestitus sola te existimas fide posse saluari, & ad te per illam sanguinis Christi meritum adducere. Vnusquisque igitur Christum dominum & sponsum sequatur, ad nuptias uenire non negligat, caucatque ne communi & consueta ueste indutus accedat, nisi enim charitatis ueste amictus fuerit, proicietur in tenebras inferni exteriores (quoniam interiores sunt illæ, qui us in peccato obtræcatur anima) ibi erit fletus, ex igne & fumo, & stridor dentium, ex nimio rigore frigoris. Quod si charitatis ueste indutus uenerit, dicitur de eo illud Apoc. 19. Beati qui ad cœnam nuptiarum agni uocati sunt, gratia eiusdem agni domini nostri Iesu Christi: cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperiû in æternum. Amen.

TRACTATUS TERTIVS,

In cap. XXII. beati Matthæi.

Multi sunt
uocati, pa-
uci electi.

V. I. T. I. M. A. huius parabole domini sententia est: Multi sunt uocati, pauci uero electi. Quam dominus iam ante dixerat, cum parabolam aliam supra cap. 20. proposuit de patrefamilias operarios mittente omni hora diei in uineam suam. Suntque doctores, quibus uidetur intelligenda hæc domini sententia, de omnibus uocatis ad fidem Iudeis & gentibus: quando omnes uerbum domini audierunt, quidam per apostolos, alii per eorum discipulos, alii per famam, & qui adhuc uocantur & uocabuntur, omnibus his simul congregatis, multi sunt uocati: in quorum comparationem pauci sunt electi. Hic est primus modus dicendi. Aliis autem uidetur de Christianis suscipientibus fidem, hæc sententia domini intelligenda. Hos autem dicunt uocatos, qui uerbum domini susceperunt. Quæ quidem sententia, cum nimis sit coarctata: cõsolantur nos dicentes, homines qui saluandi sunt, non pauciores numero fore, quam permanentes in cœlo angelos: quos aiunt duplici esse numero illis, qui cum diabolo cõruerunt. Ad hoc offendendam adducunt illud Deum. 32. cap.

Quo in

Quo in loco Moyses ait: Constituit numerum populorum, iuxta numerum filiorum Dei. Septuaginta litera habet: Secundum numerum angelorum Dei. Et illud Apocalypsis. 12. Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum. Si draco, inquit, secum traxit tertiam partem stellarum: hoc est angelorum: duæ partes spirituum superiorum permanserunt: & iuxta hunc numerum asti mandati sunt homines, quoniam scriptura ait: Constituit terminos populorum secundum numerum filiorum Dei. Hoc etiam asserunt ex beato Gregorio, quem refert sententiarum collector, (qui & Magister sententiarum dicitur) in 2. lib. dist. 9. cap. 8. & ex beato Thoma pri. par. q. 63. art. vlt. Quibus quoad litteram sacri euangelii, in qua sententia domini continetur bis prolata: Multi sunt uocati, pauci uero electi. (Nam quicquid est de numero saluatorum, an sit potior numero condemnandorum: & de numero decidentium malorum spirituum cum suo pessimo Lucifero, id soli Deo compertum est. Cui dicit ecclesiæ Deus, cui soli cognitus est numerus in superna felicitate locandus, prout supra diximus cap. 20.) dicimus ad sensum literalem, qui ex præcedentibus colligitur, dominum tantum de uocatione & reprobatione Iudeorum tulisse sententiam: Multi sunt uocati, pauci uero electi. Quæ utrum ad omnes uocatos extendatur, an ad fideles tantum, nec definimus, nec eorum sententiam improbamus, tantum interpretamur accommodatissimos euangelicæ literæ sensus, nec abnuimus, domini sententias, quæ dicuntur de vno, posse referri ad plurimos. Hoc tamen dicimus, quando hanc dominus sententiam protulit: Multi sunt uocati, pauci uero electi ad solos eam retulisse Iudeos: de quorum uocatione & reprobatione agebatur in hæc parabola. Gentium uero, quæ uocata sunt seruis euntibus ad uitam exitus, quot approbentur, Deus scit. Verum enim uero unum tantum legimus a nuptiis fuisse repulsam, cum iam discumberet, eoque non habebat charitatis uestem. Nec abnuimus in isto plures alios significari, uidelicet omnes illos, qui in hora mortis inuenti fuerint sine gratia, quique sola fide absque operibus charitatis se saluari posse existimarunt. Qui sane omnes excludentur a nuptiis, cum dominus unicuique redditurus sit, secundum opera eius. Multi igitur ex Iudeis uocati (omnes siquidem uoce domini & apostolorum eius acciti sunt) pauci uero electi, cum admodum pauci crederent, cæteris in perfidia sua persistentibus. Quorum adhuc plurimi per totum orbem dispersi, perfidi, proterui, & infidelissimi sunt. Cæterum qui ex illis uere crediderunt, optimum bonorum operum & charitatis fructum protulere, tanquam oliua in sua radice inserta. Nec desunt qui hæc parabolam in sensu morali ad uniuscuiusque animam flectant. Inuitatur siquidem anima uniuscuiusque Christiani, cum in baptismo suscipit fidem, spem, & charitatē, & secundum aliquos doctores etiam morales uirtutes. Fides autē infusa, cuius obiectum est, omne reuelatum a Deo est uerum, operatur in anima inuitati. Qui cum ad annos discretionis peruenerit, atque illi simul & infideli proponeretur, quod Deus est trinus & unus, haud dubium, quin facilius baptizatus assentiat, (& si nunquam hunc audiuit articulum) quam infidelis, incitante ad hoc & interius operante fide, quam ex sacro baptismo habet infusam. Vocatur igitur Christiana anima, iam sic in baptismo a domino inuitata, per eam quæ quotidie audit in sancta ecclesia. Vocatur inquam sacerdotum exhortatione, prædicatorum & prælatorum admonitione, uitiorum punitione, & sacramentis. At illi neglexerunt. Plurimi, pro dolor, negligenter abeuntque, unus in uillam suam, alius uero ad negotiationem suam. Hoc uerbum, meum omnes homines fallit, regnum meum, episcopatus meus, ecclesiæ mea, uilla mea, negotiatio mea, plena deceptionis sunt uerba. Possessores enim simus, non proprietarii.

proprietarii. Regnum hodie tuum, cras filii tui. Decessisti forte sine liberis, iam tibi aliquis ex transverso propinquus succedet, cuius nec per somnium unquam meministi. Nabuchodonosor rex Babylonis in belluam conuersus est, donec scias, inquit Daniel cap. 4. quod dominatur excelsus in regno hominum, & cuiuscunque uoluerit dat illud: & humillimum hominem constituit super illud. Superbiente & non parente Dei præcepto Saul, datur regnum Dauid opulenti, patris enim sui Isai tunc pascebat oues. Peccante filio Dauid Salomone, tradita sunt decem tribus seruo eius Ieroboam, duabus dicitur tribubus, Iuda, scilicet & Benjamin, Roboam filio Salomonis dimissis. Attendant ergo hæc reges terre & magnates seculi: nec uocati negligant uenire ad nuptias. Porro de episcopis, clericis aliisque prælaris, quorum ecclesiæ tiara & baculo decorantur, quid opus est dicere? quando experientia docet, hodie unum, postera die alterum dignitatem obire. Nulla igitur ratio suppetit, ut dicamus quicquam esse nostrum. Nihil enim intulimus (inquit beatus apost.) in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nocua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem, 1. Tim. 6. Quod in his inuitatis & uocatis facile est & flebile intueri, cum inuitati & sæpe uocati neglexerint ad nuptias agni uenire: quinimmo & abierunt ad uillas & negotiationes suas, necessaria corporali uitæ nimia sollicitudine queritantes: & superflua, ut diuites fierent, procurantes. Ex quo euenit, ut in diaboli laqueis, & desideria inutilia & nocua ambitione sua incidant. Porro alii seruos affectos contumeliis occiderunt, cuiusmodi sunt, qui peccatis publicis adherent inmoti, Dei uerbum in se pernecantes, qui prædicatorem ad monentem negligunt, qui prælatorum suorum correctionem & punitionem nihili faciunt, qui iam in omne peccatum timore ultionis diuine deposito, prolabantur effrenes. Horum antipax rex demoniorum exercitiis missis inextinguibili succendit igni. Quos & uiuentes aliquando permisit euertere per infideles: & prout iam supra meminimus ciuitates, in quibus Christiani infidelium more debebant, uerbis tantum confitentes Christum, factis autem publice abnegantes. Quorum loco dominus alios populos ecclesiæ catholicæ & ueræ fidei dedit. Et sic ecclesiæ quæ a populo Iudæorum transfuit ad gentes (aliquibus tamen ex Iudæis aggregatis, ut lapis angularis Christus conneckeret utrumque populum, & fieret in caput anguli) ab uno regno in alterum transfuisse, nos docet experientia. Christum colebat Africa beati Augustini tempore, plurimæque in ea erant ecclesiæ cathedrales, tunc uero Hispania ab hæreticis Arianis, aliisque quam plurimis occupabatur, quam modo ueri & catholici Christiani tenent. Quo in statu faxit Deus sua pietate, ut ad mundi finem usque perdureret, Amē. Africa uero iam ab hinc plurimos annos Mahumetanorum tyrannide premitur. Itaque loco eorum, qui nolunt uenire ad nuptias, & occidunt in se catholiciam fidem & pios mores, submittuntur alii credentes, qui & bonis moribus & charitatis operibus fidem suam ostendent. Quod si inter ueros catholicos aliquis reperitur (rex enim Deus omnia prospicit, omnia oculis eius patet, quantuncunque corde celeretur) absque uelle nuptialis, id est absque gratia, ligatis manibus & pedibus (si talis in hora mortis decedit) mittetur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Vnusquisque igitur pro anima sua sollicitus sit: custodiat studiose mandata domini, pareat sanctæ matris ecclesiæ monitis & præceptis: ut sic gratia domini indutus securus, sedeat in conuiuium nuptiarum, laudes semper agens Christo domino: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria & imperium in æternum. Amen.

TRA-

TRACTATUS QUARTVS,

In XXII. cap. beati Matthæi.

TYNC abeuntes pharisæi, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Cum pharisæi perspicerent se parabolis domini insectari, eorumque malitiam detegere: uolentes si possent dominum Romanis tradere, seque innocentes de illius occisione populo ostendere: mittunt ei discipulos suos cum Herodiano, Herodis feruis. Omnis contra dominum fortitudo debilis est: fragilis humana scientiæ, si ad diuinam sapientiam conferre uelis: uultiles hominum fraudes contra consilium Dei. Ad capiendum dominum in sermone uenerunt, at ipsi a domino capti & conuicti sunt. Vide etiam quales euaserunt discipuli, qui sub disciplina pharisæorum legem acceperunt, iniqui, peruersi, subdoli, hypocrite, duplici corde, similes præceptoribus suis. Considera hic quanta cura parentes præceptores filiis suis eligere debeant. Qua enim doctrina recens ætas imbuta fuerit, hanc seruat perpetuo, ut quidam: Quo semel est imbuta recens seruat odorem, restat diu. Sint præceptores catholici, ab omni suspitione erroris alieni, ne sint utrius dediti, sed modesti & pii, & omni quod fieri potest uirtute præditi. Ad dominum igitur accesserunt hæc uiperarum genimina, pharisæi subdoli, & suspicantes melle perfusis labris uenenum porrigere, ac mortem ingerere saluatori, dixerunt: Magister scimus, quia uerax es. Serpentes, si uerax est, & vos hoc scire fatemini, quare non creditis illi? Non tantum uerax est dominus, sed et ipse ueritas est. Veritas namque de terra orta est uirgine, & nunquam maledicta: quando ab utero exiit matris intemerata, tanquam sponsus de thalamo suo. Ipse nempe ait: Ego sum uia, ueritas, & uita: Et quia ueritas est decipi uestris medatijs minime potest, nec adulationibus capi: & uiam Dei in ueritate docet, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicit personam hominum. Ab ore & cogitatione mendaci, ueritas prædicatur per pharisæorum discipulos, quam ipsi non credunt: sed ut capiant dominum in sermone, eam ad uulso proferunt: Quatuorque fatentur inesse domino insignes uirtutes, quæ inter cæteras omnibus iudicantibus sunt necessaria: quas nunc proponunt, cum simularent uelle se dominum sequentis quæstionis æquum habere arbitrum. Oportet igitur primum, ut iudex sit uerax, unde inquirunt. Scimus quia uerax es. Si enim iudex mandatoris os habet asuefactum, falsam omni die sententiam proferet, quodque modo dixit, paulo post negabit. Quo circa doctrinam oportet illum habere ueram, ne si docuerit falsa, etiam falsa iudicet. Non dicit iudicem cautelis agere, commoueri subdolis, uelle haberi quos puniat: immo totis adnitatur uiribus ne à populo cui suffectus est, puniendus fiat. Cumque uiam Dei docuerit in ueritate, atque omnibus quibus præest, ne in Deum & proximum crimen committat, omnem ansam abstulerit, se optimum præstabit iudicem. Tertia iudicantiu uirtus est, ne sit illi cura de aliquo: qui paucis & necessarijs uitæ contentus, non querit superflua, nullumque ueretur hominem, se libere que iuris sunt administrat: Qui autem amicitias hominum ambit, & coniunctis sanguine nimium defert, si non est liber ad iudicium proferendum, quoniam amicis & consanguineis latissimè facere cupit. Quarta uirtus iudicantiu est, non respicere personam hominum, nec ullam habere personarum acceptionem: ut eadem regula, eodemque iure diuitem & pauperem metiatur, potentem & dictum iudicet. Sic præcipit dominus Leuiti. 19. Non consideres, inquit, personam pauperis, nec honores uultum potentis. Et Deut. pri. ita paruum

Iudicantiu
quatuor
uirtutes.E t e
audictis

audietis ut magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia a Dei iudicium est. Item Deut. 16. Non accipiens personam nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant uerba iustorum. *Dic ergo nobis*, tanta ad iudicandum ueritate & constantia præditus, *quid tibi uideretur, licet ceruicem dari Cæsari, an non?* Insipientes pharisæorum discipuli in metam se dominum conclusisse putabant, prauè apud se cogitantes, si dixerit, date Cæsari tributum, populus indignabitur aduersus eum, & illum amplius audire contemnet. Odit namque uulgus subditi, & renuit dominis tributa præstare: si uero dixerit populum Dei liberum debere esse a tributo, nec dandum Cæsari, capietur ab Herodianis, & tanquam læsæ maiestatis reus occidetur. Quod & falso illos obiecitisse domino coram Pilato, refert beatus Luc. Hunc inuenimus, inquit, subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari. *Cognita autem Iesus nequitia eorum.* Quid prodest latere homines, & patere Deo? occultari seculo, & palam fieri cælo? abscondi in angulo, & uideri ab angelo? corde occultare praua, & Christo nihil non esse detectum? *Cognita autem Iesus, nequitia eorum, ait:* Quid me tentatis hypocritæ? ostendite mihi numisma census. *At illi obrulerunt ei denarium.* Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc, et superscriptio? *Dicunt ei Cæsaris.* Tunc ait illis Iesus: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, Quod pecunia literis & effigie ipsa ostendit Cæsaris esse, reddite illi quod suum est, et quæ sunt Dei Deo. Hoc est uos metipfos, qui geritis imaginem Dei, facti ad eius similitudinem: & qui superscriptionem pharisæorum habetis, quos populus tanquam religiosiores inter cæteros Iudæos suspicit. Quiescite peruersè agere, & nolite uos metipfos diabolo uectigales reddere hypocrisi & malitia. Non enim ipse uos cussit, sed Deus omnipotens condidit. Porro superscriptio quam profertis, non equidem uos arguit perditos esse, sed præ cæteris sanctiores haberi ostendit. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Non enim minimum a Christo domino in hac responsione Christiani reges & proceres suæ sustentationis adminiculum receperunt: nisi eo abuti uelint ad populi spoliationem & superfluos sumptus. Quædo dominus ipse præcipit censum præstari Cæsari, dicens uiso denario: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari. Quod & beatus apostolus Paul. ad Rom. cap. 13. confirmat, dicens: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo, quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et paucis interiectis addit: Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Cæterum ipsi domini temporales non possunt perpetuas gabellas imponere sine licentia Papæ: cui tanquam patri uniuersali datum est prouidere, ne dominium temporale Christianorum transeat in tyrannidem. Qui aliter uero fecerint, sunt excommunicati in processu cœnæ domini, dicente canon: Excommunicamus & anathematizamus omnes, qui in terris suis noua pedagagia imponunt, uel prohibita exigunt. Non ita uero prohibent nouæ exactiones, seu taxæ ut uulgo dicunt, quæ aliquando exiguntur per reges uel dominos temporales, pro illa uia soluendæ. Sic profecto iure etiam episcopis concessum est, subsidium charitatum a suis clericis postulare. Videant tamen qui talia exigunt, siue reges siue episcopi, quia necessitate id faciunt: quoniam exigentes sine urgente necessitate peccare possunt: quia quod uere indigentibus est debitum, abundantibus est illicitum: Charitas enim urget non opprimere subditos: qui & si subditi sunt, nihilominus proximi sunt. Cæterum hæc quæ dominis temporalibus debentur ad congruam eorum sustentationem secundum

secundum exigentiam status, præcipue duplici capite populus tenetur reddere, uidelicet ad iustitiam administrandam & pacem tuendam. Tenentur enim reges populis suis ius dicere, & illos secundum ius moderari, malefactores punire, publicas uias a prædonum insultu tutas ac pacatas reddere. Tenentur etiam populos suos defendere, ne ab inimicis inuadantur & desistantur. Quam ob rem illis redduntur & uectigalia, domino dicente: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari. Ut hæc igitur peragantur, & maiestas regia honore debito decoretur, talia a populo regibus debentur. Videant uero ipsi quibus in rebus redditus suos expendunt: ne forte inueniantur coram iudice Christo plus in uanitatibus expendisse, quam in iustitia administranda, & sua republica ab hostium furore tuenda. Namque scriptum est Sapientie cap. 6. Melior est sapientia quam uires, & uir prudens quam fortis. Audite ergo reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures uos, qui continetis multitudines, & placetis uobis in turbis nationum: quoniam data est a domino potestas uobis, & uirtus ab altissimo, qui interrogabit opera uestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicatis, nec custodistis legem iustitiæ, nec secundum uoluntatem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit uobis, quoniam iudicium durissimum in his qui præsumunt fieri. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, qui est omnium dominator, nec uerebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & equaliter cura est illi de omnibus: Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad uos ergo reges sunt hi sermones mei: ut discatis sapientiam, & non excidatis. Qui enim custodierint iustitiam, iuste iudicabuntur, & qui didicerint iusta, inuenient quid respondeant, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUINTVS,

IN XXII. cap. beati Matthæi.

Et audientes, mirati sunt: et relicto eo, abierunt. Ad capiendum dominum in sermone uenerunt, & uacui redierunt. Capere uolebant, & capti sunt, decipere, & denicti sunt. Hic est superborum finis, qui se opponunt aduersus dominum: ut in foueam incidant, quam parant. *In illo die accesserunt ad eum Sadducei, qui dicunt non esse resurrectionem.* In actis apostolorum cap. 23. ita legitur: Sadducei autem dicunt non esse resurrectionem mortuorum, neque angelum, nec spiritum. Itaque animæ immortalitatem & angelos Sadducei negant, tantum recipientes quinque libros Moyfi: & interrogauerunt eum, dicentes. Ab hæreticis quæstio erroris plena proponitur. *Magister, Moyses dixit: Deut. 25. cap. Si quis mortuus fuerit, non habens filium, ut ducat frater eius uxorem illius, et suscipiat semen fratris sui. Erant autem apud nos septem fratres, et primus uxore ducta defunctus est, et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo. Similiter secundus & tertius usque ad septimum. Quisisme autem omnium, et mulier defuncta est. In resurrectione ergo, cuius erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam.* Ex prædictis uolebant hæretici Sadducei inferre, non esse resurrectionem mortuorum: & per consequens nec animam immortalem. Quibus omnibus Christus Deus sapientia patris respondit: & illos conuincit, & animam ostendit immortalem esse, & futuram resurrectionem, silentiumque imponit, cum eius irrefragabili ratione

Exc 2 obistere

obfistere non ualere. In quo diuinitas domini mirifice ostenditur, eiusque æterna sapientia manifestatur. Nemo enim eorum, quibus respondit, quod obitercer inuenit. Sic obmutuit non habens uentem nuptialem. Sic obmutescunt pharisæorum subornati discipuli, quærentes an liceret dare tributum Cæsari? Sic & Sadducæi nunc obmutescunt. Respondens a tem Iesus, ait illis. Eratis uel scientes scripturas. Moysi scilicet libros, quos acceptatis, non intelligentes, & prophetas qui de resurrectione locuti sunt ignorantes, neque uirtutem Dei. Qui enim fecit esse, qui non erant: faciet qui fuerunt, ut sint. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur. Hoc est, nuptiis non tradentur mulieres. Sed erunt sicut angeli Dei in celo. Non ibi erit cibus & potus, non commixtio sexuum, sed uisione & fruitione diuina spiritualiter reficiuntur beati. Nam quemadmodum angeli diuina uisione & fruitione reficiuntur, sic & hominum resuscitatorum animæ eadem refectione fruuntur. Corpora uero cibo non egebunt, nec potu, dotibus claritatis, immortalitatis, impassibilitatis & agilitatis refectas. Ingredientur quippe animæ ad uisionem diuinam, & egredientur oculi corporales ad Christi domini humanitatem cernendam; & uerri ma pascua anima & corpus inuenient. De resurrectione autem mortuorum, unde error quæstionis uestras sumpsit exordium, non legisse quod dictum est a Deo dicente uobis: uidelicet quando Moysi locutus est, Exo. 3. illum ad Pharaonem mittere uolens ad populum educendum de seruitute Aegypti. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed uiuentium. Locum citauit dominus ex libro Exodi, quem Sadducæi recipiebant ad illorum errorem conuincendum: prophetarum uero testimoniis nimium utitur, quoniam Sadducæi non credebant illis. Deus igitur cum quæreret Moyses: Si dixerit mihi, Quod est nomen eius? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen, Ego sum qui sum. Ait, sic dices filiis Israel, Qui est, misit me ad uos. Dixitque iterum Deus ad Moysen: Hæc dices filiis Israel, Dominus Deus patrum uestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad uos. Cum igitur Deus non sit mortuorum; nam si animæ horum patriarcharum non essent, Deus corporum in puluere iam redactorum, & eorum qui iam non erant, non se diceret Deum. Quin etiam & animarum, si essent illorum, qui nec sunt, nec futuri sunt, Dei maiestas æterna nec Deus nec dominus diceretur. Cum igitur se Deum dicit Abraham, Isaac & Iacob, quorum iam corpora redacta erant in puluerem: illius præcipui, quod postquam creatur, nunquam desinit esse, animæ scilicet quæ est immortalis, se Deum esse dicebat: & secundum animam immortalem, quæ Deo uiuit semper, postquam creata est semel, Deus illorum dicitur. Cum igitur anima quæ in homine præcipuum est, perpetuo uiuat, & nunquam desinat esse, facile uirtute Dei reduceretur ad corpus, in quo ante domicilium habuit: & in quo semel creata imposita est: tanquam ipsius uera forma substantialis. Cæterum aduertendum est quod non tantum dominus concludit animæ immortalitatem, uerum & corporum resurrectionem, eo quod dicit: De resurrectione autem mortuorum non legisse quod dictum est a Deo dicente uobis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed uiuentium. Nam si tantum in illis uerbis dominus omnia præsciens, & futurum errorem Sadducæorum noscens, uellet animæ immortalitatem ostendere, diceret utique: Ego sum Deus animæ Abraham, & animæ Isaac, & animæ Iacob: Atqui cum ait: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, ostendit totum hominem integrum in resurrectione futurum. Nec enim anima Abraham est Abraham: homo scilicet ille patriarcha, qui ad conuallem Mambræ tres uidit,

&

& unum adorauit, & qui habuit uxorem Sarā & filium Isaac: sed est anima, hoc est forma substantialis immortalis illius compositi ex animā & corpore, qui dicebatur Abraham. Cum igitur Deus dicat, se Deum esse Abraham, Isaac, & Iacob, inuit illos uiuere quoad formam coram substantiali, quæ est anima: & manifestat illos corpore reintegrandos quos suis nominibus uocat: quibus ex anima & corpore simul coniunctis homines appellare confueuimus, uidelicet Abraham, Isaac, & Iacob. Sicque Sadducæi se conuictos cernentes nihil amplius hiscere ausi sunt. Non miremur igitur si hæreses hæc calanitosos temporibus uigent: cum iam olim uidemus inter Iudæos Sadducæos uiuentes, qui circuncisi, & libros quinque Moysi recipientes, spiritum & angelos, & resurrectionem negabant. Quibus erat etiam notum tres mortuos paulo ante suscitasse, uidelicet filiam Iairi archifynagogi, & filium uiduæ ad portas Naim: & Lazarum nobilem uirum, fratrem Mariæ Magdalene & Marthæ, quattuordecim iam secentem in monumento. Deus etenim iustus est, quod omnis fateretur anima quæ nouit Deum: fateretur & Mahumetani, hæretici, & pagani. Si quis ergo unicum Deum fateretur, certe iustum & bonum fateri necessarium est. At hic non dissimularet multorum in hac uita scelera, si non esset in alio seculo puniturus: nec uiros probos uexari a malis sineret, nisi bonis post hanc uitam esset retributio, & inquis supplicium. Constat igitur animam in æternum uiuere, & ostenditur corpus esse resuscitandum: quippe quod sit instrumentum omnium bonorum operum, pariter & malorum, ut pura homicidii, latrocinii, adulterii & aliorum omnium uitiorum quæ opere perpetrantur. Sic Abacuc propheta cap. primo ait: Onus quod uidit Abacuc propheta: Vsq̄uequo domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor ad te uim patiens, & non saluabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem, uidere prædam & iniustitiam contra me? Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiores se? Quare id fiat o propheta quæris? Dicam: quoniam non est Deus mortuorum sed uiuentium. Et quoniam impij ibunt ad æterna supplicia: iusti uerò qui nunc conculcantur, æternæ uitæ solatia consequentur. Perpetuo utique animæ uiuunt: corpora uerò resurgent, & in utroque accipiant debitam retributionem: iusti quidem mercedem æternæ felicitatis: iniqui uerò æterni supplicii ultionem. Ne quicquam ergo causeris aduersus iustissimum Deum, qui reddet unicuique secundum opera eius: Ecce uenio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua, inquit beatus Ioannes Apocalip. capit. vlti. Omnis porrò scriptura immortalitatis animæ & resurrectionis ultimæ plena est. Quod si aliter, quæ nam imago, quæque Dei similitudo inesset animæ? Cum autem diuina scriptura asserat, Genes. prim. Deum Optimum Maximum dixisse: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Rursum, Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: non secundum corpus homo est imago & similitudo Dei, sed secundum spiritum. Quem beatus apostolus Paulus patrem spirituum dicit, ad Hebræ. capit. 12. Non multo magis obtemperabimus patri spirituum, & uiuemus? Est igitur anima immortalis, atque Dei uiuentis imago & similitudo, quantum capax est creatura, perpetua scilicet, postquam creata est. Angeli namque & animæ immortalitatis participes sunt a creatione. Aeternitatis uero capax solus Deus est, solus pater & filius & spiritus sanctus. Deus unus æternus est, omni carens tempore & initio. Qui cum animas, & ipsos ange-

los,

los, modo uelit, ad nihilum redigere possit: se ipsum esse priuare non potest, quoniam id Deitatis naturæ repugnat, cui eternaliter inest semper esse. Ipse honor, gloria, imperium sit, & laus ab omni anima in æternum. Amen.

TRACTATUS SEXTVS,

In cap. XXII. beati Matthæi.

ET audientes turba, mirabantur in doctrina eius: Turbæ mirantur, & pharisæi non corriguntur: res admiratu digna. Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis. Quid speres dicturum euangelistam? abierunt, recesserunt, receperunt eum, crediderunt hæc. Vtique id consequens erat in hac proposita sententia: Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis. Cæterum uide quid agat malitia, quid operetur inuidia, quid ve paruriat odium. Conuenerunt in unum, et interrogauit eum unus ex eis legis doctor, testans eum. Iterum dominum tentare nituntur, cum totiens experti sint non posse obfistere sapientiæ eius: toties impingere uolunt in lapidem angularem ut confringantur: & toties lapidem commouent, ut super illos cadens conterat eos, & in minutissimum redigat puluerem. Magister quod est mandatum magnum in lege? At illi Iesus: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Quod habetur Deuter. capit. 6. Dominus Deus noster, Deus unus est. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque uerba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narra-bis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulās in itinere, dormiens atque consurgens: id est cum ibis cubitum, & cum mane de lecto surges. Et aliquibus uerbis interpositis eandem sententiam concludit: Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruias. Quod iterum repetitur Deuter. cap. 10. Ad decalogum ergo refertur ad primum mandatum. Nam Exo. 20. primum præceptum decalogi: & Deuter. 5. ponitur: Non habebis Deos alienos, non adorabis nec coles eos: ego sum dominus Deus tuus. Qui solum dominum habet Deum, diligere tenetur super omnia Deum suum. Nam secundum ordinem dilectionis, primo tenemur diligere quæ supra nos sunt. Deus ipse est creator & plasinator noster, redemptor & saluator noster, qui super omnia nobis est diligendus. Secundum autem simile est huic, quoniam dilectionis est. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Id autem refertur ad septem præcepta secundæ tabulæ, cuius hæc erant capita: Honora parentes. Non occides. Non me habebis. Non furtum facies. Non falsum testimonium dices. Non concupisces uxorem nec rem proximi tui. Hoc autem est diligere proximum sicut nos ipsos, cum ea quæ uolumus nobis ab aliquo fieri, cuiusmodi illa sunt, quæ superius ex decalogo prohibentur, ne nos etiam illa proximo faciamus. In his duobus mandatis uniuersa lex pendet, & propheta. Quod explicans beatus apostolus Paulus ad Rom. 13. capit. ait: Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non falsum testimonium dices, Non furaberis, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum: in hoc uerbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Qui autem uere diligit proximum, Deum diligit: eo quod Deus causa dilectionis proximi est cum ab ipso præcipiatur. Alias quomodo genibus flexis precaretur beatus Stephanus: Domine, ne statuas illis hoc peccatum (cum illum lapidibus Iudæi obruerent) quia nesciunt quid

quid faciunt: nisi ita diligeret Deum ut pro eo optaret mori, ac propter ipsum etiam inimicis peccati ueniam postulare. Quomodo impleretur & illud quod beatus apostolus Paulus cap. præcedenti, uidelicet. 12. ad Rom. ait: Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: nisi Deus super omnia diligeretur, & ex ipsius dilectione etiam in proximum inimicum diffunde retur dilectio. Quapropter totam legem implet, qui proximum diligit: cum ex Deo præcipiente ea proficiatur dilectio. Itaque diligens Deum super omnia, primæ tabulæ præcepta implet: diligens uero proximum uera charitate propter Deum, secundæ tabulæ præcepta perficit. Cum igitur perfecta dilectio ab eo pender, quod Deus sic iubet, & per consequens ab ipsius dilectione: constat quod qui proximum diligit propter Deum, legem impleuit. Congregatis autem pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid uobis uidetur de Christo? Cuius filius est? dicitur ei, Dauid. Quoniam tribui Iuda & Dauid promissio de Messia facta est. At illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum dominum? dicens: Psal. 109. Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid uocat eum dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere uerbum, nec ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. Mira cæcitas pharisæorum & scribarum: occupati siquidem temporalibus, omnem legis spiritum ignorabant. Dominus autem uoluit diuinitatem suam illis astruere, & ex responsione eorum ex lege ostendere se uerum filium Dei, et ipsa nempe induta litera psalmi: quia Dauid uocat eum dominum, quo nomine solum Deum reges uenerantur non filios: ex qua respondere possent, Vocat eum dominum, quia Deus est, ipsius uero filius dicitur secundum carnem quoniam de uirgine stirpis Dauidicæ natus. Cæterum cum facultatis terrenæ potiorum curam haberent, in scrutinio scripturarum obcæcati sunt: præfertim cum se tot offerrent testimonia in scripturis, quibus aperte ostendebatur Messias futurus Deus. Quorum quia plura supra trac. 9. in 21. cap. retulimus, hic citare iterum omittemus. Suspicati sunt cæci pharisæi hanc questionem: Quod est mandatum magnum in lege, difficillimam habere solutionem, quoniam secundum beatum Hieronymum omnia præcepta æqualia esse argue re nitentur. Dominus autem sapientia æterna incunctanter respondit, Dilectionis Dei esse maximum & primum mandatum. Maximum siquidem est, super omnia Deum diligere ex præcepto. Quando ipse Deus super beatissimus non ex præcepto, sed a natura habet, super omnia seipsum diligere. Et quidem dilectione illa ineffabili & infinita, qua se ipsum super omnia diligit, omnem suam creaturam diligit. Non tamen eam diligit infinite, sed secundum uniuscuiusque creaturæ modum, & qualitatem, ab illo infinito amoris fonte bona distribuit. Hoc siquidem ait Sapientia cap. 11. Diliges enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constitisti aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu uoluisses? aut quod a te uocatum non esset conseruaretur? Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt domine, qui amas animas. Hoc idem dominus per Hiero. cap. 31. ostendit, dicens: Longe dominus apparuit mihi, & in charitate perpetua dilexi te, ideo atraxi te miserans, Amore igitur condidit dominus omnia: amore ignoscit peccantibus, uere si conuertantur: amore omnibus creaturis aliquam uirtutem indit. Vidit enim Deus omnia quæ fecerat, & erant ualde bona. Amore creata conseruat: amore factus est homo, ut nos saluaret: non quasi nos prius dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, emisit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris. Cum autem diligere sit uelle alicui bonum, diximus Christi humanitatem præ omnibus dilectam esse: quippe

quippe quam Deus omnipotens infinito uerbo associauit, ac tanta unitate coniunxit, ut Deus factus homo, & homo Deus uerè dicatur per proprietatum utriusque naturæ diuinæ & humanæ communicationem. Post Christum nouimus maxime dilectam illam Deiparam virginem, cuius in uisceribus Deus homo factus est, & nouem mensum spatium commoratus. Quæ illum semper uirgo peperit, cum lætitia uera Dei mater facta. Ipsa lactauit & nutriuit, digna utque est Deus eam in gremio fouere illum, quem Deus pater uerbum ante secula genuit. Deinde magis uel minus diligere dicitur Deus, cui maiora uel minora bona concessit. Nihil autem odit eorum, quæ fecit. Tamen peccata odit, quoniam ipse hoc distortum opus non fecit, sed praua uoluntate sua peccator facit. Quapropter cum in inferno punit, quod homo male fecit: ipse naturam conseruat quam benefecit, quoniam amor eius immobilis perseverat. Comparat beatus Augustinus immobilitatem Dei columnæ infixæ, in medio domus continuo permanentis: qui autem nunc ad dexteram, nunc ad sinistram, nunc ante, nunc retro se uertunt, hi mutantur: columna uero semper immobilis perseverat. Sic homo dum peccat, mutatur a dextera in sinistram: dum poeniter, iterum redit ad dexteram. Ex parte igitur nostra mutatio est. Deus autem de se ait: Ego enim Deus non mutor, Malac. cap. 3. Satis enim misericorditer agitur cum peccante, dum illi non adimittitur esse. Nam si uasa figuli in figulum insurgerent, non ne illa contereret, & sub pedibus comminuere? Ita profectò. Deus uero cum uniuersa propter semetipsum operatus est, Prouerbio. 16. amore conseruat bonum quod fecit, iustitia autem punit malum quod homo fecit. Igitur hoc maximum mandatum est diligere diligentem omnia, super omnia, diligere summum bonum, super omnia bona, & præceptis eius parere, & ipsum amare, corde, anima, & totis uiribus, gratia domini nostri Iesu Christi, cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SEPTIMVS,

In XXII. cap. beati Matthæi.

NON IT amare Deus, discat amare homo, nec pigeat redamare amantem diligere diligentem se. Summum enim bonum, quo se super omnia diligit ex tota anima, ex toto corde, ex tota mente, & ex totis uiribus præcipit, eo dignatus est hominem summam dignitate extollere. Domine quid est homo, quia in notuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Homo uanitati similis factus est, dies eius sicut umbra prætereunt, psal. 143. Huic igitur domine, ob largissimum bonitatis tuæ donum dignatus es innotescere, & palam fieri: atque eum aliquid esse reputans, præcipis ut amet te, qui uanitati similis factus, eius prætereunt dies sicut umbra. Amari uis a tam humili creatura, colique a paupere homuncione. Diligam te domine fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, liberator meus, adiutor meus, & protector meus, psal. 17. Cæterum quod te o domine diligamus, quodque inter homines ille grauissima mulctetur pœna, qui te non dilexerit super omnia, inustum, æquum, salutare, & nobis necessarium est. Quod autem præcipias te super omnia diligi, & pœnam insuper præcepto apponas, quare id facias, insinua. Tu infinito amore semper te ab æterno dilexisti, quid ergo tibi cum pauperculi homunculi dilectione aut quid gloriæ tibi incrementum accedat, quanquam ab omni homine super omnia diligaris? Amor enim tuus, quo tu te infinito diligit non cre-

scit, nec aliunde augetur. Nulla etiam bona tibi amor hominum afferre potest, cum te ipsum infinitum possides. Quid ergo est, quod sic urges amari, sic præcipis super omnia diligi? Utique ipse amor, quo diligis hominem quem fecisti, illi: ipse præcipit amor, ut te super omnia diligamus. Vis o summe & super beatissime Deus, hominem tibi in gloria perpetuo associare. uis illi dum uiuit, maximis bonis dotare. Amor est, qui coniungit amatum cum amante. O amor ardens, o charitas inflammata, cuius radii a summo cœlo, usque ad terram penetrant. Scis o animarum amator Deus, scis o æterna sapientia patris, sine tui super omnia dilectione tibi coniungi non posse hominem. Quapropter amari præcipis, & super omnia diligi, ut habeas, unde tribuas te ipsum homini, & habeas quo coniungas tibi & ipsum hominem. Amore igitur quo nos diligis, præcipis ut te diligamus, & quia amas, amari præcipis, hominem ab imis uolens in supremam extollere dignitatem, ut homo terrenus subleuatus ad cœlum in domo tua habitet in secula seculorum, ut anima hominis super astra euecta, te summo bono fruatur. Vis nobis non qualecunque bonum præstare, sed illud summum, quod cuncta excedit bona. Via qua ad te ascenditur, est amor tui super omnia: ad quem ascenditur, es tu dilectus super omnia: quo peruenitur, es tu inquisitus super omnia. Præcipis, ut te amem, ut dones bonum super omnia bona, ut siam particeps non modo omnium laudantium te, & qui custodierunt mandata tua, sed etiam illius, quem laudant astra matutina, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, & iubilant omnes angeli & spiritus beatorum. Propterea domine iustum est, ut relinquat homo patrem & matrem, & tibi Deo adhæreat: ut te super omnia diligens, sit unus spiritus amoris & dilectionis cum Deo suo. Volens igitur summus amor, summam dignitatem, summum honorem, ac summam hominibus præstare felicitatem, præcipit se super omnia diligi: quasi uero rationalis homo, nisi uolitione peruersa, possit aliud præter te diligere. A te enim factus & conditus homo, a te cuncta creata subiecta homini, & in usum hominibus data, a te obseruatur homo, a te datur homo, per te uiuit homo, per te reges regnant, principes imperant, & potentes discernunt iustitiam: per te redemptus est homo, propter hominem factus es homo, cur te super omnia non diligit homo? Tu semper diligens hominem præcipis illi, ut te super omnia diligit, ut super omnia etiam astra & usque ad te ascendat, & felix in æternum uiuat, ne non intelligens homo comparetur iumentis insipientibus. & similis factus illis, sub pedibus non te diligentium dæmonum perpetuo detrudatur. Tibi o summe Deus, o immense amor, o animarum amator, laus, gloria, benedictio sit & claritas & sapientia, & gratiarum actio in secula seculorum amen, quoniam præcipis te diligi a creatura tua super omnia, ut nobis bonum tribuas, quod est super omne bonum, quod tu idem ipse es benedictus in æternum. O quam suauis est domine spiritus tuus in nobis, qui tam suaue dilectionis tuæ ponis præceptum, maximum & primum. Alia namque præcepta obseruans, aliud distinguit ab alio. Fur siquidem potest non occidere, & homicida non furari: & qui nomen tuum sacratissimum in uanum assumit, potest non mœchari: & mœchus non peierare. At ille qui te super omnia diligit, quando manet in dilectione, nullum tuum præceptum transgredi potest: & ita sit, ut amore hoc suauissimo omnia peragatur mandata. Quid enim suauius præcipi potest, quid dulcius, quid sanctius, quam diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & omni mente tua? Adde quod si feceris omnia diligens, obseruasti mandata unice adimplentione præcepti. Optime igitur ait beatus apostolus Paulus ad Roman. 13. Pleni-

tudo ergo legis, est dilectio. Cuius omnem effectum enumerat, pri. Corin. 13. iniquiens: Caritas (quod tantundem est, ac fides: qui diligit Deum super omnia) patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, cõgaudet autem ueritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Quisquis autem his contraria fecerit, charitatem amittit, desinitque Deum super omnia ex charitate diligere. Vnde arbitror dominum dixisse Matth. cap. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos, præcepto nimirum amoris & dilectionis, proprio exemplo instituens: subdit namque: Tollite iugum super uos: cum enim iugum meum dicit, uidetur etiam ipse collum iugo submisisse, cum ex nimia charitate factus est homo. Et discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue. Quoniam præceptum de dilectione est, & lex gratiæ & evangelica lex amoris est, ideo iugum suauis, & onus meum leue, quoniam amor omnia læta & suauia reddit. Cætera uerò præcepta ob id uidentur hominibus difficilia, ut ieiunare, continere, inimico ignoscere, quoniam illis primi & maximi mandati obseruantia abest. Nam si Deum diligere super omnia, facile inimico iniuriam condonarent, facile ad præscriptum ab ecclesia tempus ieiunia obseruarent, facile non peierarent, ac facile continerent. Considera nunc miserimum nostri temporis hæreticorum ingenium, non tantum ab obseruantia mandatorum, uerum ab ipsa etiam fide recedentium. Qui quo longius a dilectione Dei super omnia absunt, tanto ab obseruantia maximi & primi mandati aberrant. Facit igitur dilectio Dei super omnia, ut facillime cætera obseruentur præcepta, suauissimaque reddantur. Quin & hominem in eximia dignitate adhuc uiuentem constituit: nempe ut unus efficiatur amore spiritus, cum summo infinito Deo & domino nostro. Efficit quoque, ut post huius uitæ curriculum perpetuo Deo uniat per gloriam. His igitur omnibus consideratis, qui sanæ fuerit mentis, a dilectione Dei super omnia ex omni mente, ex toto corde, ex tota anima, & ex totis uiribus nunquam recedit. Faxit Deus, qui tanta nos pietate & misericordia dignatus est proficere, scilicet tam suauis nos præcepto astringens, ut ab eius amore super omnia nunquam separemur: sed huiusmodi charitate ardentis, & igne amoris diuini inflammati, illum in gloria perpetuo possideamus, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATVS OCTAUVS,

In XXII. cap. beati Matthæi.

IN hoc diuinæ dilectionis super omnia præcepto adhuc considerare oportet, quemadmodum ob aliud etiam uidetur iniunctum, nempe ut homo perfectissime credat, posse in cœlesti gloria Deo coniungi, cui præcipitur amore & dilectione in terra uniri. Qui enim ex tota anima, ex tota mente, ex toto corde, & ex omnibus uiribus se præcipit diligere: uult nihil relinquere, quod non propter ipsum Deum summè dilectum diligatur. Præceptum domini lucidè illuminans oculos, inquit David psal. 18. Illuminat namque oculos lucidum amoris præceptum: cum homini reddit certissimum uinculum unionis, cum domino Deo per charitatis dilectionem, dum uiuit: & ex hac unione sperat per

per gloriam perpetuo illi coniungi. Sic nempe Magister sententiarum lib. 2. prima distin. ait, animam Deum corpori terreno associasse, in exemplum diuini uerbi sibi uiuentis humanitatem in Christo. Humanitasque Christi sic in unionem suppositi a uerbo diuino assumpta, fiduciam præstat homini, ut in gloria, fruitione & uisione Deo fiat coniunctus. Sic de præcepto dilectionis dicere fas est, quo etiam Deus homini fiduciam præstat, sibi cum uelle associare per gloriam, quem uiuentem præcipit sibi uniri per dilectionem. Ad huius consequentiæ instar beatus apostolus Paulus ad Rom. cap. 8 ait: Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum: quomodo non etiam cum illo nobis omnia donauit? A donatione proprii filii infert, etiam nobis donari & beatitudinem: quippe de prædestinatione electorum, ibi est sermo: ac si diceret, inanis esset donatio filii, & in mortem oblatio, nisi & prædestinationem in beatitudine consequeretur effectus. Nec dialecticorum regulæ nimis hic tribuit beatus Paulus: an ualeat argumentum a minori ad maius, uel a maiori ad minus: sed exemplari usus similitudine, concludit Deum non daturum fuisse filium in mortem, nisi ut electis donaret gloriam. Sic & Magister sententiarum, etiam loco relato argumentatus est: sic & nos pari modo de præcepto dilectionis inferimus. Nec enim Deus animam sibi in hac uita per charitatem uniri præcepto mandaret, tot uerbis expresso, nisi uellet animam Deum super omnia diligentem, & sic a corpore exeuntē beatificare in gloria. Ita namque in figura genti Israelitiçæ, cui Deus terram promissionis se daturum promiserat, mare rubrum diuisit, Pharaone submerso in curribus & equitibus suis, ut populus Iudæorum sicco transiret uestigio. Ita illis Manna de cœlo, & aquam de petra dedit. Haud secus etiam nobis, quibus dignatus est regnum cœlorum promittere, septem sacramenta dedit, tum & corpus & sanguinem suum in cibum & potum anime præstitit. De quo beatus Thomas in horis precariis ait illud, quod uniuersa canit ecclesia: Et futura gloriæ nobis pignus datur. Cæterum ex uerbis sacri euangelii uox illa, pignus, aliter prolata colligitur, cum dominus Ioan. 6. ait: Qui manducat hunc panem, uiuet in æternum. Pignus ergo æternæ uitæ est panis iste, sub cuius speciebus uerum Christi corpus continetur: qui enim dignè manducat, uiuit in æternum. Verum nostræ calamitatis oppido quam deploranda est negligentia, aut potius emendanda: qui uariis phantasmatibus terrenarum rerum dediti & occupati, adeo segniter Deum dominum nostrum diligimus, perinde ac ab illo non haberemus quicquid habemus, & sumus. In ipso namque uiuimus, mouemur, & sumus: ut ex Phænomenis Arati poetæ retulit beatus apostolus Paulus, Act. 17. cum prædicaret Athenis. Qua ergo cura est ille diligendus a nobis, in quo uiuimus, mouemur, & sumus? qui & huiusmodi dilectionem a Iudæo expetebat, Deut. cap. 6. dicens: Audi Israel, dominus Deus noster, Deus unus est. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque uerba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque confurgens. At quanto hæc magis a Christiano homine Deus adimpleri expetit? Cui non iã suffocantur Aegyptii, sed in baptismo abluuntur peccata. Cui non datur columina nubis per noctem, sed in sacramento confirmationis Spiritus sanctus. Cui non Manna in cibum suppeditatur, sed in sacratissimo eucharistiæ sacramento ipsum corpus domini exhibetur. Cui non præcipitur immolare bouem, caprum, seu agnum pro peccato, sed ipse filius Dei factus est oblatio & sacrificiū in arca crucis. Qui & sacramentum penitentiae confessionis sacramentalis in-

stituit, & sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, ad rei qua sacramenta perficienda. Memini legisse me, iam olim apud Plutarchum, quod egre ferens M. Antonius Iulii Cæsaris necem, quo cum illi & necessitudinis & amicitiae vinculum intercesserat, in ea quam habuit funebri oratione, populo retulisse, quicquid protuenda republica Cæsar præclare gesserat. Cumque disertus orator sensisset, iam populum faris comotum, & gemitus silenter emittere: tunc occisi Cæsaris tunicam, ut erat sanguine madefacta, protulisse: atque adeo populum commouisse in coniuratos Brutum & Cassium, ut deinceps ad necem quaeriti sint. Cæterum nos, qui non alium Iulium Cæsarem, ut illi olim, imperatorem habemus: sed Christum Dei filium Opti. Maxi. pro totius mundi salute flagellis caesum, illiusum, spinis caput transfixum, crucis patibulo traditum, felle atque aceto poratum, & cuius omnis sanguis pro nostra redemptione effusus est, ueneramur & colimus: cur non mouemur ad uitia perseguenda, non quidem Brutum & Cassium urbe pellendos, sed blasphemias & periuria, sed spurcissimas carnis illecebras & impudicitiam, sed odia, inuidiam, lites, adulteria, furta, comestationes, ebrietatem, procacitatem, aleam, atque alios nocuos ludos. Quæ sane omnia a Christiana republica, longe abesse conuenit. Quanquam, pro dolor, hæc his temporibus, atque adeo inter nos uigent, ut auisim dicere: si quis e longinquo pius Christianus obtectis oculis ad Christianorum aliquam urbem aduectus esset: qui solum uerba (ut interim alia taceam) rixas, blasphemias, periuria, mædacia, & id genus alia, quæ a perditissimis effuti solent, audiret: profecto is non ad Christianorum oppidum, quin potius (uenia sit dicto) ad aliquod hæreticorum seu infidelium, se aduectum existimaret. Præcipiebatur Iudæo: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omni mente tua: idque ab illo studiose exquirebatur. Tu uero Christiane iam nunc excussa mentis caligine, mihi diligenter expende: quanto beneficentia tibi a Deo collata excedant illa, quibus Iudæorum populus donatus est: & ex utrorumque collatione perpende, quanto maiori seruiore & animi promptitudine opus sit Christiano Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus uiribus eius. Seruus, cui dominus quinque talenta tradiderat, alia quinque lucratus est: qui uero duo accepit, alia duo his superadidit. Ita nos etiam duplicemus anorem: omnique studio prompti & læti madata domini exequamur, cum ex toto corde, ex tota anima ex tota mente, & ex omnibus uiribus diligentes, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS NONVS,

In XXII. cap. beati Matthæi.

TRIA nunc perquirenda sunt ad huius præcepti dilectionis diuinæ expliationem. Primum quidem quid accipiendum & tenendum sit per hæc uerba, toto corde, tota anima, tota mente, omnibus uiribus. Non enim dicta sunt frustra, sed a domino Deo populo Iudæorum prolata, & a Christo domino filio Dei ad pharisæos & doctorem interrogantem repetita. Nec enim Christus dominus hic totum proferret, si minus toto sufficeret: nec etiam cor, animam, mentem, & uires huic toto adiungeret, nisi necessarium foret ad salutem sic Deum diligere. Ex omnibus autem expositionibus nobis literæ magis uidentur accedere beati Thomæ interpretatio 2.2. quæst. 44. art. 5. Ait enim sanctus doctor: Ex

toto

toto corde, hoc est ex tota intentione: ut tota nostra intentio in omnibus feratur semper in Deum. Diuina utique expositio hæc, & amoris diuini præcepto summe accommodata. Qui enim super omnia Deum diligit, semper omnia in illum dirigit. Quo enim ferri potest intentio, nisi in illum, cui anima semper oportet esse intenta? Quod si a Deo deuiet intentio, iam profecto in anima sopita est eius dilectio. Hoc enim dilectionis est proprium (quando charitas non querit, que sua sunt) semper in amatum ferri, & in omnibus illi uelle placere. Sic mutuo se diligentibus uiro & uxori, ait apostolus pri. Corin. 7. Qui si ne uxore est, sollicitus est que domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est que sunt mundi, quomodo placeat uxori: & diuisus est. Et mulier inuupta & uirgo, cogitat que domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat que sunt mundi, quomodo placeat uiro. Si igitur amor uiri ad uxorem, & e conuerso, cogitare facit utriusque quomodo placeant alterutrum: cur non potius amor Dei, quam maxime requirit amantem sollicitum, quomodo in omnibus placeat Deo? Quapropter omnem suam intentionem semper in Deum dirigit, quod est ex toto corde Deum diligere, quod anime nimis proficuum est. Nam si opus quodcunque a sua natura bonum, non recta in Deum intentione facias, peccasti. Bonum utique ieiunium est: at uero dominus ait: Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, Matth. 6. exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Item, cum facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt: sed nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Rursus, Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus. Tu autem cum oraueris, intra cubiculum tuum & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi. Oratio elemosyna & ieiunium optima quidem opera sunt, si tamē non recta intentione fiant, peccat faciens. Igitur cum intēto hominis sit fons & origo boni operis, gratia eum diuina preueniente & adiuuante necessarium est fontem semper habere purificationem, ut aqua bonorum operum ab eo fluens limpida sit & pura: alioqui ex cænofo ac turbido fonte operum aqua fluet impura. Ex toto corde ergo dominus præcipit super omnia diligi, atque omnem nostram intentionem in illum ferri: qua omne opus nostrum directo tramite currat. Ex tota anima, hoc est, ut appetitus noster reguletur secundum Deum. Anima nempe ab animando corpus inuenit, cum igitur tot animando anima appetat, torque animata caro concupiscat, tunc ex tota anima diligimus Deum, quando omnis noster appetitus regulatur secundum Deum, nihilque est quod concupiscatur siue a corpore, quod non placeat Deo. Nam qui per diuersa desideria uoluntatis & carnis discurrit, a dilectione Dei longe utique abest, cum tantis & tam diuersis occupetur curis, & tot amatoriis quot habet desideria, se homo tradat. Et ex omni mente tua, hoc est, toto intellectu tuo, ut semper intellectus noster subdatur Deo. Quod si omnes facerent, nullus esset hæreticus. Tunc enim intellectus subditur Deo, cum nihil arroganter intelligit, sed humiliter sentiens diuinæ scripturæ & sacrosanctæ matris ecclesiæ obedientiæ, & sanctorum expositionibus se totum accommodat. Quæ admodum beatus apost. Pau. 2. Corin. 10. ait: Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei, ad destructionem munitionum consilia detrahentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Si. n. semper intellectus noster se subderet Christo, & sacrosanctæ matris ecclesiæ monitis, & se doctorum catholicorum doctrinæ accommodaret, in heresim non incideret. Et ex

tota

tota fortitudine tua, dicitur Deuter. 6. & Marc. 12. & omni uirtute tua, & Luc. 10. alius legis peritus tentans dominum, in responsum accepit: & ex omnibus uiribus tuis. In idem hæc tria redeunt, fortitudo, uirtus, & uires. Ex omni enim fortitudine, uirtute, & uiribus: hoc est, quod omnis noster actus exterior sub datur Deo. Considera nunc & adiunge, quæ prædicta sunt a sancto doctore, & cernes hominem Deum uere diligentem, Deo nimis propinquum. Dicamus igitur sic: Diliges dominum Deum tuum ex toto intellectu tuo, non superbe te extollendo, sed illi, & scripturæ sacræ, & sponæ eius ecclesiæ subdendo: omnemque tuam intentionem in illum dirige, & omnem appetitum uoluntatis & corporis ad ipsius uoluntatis regulam compones: omnemque in illum dirigas actum tuum exteriorem. Ecce hominem uere Christianum, uere candidum ac uere Dei dilectorem, & qui eum super omnia colat. Secundum autem perferendum est de obligatione huius præcepti. Aduertendum igitur, quod totum & perfectum idem sunt, secundum Philo. 3. Phisicorum. Ex quo uerba domini perinde sumenda sunt, ac si diceret: Diliges dñm Deum tuum perfecto corde, perfecta aia, perfecta mēte, perfectis uiribus: hoc est, idē quod toto corde, tota anima, tota mente, tota fortitudine. Perfectio autem unius dupliciter potest considerari: uel secundum quod potest habere, uel secundum quod debet habere. Secundum quod potest habere, in gloria erit homo perfectus: quia eouque plus meriti potest habere: sane accipe ad usque id tempus quod deceffit: nam in purgatorio non meretur, sed satisfacit. Secundum quod debet habere, in statu innocentiæ fuisset homo perfectus. Similiter de hoc dilectionis præcepto, dicimus quod diligere perfecto uel toto corde, perfecta uel tota anima, perfecta uel tota mente, perfecta uel tota fortitudine potest accipi, secundum quod potest habere, & hoc modo adimplebitur hoc præceptum in gloria: uel secundum quod debet habere, ad quod præceptum obligat: & secundum Deum præcipientem perfecte adimpleri potest in uia, dum uiuimus. Debet autem habere, ut nihil dilectioni diuinæ contrarium admittat, quod est peccatum mortale: & ut homo nitatur diligere, actum dilectionis emittendo, prout potest: totum intellectum subdendo Deo, sacræ scripturæ, præceptis sanctæ matris ecclesiæ, doctrinæ doctorum, tum sanctorum, tum & aliorum uere catholicorum: & ut omnis eius appetitus reguletur secundum Deum, & actus exteriores illi subdantur. Hoc est quod homo debet habere in uia, & hæc quæ diximus perfecte adimplere potest, faciendo illa. Hæc igitur sunt, quæ debet, & tenetur, & potest habere. Quod & dominus apertissima comprobatur sententia, dicens Ioan. 15. Manete in dilectione mea. Quomodo domine in dilectione tua manebimus ex toto corde, anima, mente, & uiribus? Ait: Si præcepta mea seraueritis, manebitis in dilectione mea. Sicque euanescunt nebulae hæreticorum dicentium: non posse præceptum de dilectione Dei in uia impleri, toto corde, tota mēte, tota fortitudine. Quoniam Deus iustus, & æquissimus expensor humanarum uirium non præcepisset hoc præceptum primum & maximum, si illud non posset homo adimplere perfecte, secundum id quod debet & tenetur habere præcepta seruando, & quoad potest diligendo. Cum uero dilectio Dei, usque ad extremam horam, qua anima exit e corpore, auge ri potest, secundum quod potest habere, dicitur in patria adimpleri. Tertio inquirendum uenit, quare his uerbis hoc explicatum est præceptum toto corde, tota anima, tota mente, tota fortitudine. Voluit nempe Deus hominem munire undique, & muro fortissimo cingere: ne in aliquod malum è quatuor, quæ in mundo maxima & præcipua sunt, incideret. Quorum unum fuit malorum angelorum peccatum, qui superbia & exaltatione cordis, & recte intentionis

tionis defectu, directe in Deum peccauerunt, ideo præcipit omnem cordis cogitatum & intentionem in ipsum dirigi. Alterum malum mundi præcipuum fuit Adæ peccatum, qui appetitu obsequendi uxori peccauit, & illa appetitu eius: ideo tota anima omnis appetitus, omneque desiderium in Deum ferri præcipitur. Tertium malum fuit idololatria, quæ secundum Richardum de sancto Victore lib. 4. exceptionum, incepit ab ædificatione turris Babel, cuius fit mentio Genes. 11. ca. ideo tota mente, intellectu scilicet præcipitur in Deum dirigere: ne alium præter ipsum uel alio modo quam ipse præcipit ueneretur. Peccata ob quæ inundatione aquarum mundus fuit obrutus, unum e quatuor præcipuis sceleribus fuit: quod potissimum accidit secundum communem exppositorum sententiam in Gen. cap. 6. ob effrænata & turpissima carnis uitia: propterea dominus ait, ex tota fortitudine tua, ut omnes actus exteriores subdantur Deo: nullaque sit actio quæ discrepet a sanctissima uoluntate Dei. Qua propter dominus hisce uerbis, toto corde, tota anima, tota mente, tota fortitudine suæ dilectionis explicauit præceptum: ne aperta remaneret aliqua rimula, qua efflueremur, & in aliquod barathrum decideremus: quoniam amo re eius undequaque uallati & muniti, ipsi uiuentis uireremur per gratiam domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS,

In cap. XXII. beati Matthæi.


Er quoniam possumus Deum diligere uel amore naturali ducti, uel quoniam utilia nobis sunt dona eius, uel dilectione charitatis: oportet aduertere hunc de quo loquimur amorē charitatis esse dilectionem, non alium naturaliter. Siquidem unumquodque inclinatur in id a quo est quam ad se ipsum: quod fit ut serpens totum corpus exponat ad caput tuendum, quoniam quodammodo e capite totus uiuificatur serpens. Homo etiam omnia membra exponit, ne ledatur in capite uel in corde. Hinc fit ut pro republica, cuius quis est ciuis (si tamen optimus ciuis est) appetat mori, ne ciuitas pereat. Cum igitur Deus sit principium nostrum & summum bonum, homo & angelus naturaliter inclinatur ad Deum diligendum, quia natura inclinatur & fertur in id cuius est: potius quam ad se ipsum: & ratio imitatur naturam in quantum potest: & sic in quantum Deus est bonum commune omnium, principium omnium, & summum bonum, plus naturaliter diligitur, ratione imitante naturam, quam se homo diligit. Sed ad hæc rarissimi sunt, qui aduertant: propterea nec sentiunt an sic diligant Deum, nec ne. De hoc amore non agit præceptum de dilectione: quoniam hæc est quedam ratio a naturali inclinatione proficiscente, quæ pro maiori parte in æstimatione Dei plusquam sui continetur: & tali sine clauditur, magis quam ut attendat, ut omnem offensam Dei a se expellat, & illum pro uiribus uoluntate diligit, & omnes suos appetitus & actus exteriores illi submittat. Alius amor, qui est ob accepta beneficia potissimum diligit, non directe & absolute in Deum dirigitur, sed in utilem sibi Deum, quapropter propriam utilitatem habet pro obiecto magis quam ipsum Deum. Alius amor est amicitia, de quo dominus ait: ex toto corde, tota anima, tota mente, tota fortitudine, quo anima Deum tenetur diligere, seu diues seu pauper sit, siue ex sublimi in ima deiectus, siue ex infimis subleuatus. Hic amor dæmoni est terribilis, & aliquando incredibilis. Qui sic dicebat Deo, Nunquid

S. Tho. 2.
par. q. 60.
arti. ulti.

Abul. q.
98.

Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne tu uallasti eum, ac demum eius, uerfamque substantiam eius per circuitum? Operibus manum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra. Vt illi & mercenario amore arbitratus est demon beatum Iob dilexisse Deum: sed extende, inquit, paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in facie benedixerit tibi, Iob cap. 1. Maximum ergo hoc est & primum mandatum, quando cetera mandata si charitate implentur meritoria sunt: si uero sine charitate fiant, necessarium est bonum, at non meritorium. Per charitatem igitur aliorum mandatorum adimplentio meritoria est, sine charitate autem non est aliquod opus bonum uitæ æternæ meritorium. Sunt tamen & profunt opera bona quæ sine charitate fiunt, ad citius a peccato surgendum, ad consequendam salutem & temporalia bona augenda, non ita uero ad uitam æternam adipiscendam. Cuius rei ratio huiusmodi redditur, quoniam meritum est respectu præmii secundum rationem perfectam, præmium autem ipse est Deus, cuius uisione & fruitione anima beatificatur, solus autem amor & sola charitas habet Deum pro obiecto secundum rationem perfectam. Nam quamuis alię duæ uirtutes theologice spes & fides, habeant Deum pro obiecto, non habent illum pro obiecto secundum rationem perfectam: quia fides est de Deo, ut de uero occulto reuelato, spes est de Deo, ut de ente arduo & difficulter attingibili, charitas uerò est dilectio Dei super omnia, cum quo in uia unitur, & in patria beatificatur. Quapropter actus charitatis meritorii sunt per se, actus uero fidei & spei meritorii per charitatem, quæ in patria cum consummatur, fides & spes cessant, succedente fidei uisione: & spei adeptione & fruitione. Nobilitas charitas omnem uirtutem, & usque ad sidera tollit. Vnde est quoddam beatus apostolus. Paul. pri. Corin. 13. clamat dicens: Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum uelut aes sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouero mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Sic igitur charitatem habenti omnia quæ facit bona meritoria sunt: at illi qui charitatem non habet, nihil quod facit, æternæ uitæ meritorium est. De transgressione huius dilectionis Dei uoluit glossa in cap. pri. de pœnitent. dist. 5. accipi illud beati Iacobi in sua Canonica epistola cap. 2. cum inquit: Si quis totam legem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, uidelicet si charitatem non habet, hoc tantum præceptum non obseruans, ingratus redditur omnibus beneficiis Dei. Tradit & alias duas expositiones: uidelicet factus est omnium reus, hoc est pœna inferni damnatione perpetua punietur, perinde atque nullum obseruasset mandatum: non autem intentione pœnæ pro uno mortali punietur, ac si plura committeret. Nam secundum peccatorum quantitatem & qualitatem erit & plagarum modus. Vel factus est omnium reus, quoniam dilectionis Dei præceptum infringens commissio aliquo peccato lethali, merita omnium aliarum uirtutum amittit, & omnia mortificantur, quousque charitas reuiuifcat. Quæ uerò in peccato mortali bona opera fiunt, triuiale est mortua opera nunquam ad meritum uitæ æternæ conseruire. Secundum autem, scilicet præceptum, simile est huic. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Simile accipe non dignitate, sed in actu: quoniam utrumque præceptum de amore est. Quemadmodum dicimus de lino panno tenui & crasso, pannus lineus tenuis lineus est, similiter & crassus: ceterum dignitate & pretio multum distat unus ab altero:

tero: sic dilectio proximi similis est actu dilectioni Dei: Veruntamen dignitate & pretio multum excellit Dei amor, quoniam est de summo bono. Facilius tamen uidetur hominibus Deum diligere quam proximum, eo quod a proximis multa sepe mala, & raro accipiunt beneficia: Deus tamen opt. max. amorem proximi quem uidemus, ad experiendum an illum toto corde & anima diligamus, nobis ante oculos ponit: ipseque summus Deus nos nimis dilexit, quando unigenitum filium suum pro nobis tradidit: Propter nimiam charitatem suam, inquit beatus apostolus Paulus, qua dilexit nos Deus. Ephe. 2. filium suum misit in similitudinem carnis peccati, Rom. 8. uultque nos proximis hæc ipsam dilectionem repêdere, pro quibus ipse mortuus est & resurrexit: In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem ad inuicem habueritis, Ioa. 13. Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos, Ioa. 15. Et idem Ioa. epistol. prim. cap. 3. inquit: In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere: ac si dicat in hoc cognosceamus charitatem nostram, si pro fratrum animabus posuerimus uitam, si opus fuerit. Et capit. 4. ait: Si quis dixerit: quoniam diligo Deum: & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem uidet, Deum quem non uidet quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Si autem quæras quis sit proximus: audi beatum Augustinum dicentem, quod appellatione proximi omnem hominem oportet intelligas: quoniam nemo est, cum quo sit male operandum. Si enim cum inimici essemus, reconciliari sumus Deo per mortem filii eius, ad Roman. 5. quantumcunque inimicus sit homo, nihilominus proximus est. Considerandum namque, quali nos Deus uoluit lege ligare, amoris siquidem est: quoniam si dilexerimus eum, nihil nobis erit difficile. Qui enim amat suauiter operatur, & amanti nihil est difficile: & quantumcunque operetur uere diligens, semper plura facere concupiscit. Sic enim Genes. 29. legitur de Iacob: Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis: & uidebatur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Pro muliercula septem anni pauci uidentur dies, quanto magis si dilexerimus Deum, omnne obsequium exiguum exultimabitur præ magnitudine amoris: & si corpus morti tradamus: omneque bonum quod impenderimus proximo, recordati quod illud nobis præcipit impendere, quem diligere ex toto corde & anima necessarium est, parum uidebitur præ magnitudine amoris. Dilectio igitur Dei facillimam reddit proximi dilectionem, dilectio uero proximi testificatur, an diligamus Deum nec ne. Sicque mutua ista dilectio, prima est causa secundæ, secunda uero testis redditur primæ, omnisque decalogi lex refertur ad hæc, & prophetarum monita in his adimplentur, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.



VNC, confutatis uidelicet pharisæis, Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, dicens. Videtur ex his quæ sequuntur adesse pharisæos, & dominum sermone & uultu conuersis ad turbas, & ad discipulos suos dixisse. Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi: Omnia ergo quæcunque dixerint uobis, seruate & facite: secundum opera uero eorum nolite facere. Futuri erant hæretici, qui propter abusus sacerdotum negarent sacerdotii potestatem. Hos confutat dominus, dicens: Quoniam scribæ & pharisæi sedent super Moysi cathedram exercentes officium Moysi, omnia quæcunque dixerint uobis seruate & facite.

Si dixerint ieiunare, nolite prohibere ieiunia: si dixerint orare, nolite orationem tollere: si dixerint dare elemosynam, facite. Nec præmittendum quod dominus ait, omnia idest in omnibus, propter sacerdotium & nominis dignitatem obedientiam præstate, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyabolis. Nolite attendere quid ipsi faciunt, sed incunctanter quæ uobis præcipiunt, facite. Postquam igitur dominus obedientiam sacerdotibus exhibendam præcipit, uitia pharisæorum & scribarum qui locum Moysi & septuaginta seniorum habebant, non tacet. *Dicunt enim & non faciunt. Alligant autem uera gratia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere.* Huiusmodi erant traditiones illæ de lauandis sæpe manibus: & im mundum dicere eum qui non lotis manibus manducaret, & plura quæ dominus illis in sequentibus improperat. *Omnia uero opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus.* Hoc legentibus non minimum peccatum uideatur: cum nunc homines seculi sermone omnia ad ostentationem faciunt. Quod fuit unum ex impedimentis ne in Christum scribæ & pharisæi crederent, domino teste Ioan. cap. 5. qui ait illis: Quomodo uos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam, quæ a solo Deo est, non queritis? ac si dicat, omnia quæ facitis propter homines facitis, ut ab illis collaudemini: & non queritis laudem habere ab omnipotenti Deo. Omnia nempe opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus. Quæ sint ista continuo subiungit dicens. *Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Quod in proximis superioribus tractatibus diximus ex Deute. cap. 6. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex tota fortitudine tua. Eruntque uerba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo. Ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tue. Hoc uolentes pharisæi tanquam cæteris sanctiores facere, thorat, hoc est decem præcepta legis, membranæ inscribentes, a fronte appendebant in modum coronæ. Dicebantur hæc phylacteria a uerbo Græco *φυλάττειν*, idest seruare, & thorat legem. Itaque legem seruabant instar armarioli libris continentis, non tamen quæ illis scripta sunt obseruantes. Hæc phylacteria literis & membranis

branis potioribus in fronte ligantes dilatabant hypocritæ isti uiri: & magnificabant fimbrias, quas dominus præcepit populo gestare in quatuor palliorum angulis hyacinthinis, ut recordarentur mandatorum Dei. Num. 15, has illi cæteris gestabant prolixiores. Considera nunc dissonantiam hypocritarum. Ecce phylacteria ampliora quàm cæterorum hominum in fronte gestantur: ecce fimbria latior & prolixior in angulo pallii appenditur, quibus se sanctiores populo protestabantur. Illis enim proprium fuerat a populo discriminari, dignitatis nomina abhorrere, in scelsum uiuere, & infima loca inter homines semper appetere: audi quod sequitur. *Amant autem,* Sic phylateriati & fimbriati primos recubitus in cænis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, hoc est ab omnibus salutari & uenerari. *& uocari ab hominibus rabbi.* Antequàm dominus ad reliqua eorum uitia procedat, doctrinam reflectit ex dictis ad institutionem discipulorum & nostram, dicens. *Vos autem nolite uocari rabbi: unus est enim magister uester, omnes autem uos estis fratres.* Et patrem nolite uocare uobis super terram: unus est enim pater uester, qui in caelis est. *Nec uocemini magistri: quia magister uester, unus est Christus.* Hunc locum angustiores reputantes aliqui expostores, & ipsi angustiantur: cuius hic uidetur quantum existimo uerus sensus, ac si dominus diceret & uno uerbo concluderet, ad horum instar ne uocemini magistri, quemadmodum & isti uolunt se patres appellari, tanquam præcipui: quæ omnia ob uanitatem faciunt, & gloriam humanam appetentes. Id nolite facere: recognoscite uos uestrum patrem habere in caelis, qui animam de nihilo creauit, quæ est forma corporis. Ille etiam uester est magister, qui filius unicus est Dei. Nolite ergo de nomine quemadmodum & isti pharisæi inaniter gloriari. Quod hic sit literæ sensus, quæ subsequuntur uerba exponunt. *Qui maior est uestrum, erit minister uester. Qui autem se exalauerit, humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur.* Ob uanitatem & superbiam nominis, quo abutebantur pharisæi, ne uocentur magistri (idem est & rabbi) ne & patres super terram dicantur, quemadmodum isti uolebant ob uanitatem patres appellari, dominus prohibet: & hæc a suis nomina exterminat. Non tamen prohibet gradus magistræ, qui uiris doctissimis in academiis tribuuntur, nec ut non dicamus progenitores nostros patres, & uiros religiofos, & sacerdotes, & senes eodem nomine non ueneremus, sed nequis ad instar superbæ pharisæicæ, uanitatis, & hypocritæ, similibus se uelit nominibus a populo honorificari, legem Dei non obseruans, ac suam præcipiens obseruari. Beatus namque apostolus Paulus ait, dominum dedisse ecclesiæ suæ pastores & doctores, ad Ephes. capit. 4. & ipse se dicit doctorem gentium, primo Thim. 1. Nunc uero dominus iterum rediit ad inceptum sermonem: damnatque uitia pharisæorum & scribarum (quorum tamen præcipit custodiri mandata ob eorum dignitatem & officium) tanquam cito moriturus, ne ad eorum conuersionem quicquam intactum relinqueret. Octo igitur sunt, quæ illis præ cæteris dominus improperat, maledictionem unicuique promittens: horrendè sanè ex ore domini uerbum, cum & horrenda sunt quæ illis dominus increpat crimina, dicens. *Ua autem uobis, Ua maledictio est, scribæ & pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum caelorum ante homines: uos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare.* Dupliciter uidetur hoc obiectum crimen habere sensum: uel de lege Moysi quarum plura non obseruabant, nec obseruanda tradebant ob custodiam mandatorum suorum: quemadmodum & dominus illis dixit: Quare uos transgre dimini mandatum Dei, propter traditionem uestram, supra cap. 15. cum uellent omnino pharisæi suam de lotionem manuum traditionem obseruari, & præceptum de ueneratione parentum uiolare, & sic uiolandum populo tradidit.

rant: uel dominus illis impropert, quod non credunt domino: nec Ioanni de eo testimonium perhibenti, crediderunt, & uolentes credere a fide auertebant, similes nostri tui hereticis, qui ob traditiones suas, Dei & sanctæ ecclesiæ præcepta uiolari fatagunt. *Vae uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos uiduarum, oratione longa orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium.* Hinc uidetur, quod isti uiduas decipiebant, pro defunctis earum uiris prolixas deprecationes simulate fundentes, ut auergerent censum: cum de uiduis dominus dicit, & concludit, propter hoc amplius iudicium illos subituros, tum quod fide orabant, non ut inde requies proueniret animabus, sed ut marcupia imple rent: tum ob damnum rapinæ quod hoc prætextu uiduis inferebant. *Vae uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia circuis mare, & aridam ut faciatis unum profely tum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam uos.* Nimis uidentur fuisse solliciti ad quemcunque ex gentibus conuertendum. Qui postquam fuisse conuersus, faciebant eum prauis suis moribus & exemplis inique agere: & peruersum esse duplo quam se, uel iterum ad gentes reuertere & apostatare. *Vae uobis duces cæci: Si cæcus cæco ducatur præter, ambo in foueam cadunt: ideo illos in hoc quod sequitur duces cæcos dominus uocat, qui dicitis: Quicumque iurauerit per templum, nihil est: Qui autem iurauerit in auro templi, quo scilicet parietes templi incrustantur, Debitor est. Hoc isti faciebant, ut iurantes per aurum, iuramenta redimerent auro. Sicut & cæci, quod enim maior est, aurum an templum, quod sanctificat aurum? Et quicumque iurauerit in altari, nihil est: quicumque autem iurauerit in dono quod est super illud, debet. Cæci, quod enim maior est, donum an altare quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari iurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt: & quicumque iurauerit in templo, iurat in illo, et in eo qui habitat in ipso: et qui iurat in celo, iurat in throno Dei, et in eo qui sedet super eum.* Confutat dominus eorum errorem, quem in populo disseminauerant erga iuramentorum uim & obseruantiam: probans euidentissime templum & altare multo digniora esse quam sit aurum & ornatus templi: & donum, quod super altare collocatur: cum donum ab altari sanctificatur, non è contrario. Deinde ostendit quemadmodum iurans in templo iurat in omnibus quæ in illo sunt, & in Deum qui habitat in illo per uenerationem qua colitur: & assistentiam ad preces exaudiendas inuocantium ipsum. Et iurans in altari, iurat in omnibus quæ in illo sunt. Et his etiam addit: & qui iurat in celo, iurat in throno Dei, & in Deum qui sedet super eum. Quemadmodum supra cap. 5. in hinc modum perspicue etiam docuit dominus, non nobis iurandum, nec per cælis, nec per terram, nec per Hierosolymā: allegatis per dominum rationibus: immo nec per caput nostrum: cum non possimus uel capillum album facere, uel nigrum. Ut ibi de hoc prolixius tractauimus, & passim aliās tam in ueteri quam nouo uolumine grauissime prohibetur. Propterea hæc iuramenta toto studio sunt a Christianis cauenda, & a prælatis puniēda. Quod dominus noiter Iesus Christus in nobis sua gratia perficiat: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In XXIII. cap. beati Matthæi.

Decimæ *Vae uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia decimas mentham et anethum, et approban- cyminum, et reliquisis quæ grauiora sunt legis, iudicium, et misericordiam, et fidem:*
hæc

hæc oportuit facere, et illa non omittere. Duces cæci, excubantes culicem, camelum autem tur a do- gluentes. Insignes isti decimatores ob duplicem malitiam se de anetho, mentha & cymino decimabāt, sacerdotibus hæc præstantes, qui ex illis sacerdotio non tangebantur: qui uerò sacerdotes erant, summo sacerdoti decimas decimæ offerebant, secundum legem. Num. 18. cap. Qui nimiam in hoc sanctitatem præ se ferentes, populum cogebant usque ad minimi oleris decimā persoluere, se ipsos in exemplum inducentes illius arctissimæ decimationis. Cæterum de fide Messia, quem ante oculos omni die habebant: & qui illis hæc nefanda crimina obiecit, & de iudicio recto & uero sine acceptione personarum faciendo: & de misericordia in pauperes admonebat, nulla illis cura. Hæc, uidelicet fidem, iudicium, & misericordiam oportuit præ oculis habere & facere, & illam decimationem non omittere. Decimas sacerdotibus dandas de minimis etiam oleribus dominus approbat. Cum enim exprobraret hæc minima ab eis fieri summo studio, & grauiora legis reliquisse, iudicium, misericordiam & fidem: in decisione quid horum & quomodo facien dum sit, ait faciendum iudicium, misericordiam, & fidem habendam, & non dicit illam decimationem anethi, cymini, & menthæ omittebam. Ait quidem: Hæc oportuit facere, & illa non omittere. *Duces cæci.* Cæcos duces illos iterum uocat ad dirigendum populum, qui tanta erant obtenebrati cæcitatatis nebula. *colantes culicem.* Hoc est, custodia arctissima minima custodientes, has scilicet decimationes in inorum olerum. deglucientes camelum. Sine ullo con scientia remorsu prætermittentes fidem, iudicium & misericordiam, a simi lium consortio liberet nos dominus. *Vae uobis scribæ et pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod foris est calicis et pa, opsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia.* Immundissimos istos dominus dicit corde, cuius oppositum uidelicet cor dis munditia magna uirtus & disposito est ad omnem uirtutem. Sic David quærens: Quis ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius? respondit: Innocens manibus & mundo corde, psal. 23. Et dominus: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt, supra cap. 5. Arguit etiam illos rapinæ, subindicans eos ita magna cupiditate intus æstuarè, ut omnium si possent ad se facultates attraherēt. *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat & id quod de foris est mundum.* Dupliciter hoc potest legi, uel, munda prius quod intus est calicis & paropsidis: uidelicet eiusdem uasis interiora prius laua, deinde quod foris est, tanquam si ipsis pharisæis de more esset, lauare summa cura exteriora uasorum, interiora autem eorundem uasorum negligere. Itaque secundum hunc legendi modum de ua se fit comparatio ad hominem, quod magis uidetur congruere euangelicæ li teræ, cum dominus dicat: Qui mundatis quod de foris est calicis & paropsidis. Cum autem sermo iterum ad uasa dirigendus uideretur, dicendo, & quod intus est negligitis, scilicet relictis uasorum interioribus, ad illos do minus flectit sermonem, dicens, intus autem pleni estis rapina & immundi tia. Vel sic potest litera accipi. Pharisæe cæce munda prius quod intus est calicis & paropsidis, id est cordis tui, ut fiat quod de foris est mundum: si uis uasa tua exterius mundari, munda tu prius cordis interiora. *Vae uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris pa rent hominibus speciosa, intus uero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Sic & nos a foris quidem pareitis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocritæ & iniquitate. Hypocritis falsa simulatio est. Sic quidem sepulchra exterius si mulant pulchritudinem, intus autē si perspicantur plena sunt ossibus de formi bus mortuorum & spurcitia; Pharisæi plusquam miseri exterius hoibus omni nem

nom specimen virtutis & sanctitatis ostendentes, intus pleni erant rapina & immunditia, simulatione falsa, & iniquitate. Cum audis iniquitatem, non astringas ad hanc vel ad illam culpam: omni illos agnosce crimine coinquinatos: pleni sunt intus hypocrisis & iniquitate. De istis precipue dicit psal. Eripe me domine ab homine malo, a viro iniquo eripe me, psal. 139. Qui cogitauerunt iniquitates in corde, tota die construiebant proelia. Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum: accusantes dominum, & in cruce positum, mouentes capita sua & blasphemantes. Postremo sequitur iniquitas eorum maxima: Vae quo eorum summa crudelitas annuciatur. *Vae vobis scribae & pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. Itaque testimonio estis vobis metipsis, quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes & genimina uiperarum, quomodo fugieris a iudicio gehennae? Non quia sepulchra prophetarum aedificant, & ornabant monumenta iustorum a domino increpantur, sed quoniam cum essent prophetarum & iustorum occisoribus crudeliores, mentiebantur se esse mitiores, dicentes: Praue actum est a nostris maioribus: vere si nos in illis temporibus uiueremus, nunquam tam beatos uiros occideremus: Verum enim uero cum ipsi iam decreuissent dominum occidere, prophetarum & iustorum omnium iustificatorem, mendacio & hypocrisis eorum dominus maledicit, non autem ob aedificationem sepulchrorum sanctorum increpat, cum & Abraham speluncam duplicem emerit a filiis Heth, in sepulturam Saræ ab Ephron filio Seor, Genes. 23. Ibi sepultus est Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Lia, Genes. 49. Erexit & Iacob monumentum Rachel uxori suæ, quando mortua est ob partus difficultatem Benjamin, quæ pepererat iuxta Bethleem. Erexitque Iacob titulum (inquit scriptura) super sepulchrum eius. Hic est titulus monumenti Rachel usque in presentem diem, Genes. 35. Sic sepelierunt Stephanum uiri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum, Acto. 8. Et in uerissima sanctorum historia legimus, Gamalilem apparuisse tempore Honorii imperatoris cuidam Luciano presbytero Hierosolymis: cui demonstrauit locum ubi indecenter tumulati iacebant corpora beati Stephani protomartyris, & ipsius Gamalielis, & Nicodemi, & abibonis: ut id Ioanni tunc antistiti Hierosolymitano nuntiaret, daretque operam ut eorum corpora honestiore conderentur loco, quod & factum est. Ceterum cum sanctorum corpora instrumenta fuere, quibus animæ tot bona opera exercuerunt, & resuscitanda sunt, iuste uenerantur in terris: presertim cum dominus ad eorum sepulchra & per eorum reliquias plurima operetur miracula. Nonne legimus, cum quidam iuxta Elisæi sepulchrum hominem defunctum sepelire uellent, latronum incursum perterritos proiecisse cadauer in sepulchro Elisæi: quod statim ut ossa prophete tetigit, uiuus surrexit, quarto Reg. decimo tertio. Crudelitatis igitur arguuntur scribae & pharisæi non de aedificatione sepulchra sanctorum, sed de crudelitate & mendacio, quod continuo subiungitur: *Et dicitis: si fuissetis in tempore patrum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum.* Filii estis eorum quorum mensuram implebitis etiam superfluent, quando die ab hinc quarta, prophetarum & iustorum Deum & dominum, & uestrum messiam occiditis. In morte autem domini omnem implere scribae & pharisæi crudelitatis mensuram, *Serpentes, ueneno, & genimina uiperarum,* eo quod genita matrem occidunt: quemadmodum & isti fecerunt, qui ob domini mortem patriæ & nationis Iudeorum proditionis causa fuerunt. Genimina etiam, id est habentes crudelitatis uenenum cum patribus uestris,*

Ornata & edificanda sepulchra sanctorum.

uestris, quomodo fugietis a iudicio gehennae? Tantis scilicet sceleribus pleni, ac tanta impietate crudeliter, ultionis iudicium non potestis effugere: cum occisuri estis sanctum sanctorum, cuius uos sanguinis rei effecti estis: quo nos redempti saluamur gratia eiusdem domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor gloria & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS TERTIUS,

In XXIII. cap. beati Matthæi.

IDEO dico uobis: Ecce ego mitto ad uos prophetas & sapientes & scribas, & ex illis occiditis & crucifigatis, & ex eis flagellabitis in Synagogis uestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, ut ueni at super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram a sanguine Abel inusti, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachie, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico uobis, uenient hæc omnia super generationem istam. Hierusalem, Hierusalem, que occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quotiens uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas: & noluisti? Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. Dico enim uobis, non me uidebitis a modo, donec dicatis: Benedictus qui uenit in nomine domini. Quomodo enim dicitis mitiores esse parentibus uestris, & si in diebus eorum fuissetis, non efflueros sanguinem prophetarum? ut autem sciatis mensuram uestra cognoscere, & duriores & crudeliores parentibus uestris existis? Quia enim estis uiperarum & uulturnum ueneno infecti, & eadem crudelitate erga parentes affecti. Ideo dico uobis, prænuuntio uobis, quæ facturi estis. Ecce ego mitto ad uos prophetas. Plurimi credentes in domino spiritum acceperunt propheticæ, & prophetauerunt. Legitur enim Acto. 11. In his autem diebus superuenerunt ad Hierosolimam prophete Antiochiam, & surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famam magnam futuram in uniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Et capit. 13. Erant autem in ecclesia quæ erat Antiochiæ prophete & doctores, in quibus Barnabas, & Simon qui vocabatur Niger, & Luctus Cyrenensis, & Manahem qui erat Herodis terrarchæ collectaneus, & Saulus. Similiter capit. 21. Alia autem die profecti, uenimus Cæsaream: Et intrantes in domum Philippi euangelistæ, qui erat unus descipulum (uidelicet diaconis, qui per apostolos ordinati sunt, Acto. 6.) mansimus apud eum. Huic erant quatuor filia: uirgines prophetantes. Et cum moraremur per dies aliquot, superuenit quidam uir a Iudæa propheta nomine Agabus: Is cum uenisset ad nos tulit zonam Pauli, & alligans sibi pedes & manus, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus, uirum cuius est zona hæc, sic alligabunt in Hierusalem Iudei & tradent in manus gentium. Sic item pri. Corinth. 12. ait beatus Paulus: Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia, primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores. Idem ad Ephes. 4. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios uero euangelistas, alios autem pastores & doctores. Habemus igitur sapientes apostolos, prophetas & doctores, qui dicebantur in lege scribae. Beatus Ioannes euangelista in Apocalypsi sua propheta fuit. Hos misit dominus & doctissimos quosque ut per ueterem legem ostenderent Christum dominum: quemadmodum sæpe fecit beatus apostolus Paulus cum Iudæis disputans, & beatus Stephanus in celebri illa disputatione, quam hoc nomine uocat scriptura, Acto. 7. quam ipse habuit cum Iudæis in concilio quodam congregatis. Quem lapidauerunt, cum non possent

possent resistere sapientie & Spiritui sancto qui loquebatur. Iacobus maior Hierosolymis est capite plexus. Iacobus minor Hierosolymitanus antistes veste fullonis capite cæsus. Simon Chananæus apostolus, qui beato Iacobo successit, crucifixus est Hierosolymis, cum iam vicefimum supra centesimum ageret annum. Beatus Paulus quinque uerberatus est, ut ipse tradit. 2. Cor. 11. & apostoli omnes in concilio cæsi, Actorum. 7. Conuocantes apostolos, inquit, cæsis denuntiauerunt, ne omnino loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos. Habemus occisos, crucifixos, flagellatos, & persecutos de ciuitate in ciuitatem, prout est videre Actorum capit. 8. & 14. Crucifixerunt itaque dominum authorem uitæ, Deum verum & Messiam in lege promissum, isti qui dicebant, si fuisset in diebus parentum nostrorum, non essemus facti eorum in sanguine prophetarum. *Vt ueniat. Consecutiuè accipiendum est, ac si diceret dominus: sic ueniet super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terrâ, non quod ipsi portent iniquitatem patrum suorum: scriptum namque est Ezechie cap. 18. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii. Et Deut. 24. non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed vnusquisque pro peccato suo morietur.* Legimus ueruntamen Exo. 20. Ego sum dominus Deus tuus fortis zelotes, uisitâs iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generatione eorum qui oderunt me: & faciens misericordiam in milia iis qui diligunt me, & faciunt præcepta mea. Hoc uero intelligendum est, quando filii imitantur parentum iniquitates, uisitat tunc iniquitas patrum in filios: nõ quod filius puniatur pro illo peccato patris, cui ipse filius non consensit, qui tunc forte nondum erat natus: sed dicitur pro peccato patris quem imitatur, in eo scilicet quod imitatur: & hoc peccatum est actuale filii, patris autem dicitur imitatione, quoniam patris peccatum imitantur. Quod si quis opponat huic sententiæ Ezechielis illud Reg. 2. capit. 12. cum pro peccato Dauid Natham illi uisionem filii Berhsabæ nunciavit, dicens: Non morieris: Veruntamen quoniã blasphemare fecisti inimicos nomen domini, propter uerbum hoc, filius qui natus est tibi morte morietur: respondetur, quod filius morti obnoxius erat ex communi lege. Nec tamen in hoc dicitur portare iniquitatem Dauid patris sui: sed ipse Dauid in se ipso puniebatur, dum nimis cruciabatur propter infirmitatem infantis, & sic suam ipsius iniquitatem portabat: filius uero communi lege debitum naturæ soluit, aliquando moriturus: & forte illi tunc dum innocens erat salubrius fuit mori, quàm si Diu uiueret. Sunt qui interpretentur: Anima quæ peccauerit ipsa morietur, id est morte culpæ, & gehænzæ si perseuerauerit: & quod Deus pœnas infligat filiis pro parentibus temporales. Et sic accipiendum est illud Exod. 20. uindicans pœnis & flagellis iniquitatem patrum in filios. Cæterum prior expositio uidetur magis scripturæ consona, quod uindictæ cum oderint eum, cum scilicet paternam imitantur iniquitatem: prout isti scribæ & pharisæi, qui occiderunt patres prophetas, & ipsum dominum crucifixerunt, & persecuti sunt apostolos, & discipulos domini quosdam flagellauerunt, alios exterminauerunt, lapidauerunt, & crucifixerunt: & sic tandem in illos uindicta dispersionis in uniuersum orbem, & euerfionis cæpti, & Hierusalem delata est. Quemadmodum si pater cuiusquam unum occidat hominem, mitius punietur: si filius occidat duos, iam aliquanto grauius supplicium feret: nepos eius si occidat filium regis, & plures nobiliores quàm qui ab eius parentibus fuere occisi, ultio in isto sumetur acerbior, quoniam impleuit crudelitatem parentum suorum usque ad summum. Sic etiam scribæ & pharisæi plures occiderunt iustos & prophetas, usque ad summum homicidii

dium peruenerunt, occidententes etiam Christum dominum filium Dei & Messiam. Abel primus iustus occisus traditur a Cain, cuius & si progenies diluuiio perit, & Iudæi descenderunt ex Seth, acceperunt tamen uxores de filiabus Cain, in quibus Noe & filii eius: ideo ex parte matris ad eos refertur sanguis Abel iusti. Zacharias filius fuit Ioiadæ, qui Ioiadas regem Ioab, ut traditur. 2. Para. cap. 4. ne idola coleret adoratione sua auertit, nimis namque prodest apud regem uir unus bonus & iustus, quemadmodum Ioiada sacerdos, quo mortuo Ioab & populus coluerunt idola, quibus cum Zacharias uellet obfisteret, occisus est inter primam partem templi, & altare holocaustorum. Quoniam autem Ioiadas fuit uir bonus & iustus, dominus illi Barachiam nuncupat, quod sonat uirum bonum. *ut ueniat: super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram a sanguine Abel iusti: Qui Abel occisus est a Cain, ex cuius sanguine ex parte matrum uestrarum originem ducitis, & si sitis filii Seth ex parte patrum uestrorum. Usque ad sanguinem Zachariæ, filii illius boni uiri Ioiadæ. Quem occidistis inter templum & altare. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: quotiens uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat filios suos sub alas, & noluisti. Affectu paterno te protegere studui, mittens tibi prophetas, & reges aliquot sanctos: donauit etiam tibi plurima bona terrena, alioque ad te seruos meos misi, Ipse denique ueni ut te sub alas fouerem: miraculis & doctrina te reuocare a tuis pessimis uis uolui, & nihil faciedum omisi, immo me occidendum tradidi. Et noluisti. Libertatem arbitrii designat dominus, non enim ait: Et non potuisti, & fragilis demum fuisti: sed absolute dicit, & noluisti. Noluisse, nec doctrinam Christi, nec eius opera quæ nemo alius fecit attendere. Noluisse apostolos, immo eorum tres occidit, Iacobum Zebedæi, & alterum Iacobum, & Simonem, cæteros persecuta es. Ideo relinquetur uobis domus uestra a deserta. Non habitabitur Hierusalem a Iudæis quæ multis temporibus sub ditione Christianorum fuit, deinde sub Soldano, nunc denum sub Mahumetano turcarum rege. Templum nec lapis super lapidem extat: Et quemadmodum regni Christi non erit finis, sic & desolatio Hierusalem usque in finem mundi perdurabit. Daniele eorum propheta id arte stante secundo capit. de regno Christi: Et ipsum stabit in æternum: ut etiam angelus Gabriël ad uirginem. Et regni eius, inquit, non erit finis. Et capit. 9. etiam de Iudæa ait. Et usque ad consummationem, & finem persecurabit desolatio. Conseruet autem & augeat sua pietate credentes in se Christus Deus. Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.*

Abul. q.
102.Libertas
arbitrii.

TRACTATUS QUARTVS,

In XXIII. cap. beati Matthæi.

DICO enim uobis, non me uidebitis a modo, donec dicatis: Benedictus qui uenit in nomine domini. Nulla in his ultimis uerbis, quæ dominus locutus est scribis & pharisæis, difficultas subesset, si ante diem illum quo susceptus est a populo cum ramis palmarum clamante & dicente: Benedictus qui uenit in nomine domini, Hosanna in excelsis, dominus protulisset Iudæis hanc de se laudem dicturos: præsertim cum non possit dici, nunc euangelistam per recapitulationem hæc scripsisse, quando tot interpositæ sunt parabole, quodque & hoc consequens est superioribus, quæ dominus scribis


H h h & pha-

& pharisæis improperauit, dicens impleturos illos mensuram patrum suorum & eorum domum relinquendam desertam: tunc enim adiecit: Dico enim uobis, non me uidebitis a modo, donec dicatis, benedictus qui uenit in nomine domini. Quando ergo dicturi sunt isti, benedictus qui uenit in nomine domini: postquam resurrexerit dominus? sed tunc persecuti sunt apostolos, prophetas, & doctores, ac demum ipsi Iudæi dispersi sunt, & usque in finem Hierosolymæ desolatio perseverabit. Quando ergo dicturi sunt, benedictus qui uenit in nomine domini? quandoque uisuri sunt dominum, ut hanc illi acclamationem faciant, quam turbæ fecerunt in die quo honorifice in Hierusalem cum ramis palmarum susceptus est? at tunc etiam uiderunt dominum, & illuserunt ei in passione, nec dixerunt: benedictus qui uenit in nomine domini, sed improperauerunt. Attendendum igitur est ad hanc ultimam questionem soluendam, quid agebat dominus, cum illud diceret: docebat namque discipulos suos & turbas, ut etiam pessimis sacerdotibus obedirent: scribis & pharisæis grauiora crimina obiecit, si forte attenderent se usque ad cordis eorum intima penetrare, illumque Deum cognoscerent: denique quæ facturi erant prædixit, tuncque consequenter adiecit: Dico enim uobis, non me uidebitis a modo prædicantem, & docentem uos, ac uitia uestra corripientem. Hic est ultimus sermo, quem de ore meo ad docendum uos audietis. Nec enim eum uiderunt amplius: & quanquam in passione uidissent, non tamē docentem, sed patientissime probræ & cruciatum tolerantem propter patri obedientiam & honorem, & totius mundi salutem. Habemus igitur quemadmodum accipiendum sit: *Non me uidebitis a modo, donec dicatis, benedictus qui uenit in nomine domini.* Hæc autem domini uerba dupliciter accipi possunt: uel quod ad scribas & pharisæos referantur, siue ad omnem populum Iudæorum. Cæterum ambiguum est, quibus illa sint referenda, cum utrisque coaptari possint: si que in utrumque exponitur sensum. Verba hæc sumpta sunt ex psal. 117. qui proprie de Messia scribitur, dicente Dauid Spiritu sancto afflante inter cætera: O domine saluum me fac, o domine bene prosperare, benedictus qui uenit in nomine domini. Referendo igitur hæc uerba domini ad scribas & pharisæos quibus loquebatur, sensus est: Dico enim uobis non me amplius docentem, & inter eos conuersantem, & miracula facientem uidebitis, donec ueniat tempus, quando dicatis cum cæteris reprobris duræ ceruicis & perfidis Iudæis, dum uenero iudicare orbem terræ in iustitia. Hic est ille uerus filius Dei & Messias, de quo scriptum erat: Benedictus qui uenit in nomine domini. Cui populus, quando in die quo illum super asinam sedentem honorifice in uestra Hierusalem suscepit, eadem prophetica uerba acclamauit, dicens: Benedictus qui uenit in nomine domini. Hoc autem dominus innouit Caiphæ, cum in nocte benedictissimæ passionis eius adiurauit illum, dicens: Ad iuro te per Deum uiuum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei? dominus autem ad illum, si uobis dixerim non credetis mihi: si autem interrogauero, non respondebitis mihi, nec dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens a dextris uirtutis Dei. Tu ergo ait Caiphæ es filius Dei? dixit illi Iesus: Tu dixisti. Veruntamen dico uobis: a modo uidebitis filium hominis sedentem a dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cæli, ad iudicandum uidelicet. Ac si diceret: tunc cognoscetis, quia ego sum filius Dei: tunc non negare poteritis me esse uerum in lege promissum Messiam. Tunc dicit: hic est ille quem prophætæ prædixerunt & turbæ acclamauerunt, dicentes. Benedictus qui uenit in nomine domini. Dauid in uersiculo ultra profertur dicens: Deus dominus & illuxit nobis. Si uero uerba domini referantur ad omnem populum Iudæorum. Dico enim uobis o plebs Iudæorum

Iudæorum (quoniam & turbæ simul aderant, quando hæc dixit scribis & pharisæis, prout in principio huius. 23. cap. beatus euangelista dicit) non me uidebitis docentem & miracula facientem, & uos commonentem, donec dicatis: Benedictus qui uenit in nomine domini, quando scilicet in mundi finem conuersi me confitebimini, de quo scriptum est. O domine saluum me fac. O domine bene prosperare, benedictus qui uenit in nomine domini, Deus dominus & illuxit nobis. Tunc dicitis, illum quem crucifixerunt parentes nostri, is est benedictus Messias dominus & Dei filius, qui uenit in nomine domini. Hoc ostenditur clare ex Esai. cap. 10. cum ait: In ueritate reliquæ conuertenter, reliquæ inquam Iacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquæ conuertenter ex eo. In ueritate reliquæ conuertenter, quasi affirmer, ne quis desperet de eorum conuersione, cum uiderit tot tempora incredulitatis eorum transacta, & quod præci eorum patres dominum crucifixerunt. Siue in ueritate accipiatur, prout ueritas opponitur hypocrisis & ficio, quibus nimium dediti fuerunt scribæ & pharisæi, qui in populo præcipui erant: quasi dicat non fite, non simulate conuertenter, sed in ueritate ueræ reliquæ Iudæorum conuertenter. Hæc uerba Esai. in hunc referuntur sensum ad Rom. 9. Esaias autem clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel, tanquam arena maris, reliquæ saluæ fient. Magno etiam seruire illos conuertentes ad Christum dominum Dauid prophetauit, dicens psalm. 58. Conuertenter ad uesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt ciuitatem. Ad uesperam, in fine mundi significat illorum conuersionem futuram: famem ut canes & ciuitatem circuire seruirem insinuat. Tunc quippe dicent, illi cui populus acclamauit: Benedictus qui uenit in nomine domini: Vere ipse est Christus, uere ille benedictus est, qui uenit in nomine domini. Tunc cum hæc fatebuntur, dabitur facultas dominum uidentem facie ad faciem cum obierint in sua gloria. Facie etiam ad faciem cum uenerit in nubibus cæli iudicare orbem terrarum in iustitia, quando omnes gètes ante eum congregabuntur. Inter cætera uero non minima nobis consideratio habenda est, qui Christiani sumus, ne occidamus prophetas, sapientes, atque doctores, minime operibus que credimus ostendentes. Verum enim uero omnis euangelii litera potest hereticis applicari, qui non duos Iacobos, maiorem scilicet & minorem, & Simonem occiderunt, prout Iudæi, sed ipsum beati Petri uicarium ipsumque Petrum fuisse apostolorum principem negant. Porro Iudæi tres apostolos occiderunt, at isti beati Petri primatum inficiantur, atque ita beatum Petrum & eius successores persequuntur, quibus dominus clauis relinquere regni cælorum. Voluntque extingui in terris caput ministeriale capitis, quod Christus est, uicarium cum dominus Petro præ cæteris dicat. Diligis me plus his? pascere oues meas, & fidem suam dicit tanquam præcipue illi commissam: ego, inquit, rogauit pro te o Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Beato etiam Paulo ingens irrogatur iniuria, cum illum uelint dixisse, per fidem absque charitate quenque saluari posse, cum ipse de fide uirga & formata charitate agat. Quod ad Galatas prestatatur, dicens. In Christo enim Iesu, nec preputium aliquid ualeat, nec circuncisio, sed fides que per charitatem operatur. Etiam sæpe illum repetiuimus nullum dari locum beati apostoli, in quo de fide agat, quin superius uel in sequentibus non adducat gratiam iustificantem, tanquam nos cautos reddere uolens, quod dicit de fide cum gratia formata debere semper intelligi & non aliter. Omnes etiam sanctos persequuntur de ciuitate in ciuitatem pellentes eorum corpora, & sanctas reliquias, ac mutos illos constituentes in celo ad postulandum &

impetrandum pro nobis. Omnia etiam respuunt sacramenta Christi, quibus ecclesia sanctificatur, ut ueniat super Lutheranos omnis hæresis, ab hæresi Saducæorum, usque ad hæresim Vuicleuistarum Boemiæ. Nec dubium quin domus eorum relinquatur deserta, nisi fuerint conuersi ad dominum, & ad sanctæ matris ecclesiæ gremium pœnitentes redierint. Quod Christus dominus quam cito faciat gratia sua: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS PRIMVS,
IN CAPITVLVM XXIII.
BEATI MATTHÆI.



Tegressus Iesus de templo ibat, finita scilicet quam cum Phariseis & scribis habuerat disceptatione. Et accesserunt discipuli eius, ut ostenderent ei adificationem templi. Dixerat enim dominus: ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. Ostendunt ei discipuli templi structuram, forte discere cupientes, quæ domus erit illa relinquenda deserta. Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico uobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruetur. Sedente autem eo super montem Oliuæ, accesserunt ad eum discipuli eius secreto dicentes. Hos dicit beatus Mattheus fuisse Petrum, Ioannem, Iacobum, & Andream cap. 13. Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi? Cum lector diuersas percurreris expositiones sanctorum & aliorum doctorum: hæc tibi quam adsignamus diuisio, claram efficiet totius huius capituli uicesimi quarti intelligentiam. Aduertendum est igitur tria hic quæsiuissæ sanctos apostolos. Primum, dic nobis quando hæc erunt, templi uidelicet euerisionem? Secundum, quod signum habebimus aduentus tui? Tertium, quando erit consummatio seculi? Ad hæc tria dominus perspicue respondit. Beatus autem euangelista sententiam tertii, hoc est consummationis mundi præposuit, quam deinceps in finem prosequitur. Mediam autem posuit templi uastationem: & alteram, signi uidelicet aduentus domini, continuo adiecit. Deinde reuertitur ad tertiam, de qua paucis egerat in principio, uidelicet de seculi consummatione. Et respondens Iesus, dixit eis: Videte ne quis uos seducat. Multi enim ueniunt in nomine meo dicentes. Inde is scilicet iam oscitantibus de aduentu Messie: Ego sum Christus, & multos seducunt. Vidi ego Olisypnone sartorem quandam ex reces conuersis, qui se apud oppidum Sethubalem Messiam mentitus est, cui plurimi ex neophytis Iudæis adhibentes fidem: cum tanquam uerum Messiam uenerabatur, de quorum etiam numero erat uir quidam peritus medicus. Messias autem cum aliquibus ex suis, me præsentem, traditi sunt curiæ seculari & combusti. Audiui etiam de quodam Iudæo, qui multas peragraret prouincias, qui uulgo dicebatur de Calcæo: Hunc plurimos dicunt seduxisse Iudæos, affirmando

mando se esse Christum. Quod & plurimos alios sepe fingere credibile est. Multi enim ueniunt in nomine meo, dicentes: ego sum Christus, & multos seducunt. Adhuri enim estis prælia & opiniones præliorum, uidete ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Prælia hæc non sunt signa finis, seculi nondum est finis. Coniurget enim gens contra gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentia & famæ, & terra motus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Intellige, non tamen consummationis seculi. Tunc eradent uos in tribulationem, & occident uos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, a fide recedentes, & muticem tradent, & odio habebunt inuicem. Hoc temporibus apostolorum crebro contigit. Nicolaus unus ex septem diaconis a fide recessit. Hymenæus & Philetus dixerunt resurrectionem iam factam, 2. Corin. 2. Hymenæus & Alexander a fide, etiam recesserunt, 1. Timot. 1. Epistolæ beati Petri & Iudæ idem præostendunt. Et beatus Ioannes pri. epist. cap. 2. de his conqueritur, dicens: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permanissent utique nobiscum. Et multi pseudopropheta surgent, & seducunt multos. Sic temporibus apostolorum pseudopostolos refert beatus Ioannes Apocal. cap. 2. & beatus apostolus Paulus 2. Cor. 11. Nam eiusmodi pseudopostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. Et non mirum: Ipse enim Sathanas transfiguratur se in angelum lucis. Et quoniam abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. Prout nunc experimur. Qui autem perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. Non discedens a fide scandalizatus, nec charitatem amittens. Unde in relinquentes fidem, prout faciunt hæretici, (quantumcumque sibi de fide placeant,) & charitate frigidus concluditur, perseverantem autem usque in finem, circa hæc eadem debere esse constantem, hoc est fidem charitate formatam habere. Et prædicabitur hoc euangelium regni in uniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc ueniet consummatio. Aliæ quæ præcedunt sententiæ, temporibus apostolorum contigerunt: hæc autem circa finem mundi uersatur, tanquam unum de præcipuis signis consummationis seculi: pro cuius euidentiori intelligentia memorandum est illud, quod Dauid de beatis apostolis prænucciavit, psal. 118. dicens. In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Quod & beatus apostolus Paulus refert in hunc sensum ad Rom. 10. Sed dico: Nunquid nõ audierunt? Et quidem in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Quod intelligendum est de diuulgatione quadam. Nec enim in indiuo poterant beati apostoli deuenire in omne oppidum & ciuitatem, sed uerbi gratia, accedente uno apostolorum Contimbricam, iam uerbum eius diffundebatur & perueniebat ad Bracharenses & Olyssipponenses: accedente alio Salmanticam uerbum perueniebat Metinam, Segouiam, Abulam, & finitimas alias ciuitates & oppida, dicente populo: Quidam homo faciens prodigia, suscitans mortuos, sanans oem languorem in nomine Iesu, quæ dicit Dei filium & saluatorem esse, uenit in hanc uel illam urbem. Videntes hæc annu ciabant, & martyrum uictorias prædicabant: stupebant uerò gentes, cum audirét ipsos beatos apostolos & martyres, probra & mortem alacri nultu tolerantés, quoniam ipsi uita magnificauerunt. Hæc igitur diuulgatio, hic finem in oem terram exiit, & in fines orbis uerba eorum per alios relata sunt: quando ipsi beati duodecim homines non potuerunt in omnes ciuitates & uicos orbis ore proprio prædicare. Quapropter saluator dicit: Prædicabitur hoc euangelium regni in uniuerso orbe, hoc est in omni loco qui habitatur ab hominibus. Proprio enim ore annuati prædicabitur in auribus omnium populorum, & tunc ueniet consummatio. Nunc sequitur quæ denastabitur templum, quod fuit primus ab apostolis

Cōtra Lutheranos.

εἰς δίκονε-

tollis

colis domino propositum. Cum ergo uideritis abominationem desolationis, quae dicitur a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Qui legit Danieli cap. 9. & cap. 12. intelligat tunc templi euersionem, & Hierusalem consummari. Confirmavit autem pactum multis (inquit Daniel) hebdomada una (quae continet annos septem, prout habetur Leui. 25.) & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Quod & beatus Lucas cap. 21. tradit dominum his uerbis explicasse: Et cadent in ore gladii, & captiui ducentur in omnes gentes. Et Hierusalem calcabitur a gentibus, donec implentur tempora nationum. Daniel. 12. cap. ait: Porro docti intelligent, & a tempore quod ablatum fuerit iuge sacrificium (quod scilicet mane & uespere, omni die offerebatur, Exo. 30. adolebatur incensum. Et Num. 28. offerebatur agnus) & posita fuerit abominatio in desolationem: hoc est, idolum in templo desolato, exponit beatus Hieronymus: Sed huius desolationis historiam breuiter perstringamus: & sic tempus quo facta est, facile computabitur, & erit satisfactum primae quaestioni propositae ab apostolis: Dic nobis cum haec erunt? quando scilicet templum funditus erueretur? Notum est omnibus Iudaeis uectigales fuisse Romano imperio, nec habuisse sceptrum, cum Christus dominus uenit iuxta prophetiam Iacob: Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est: quando uidelicet uenerit, sceptrum erit ablatum. Quapropter Octavianus Augustus praecipit, ut describeretur uniuersus orbis, quo tempore in Bethloë natus est saluator mundi. Miserunt & in Iudaeam Albinum Romani, ut tributa exigeret: qui demptus est, cum nimis uexaret Iudaeos. Huic successit Florus, cuius molestias Iudaei non uolentes ferre, aduersus Romanos, 12. Neronis imperii anno, rebellarunt. Is autem Cestium misit, qui Hierosolymam obsedit primus. Deinde Nerone extincto successit Galba ab exercitu electus in Hispania, qui paulo post moritur: ei que Virellius successus est, qui breuissimi me ab humanis decessit, & eligitur Otho: post Orthonem adeptus est imperium Vespasianus, atque is filium Titum misit cum exercitu in Iudaeam, qui sub paschae celebritatem obsedit Hierusalem, quam ad octauum diem Septembris cepisse traditur. A prima autem oblatione per Cestium incepta ad direptionem templi & Hierosolymae septem anni fluxerunt, quod a Daniele prophetatum fuit cap. 9. In hac obsidione inauditas calamitates famis & mortis passus sunt Iudaei: quas qui cognoscere uolet, perat a Iosepho in eis libris, quos de bello iudaico oculus ipse testis inscripsit. Tunc qui in Iudaea sunt, ait dominus, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendant tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non uenturum tollere tunicae suam. Vae autem praegnantibus & nutriendis in illis diebus. Orate autem, ne fiat fuga uestra in hyeme uel sabbato. Quoniam Iudaeis sabbato mille passus tantum progredi erat concessum. Hyems uero non est tempus aptum ad fugiendum. Quod autem dicit, fugiant ad montes, hoc est ad tutiora loca. Et qui in tecto sunt: id est in loco securo non deueniant in domum suam: nec etiam qui in agro sunt. Praegnantibus & nutriendis quae grauatæ foetu, uel ob curam infantium uelociter fugere non ualent, uae illis. Caetera sequenti elucidabuntur tractatu gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in aeternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In XXIII. cap. beati Matthaei.

ADVERTAT nunc lector primas huius uicesimi quarti capituli sententias temporibus apostolorum a domino fuisse assignatas, qui tria difficilia quaerebant: uidelicet quando templi uastatio futura esset, quod signum aduentus sui haberent, & consummationis seculi, ne cum uiderent suis temporibus tot seditiones, terrae motus, fames, pestilentias, praeserta, suboriri pseudoapostolos ab ipsis credentibus, discedere quosdam a fide, & charitatem frigidescere, non turbarentur, sed imperturbato animo omnia susciperent, quae illis primo praedixerat. Deinde de euangelio praedicando in uniuerso orbe, quod signum est consummationis seculi, breuiter perstrinxit: Tunc ad primam quaestionem apostolorum respondens de uastatione templi & Hierusalem, nunc autem ad signa aduentus sui denotans (quod secundo loco ab apostolis fuit quaesitum, his uerbis: & quod signum aduentus tui?) ait: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, nec fiet. Et nisi breuiari fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi. Tunc si quis uobis dixerit, ecce hic est Christus aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudo Christi & pseudo prophetae, & dabunt signa magna & prodigia: ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce praedixi uobis. Si ergo dixerint uobis: ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exiit ab oriente, & apparet usque in occidentem, ita erit & aduentus filii hominis. Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilae.* Ne uideatur legenti hunc euangelii locum, eo quod dominus non premiserit se ad quaesitum apostolorum: Et quod signum aduentus tui? respondere, non de hoc agere, sed potius de agitata proxime quaestione de templi uastatione, praecipue uero cum post illa uerba: Orate autem ne fuga uestra fiat hyeme uel sabbato, continuo subicit: *Erit enim tunc tribulatio magna.* Quibus non obstantibus sciat de signo aduentus sui hic agere, quod ex duobus ostenditur. Primo, quoniam futura est huiusmodi tribulatio qualis non fuit ab initio mundi nec erit, & quod propter electos breuiabuntur dies tribulationis huius, aliam non fieret salua omnis caro, similiter & quod pseudo Christi, & pseudoprophetae dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, nihil horum contigit in euersione templi & Hierusalem, quapropter necesse est haec accipi de signis aduentus eius. Secundo, quoniam sic claudit dominus hanc sententiam, dicens: *Ita erit aduentus filii hominis, ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilae.* Igitur id quod ait, *Erit enim tunc, non referendum est ad destructionem templi & Hierusalem, sed ad illa uerba. Ita erit aduentus filii hominis.* Erit enim tunc, quando incipient signa fieri aduentus filii hominis, tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, nec fiet, & nisi breuiari fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi. Hoc de aduentu ualedicti Antichristi praedictum est. Ideo ait dominus: *Surgent pseudo Christi & pseudo prophetae, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Quod de Antichristo accipiendum est, quem oriturum dicunt de tribu Dan, eo quod Iacob iam iam moriturus singulis filiis Christum dominum uenturum praenunciavit. Simeon & Leui, de quibus descenderunt sacerdotes, praedixit uasa esse iniquitatis bellantia, & in consilium eorum, inquit, non ueniat anima mea.

Constat autem hos collegisse concilium aduersus dominum, dicentes. Quid facimus? quia hic homo multa signa facit: & vnus ex eis Caiphas dixit: Expedi uobis, ut vnus moriatur homo pro populo. Addit etiam senex & cęcitiens Iacob, sed prophetiæ plenus spiritu: Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum quia dura, Genes. 49. Veniens igitur ad Dan ait: Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus in Israel. Fiat Dan coluber in uia, cęra stes in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retrō. Cęra stes cornu dicitur habere in fronte, quo fortiter percutit equi ungulam, extrema mundi denuntians percutere Antichristum, ut faciat desicere a fide catholicos: Huc accedit id quod Nu. 2. dicitur: Ad aquilonis partem castramentati sunt filii Dan. Et quod Hieremias cap. pri. ait: Quid tu uides Hieremia? Et dixi: Ollam succensam ego uideo, & faciem eius a facie aquilonis. Et dixit dominus ad me: Ab aquilone pādetur omne malum super omnes habitatores terrę. Salutare tuum expectabo domine: quoniam post aduentum Antichristi dominus ueniet, quanto autem tempore interposito, ipse scit. Hunc dominus prædixit Iudęis uenturum, quem ipsi pro Messia suscepturi essent, Ioa. 5. Ego, inquit, ueni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius uenerit in nomine suo illum accipietis. Beatus Ioannes in Apocalypsi designat illum per bestiam ascendentem de abyssu, cap. 11. & duos prophetas occidentē: & deinceps aduentum domini describit ad iudicandum. Idem beatus Ioannes in sua pri. epistola. 2. cap. ait: Sicut audistis, quia Antichristus uenit, nunc Antichristi multi facti sunt: (hi sunt hæretici Antichristi membra illum præcedentes.) nūc de seimus, quia nouissima hora est. Ex nobis prodierūt, sed nō erant ex nobis: Nā si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscū. Sed ut manifesti sint, nā non sunt oēs ex nobis. Cui & beatus Pau. astipulatur, dicens pri. Cor. 11. Nam oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in nobis. De Antichristo enim ipse bea. apost. Paulus ait 2. ad Thessalonicē. 2. cap. Rogamus autem uos fratres per aduentum domini nostri Iesu Christi, & nostrę congregationis in ipsū: ut non cito moueamini a uestro sensu, nec terreamini, nec per spiritum, nec per sermonem, nec per epistolam tanquam per nos missam, quasi inter dies domini. Quoniam nisi uenerit discessio primum, a fide scilicet, beato Luca teste, qui cap. 18. post hæc uerba: Vbiunque fuerit corpus, congregabuntur & aquilę, paucis interiectis, ait dominum dixisse. Veruntamen filius hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra? Prosequitur beatus Paulus de Antichristo, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus: Non retinetis quod cum adhuc essem apud uos, hæc dicebam uobis? Et nunc quid detineat scitis: ut reueletur in suo tempore. Non exponit quare detineatur, sed dicit. Et nunc quid detineat scitis, quasi id illis cum adesset, iam declarasset, quod forte fuerit intelligendum de electorum completionē. Nam mysterium iam operatur iniquitatis. Quoniam Antichristi multi sunt, nempe hæretici, ideo iam iniquitas eius operatur. Tantum ut qui tenet nunc teneat fidem secundum sanctam matrem ecclesiam catholicam teneat, donec de medio fiat, hoc est excutatur & oriatur de medio Iudæorum: Et tunc reuelabitur illi iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, potentissime, uel per Michaëlem archangelum, eo quod dicit Daniel cap. 12. In tempore autem illo conserget Michaël princeps magnus qui stat pro filiis populi tui, & ueniet tempus quale non fuit, ex quo gentes esse cęperunt, usque ad tempus illud. Et dixit Daniel. Usque quo finis horum mirabilium? Et ad ini uirum, qui indatus erat lineis, qui itabat super aquas

aquas fluminis, cum eleuasset dextram & sinistram suam in cœlum, & iurasset per uiuentem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis, hoc est per tres annos cum dimidio. Prosequitur beatus Paulus: & destruet illustratione aduentus sui eum, cuius est aduentus secundum operationem Sathana, in omni uirtute (Accipe uirtutem pro potentia diaboli) & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt, eo quod charitatem ueritatis non receperunt, Christi domini scilicet secundum ueritatis charitatem uentis, quem pater in mundum misit. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio: ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed consenserunt iniquitati: pœnam datis igitur incredulitatis Iudæorum in Christo, uenturus promittitur Antichristus, aperte ostendit beatus Paulus, quod dominus dicit: Dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, electi: ac si dicat si esset possibile, etiam electi his mendacibus signis deciperentur. Si uobis dixerint. Ecce hic uel illic est Christus, nolite credere: Ecce in deserto, nolite exire. Ecce in penetrabilibus, nolite credere. Dominus enim cum uenturus sit sicut fulgur, ita & subito ueniet: ut ubique; fuerit corpus, cōgregentur & iusti. Et quemadmodum aquilę ad cadauera congregantur, ita & iusti semper memoriam Christi, & beatissimę eius matris retinentes, cum illo congregabuntur, cui uiuentes adherent, cui morientes ueniunt. Ecce satis dictum est beatis apostolis de signis præcedentibus aduentum domini nostri Iesu Christi. Præcedet enim Antichristus, cui ne credatur, dominus præmonet beatos apostolos, ut hoc denuncient uniuerso orbi, quod & fecerunt euangelizantes, & beatus Ioannes in sua epistola, & beatus Paulus, prout prædictum est, ne nos impræmeditates, filius iniquitatis inueniat, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS TERTIUS,

In XXI III. cap. beati Matthæi.

Quod de Antichristo accipiatur, quæ proximo superiori tractatu diximus, & non de direptione templi, iterum confirmat dominus in præfenti quam definit sententia, de signis consummationis seculi, tertia ab apostolis proposita & desiderata definitione, dicens: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stelle cadent de celo, & uirtutes cœlorum commouebuntur: & tunc uidebitur signum filii hominis in cœlo. Et tunc plangent omnes tribus terre, & uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cæli, cum uirtute multa & maiestate. Et mittet angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius a quatuor uentis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum.* Hęc utique in direptione templi non contigerunt, quæ dominus uentura prædixit, statim post tribulationem illorum dierum: quæ tribulatio proxima præcedens constat illam esse, quæ tempore Antichristi eueniet, cuius aduentus signum est proximum aduentus domini. Bis igitur sol omnino obscurabitur, in morte Christi, quando tenebrę factę fuerint super uniuersam terram per tres horas, a sexta usque ad nonam contra astrorum naturam in oppositione lunę, quum plena esse consueuit: & in die iudicij magni Dei sui creatoris mortē quodam modo plangeat cœlum, & damnationem peccatorum perpetuam. Sic prophetatum est per Ioel. cap. 2. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, ante

quam ueniat dies domini magnus & horribilis . Propterea dominus dixit , sol obscurabitur : & non dixit etiam luna obscurabitur , sed non dabit lumen suum quoniam color eius erit sicut sanguis . Ita & beatus Ioannes Apocal . cap . 6 . ait : Et sol factus est niger , tanquam sacchus cilicius , & luna tota facta est sicut sanguis , & stellæ de cælo ceciderunt super terram , sicut ficus emittit grossos suos cum a uento magno mouetur . Stellæ quæ secūdum Aristotelem & astronomos sunt fixæ in cælo , quod dicitur firmamentum non decident , quarū minima maior est tota terra : sed per angelos mediæ hierarchiæ , qui uirtutes dicuntur , ad quos operationes miraculorum spectat , ignitæ quædam exhalationes figuram habentes stellarum , cadent de cælo , & forte ab isto igne decedente in modum stellarum aduretur terra , & elementa calore soluentur , sicut Dauid psalm . 96 . prophetauit , dicens : Ignis ante ipsum præcedet , & inflammabit in circuitu inimicos eius . Et beatus Petrus 2 . episto . cap . 3 . dicit : Cæli autem qui nunc sunt & terra , eodem verbo repositi sunt , igni referuati in diē iudicij , & perditionis impiorum hominum . Et post pauca : Adueniet autem dies domini ut fur , in quo cæli magno impetu transient , elementa uerò calore soluentur . Terra autem & omnia quæ in ipsa sunt opera , exurentur . Cæli hic sunt accipiendi pro hyacintho illo quod perspicimus , hoc est media aeris regio , & aer iste inferior quo respiramus . Et uirtutes calorum commouebuntur , huc atque illuc facientes mirabilia hæc . Signum filii hominis , crucis vexillum est , in quo dominus triumphauit , & morte sua mortem & diabolum superauit . *Tunc plangent omnes tribus terræ .* Non dubium , quin etiam iusti qui uini reperierunt , plangent uidentes appropinquare iudicium domini . Hoc est quod Iob ca . 26 dicit : Columnæ cæli contremiscent , & pauent ad nutum eius . Mali plangent planctu & eu lato magno , uidentes damnationem suam præsto esse , & nihil eorum pro quibus damnantur possidere præter peccata , non aurum , non terras , non carnis illecebras , non domos , non pompam , non uitionem inimicorum , non adulteria , non rapinam : qui nihil horum inuenerunt in manibus suis . Et uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cæli cum uirtute multa , hoc est potentia et maiestate omnium angelorum & sanctorum sibi assistentium . Et mittet angelos suos cum tuba et uoce magna . Quoniam ipse dominus , ait beatus apostolus Paulus pri . ad Thes . sa . cap . 4 . in iussu & in uoce archangeli , & in tuba Dei descendet de cælo : & mortui , qui in Christo sunt , resurgent primi . Deinde nos qui uiuimus , qui relinquimur , uidelicet moriemur , & simul suscitati , rapiemur cum illis obuiam Christo in aera , et congregabunt electos eius a quatuor uentis , cæli : a quatuor regionibus scilicet mundi , Oriente , Occidente , Meridie , & Septentrione , a summis calorum usque ad terminos eorum . Communiter exponitur ab illa parte nostri horizontis , qua apparet cælum coniungi terræ . sed hoc iam dictum uidetur , cum ait , a quatuor regionibus mundi : propterea uidetur potius ad beatos id referendum , ut sit a summis calorum usque ad terminos eorum : hoc est , a primis illis beatis , qui domino propinquo res sunt in gloria , usque ad minimos , in quibus beatitudo terminatur . Hi sunt paruuli baptizati , quibus ante annos discretionis sine meritis propriis decedentes , donata est diuinitatis uisio & fructio , per baptismum meritis passionis Christi . *Ab arbore autem fici discite parabolam , cum iam ramus eius tener fuerit , et folia nata , scitis quia prope est aestas . Ita et uos cum uideritis hæc omnia , scitote quia prope est in ianuis . Amen dico uobis , quia non præteribit generatio hæc , donec omnia fiant . Cælum et terra transibunt : uerba uero mea non præteribunt .* Cessabant operationes cæli & terræ : uerba autem mea non transmutabuntur , sed quemadmodum a me prolata sunt complebuntur . Hæc sunt signa consummationis

tionis seculi . Quoniam autem beati Apostoli his signis seculum consummari suspicari poterant , ait dominus : *De die autem illa et hora nemo scit* , id est , post hæc signa quando consummabitur seculum , & dies eius ultima erit : uel de die & hora quando hæc fient , quoniam hoc erit initium terminationis seculi , nemo scit . *nec angeli calorum , nisi pater solus .* Beatus Marcus cap . 13 . ait : Nec filius . Filius hic accipitur in carne humanatus , & dimissis ambagibus se accipiendum existimo , ut illud quod scitur ab homine , in sacramento confessionis , qui quæsitus an sciat , uere respondet senescire , quoniam ex ui sacramento omnia reuelata in confessione , quæ peccator nolit ut sciantur , sub sigillo cedunt . Sic hoc secretum de illa die quando erit secundum diuinitatem statutus est non reuelandum nequam : secundum humanitatem uero commissum est Christo domino , quemadmodum est in diuinitate constitutum , ut nulli nequam reueletur usque in diem & horam qua fiet : & sic Christus dominus dicit : Nec filius hoc dicere potest , nisi pater : hoc est nisi quando patris uoluntate , quæ una est cum filio & Spiritu sancto , reuelabitur . Et sic dicitur solus pater scire cum filio & Spiritu sancto , & dicitur filius nō scire , quoniam illo modo scit , quod nunquam alicui est reuelandum . Fere simile ait apostolus Paulus , quando raptus est usque ad tertium cælum 2 . Corin . 12 . Et scio huiusmodi hominē , quoniam raptus est in paradysum , & audiuit arcana uerba , quæ non licet homini loqui . Quod nunc etiam humanitati Christi , non inepte potest accommo dari : scit quidem , sed non licet homini loqui : propterea solus Deus dicitur scire , qui secundum suam uoluntatem constituit diem & horam ad reuelandum . Cæterum dicit dominus : unusquisque sedulo uigilet , & quo tempus illud ignotius est , eo fit dies illa suspectior . *Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes et bibentes , nubentes et nyctui iradentes , usque ad eum diem , quo intravit in arcam Noe , et non cognouerunt donec uenit diluuium , et tulit omnes , ita erit et aduentus filii hominis .* Tunc duo erunt in agro , et unus assumetur , et unus relinquetur . Duo in lecto , unus assumetur , et unus relinquetur . Hunc locum sic arbitror exponendum ex præcedentibus & ex sequentibus . Superius dixit dominus diem illam futuram subitam , & inuasuram uiuentes , sicut diluuium : & inferius statim subiicit : *Vigilate ergo .* Horum trinum exemplum in medio positum est , ac si diceret : nec tunc arbitremini quenquam securum esse , quando illa repentina dies uentura sit : quoniam dico uobis , quod si a primis seculi hominibus in lecto quiescentibus , usque ad illam quæ est in mola , & agricolam qui est in agro , magna erit distantia : quando unus eligitur ad gloriam , alter rapitur ad æternum supplicium . Sic cum uellet scriptura narrare omne primogenitum in terra Aegypti nocte illa , qua celebrantur Iudæi primum Phasæ , & egressi sunt de Aegypto , occisum esse ab angelo , ait Exo . 12 . Factum est autem in noctis medio , percussit dominus omne primogenitum in terra Aegypti , a primogenito Pharaonis , qui in folio eius sedebat , usque ad primogenitum captiuæ , quæ erat in carcere . A primis ergo diuitibus , qui in lecto recumbunt molli ter strato , usque ad existentes ad mola , & agricolas incolètes agros , unus assumetur , & alter relinquetur . Propterea sequitur continuo . *Vigilate ergo , quia nescitis quæ hora dominus uenerit uenturus sit .* Si autem per existentes in agro intelligantur prælati laborantes , & in lecto contemplatiui , & in mola actiui . Vel tria genera hominum Noe , Daniel & Iob , Ezechie . 14 . per Noe , rectores : per Danielem , continentes : per Iob , coniugatos : & quod illis dicitur , unus assumetur & alter relinquetur , cum id ignorē , an sit literæ consonum , & an dominus hoc uoluerit , per agrum , mola ,

& lectum significare, taceo. Vnusquisq; lector aduertat: quod mihi fauente domino intelligere datum est exposui: & eligat secundum literam, quæ sibi videbitur expositio congruentior. Dominus autem sua magna misericordia, & meritis suæ beatissimæ passionis concedat, ut simus ex assumendis, non autem ex relinquentis gratia sua: qui cum patre & Spiritu sancto viuunt & regnant, & illi est gloria, honor, & imperium in eternum. Amen.

TRACTATUS QUARTVS.

In XXIII. cap. beati Matthæi.


VIGILATE ergo, quia nescitis qua hora dominus uester uenturus sit. Suspecta semper uoluit dominus nobis illam esse diem, quam neminem uoluit scire. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur uenturus esset, uigilaret utique, & non srueret profodi domum suam. Ideo & nos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis uenturus est. Si enim homo, ut securam redderet suppellestem suam, uigilaret hora, qua sciret furem uenturum, quanto magis nos uigilare debemus nescientes horam. Iudicem uenturum scimus, horam uero nescimus. Oportet igitur omni hora uigilare, & in omnem semper cautos incedere diem, ne æterna destituti felicitate, ignibus tradamur æternis. Atqui dissimilis fatis causa nobis est, & patrifamilias uigilanti, ne fur rapiat uellem vel pecuniam. Si enim ille pro re terrena ad eum uigilat, nobis utique multo magis uigilandum erit, ut pro salute æterna semper simus parati: quoniam nescimus qua hora filius hominis uenturus sit. O quot homines omni die perspicimus imparatos uocari. Non opus est scriptura hanc domini amplificare sententiam, sed exemplis: nec utique exemplis veterum, sed recentiorum hominum, quos omni die rapi impræmeditados & imparatos cernimus. Donet nobis dominus, quod postulat Dauid, dicens: Illumina oculos meos, ne inquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum, psal. 12. Et psal. 38. Locutus sum in lingua mea, notum fac mihi domine finem meum, & numerum annorum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi: ne nos imparatos inuadat repentina hora peculiaris iudicii nostri. Nam inquit beatus Augustinus, qualem te inuenerit tuus ultimus dies, talem te recipiet mundi nouissimus dies. *Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illi cibum in tempore?* Hoc iam apostolis tantum dicitur, & eorum officium in ecclesia sancta exercentibus, ad insinuandam uigilantiam, quam prælati habere tenentur erga animas sibi committas. Necesse est utique erat prælati scire, non tantum ab eis requiri uigilantiam sui, sed etiam animarum sibi creditarum. Propterea & beatus Apostolus Petrus bene edoctus a magistro Christo Iesu Domino nostro, ait præpositis, pri. episto. capit. vltim. Pascite qui in uobis est gregem Dei, prouidentes non coacte sed spontaneè, secundum Deum: nec turpis lucri gratia, sed uoluntarie: nec ut dominantem in clericis, sed forma facti gregis ex animo: & cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Et beatus Apostolus Paulus ad Hebræos cap. vltim. Obedite præpositis uestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Hoc enim non expedit uobis. Et actorem 20. Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei: quam acquisiuit sanguine suo. *Beatus ille seruus, quem cum ueneris dominus eius inueneris sic facientem.*

cientem. Sic fideliter fidem immaculatam charitate formatam custodientem. Sic prudenter doctrinam charitatis distribuentem: quatenus oues semper fideliter pascantur doctrina salubri. Qui semper se existimauit seruum non dominum, semper oues non suas sed domini præcipue gregem esse considerans, ac tanquam ipse ouium pastor cognoscens rationem earum domino esse redditurum. Pasce oues meas, inquit dominus Petro, non tuas. Ego inquit dominus cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Ideo cum dixit in beati Petri supra inducta autoritate, pastorem principem: Et cum apparuerit, inquit, princeps pastorum, cui pastores redditi sunt rationem. *Amen dico uobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum:* ut uidelicet omnibus bonis fruatur in gloria. Ex quo magnitudinem præmii bene ecclesiam gubernantis insinuat, dicens: super omnia bona sua. Quemadmodum enim domini temporales seruis in modico fideles exaltant, illisque maiora committunt: sic dominus fideles præpositos animarum, & cibum ouibus in tempore fideliter & prudenter distribuentes constituet super omnia bona sua, in felicitate æterna condescendere faciens, & illi donans immarcescibilem gloriæ coronam. *Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo: moram faciet dominus meus uenire, & cæperit percutere conferuus suos, manducet autem & bibat cum ebriosis, ueniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. Illic erit fletus & stridor dentium.* Postquam dominus boni præpositi rationem reddidit & præmium, nunc apostolis suis, qui cito futuri erant sacerdotibus & episcopis, malorum ponit præpositorum & ingenium & supplicium, dicens: Si autem dixerit malus seruus ille, (ut de constitutis super familiam suam accipiatur) in corde suo: moram faciet dominus meus uenire. Tardat utique dies ista iudicii, sciat quod non tardat dominus iudicium suum, sed in diem quem constituit, differt. Non enim sicut nobis, ita sunt dies, quos per solis ortum & occasum dicimus ante dominum. Inquit enim Dauid psal. 89. Dixisti, conuertimini filii hominum, quoniam mille anni ante dominum sint tantum dies heuerna que præterit. Cum igitur mille anni ante dominum sint uni diei similes, non utique tardat uenire. Quod & beatus apostolus Petrus quibusdam hereticis, dominum tardare ad iudicium existimantibus, ait episto la 2. cap. 3. Hanc ecce uobis charissimi secundam scribo epistolam, in quibus uestram excito in commonitione, sinceram mentem: ut memores sitis eorum que prædixi uerborum a sanctis prophetis, & apostolorum uestrorum præceptorum domini & saluatoris. Hoc primum scientes, quod ueniet in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Vbi est promissio aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ. Et paucis interiectis ait: Vnum uero hoc non lateat uos charissimi, quia unus dies apud dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus. Non tardat dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter uos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reuerti. Adueniet autem dies domini, ut fur. Non tardat etiam mors in tam breui uitam agentis. Cum enim unusquisque peculiare iudicium subit tam breui tempore uiuens, quid querit de iudicio uniuersali, cui sua est breuis decreta dies? & cæperit male agere aduersus fratres, & biberit & manducauerit cum ebriosis. Quæ duo malorum genera ex obliuione iudicii oriri dicit, scilicet percutere conferuus & inique agere in proximos, & societatem habere cum impiis & illos imitari. Sunt enim hæc perquam nocua. Primum, quoniam charitatem adimit. Secundum, quoniam omne perpetratur malum. Nam manducare & bibere intemperanter uitium est, ut etiam so-

cietatem

ciatatem habere cum ebriosis. Corruptunt namque bonos mores colloquia praua, ac multo amplius societas cum malis asidua. *Veniet dominus serui illius.* Iterum reducit in memoriam præfatis, dominum habere eos in cælis, cui red diti sunt rationem, non qualemcunque, sed adeo rectam, adeo integram, ut nihil unquam operis ab eo cæleri possit, imo nec quantumuis minimam cogitationis atomum. *Veniet dominus serui illius in die qua non speras, & hora qua ignorat.* Non illi ante literas mittet, quoddam tali die erit reddenda ratio nõ nuncium mittet diem & horam aduentus sui insinuans, sed in die qua non sperat, & hora quam ignorat: *et diuidet eum*, hoc est a bonis, & fidelibus, & prudentibus prepositis, & conferuis eum separabit, tanquam si pronuntiet nullum post mortem habere damnatos adiutorem. Hic nunc recole, duo in agro, duo in mola, duo in lecto, unus assumetur, alter relinquetur, assumptus ille est, hic a bonis diuisus: Et diuidet eum. Vbi ergo collocabit illum? partem eius ponet cum hypocritis. Qui simulat se bene uiuere & perperam agit, quod est hypocritis, & publice percutit seruos, & partem habet cum ebriosis & edacibus, in uno reconduntur loco. *Illis erit fletus, et sridor dentium.* Contraria inter se calor & frigus in peccatorum pœnam adunantur, iuxta illud Sapientie cap. 5. Aenet autem diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulgurum, & tanquam a bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et a petrosa ira plena mittentur grandines. Grando igitur & ignis inter se natura contraria, in ultionem malorum simul coniuncta uenient. Aduertere igitur opus est, quoniam cœlum & terra transibunt: uerba autem domini non transibunt, ut simus fideles & prudentes serui, familiam domini semper uero cibo pascentes, quatenus dominus ueniens super bona sua, nos constituat gratia sua: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS PRIMVS,
IN CAPITVLVM XXV.
BEATI MATTHÆI.



VNC simile erit regnum cœlorum decem uirginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso et sponse. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum. Prudentes uero acceperunt oleum in uasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsus uenit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes uirgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis et uobis, ite potius ad uendentes, et emite uobis. Dum autem irent emere, uenit sponus, et quæ parata erant intrauerunt cum eo ad nuptias, et celsa est ianua. Nouissime uero ueniunt et reliquæ uirgines, dicentes: Domine, domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico uobis, nescio uos. Vigilate itaque, quia nescitis diem nec horam. Non modicas accipit

cepit a diuersis doctoribus similitudo hæc expositiones, quas si uellemus referre longum & fastidiosum esset. Quapropter sensum duntaxat, qui ex præcedentibus & sequentibus redditur, exponemus. Primum igitur uerbum similitudinis huius, magnâ his lampadibus tribuit lucem. Ait namque dominus saluator noster: *Tunc*, tunc scilicet quæ uenerit dies illa, de qua locutus est proxime præcedenti cap. consummationis seculi, quando sol obscurabitur, quæ signum filii hominis parebit in cælo, quando mittet angelos suos congregare omnes electos, quæ duo in agro exstantes, unus assumetur, alter relinquetur: duæ in mola, una assumetur & altera relinquetur: similiter & in lecto duo, unus assumetur, & alter relinquetur: in illa igitur ultima mundi die, simile erit regnum cœlorum, ecclesia. s. congregata. Ex quo manifeste constat, infideles in hac similitudine non includi, nec hæreticos, sed tñ fideles animas quæ nunquam corrumpere fidem. Quapropter decem uirginibus eas similes recedentes. Quæ accipientes lâpas suas exierunt obuiam sponso. uerbo. s. diuino, & sponse humanitati assumptæ, hoc est Christo uerbo Deo, & uero homini oium iudici. Lâpas uas est olei & luminis receptiuum, per quod fides signatur, qua credentes fideliter oleum bonorum operum charitatis accensas lumine superponunt. Sed quinque fatuæ acceptis lâpadibus. i. fide suscepta, non sumpserunt oleum secum, hoc est opera bona. Oleum effusum nomen tuum, dicit sponsa sponso Cant. 1. Quæ opera Christi diffusa sunt in nobis merito, quæ operatus est ipse profecerunt nobis ad redemptionem & salutem. Oleum peccatoris nõ impinguet caput meum, pro opere adulationis, ab oibus recepta est interpretatio. Prudentes uero acceperunt oleum in uasis suis, opera bona. In uasis aut, non uase: quæ diuersa reperitur charitatis opera, quæ patiens est, inimicis donans iniuriâ: benigna in pauperes: oculis operatur, respiciens & subueniens inopi: manibus cleemosynam indigentibus tribuit, uoluntate proximos diligit, hospitio peregrinos colligit, ouium suarum lana nudorum latera calefacit. Oleum igitur acceperunt prudentes in uasis suis cum lâpadibus. Moram aut faciente sponso dormitauerunt, & dormierunt somnum suum uidelicet, Ioan. 11. Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut a somno excitem eum, de morte dicens. Nolumus uos ignorare de dormientibus, ut nõ contristemini, 1. ad Thessa. 4. Et alia plura quæ in hoc sensu somni pro morte reperiuntur in sacra scriptura. Media aut nocte clamor factus est: ecce sponsus uenit, exite obuiam ei. Quidam arbitrati sunt ob hoc quod dñs dicit: Media autem nocte clamor factus est, iudicium dñi a noctis medio incipiendum, hora qua dñs natus est in Berhleë. Cui. n. quietum silentium tenerent oia, & nox in suo cursu mediū iter haberet, oipotens sermo tuus dñe exiliens de cælo & a regalibus sedibus uenit. Eadem utiq; hora dicunt dñm in utero deiparæ uirginis humanam carnem sumpsisse. Cæterum cum dominus dicat: De die autem illa & hora nemo scit. Er, uigilate utique quia nescitis diem nec horam, temerariū est qua hora ueniet definire, & consequenter quot annorum spatia mundus duraturus est iudicare. In similitudinis exemplo media nocte clamor contingit. Clamor. n. dictantium angelorum est, & tuba clamantium: Ecce sponsus uenit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt oēs uirgines illæ, nempe, oēs catholici, qui ueram semper fidem seruauerunt incontaminatâ, & ornauerunt lampades suas, fidem suam bonis operibus ostendentes. Fatuæ autem sapientibus dixerunt. Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Non illas accendit lumen, non ardet per se sola fides. Date opera, charitatem accommodate. Responderunt prudentes dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & uobis. Ite potius ad uendentes, & emite uobis. Non possumus nos iam ubi in hac deuenimus horam opera nostra uobis communicare,

municare, quod uiuendo potuimus. Ite ad uendentes & emere uobis. Angelo Laodicenis ecclesie Apoc. 3. dicitur: Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & uestimentis albis induaris. Charitatem signat per aurum ignitum: emere uero dicitur, quoniam permutatio fit, dum charitas ipsa charitatis operibus nutritur, & augetur. Tanquam aurum in fornace probauit electos dominus: eorum uidelicet charitatem & mundo ostendit & auxit operibus tribulationis patienter tolerantis. Quod & in eodem Apocal. cap. continuo adiecit, dicens: Ut non appareat confusio nuditatis tue, & collyrio inunge oculos tuos, ut uideas. Ego quos amo, arguo & castigo. Dum autem irent emere quarentes quoniam inuenirent charitatem, & quomodo possent opera deficientia sibi comparare, uenit sponsus, & quæ paratæ erant intraerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua: quoniam iam non est locus penitentiæ uitæ æternæ meritoria, nec operationis post hanc uitam. Nouissime uero ueniunt & reliquæ uirgines. Non dicit oleum inuenisse nec portasse, sed tantum dixisse: Domine, domine aperi nobis, Christiani fumus recipite nos in consortium cæterorum tecum gloriantium fidelium. At ille respondens, ait: Nescio uos. Hanc eandem uocem protulit dominus supra cap. 7. dicens. Non omnis qui dicit mihi, Domine, domine intrabit in regnum cælorum: sed qui facit uoluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in illa die, de qua in hac similitudine agit: Domine, domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui uos. Fidem siquidem habuere, qui tantas uirtutes in nomine Christi fecerunt: atqui ait illis, quemadmodum & istis fatuis uirginibus: Nescio uos, quare dicit: Nescio uos, quia nunquam noui uos. Discedite, inquit, a me omnes qui operamini iniquitatem. Charitatem non habuistis nec opera, sed operati estis iniqua: propterea discedite, quoniam ideo nescio uos. Quod etiam in sequenti parabola, quæ etiam huius prioris continet explanationem, ostendit, dicens. Et inutile seruum eicite in tenebras exteriores. Ille enim inutilis est, qui nihil operatur. Sic hæc uirgines fatuæ opera non habentes audiunt: Nescio uos. Concludit dominus similitudinem, dicens. Vigilate itaque quia nescitis diem nec horam. Hoc quasi ab ore domini assumens beatus Petrus prim. epistola cap. 4. ait: Estote itaque prudentes, & uigilate in orationibus: ante omnia autem mutuam in uobis metipsis charitatem continuam habentes, quæ charitas operit multitudinem peccatorum. Prudentiam commendat, ne fatui simus, ueluti uirgines istæ, fide sine charitatis operibus cogitantes, quemadmodum & Lutherani, posse saluari, & nobis merita passionis Christi sola fide acquirere. Sed uigilate, ante omnia autem in alterutrum opera charitatis exercentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Qui enim charitate operantur, tanquam prudentes recipiuntur a sponso gratia eiusdem domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In XXV. cap. beati Matthæi.

Sicut enim homo peregre proficiscens uocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii uero unum, unicuique secundum propriam uirtutem, & profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat,

& operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Post multum uero temporis uenit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obrulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. At illi dominus eius. Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. At illi dominus eius. Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scis quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti, & timens abii & abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum est. Respondens autem dominus eius, dixit ei: Serue male & piger, sciebas quia mero ubi non semino, & congrego ubi non sparsit. Opportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, & ueniret ego recepissem utique quod meum est cum usura. Tollite itaque ab eo ta lentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, et abundabit: ei autem qui non habet, et quod uidetur habere, auferetur ab eo. Et inutile seruum eicite in tenebras exteriores, illic erit fletus et stridor dentium. Hæc parabola uel refertur ad præcedentem de uirginibus fatuis, fidem habentibus sine operibus in eius confirmationem (cum hæc sint ultimæ quas dominus dixit similitudines) ad operationem bonorum operum iterum commendandam, ne quis sola se fide exilimet saluari posse, uel ad cautius uigilandum inducitur. Nam cum dominus dixisset: Vigilate itaque quia nescitis diem nec horam, continuo subiecit: Sicut enim homo peregre proficiscens. Cæterum ad utrumque uidetur composita, & ad uigilandum, cum dominus insperatus aduenit de longinquo, & ad iterum commendam charitatem operantem, cum operantes coronat, pigrum & inutile seruum punit dominus. Et hoc ultimum magis uidetur literæ sacri textus consonum esse, siquidem omnia præcedentis parabole in hac ultima repetita sub alia similitudine confirmat dñs. Ait ergo: Vigilate, quia nescitis qua hora dominus ueliter uerturus sit. Sicut enim homo peregre proficiscens, ac si diceret, cõtinget enim uobis quemadmodum cuidam homini contingit cum seruis suis, cum ad longinquam regionem profectus esset. Iam enim instabat dies qua dominus passurus erat, & inde resurgens ad patrem ascensurus, propterea peregre profectum fuisse seruorum dominum ait. Et illis tradidit bona sua, nimirum fidem spem charitatem spiritus sancti dona, & alia plurima charismata gratiarum, quæ bona distribuit unicuique secundum propriam uirtutem, hoc est secundum unius cuiusque uires. Nouit enim dñs qui cordis occulta nouit, & cui omnia intima parent, quid unicuique præstitandum sit. Ipseque dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas: alios uero euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi, ad Eph. 4. Sic enim censendum est de aliis donis gratiarum secundum uniuscuiusque uirtutem distributis. Cum autem ait, dedit ipse, excludit beneficia & officia ecclesiastica, quibus nonnulli negociantur qui carne & sanguine ad hæc assumuntur, à quibus non tantum perceptori petet æqua dispensatio, sed et de ipso iniusto ingressu ratio exigetur. Illi autem serui operati sunt in talentis domini, & duplex reportauerunt lucrum. Quinque talenta recipiens superaddidit alia quinque, & similiter qui duo acceperat, illis diligenter negociatus. alia duo apposuit. Qui uero unum talentum acceperat, abscondit humi. Vigilauerunt utique duo serui, & non pepercerunt labori. Ultimus piger nihil est operatus. Post multum uero temporis uenit dominus seruorum illorum, & ratione

cum illis posita (sive id referatur ad ultimum diem, quod litera *aris* conuenit uel in hora mortis unius cuiusque) obtulit qui quinque talenta acceperat, dupplicem domino suo censum. Cui ille. Euge serue bone & fidelis, bonum & fidelem dicit operatorem istum, ut scias non sufficere cuiusque esse fidelem, nisi sit & bonus. Bonum operatorem dominus unumquemque in se credentem exigit. Intra in gaudium domini tui, quoniam dominus Deus ipse est rex gloriae, ipse in semetipso semper beatus & gaudens. Ideo seruum dicit intrare in gaudium domini sui, nempe ut laetitia afficiatur de eo quo gaudet dominus, particepsque efficiatur in ipso summo Deo illius gloriae, qua gloriatur Deus, hoc est uisione & fruitione ipsius Dei. Namque obiectum beatitudinis idem est Deo & beatis. Deus & enim se ipso fruitur, & hoc habet a sui ipsius diuinitate. Angelus & anima Deo fruitur, & hoc habet a gratia & meritis. Differunt etiam tanquam infinitum a finito, quoniam Deus seipsum comprehendit, & infinite fruitur. Porro beati nec Deum ipsum comprehendere ualent, at illo unusquisque secundum quam habuit gratiam & bonorum operum merita, finite fruitur & gaudet. Euge uero dicitur, quando sic illo gaudio quousque repletur, adeo quod non est qui in illo semel beatus introierit unquam posse trisari. Idem dicitur seruo, qui duplici talento duplex superaddidit. Accedens autem qui unum talentum acceperat ad excusandas excusationes in peccatis, cor declinans in uerba malitiae ait: Domine scio, non ait suspicor, aut existimo, sed se scire mentitus est, dicens: Scio quia durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti: & timens abii & abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum est. Ex dominica responsione cognoscitur istum in caput suum mentitum fuisse: & eo quod male uiuere uoluit diligentissimum ad peccata, piger ad omne bonum, nec secundum ipsam naturae rationem uiuere uoluit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ait namque dominus eius: Serue male & piger, id est inique omni peccato consentiens, piger ad omne bonum si haec sciebas, me metere quo non seminasti, & colligere quo non sparsi, cur tu abscondisti talentum? Dedisses id nummulariis, ac commississes rationem tuam & nitam alicui frugali uiro, qui te in bonum dirigeret. Ipse lucratus esset tuo talento, ego uero haberem quid exigerem. Tollite itaque talentum ab eo, & date qui decem habet. Omni enim habenti, (lucrum oportet intelligi) dabitur, augebitur donum. Ei autem qui non habet lucrum oportet iterum accipere. Nam de lucro est questio cum pigro & malo seruo, non de talento quod illi dominus commisit, sed de lucro quod neglexit, quaeritur. Sic & litera redditur uerus sensus, & omnis ambiguitas tollitur. Itaque omni habenti lucrum de talentis receptis augebitur bona, & abun- dabit: ei autem qui non habet lucrum, qui talento recepto nihil superaddidit, & quod uidetur habere, hoc est talentum quod abscondidit in terra (proinde dicitur, quod uidetur habere: quoniam sic habuit ac si non haberet, cum nihil eum illo negotiatus est) auferetur ab eo, ut iam non possit amplius negotiari cum talento suscepto. Et inutilem seruum eiecite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. Ter dominus inferni poenam sensus his uerbis exposuit: fletus & stridor dentium. Cap. 22. de eo qui non habens uentem nuptialem, ut mittatur in tenebras exteriores, concludit, dicens: Ibi erit fletus & stridor dentium. Cap. 24. de malo seruo qui cum ebriosis partem suam posuit & percussoribus, ait: Ibi erit fletus & stridor dentium: Nunc autem de pigro & iniquo, Ibi erit fletus & stridor dentium: ad significandam existimo inferni poenam sensus ignis & frigore simul commissi: fletum ex densitate fumi ibi prouenire suspicor: cum dominus etiam saepe ignis faciat mentionem.

eorum

eorum, inquit, non extinguitur, quando ibi non sunt lachrymae pro commissis peccatis. Fletus potest etiam prouenire ex uehementi cruciatu & dolore. Nouum quippe supplicii genus, algere simul & urii: sed fatis accommodata poena peccatis. Cum in omni peccato frigidescit caritas, & ardet cupiditas, iuste cruciatur peccator frigore simul & igni. Operemus igitur bonum dum tepus habemus, nemoque suum talentum abscondat, sed secundum beati apostoli Pauli doctrinam: communicet autem his qui cathecizantur uerbo, ei qui se cathecizat in omnibus bonis. Sic uerbo augebuntur hinc inde talenta: cum unus quidem spiritualia, alter uero uicium ministrat gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in aeternum. Amen.

TRACTATUS TERTIVS,

In XXV. cap. beati Matthaei.

Cum autem uenerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli eius cum eorum sedebit super sedem maiestatis suae: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oves ab haedis: & statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris. Tunc dicit rex iis qui a dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum a constitutione mundi. Esurui enim & dedistis mihi manducare. Siviui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & operuistis me. Infirmus, & uisistis me. In carcere eram, & uenistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem & pauimus, sitientem & dedimus tibi potum? Quando autem te uidimus hospitem, et collegimus te, aut nudum & cooperuimus te. Aut quando te uidimus infirmum, aut in carcere, & uenimus ad te. Et respondens rex dicit illis, Amen dico uobis, quando fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicit & his qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esurui enim, & non dedistis mihi manducare. Siviui, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, et non collegistis me. Nudus et non operuistis me. Infirmus et in carcere eram, et non uisistis me. Tunc respondebunt ei et ipsi dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens, Amen dico uobis, quia diu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam. Stuporem plusquam expositionem postulat lectio ista. Cuius .n. cor non concutiatur, & contremiscat audiens haec, & ignoras, an ad dextram cui ouibus, an ad sinistram cum haedis sit collocandus? Lectio haec conclusio est ultimatimae interrogationis ab apostolis domino propositae. Tunc saeculum consummabitur reclusis iniquis in supplicium aeternum, & receptis iustis in vitam aeternam. Sedes porro maiestatis suae potestas eius iudiciaria est, qua uelut omnium dominus apparebit impiis, Iudeis, infidelibus, & ceteris omnibus gentibus, tunc iam in corpore subleuatus. Congregabuntur ante eum omnes gentes. Dicens omnes gentes subitanculum tollit quaerentium: an disceptatio haec & operum conquisitio habenda sit cum creditibus tantum, an cum infidelibus simul quoniam dominus ad Nicodemum dixit, Ioa. 3. Qui credit in eum non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est, quoniam non credit in nomine unigeniti filii Dei. Si igitur qui credit non iudicatur, & qui non credit iam iudicatus est, cum quibus agitur iudicium hoc? Porro praecedentia uerba hoc declarant, Ait, n. Non. n. misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum

K K K z (nam

(nam in primo aduentu non ad iudicandum venit) sed ut saluaret mundus per ipsum: nam ad patiendum & ad docendum venit. Qui credit in eum, non iudicatur, pro condemnato accipe, quia nulla est causa, si veram fidem habet, quæ est charitate formata: prout sæpe præscripsimus: Quotiens audis fidem semper accipe veram & viam. Testis est seu angelium hoc in quo continetur de operibus disceptatio, & ob defectum operum condemnatio, & pro bonis operibus æterna remuneratio. Qui autem non credit, iam iudicatus est: iam se-cum causam portat damnationis. Veruntamen in ultimo die sententia vtriusque & causa salutis horum, & damnationis illorum reddetur per iudicem, vt iusta retributio unicuique sit in æternum, atque omnibus nota & manifesta. Cum omnibus igitur disceptabit iudex, & operum conquisitio omnibus opponetur tam credentibus quam infidelibus. Veruntamen suboritur dubium, quare ab infidelibus simul cum damnandis fidelibus bonorum operum obicitur omisio: cum infideles sola infidelitate filii sint gehæne: ob hoc enim existimo, quoniam receptissima theologorum sententia est, omni facienti quod in se est Deum auxiliari: Proponuntque exemplum de nato in sylua cuius mater moriatur, & ille a fera laetetur (quemadmodum aiunt contigisse aliquando) hic finiatur secundum rationis directionem, & ab actore uitæ & omnium gubernatore auxilium postulet, fides ei reuelabitur per angelum uel per hominem eo aduectum: uel extractum a solitudine ad aliquem Christianorum populū deducatur: & quoniam isti infideles si orationibus & elemosynis & aliis operibus bonis uacassent, Deus illis uerum filium suum dominum nostrum Iesum Christum reuelaret, prout factum est centurioni Cornelio, Act. 10. cui apparuit angelus, & dixit ei: Orationes tuæ & elemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu domini. Et nunc mitte uiros in Ioppam, accersi Simonem quen-dam, qui cognominatur Petrus: hic dicit tibi, quid te oporteat facere. Similiter habetur de alio centurione, cuius dominus fidem laudauit, dicens: Non inueni tantam fidem in Israel, Luc. 7. At illi cum uenissent ad Iesum (videlicet seniores Iudæorum) rogabant eum sollicitè, dicentes ei: Quia dignus est, ut hoc illi præstes: Diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis. Propterea igitur infidelibus simul & fidelibus fide sine operibus habentibus pietatis opera obiciuntur, & cum omnibus reprobis de operibus misericordiam conquisitio est, quoniam si bonis uacassent operibus, dominus uerã illis fidem reuelasset. Cum autem audis: Venite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum a constitutione mundi: & iniquis dicitur: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Attende benedictionem datam a Deo, maledictionem uero a peccatis acceptam, quoniam illos dicit benedictos benedictione patris sui: damnandos aut maledictos non a patre, sed a quo tacetur, ut a sua praua uoluntate peccati maledicti esse censeantur. Cæterum quare non dicit bonis, quia recessistis a peccatis, & penitentiam habuistis, deinde, esuriui & dedistis mihi manducare, cum certum sit illos penitentiam egisse, nec reprobis dicitur, perseverastis in peccatis, nolulistis penitentiam agere, deinde esuriui, & non dedistis mihi manducare, sed tantum opera bona bonis proponuntur, malis autem mala obiciuntur. Ad horum uerborum domini intellectum oportet attendere, quid per illam uocem, benedicti, accipiatur, & quid illud uerbum, maledicti, importet. Ait namque beatus apostolus Paulus ad Ephes. 1. Benedictus Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Qui igitur benedictus

dicitur est penitentiam egit a peccatis, & est sanctus & immaculatus in conspectu eius, in charitate. Omnia hæc importat & significat, Venite benedicti patris mei, penitentes, sancti & immaculati, qui in charitate perseverastis. Tunc opera charitatis proponit, dicens: Esuriui, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere. De iniquis ait David psalmo, 118. Maledicti qui declinant a mandatis tuis. Ille qui peccat peccatum maledictus est, quoniam maledicti dæmonis seruus efficitur. Dicendo igitur, maledicti, perinde est ac si dicat, Non obseruastis mandata, penitentiam pro commissis sceleribus non egistis, in peccatis perseverastis, nec dedistis mihi manducare. Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Regnum a patre dicit paratum, & ignis etiam diabolo paratus est, cuius se homines male uiuendo participes faciunt. Vade etiam quanti faciat dominus in pauperes & afflictos collata solatia, quando cibum & potum, & uestem, & infirmorum & incarceratorum usitationem bonis in remunerationem proponit, & iniquis omisionem in damnationem improperat. Et ibunt, inquit, hi in supplicium æternum, nẽ cum errantibus aliquis suspicetur posse saluari aliquando, qui damnatus est in inferno, cuius æternum dicit supplicium, iusti autem in uitã æternam. Peccata autem omnium tunc manifesta erunt, sanctorum uero penitentia ac bonis operibus testis cernentur, unde & gloria Deo reddetur, nec illis peccata ita deleta erunt in obprobrium & confusionem, perinde est ac si dicat, Cæterum id aduertendum & nimis considerandum est, quemadmodum dominus omni tempore hæresum antidota præparans in euangelio, in præmissis ultimis (antequam pateretur) duabus parabolis de uirginibus & talentis manifeste ostendit, neminem saluari posse sine operibus charitatis. Ideo uirgines sine oleo quamquam uirgines, damnantur. Qui non operatus est in talento, in pœnas inferni mittitur exteriores. In iudicio autem omnis disceptatio de operibus est, & iustis ob bona opera retribuitur uitã æternã regnum, & damnatis omisio operum obicitur. Nemo igitur ex fatuis uelit esse uirginibus, fidẽ sine operibus prodesse cuiquam in uitam æternam, cum Lutheranus existimãt. Nemo talentum receptum piger seponat, operari nolens. Nemo sit qui his perceptis & animo consideratis non aperte iudicet dominum iam prope passio-nem ter opera commendasse, terque ostendisse exemplis, neminem sola fide saluari posse, sed charitate quæ operatur per fidem. Hanc enim habentibus dicitur: Venite benedicti patris mei, percipite regnum gratia Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum.

Amen.

TRACTATUS PRIMVS.
IN CAPITVLVM XXVI.
BEATI MATTHAEI.



E factū est cū consummasset Iesus sermones hos omnes: hoc est, postquam ad discipulorum tria quæ sita responsū dedisset de uastatione templi & Hierusalem, de signis aduentus eius, de signis consummationis sæculi: & præmonuisset duplici similitudine & discussione iudicii, non proficere ad salutem fidem solam sine charitate operante, uoluit summa etiam charitate opus redemptio nis nostræ suæ beatissima passione consummare, & dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur. Hoc dominicæ passionis mysterium nunquam a cordibus nostris deberet excidere. Quemadmodū & ipse semper præ oculis habēs, quæ pro nostra salute passurus erat, de hoc mysterio discipulos sepe instruit. Quod & beatus Paulus se protestatur fecisse, dicens 1. Cor. 1. Nos autē fidecamus Christū crucifixū. Et c. 2. Nō iudicauimus scire aliqd inter uos, nisi Iesum Christū, & hunc crucifixū. Et ad Galat. 6. Mihi autē abest gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Et paulo infra: Ego enim stigmata domini Iesu in corpore meo porto. Voluit & ipse dominus ut huius mysterii semper haberetur memoria, sanctissimi corporis & sanguinis sui sacramentum instituens pro salute nostra & memoria suæ beatissimæ passionis, dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Quod & beatus Paulus sic interpretatus est pri. Cor. 10. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem domini annūciabitis donec ueniat. Cum autem passione sua redemerit nos: & hæc sit fons medicinæ omnium peccatorum, quæ ad nos per sacramenta usque percurrit: Qui ægroti sumus, semper præ oculis medicamentum habere perquam utile est. Cæterum cum in passione sua beatissima petra scissæ sunt, terra tremuit, sol obscuratus est, uelum templi scissum est a summo usque deorsum, monumenta aperta sunt: consentaneum est, ut eandem nos passionem iugi meditatione recolamus, qua cor nostrum lapideum pœnitentiæ uera scindatur, terra corporis nostri tremore concutiatur, inter nos & Deum uelum tollatur, & semper illi pateat uoluntas nostra, & obscurato sole terrenorum desideriorum, crucifixus ipse Christus pro luce semper sit nobis. Ut autem ostendat sponte sua passum, totiens repetit passionis suæ mysterium, simul & peccatum crucifigentium, dolēs, quod sciat plurimos esse homines damnādos, uidelicet infideles ob incredulitatem, & fideles ob charitatis defectum. Quis quis enim mortis suæ diem certissimum sciret, sæpius recoleret & inculcaret. Dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet & filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Cum dicat post biduum pascha celebrādum, ostenditur feria tertia ante passionem hoc discipulis annuntiasse. Cum illis dicit pascha, ait Chryso. in memoriam reducit mysterium liberationis Iudæorum a seruitute Aegyptiorum, sanguine superliminare & utrunque domus postem intingit, quo recordetur

tur per eius beatissimam passionem a potestate diaboli liberari humanum genus, & sanguine eius a peccatis eripi. Fiet, inquit, & non erit secundum Origenem, quoniam fiet tale pascha quale ab initio institutionis eius, usque in hanc diem factum non est. Quando crux erit ara, agnus ipse Christus, qui peccata nostra ipse portauit super lignum crucis: cuius limore sanati sumus. Occiditur in cruce, manducatur in altari. Filium se hominis dicit, hoc est uirginis, ait Abulensis, quoniam homo est, nomen etiam mulieri aptum. Vel secundum Hieronymum filius dicitur, quoniam carnem sumpsit de Adam, non autē culpam, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, quinimmo per eum ab omni sumus redempti peccato. Tradetur ut crucifigatur, impersonaliter dicit tradetur, non dicens a quo: quādo a patre, a se, a dæmone, a Iuda, a Iudæis, & a Pilato est traditus, sed diuersimode. Proprio filio, inquit beatus apost. Paulus non peperit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Primo, ordinatione æterna. Secundo, donans animæ Christi tantam charitatem, quod pro nostra salute crucis patibulum ascenderit, & in illa obierit. Tertio, quia poterat se defendere, & non fecit, ut per eius mortem redimeretur humanum genus. An putas, dicebat dominus Petro, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquā duodecim legiones angelorum? unde apparet se dominum suam et uoluntate tradidisse. Oblatus est, quia ipse uoluit, inquit Efa. cap. 53. & non aperuit os suum. Mandatum. n. hoc habebat a patre, quemadmodum beatus apost. Paulus in sinuat ad Phil. 3. Factus obediēs, inquit, usque ad mortem, mortem autem crucis. Vbi quis ex obedientia opus iniunctū perficit, mandatum est. Et ipse dominus Ioa. 10. ait: Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam, & hoc mandatum accepi a patre meo. Et 13. inquit: Et sicut mandatum dedit mihi pater sic facio: Constat igitur immediatum habuisse præceptum moriendi dominum. Et illud quod dixit Pilato: Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati. Ad ueritati reddendum testimonium uenisse, non tollit immediatum habere præceptum moriendi, quando ad docendum & ad redimendum ex omni constat scriptura uenisse. Et ipse ait Petro: Calicem quem dedit mihi pater, non uis ut bibam illum? A patre igitur accepit calicem, accepit mandatum, quod summa cum obedientia moriens obseruauit. Dæmon illum tradidit. Et cum iam diabolus misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Scariothis, inquit beatus Ioan. cap. 13. Quod dicit Origenes fecisse timore amittendi quam exercebat in humanum genus tyrannidē, quā plures per doctrinā Christi conuertebantur a uitiis suis pessimis. Iudæi tradiderunt ex inuidia. Sciebant. n. Pilatus, quod per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Timentes. n. templi priuari prouentibus, neminē sibi æquare patiebantur. Odio igitur ex inuidia in dominum concepto, & cupiditatis malitia obæcati dominū tradiderunt. Procul pellantur hæc tria scelera, cupiditas scilicet, inuidia, odium, quā sufficientia sunt ad crucifigendum & perdendum omnem infontem & innocentem hominem. Pilatus autem timore mūdano dominum tradidit, postquā illi dixerunt principes sacerdotum: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis. n. qui se regem facit, contradicit Cæsari. Tunc siquidem Christū dñm in mortē tradidit. Cæterum Deus Iudæ, diaboli, Iudæorum, & Pilati prauis uoluntatibus suā adimpleuit bonam uoluntatem, generis humani redemptionē. Sic nāq; ait beatus Aug. Deus suas bonas uoluntates implet per malas hominum uoluntates. Sic patiuntur sæpe boni plurima aduersa a malis Deo. pū dente, quatenus sua bona uoluntas, quæ uult dare bono æternā uitā, adimpleat p̄ eiusdem hoīs inimici prauā uoluntatem. Nec mireris. Nam si alicui diceret

Deus

Mag. in 2.
dis. 20. & 1
pri. d. vii.
S. Tho. 3.
par. q. 47.

Deus: fac uas mihi utile ex argento, haud dubium quin mitteret iste argentum in fornacem ignis, ut uas conflaret. Malachia. 3. ait dominus: Sedebit conflans & emundans argentum. (Mali autem homines fornaces Dei sunt, in quibus ipse Deus quasi ignis conflans emundat argentum) & purgat filios Leui. Tunc ionibus, inquit ecclesia in hymno dedicationis templi, pressuris expoliti lapides, id est homines, suis coaptantur locis per manum artificis, Dei uidelicet: disponuntur permanfuri sacris ædificiis. Nos autem cum coarctamur à malis, ad Deum reuertimur experiētia teste. Nam si desit panis, donamus: si adsit tribulatio, uehementer dominum obsecramus. Si autem quis peccat, nulla est peccati consideratio. Quemadmodum paruus puerulus de cuius omni hæreditate licet lis pendeat, & ultima in illum proferatur sententia, nihil omnino curat: si uerò quod manu gestat pomum surripias, collachrymatur, & magnis clamoribus pomum sublatum reperit. Sic profecto & nos cum de æterna hæreditate lis pendeat, & ob peccata plurima iam contra nos sentētia sit prolata, nihil curamus: si uerò aliquid temporale nobis subtrahatur iam miserabiliter angustiamur, lachrymas fundimus, Deum oramus, sanctos inuocamus, hominifque interpellamus. Hæc præficiens dominus per malas hominum uoluntates bonam suam uoluntatem, qua uult homines saluos fieri, adimplet. *Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et seniores populi in arui principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphaz, et consilium fecerunt ut Iesum dolo tenerent, et occiderent. Dicebant autem, non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Alia est ista & ultima contra dominum conspiratio ab illa, quam refert beatus Ioa. ca. 11. Caiphaz dixit: Expedi uobis, ut unus moriatur homo pro populo. Tunc. n. dñs abiit in ciuitatem Ephrem iuxta desertum, à qua regressus, cū palmis & hymnis Hierosolymæ susceptus est. Hæc autem congregatio alia est quæ eadem uel sequenti die adunatur ad dominum capiendū & occidendū: in qua dominus dicit post biduum pascha fieri. Dolo ueruntamē capere dominum cupiunt propter turbam. Nolunt enim à sua opinione coram populo excidere: sed se iustos reddere exterius, omni dolo & malitia repleti interius. Timuerunt etiam turbam, ne furore in illos concepto perirent. Sed dominus qui uoluntarie uenerat in Hierusalem, sciens omnia quæ uentura erant super eum, uoluntarieq; patiebarur, nec turbam ad sui defensionē excitat, nec recedit ab Hierosolymis. Quod autem statuerat principes sacerdotes & seniores non occidere agnum in die festo, facere non potuerunt. Dicebant autem non in die festo. In ipso tamen die festo, nocte qua agnus immolabatur, dominum tenuerunt. Et die sequenti (quia iam nocte præcedenti agnum manducauerant) non introierunt in prætorium, inquit beatus Ioan. ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha, hoc est procederent in esum panis azyimi, quem per septē dies edere tenebantur. Et in ipsa die pasceus crucifixerunt dominum. Ipsi namque a Pilato petierunt corpora tolli, quoniam sequenti die sabbatum erat magnum. Sabbatum enim quod infra illos septem dies azyimorum occurrebat, præcipuum sabbatum erat inter omnia sabbata Iudæorum. Hic porro iam (quod à nobis aliquoties repetetur, in processu beatissimæ huius passionis domini) aduertendum est, dum per manus Iudæorum passio domini peragitur, & nihil eorum quæ prophetata & præfigurata sunt, omittunt ipsomet ostendere nobis illum esse uerum Messiam Dei filium nostrum redemptorem, dum illam quam suis manibus inferunt passionem, non aliter quam sit prophetatum, exercent. In die festo occidi dominum, quod liberaturus esset populum à peccatis figuratum est, quando dies illa erat celeberrima paschæ, Exo. 12. Dicebant autem non in die festo, at uero in die festo uerum agnū qui tollit peccata mundi suis manibus immolandum tradiderunt Pilato:

Pilato: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS,

In XXVI. cap. beati Matthæi.

Cum autem esset Iesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recubentis. Videntes autem discipuli indignati sunt, dicentes: Ut quid perditio hæc? Potuit enim unguentum istud uenundari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Iesus, ait illis. Quid molesti estis huic mulieri? Ipsi enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis uobiscum, me autem non semper habebitis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepelendum me fecit. Amen dico uobis, ubicumque pradicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius. Hoc quod beatus euangelista interponit de unctioe domini, contigit sabbato ante dominicam palmarum, secundum Ioa. cap. 12. Ante sex dies paschæ. Quod ideo in hunc locum spiritu sancto agente referuauit beatus Matthæus, similiter & Marcus, ut Iudæa prodicionem ex hac indignatione retexerent, qui uidens se fraudari hæc pecunia, triginta argenteis tradidit dominum. Hic Simon leprosus alter est ab illo, in cuius domum, ut Lucas refert cap. 7. mulier quæ erat in ciuitate peccatrix artulit alabastrum, & unxit domini pedes lachrymis prius lotos, & capillis extersit. Ille phariseus erat, at iste non phariseus dicitur sed leprosus. Non quod tunc haberet lepram: sed quoniam filius leprosi alicuius fuerat, unde illi tale cognomen redderit uulgus, uel forte ipse leprosus fuerat, sed quia a domino iam sanatus esset. Hæc coena secundum Ioan. agitur in Bethania, illud autem cõuiuium pharisei non in Bethania factum refert Lucas, sed in ciuitate: Mulier, inquit, quæ erat in ciuitate peccatrix. Verum enim uero & si isti Simones differunt, Maria utique eadem est, quæ tunc primo in domo pharisei Simonis ingressa, lachrymis rigauit domini pedes, & capillis capitis sui terxit & unxit unguento, quod in alabastrum uase secum detulerat, & quæ modo unxit domini pedes & caput, & de qua refert Marcus septem dæmonia dominum eiecisse, dicens: Surgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua eiecerat septem dæmonia. Hæc est Lazari & Marthæ soror: quæ uel uitiis plena secundum beatum Gregorium dicitur habuisse septem dæmonia, hoc est septem uitia capitalia: uel a septem dæmonibus obfessa ob peccatorum multitudinē. Non enim est uerisimile tres uel duas Marias dicere, quando secundum sacri euangelii contextum, una eademque si recte inspicitur apparet. Beatus namque Ioan. capi. 12. cenam hæc Bethanie referens, & de more omnes circumstantias explicans, ait: Martha ministra bat, in domo uidelicet Simonis leprosi. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pisticæ pretiosæ, & unxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis, & domus impleta est ex odore unguenti. Refert autem beatus Matth. & Marcus effudisse unguentum pretiosum. Marcus uero ait ad maiorem notitiã nardi spicati pretiosi. Habemus ergo unguentum ex tribus euangelistis. A beato autem Ioanne pedes unxisse, quod intelligendum est prius, & postea ex beatis Matthæo & Marco adduxisse alabastrum, & effudisse super caput Iesu, quod supererat ipsius unguenti. Hoc dixit beatus Ioan. fecisse Mariam sororem Marthæ & Lazari. Quoniam prius dixit Lazarum esse unum ex discumbentibus, Martham autem ministrare, Mariam uero domini unxisse pedes. Porro in

precedenti cap. II. enarrans beatus Ioannes Lazari suscitacionem mirabilem, sic texit miraculum: Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororum eius. Maria autem erat, quæ vnxit dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis. Hoc autem adhuc non fecerat altera Maria, nec altera mulier, quæ in toto referatur euangelio præter illam, quæ erat in ciuitate peccatrix. Nec modo beatus Ioan. narraret prius factum, quod Mariæ postea fecit per plures dies, nisi ea esset mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix. Iam enim prius pedes domini vnxit vnguento, & capillis capitis sui terfit. Ex quo satis elicitur, quòd vna eademq; mulier est, Maria scilicet Magdalena Lazari & Marthæ soror, & quæ conuersa prius in ciuitate in domo Simonis pharisæi pedes domini vnxit, vt tradit Luc. cap. 7. & quæ hoc iterum fecit in Bethania instante domini passione, cuius etiam caput fracto alabastro vnguento perfudit. Hæc Marcus refert primam resurrectionis ex discipulis testem. Quin & sancta ecclesia in hunc sumpsit sensum Mariam hanc quando in officio missæ orationem refert Mariæ Magdalene, Lazari, & Marthæ fororis: & consequenter euangelium cantat de muliere, quæ erat in ciuitate peccatrix: & quæ in conuersione domini pedes vberrimis rigauit lachrymis, & capillis terfit, vnguentoq; vnxit. Videntes autem discipuli indignati sunt, dicentes: Vt quid perditio hæc? Hoc dicit beatus Ioan. capit. 12. Iudam dixisse tantum: Quoniam ille prior detrahere operi pietissimo cœpit: deinde cæteri discipuli eius sequuti sunt verbum, existimantes illum pauperum misericordia motum id dixisse: quod ille fecit dolens, eo quòd non venderetur vnguentum, vt eius ad manus pecuniæ deueniret, quia fur erat: Exemplum datur quantum pro uocet ad malum bonos, vel vnus peruersus familiaris. Quoniam autem detraherant, quod perdebat vnguentum, & pauperes frustrabantur, id sciens Iesus ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. Non ergo perditio est cum sit opus bonum. Notat Origenes in me, quoniam aliqua bona suant extra Christum, alia bona ad pedes Christi. Ad caput autem dicitur in me. Cum infidelis subuenit indigenti, & cætera bona facit extra Christum, non habet meritum: ac prodesse ad aliud poterit, non tamen ad uitam æternam. Fidelis autem habens charitatem, si distribuat facultates suas in cibos pauperum, qui sunt domini pedes, ad uitam æternam prodest. Super caput autem effunditur vnguentum, cum fidelis amore ipsius Christi quadam contemplatione feruenti, & desiderio in ipsum euectus, nihil aliud cogitat, quàm ut totus illi vnatur: hoc autem est opus capitis. Simile est quod beatus Augustinus dicit de fide: Credere Deum, est credere quòd sit Deus: credere Deo, est credere verbis Dei, pedes Christi tenes: credere in Deum, est fidè habere charitate formatam, qua capiti coniungaris. Quod autem hæc in egenos largitio non æque fuerit meritoria, atque in Christum effusa, dicit: Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Ecce habemus hæreticos peruersos detrahentes altarium ornatui, & ecclesiarum adificationi. Multo enim melius opus perfecit Maria vnguentum hoc effundens in Christum, quàm si daretur egenis. Erant & Romæ non pauca: virgines inopes viro mature plurimiq; egeni, quando Liberio summo pontifice Ioannes patricius diues a Deipara virgine assiduis precibus contendeat, vt quem sibi potissimum suarum opum heredem eligeret, indicaret: cui apparet ipsa beatissima virgo nocte Nonarum Augusti, quo potissimum tempore æstus ardoribus vrbs infestatur, præcepit vt templum sibi erigeret apud montem Esquilias ea parte quæ niue conspersa esset, quod & ipse fecit. Idque tunc inter alia pietatis opera vt pietissimum diuino nutu eligitur. Quod si dicant fuisse figuram

guram: multo præstantius figuratum oportet esse & pretiosius ipsa figura. Locum etiam dominus ad celebrandum sui corporis & sanguinis diuinum sacramentum elegit magnum & strarum: & illis inquit discipulis, parate nobis. Pauperes enim semper habebitis vobiscum, quos satis prelati commendat, præfatus iam reddituum ecclesiarum. Namq; hoc apostolis de egenis dicitur, quorum in locum episcopi suffecti sunt. Nec quisquam excusetur si egeni aliquando peccatores sunt. Tu fac quod tibi dominus dicit, semper tecum pauperes habe, curam illorum non deseras vnquam, nec negligas eorum animarum salutem. Constitue illis parochiam, in qua se stituis diebus missis intersint, peccata confiteantur, & domini corpus suscipiant, quando ecclesia præcipit. Sepe enim contigit, animarum quorundam nulli curam esse, quod præter alios multos notanter de illis circulatoribus & nebulonibus dixi, qui se apud nos Aegyptianos simulant, quibus adeo est incerta vita, vt nec si sint baptizati quis nouerit: Nec si missæ sacrificio adsint, si confiteantur semel in anno, & domini corpus suscipiant vlla alicui cura est. Si matrimonia contrahunt cum his, quibus sui similes affociantur mulierculis nemo scit: & non est prelati nec rex qui ad hæc attendat, cum ipsi attendant continuo ocio & latrocinis. *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Quod habuit hæc inquit beatus Marcus: fecit quod potuit. Attendant qui obnoxij sunt restitutionibus & concubinarij, vt faciant totum id quod possunt, vt se eximant a peccato, ablata conuersione, vel nutato loco, vel matrimonio seu religioni tradentes se, vel illi cui tenentur reddentes, & a se proicientes quæ restitui debent: & quod ualet restituat, si totum continuo non potest. Inuigilent ad hæc confessarij, nam si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Hæc quod habuit fecit, in sepulturam fecit, vnusquisque autem quod poterit in obsequium Christi faciat. Nam dominus Esa. 5. ait, quid amplius debui facere vinee mee & non feci. Sic a nobis exigitur quæcunq; bona facere possumus, si non fecerimus. Ieiunemus quoad possumus, oremus quoad possumus, pauperibus subueniamus, quoad possumus. Quod dicit ad sepeliendum, non ad delicias, sed ad mortem fecit: denotans vnctionem sepulture suæ & vltra non ege re eius subuentione. Et nos in mortem vnguenta bonorum operum effundamus ad pedes & ad caput Iesu. Amen dico vobis vbicumque prædicatum fuerit euangelium hoc in toto mundo, dicetur quod hæc fecit in memoriam. In memoriam euangelij, id est, boni nuntij quòd mortuus est Christus propter delicta nostra, & redemit nos a peccatis nostris in sanguine suo: uel in memoriam eiusdem mulieris pietissime, cuius opus suscepit benignissime Christus: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in eternum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS

IN XXVI. cap. beati Matthij.

Tunc abiit vnus de duodecim qui dicebatur Iudas Scarioth, ad principes sacerdotum, et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebatur opportunitatem ut eum traderet. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Vbi vis parerem tibi comedere pascha? At Iesus dixit. Petro & Ioanni, ait Luc. Ite in ciuitatem ad quendam, et dicite ei: Magister dicit, tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, et parauerunt pascha: Et tunc hæc audiens non perhorrescat, & considerans non con-

tremiscat: Vnus de duodecim abiit à euangelista, qui prædicauit, qui miracula in nomine Iesu fecit: Si esset extraneus, si phariseus si Sadduceus si ex septuaginta discipulis non utique ad eò mirandum esset. At qui unus de duodecim hic est proditor, hic tradit magistrum, hic uendit. Non igitur quis incuset reges, prælatos, religiones, cum ex suis aliquod prodierit monstrum. Duodecim erant homines in societatem filii Dei asciti, & continua familiaritate coniuncti, & unus ex eis diabolus est. O cæci sacerdotum principes cur non perditis scripturas? & ex illis ipsisquæ propriis manibus in saluatoris necem retexitis, non agnoscitis ipsum esse uerum uestrum Messiam, uerum Dei filium omnium redemptorem: de quo uaticinatus est Dauid, quod à conuictore tradendus sit: dicens psal. 54. Quoniam si inimicus meus male dixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui oderat me, magna locutus fuisset, abscondissem me forsità ab eo. Tu uero homo unanims, dux meus & norus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Et iterum psal. 40. Etenim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantatione. Pretium autem cur non uel mi aueritis, uel aueritis? Qui non uidetis scripturam uaticinantem per Zachariam: Triginta argenteis futuram traditionem Messia? Qui cap. 11. ait: Et appendebunt mercedem meam triginta argenteos, decorum pretium, quo appetitiatus sum ab eis. Vendidit igitur Iudas uitam, uiam, & ueritatem. Ego, inquit dominus, sum uia, ueritas, & uita. Veritas etiam nunc in seculo nostro uendita est, non alicubi comparat, licet ualde sit necessaria ad regimen totius orbis. Tolle ueritatem, nulla erit iustitia. Tolle ueritatem, nullum erit commercium. Tolle ueritatem, omnem ciuitatem, corrupti. Tolle ueritatem omnem reipublicam perdidisti. Siquidem ueritate sublada, & qui spondit non præstat, & qui iurat, non facit, & qui uendit, mentitur, & qui iudicat, personas accipit, & qui mentitur, deficientem mensuram tribuit. Nimis ergo a Deo dilecta ueritas. Ecce enim, inquit psal. 50. ueritatem dilexisti, incerta & occulta sapientie tue manifestasti mihi. Hæc apud Deum absoluit, quæ aliquando hominum iudicia damnant. Si quis hominem interfecit, si aliena rapuit, statim ut fatetur crimen, suspenditur. Si negat nec adsint criminis testes, absoluitur. Deus uerò, si coram illo neget, damnaberis, si peccata simul & omnes circumstantias aggrauantes uerè confitearis, absolueris. Absolutionem omnium peccatorum præstat ueritas, donat etiam & uitam. Nam cum Esaias propheta à Deo missus de nunciaret regi Ezechie: Dispone domui tue, quia morieris tu & non uives. 4. Reg. 20. conuertit faciem suam ad parietem Ezechias, & orauit dicens: Obsecro domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in ueritate, & corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. Veritatem quidem Deo prius obiecit, sciens illam coram ipso esse pretiosam, & quindecim uitæ obtinuit annos. Cæterum quatuor adiuuicem uirtutes concatenantur. Iustitiam pax amplectatur. Rex iustus pax in regno. Misericordia & ueritas similiter, homo uerax misericordiam consequitur. Sic enim ait Dauid psal. 84. Misericordia & ueritas obuiauicunt sibi, iustitia & pax osculatae sunt. Propter quod, inquit beatus apostolus Paulus, deponentes mendacium, loqui mini ueritatem, unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra, ad Eph. 4. Accommodatissima similitudine suadet ueritatem apostolus. Membra enim corporis nunquam adiuuicem mentiuntur: pes adiuuat, quo ad potest, corpus, manus omnibus deseruit, oculus quo dirigantur omnia prospicit, auris omnia quæ dicuntur aduertit. Cum igitur omnes simus inuicem membra huius corporis, ecclesie scilicet, cuius caput est Christus dñs, ueritatem opere-

mur,

mur, ac semper in omnibus illam sectemur. Vendidit igitur Iudas ueritatem. At illi constituerunt ei triginta argenteos, cum illum uiderent tanta inuercundia se obtulisse. Auaro igitur & proditori paruam offerunt summam. Et exinde quærebatur oportunitatem ut eum traderet. Addit beatus Lucas, sine turbis. Notandi sunt qui proximis detrahunt: cum hi sine testibus idoneis omni exceptione maioribus credendi non sint, alias totus confunderetur orbis. Qui cito credunt principes, attendant. Nam qui cito credit, inquit Salomon, leuis est corde. Et sermè uix reperitur, qui uelit turba præsentè quæpiam arguere. omnia in tenebris negociatur maleuoli detractores sine turbis. *Prima autem azymorum accesserant discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi uis paremus tibi comedere pascha?* Ex his uerbis ostenditur, dominum agnum paschalem feria quinta, luna quarta decima secundum legem Exo. 12. manducasse: quoniam dicit euangelista prima die azymorum. Prima dies azymorum quarta decima luna est secundum legem primi mensis, Marcii uidelicet, qui secundum Habreos primus est in mensibus anni: Quod autem beatus Ioannes capit. 13. ait: Ante diem festum pasche. Et feria sexta ipsi non introierunt in prætorium ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha. Septem diebus azyma manducabant, totidemque diebus festum celeberrimum paschæ durabat. Ideo ait: Ut non contaminarentur, introeuntes in domum hominis infidelis. Nec enim se exillimabat contaminatos occisione innocentissimi Christi falsis accusationibus, quod do minus illis improcrauerat, dicens, colantes culicem, deglutientes camelum. Ante diem festum paschæ, dixit Ioannes quoniam festum paschæ in uespera incipiens à die sequenti denominabatur. Sic enim legimus Exo. 12. de immolatione agni paschalis. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculos. Immolabitque uniuersa multitudo filiorum ad uesperam utique paschæ. Sic beat. Tho. in horariis precipis diuine eucharistie ait: Immolabit hædum multitudinem filiorum Israel ad uesperam paschæ. Cum igitur dies sequens pascha diceretur, quantum uespera iam incipiebat, beat. Ioann. in rigore diem paschæ accipiens, feriam quintam in nocte dixit: Ante diem festum paschæ. Consecuitque ecclesia quamquam altera dies sit pascha, iam in sabbato sancto pascha dicere, quæ sequens tamen dies est. Hinc rigorem secutus est beat. Ioan. Agnus uespere immolabatur: quæ uespera iam dicebatur pascha. Sic & beatus Ioa. Chrysost. intelligit, cui uni ex græcorum doctorum precipuis indocta græcorum opinio qui oppositum contendunt minime placet. Nec nos prætereat quod oportet expurgare uetus fermentum, secundum doctrinam beat. Pau. Ap. ad Cor. 1. ca. 5. ut simus noua conspersio, sicut stumus azymi. Etenim pascha nostrum, inquit, immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento ueteri, nec in fermento malitie & nequitie, sed in azymis sinceritatis & ueritatis. Cui discipuli à domino quæruunt, ubi uelit pascha manducare, insinuant principes quæ tumcunque iustos, bona quæ facturi sunt in memoriam suis reducere. Quod autem dominus secundum Marcum & Luc. dedit signum hominis baiulatis amphoram aquæ, ostendit aquam legis mutandam in uinum euangelii, quod fuit initium signorum Iesus in Cana Galilææ. Origenes notat miscendam aquam legis cum uino euangelii, si quidem ex lege & prophetis ostenditur in euangelio dñm illum esse, de quo omnia scripta & figurata sunt. *Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis.* Hoc semper habere præ oculis nobis ualde necessarium est, tempus uidelicet nostrum prope esse. Cum. n. nescimus diem nec horam, satis nobis prope tempus est. Qui enim tempus non curat, & dominus uocat, aduersus eum est tempus, iuxta illud Hieremix: cum nollet tempus curare Iudæi, uocauit Deus tempus aduersus illos, Threno-

Thronorum cap. pri. Vocauit aduersum me tempus, ut contereret electos meos. Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha. Nihil nos aliud faciamus, quam quod constituit nobis dominus. Filii etiam regum pri mogeniti, quod pater illis constituit, faciant, nec aliam uelint regulam obseruari, ne suis & iuuenum obsequantur concupiscentiis. Faciant quemadmodum & discipuli domini, qui fecerunt sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha. Siquidem obedientia paratur pascha illius, qui obedientia patris seipsum immolari uoluit pro delictis hominum, & Deo patri in sacrificio offerri. Discipuli parant pascha agni legalis, dominus celebrat pascha, quod in æternum permanebit, nobis in ultima cœna se dans in cibum, & moriens in cruce in redemptionis pretium, daturus se etiam in cœlo nobis in præmium: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUARTVS.

In XXVI. cap. beati Matthæi.

VESPERE autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et edenibus illis, dixit: Amen dico uobis, quia unus uestrum me traditurus est. Semper beatos apostoles secum discumbere permisit dominus, & pauit communi cibo, dñe tri buens illis ubique humilitatis exemplum, in superborum hominum confusione. Cui autem agnus paschalis figura esset a sua prima institutione ad illud tempus ueri illius agni immaculati, qui nunc cum discipulis manducatur: seque sciret paulo post capendum, & die sequenti immolandum: simul & considerans huius immolationis traditionem a discipulo simul edente fieri, edentibus illis dixit: Amen dico uobis, quia unus uestrum me traditurus est. Quanta cordis mœstitia id dominus manifestat, dolens perire discipulum, uerbis exprimi (ut par est) non potest. Et contristati ualde ceperunt singuli dicere: Nunquid ego sum domine? Inuerecundus adhuc tacet Iudas, qui statim & ipse etiã quasi innocens dicit: Nunquid ego sum Rabbi. Nimis contristantur discipuli cum audiunt proditorem esse unum ex ipsis. Nec aliud est de quo possit quisquam uerè triftari, quàm de commissis peccatis: præcipue si adsit proditio. Quod si hoc scelus nimis in proximum est detestabile, in Dei filium quantæ grauitatis existimabitur? Pessimus iste Iudas, indignus qui uocetur homo, atque omni truculentior fera, nec domini uerbis terretur, nec dolet, nec lachrymatur, nec tantillum aliquod uestigium exhibet commissi sceleris pœnitudinis. Confide remus igitur homines quantis deformamur omni hora delictis, in quot proni crimina ruimus, nisi manu domini misericorditer teneremur. Inquit beatus Augustinus: Non est peccatum quod fecit homo, quod non faceret alter homo, nisi teneretur a rectore, a quo conditus est homo. Attendamus etiam in quantum deueniat malorum barathrum hominis peruersa uoluntas, quã nec Christi societas filii Dei, nec amoris inditia, & cœnitiuus assiduus, tandem nec comminatio ab incepto diuellunt seclere. Beati illi uiri pauperes, sancti, mites, fideles, simplices uelut columbæ, pauidi, & trementes domini uocem, singuli, opinor, non sine singultu & lachrymis a dilectissimo magistro quærebant: Nunquid ego sum domine? Et cum ipsos inculpabiles omnium conscientia redderet, nihilominus territi dominum percontantur: Nunquid ego sum domine? At ipse respondens, ait: Qui inuincit mecum manum in paropside, hic me trahet. Non uult dominus peccatum occultum omnibus manifestare. Exemplum

plum nobis magnum & doctrinam præbens, ut secreta tegamus crimina, quoad possumus: ne persona palam fiat. Nam ut possit dici pluribus, oportet præcedat fraterna correctio, de qua supra diximus capit. 18. cum omnibus circumstantiis illic perscriptis. *Filius quidem hominis uadit, sicut scriptum est de illo.* Attentis reddit apostolos ex scriptura scriptura sacra, quàm aduertentes post aduentum Spiritus sancti possunt Iudæos confundere. Quemadmodum & beatus apostolus Paulus cum primum conuersus est, confundebat Iudæos qui habitabant Damascum, affirmans: quoniam hic est Christus. In omni Christi domini actu eius præluet diuinitas. Cæterum in passione, in qua Iudæi uoluerunt eius nomen de terra tollere, prout Sapientia dicere illos protestatur: Et nomen eius non memoretur amplius, palam ostenditur & diuinitas, & illum esse uerum Messiam: cum hæc omnia illi irrogent impii Iudæi, & propriis adimpleant manibus, quæ scripta sunt de morte Christi, quem expectabant. *Filius quidem hominis uadit,* recedit siquidem ab hac uita humana secundum quod definitum est à Deo, ab initio mundi ænigmatibus, & prophetarum oraculis reuelatum: ne quis in eo quod obscurum uidetur in passione, obruat tenebis ignorantia: quinimmo in eo quod patitur, agnoscat hunc illum esse Dei filium Messiam in lege promissum, quem huiuscemodi morte a Iudæis damnandum, Deus ipse iam olim per prophetas suos manifestissimis uerbis & exemplis ostenderat. *Ua autem homini illi, per quem filius hominis traditur.* Iam terret Iudam, ne ad eum reuocandum, & eius salutem querendam quicquam intactum relinquat. Qui non tantum illum inter homines infelicitissimum asserit, quin etiam aliud inauditum, neque usquam pharisæis impropertatum superaddit, dicens: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Facile exponitur: ne ubi non est questio, questionem queramus. Cui esse si boni, quod & Deus in ipso Iuda & dånatis cõseruat, quo modo boni erat ei, si natus non fuisset? Non utiq; ait dominus si minime fuisset. Nam esse, & rationem esse quoddam est bonum, sed ait: si natus non fuisset, hoc est in lucẽ editus. Quemadmodum & Iob dicebat: Fuisset quasi non essem de utero trãfatus ad tumulum, per abortum scilicet. Bonum igitur erat ei, si egressus utero per abortum ad tumulum transferretur. Nec sic cor Iudæ deterretur: sed eum dominum cerneret, talem in proditorem sententiam ferre, uoluit se ostendere quemadmodum & cæteri innocentem. *Respondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.* Verbum est nec affirmantis nec negantis, sed sententiam suspendentis, & relinquentis eam in mente interrogantis. Cum igitur pessimus mercator Iudas sciret se pacto denariorum triginta traditurum dominum, & conscientia teste nihil negare posset, obmutuit, nec emendatur. *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem,* hoc est ad mensam adhuc recumbentibus iamq; de more agno paschali manducaro cæterisque peractis ceremonijs, & lotis, quod Ioannes refert, eorum pedibus, ne vlla pulueris reliquia remaneret, ut quanta sit puritate corpus domini sumendum ostendat, *benedixit.* Quæ hæc fuerit benedictio non traditur: non utique illa est, qua nos omnia benedicimus crucis dominici signo, cum adhuc crucis patibulum sanctificatum non esset, sed alia benedictio nobis ignota benedixit. Quam miraculum ex quinque panibus fecit, ut Matthæus refert capit. 14. & Marc. 6. & Luc. 9. oculos in cœlum leuauit, & benedixit, & fregit: quod sic etiam censendum est in hoc miraculorum ab eo factorum secundum beatum Thomam maximo, oculos in cœlum leuasse. Gratiã egit, inquit etiam Lucas, similiter & hic beatus

tuus Matthæus, cum calicem dedisset. Benedixit ergo ac fregit, particulas fecit, deditque discipulis suis, & ait. Accipite & comedite. Attentiores illos reddidit, rot post cœnam & pedum lotionem cœroniis habitis, ne panem existiment, sed corpus eius uerum sub panis speciebus uerissime credant. Accipite, inquit, & comedite, hoc est corpus meum. Hoc quod trado, uerum est meum corpus, non iam hic panis, non iam similitudinis substantia, sed corpus meum est. Non est quid hic cauillet hæreticus, cui non profuit dicere: Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Dominus enim sapientia patris, si aliud in sacramento contineretur, utique diceret: Hic designatur corpus meum esse: uel, in hoc pane continetur corpus meum: uel, panis iste significat corpus meum. Ipse namque omni alia uerborum forma seclusa, ait: Hoc est corpus meum. Ac uere sic est, quemadmodum ueritas dicit: Hoc est corpus meum, uere & realiter contentum in sacramento sanctissimo. Nihil ibi de substantia panis, tantum accidentia manent, quæ sensibus percipiuntur. Vera autem & irrefragabili fide: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Non ait, unum hoc significat sanguinem meum, sed hic est sanguis meus uerus, ille qui die crastina pro multis effundetur in remissionem peccatorum, & si pro omnibus sufficienter, tantum de illis dixit, quorum peccata per sanguinem eius remissionem efficaciter sua gratia consequuntur. Dico enim uobis, non bibam a modo de hoc genimine uitis usque in diem illud, cum illud bibam uobiscum nouum in regno patris mei. Hoc de genimine uitis beatus Lucas refert dominum dixisse ante calicis consecrationem, cum adhuc uinum biberent. Videtur autem quod Matthæus & Marcus postposuere hoc uerbum domini. Quod & beatus apostolus Paulus pri. Corin. 11. refert, secundum Lucam dicens: Similiter & calicem postquam cœnauit, nihil ibi de genimine uitis loquens. Cœterum quocumque ponatur loco, dominus protestatur amplius non manducaturum aut bibiturum cum eis, donec a mortuis resurgat: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUINTVS,

In XXVI. cap. beati Matthæi.

Ex hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. Tunc dicit illis Iesus. Omnes uos scandalum patimini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percuriam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam uos in Galileam. Respondens autem Petrus, ait illi. Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus canat, ter me negabis. Ait illi Petrus. Etiam si oportuerit me mori tecum, non tenebo. Similiter & omnes discipuli dixerunt. Hymnus secundum beatum August. in præfatione psal. 72. & Isidorum lib. Etymologiarum cap. 34. tria comprehendit. Primum ut dicatur hymnus, oportet quod sit laus: secundo, quod sit Dei; tertio, quod sonora & uoce alta proferatur cantando. Vnde cum beatus etiam Marcus idem repetat: & hymno dicto, uidetur uel in cantu uel sonora & alta uoce laudes reddidisse Christus dominus post cœnam, in qua sui corporis & sanguinis instituerat sacramentum. Quo nuti confunduntur hæretici, qui calumniantur cantus ecclesiæ & hymnicas laudes. Scandalum passus sunt discipuli

discipuli fugientes, deficientesque à fide, & Petrus negando dominum: ueruntamen nullo modo hæretici dicendi sunt. Quoniam fidem diuinitatis à qua deciderunt uidentes crucifixum dominum, resurgentem recuperauerunt, mortaliter tamen peccauerunt; cum totiens dominus illis futuram passionem & resurrectionem repetisset. Dubitando de diuinitate & corporis resurrectione, à fide diuinitatis in passione apostoli defecerunt, Abulen. cap. 16. quest. 38. & in introductione in Matthæum quest. 11. quod denotat Thomas apostolus, Ioan. 20. dicens: Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Item beatus Lucas tradit cap. 24. de omnibus non credentibus mulieribus: Et neque illis, inquit, crediderunt. Item sanctus Anton. pri. parte historiali, titu. 5. capit. 6. §. 4. non tamen pertinaciter adhaerent. Nam cum dominus Petrum respexisset, fleuit amare: cæteri uero uidentes eum resurrexisse, crediderunt, ideo hæretici minime dicendi sunt quin immo hæreticum esset hoc dicere de beatis apostolis. Quod autem dicitur, dubius in fide infidelis est, accipiendum censeo, si in dubitatione obstinatus persistit. Infirmi scandalizantur, uir perfectus non scandalizatur, omniaque in bonam reducit partem, etiam si persecutionem ipse patiatur. Gratias domino agit, ob tantum bonum, quod ex tribulationibus oritur. Primum enim omnis in hac uita tribulatio mitissima poena est, si cum futuræ uitæ poenis conferatur. Insuper tribulatio huius seculi habet terminum suum, non diu durat, quoniam uel deficiunt persecutores, uel decedit persecutus, uel conuertitur persecutor. Postremo autem his temporalibus poenis purgatur homo à peccatis, quod magnum est bonum. Itaque boni nec scandalizantur de poenis alienis neque de suis, nec etiam de quocumque peccato proximi, quoniam non ideo peccant, existimantque illi nunc peccare & die sequenti posse resurgere, ac plures posse habere uirtutes quam ipsi simulque considerant, nisi dominus illis suam præstaret gratiam, grauiora quam in aliis uidet posse peccata committere. Discipulis autem adhuc non plene perfectis dicitur: Omnes uos scandalizati in me, peccantes in dubitatione diuinitatis meæ, cum me uideatis captum, illulum, & in cruce mori: in ista, inquit, nocte. Nam qui ambulat in tenebris, dicit dominus Ioan. 12. nescit quo uadat. Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ uos comprehendant: resurgente domino nox præcessit. Non ergo offendamus. Non enim decet impingere in diuitiis, quando promittuntur æternæ. Quæ erant in caligine gætes terrena quærebant, nos autem quibus lumen resurgit euangelicum quæramus cœlestia. Sicut ergo in die, inquit beatus apostolus Paul. ad Rom. 13. honeste ambulemus: non impingentes in diuitiis, non offendentes in carnis delitiis. In ista, inquit Christus, nocte scandalum patiemini. Adueniente autem die clarissima resurrectionis, et fugatis tenebris caliginosæ Iudeorum persecutionis, si dem recuperauerunt beati apostoli: quam immobilem usque ad mortem semper retinentes pro eadem occubuerunt. Adimpleta siquidem est propheta Zacha. cap. 13. Percute pastorem & dispergentur oues. Vulnérato enim pastore oues periclitantur. Hoc tentationis genere nostris temporibus Dæmon oues dispergit. Vulnérat capita, dissoluuntur membra, pastores percutit, dispergentur oues. Si odio ad inuicem se prosequantur Christiani principes, & bellicis iactentur, quanta miserabiliu turba militum ad inferna descendet. Si Pastores ecclesiæ cupiditas uulnerauerit, oues quoque uelut inimicus disperget. Occupato namque pastore in cœgregadibus diuitiis, occupatur Dæmon in separandis à Christi ouilibus. Quæto ille maiori cura terrena cœgregat, tãto uehemèntiori studio Dæmon à grege aufert cœlestia. Quapropter nimis oportet, ut Christianorum capita à peccatorum uulneribus seipfos protegât, scientes nõ tantum sibi

Situs corporis i oratione utilitatis.

catis tristitia meritum consequatur. *Sustinete hic, & uigilate mecum*. Quos eligo in eorum quæ cernitis testes. Et progressus pusillum, quantum iactus est lapidis, inquit beatus Luc. procidit in faciem suam, orans & dicens: Non ergo nobis improprie impii homines gestus & motus orantium, cum dominus in faciem suam procumbit, & totus prostratus in terram orat. Beat. apost. Paulus pri. Timot. 2. Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione. Et ad Eph. 3. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Christi. Beatus Stephanus flectis genibus orauit pro persecutoribus, Actuum capit. 7. Et Petrus suscitaturus Thabitam, Actuum 9. ponens genua orauit. Et Actuum 20. beatus Paul. positus genibus suis orauit cum omnibus illis. Habemus ergo flectentes genua apostolos, ac manus leuare orantibus suadentes, dominumque procumbentem super faciem suam. Quod doctissime & deuotissime accipiens beat. Tho. ait, quoniam corporis hæc humiliatio & dispositio ipsam deuotius excitat ad orandum mentem. *Pater mi*, inquit sic prostratus in faciem suam dominus, *si possibile est, transferat a me calix iste. Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu*. Pro huius orationis domini perpeticua intelligentia memorandum est, in domino Iesu duplicem esse uoluntatem: unam Dei, alteram hominis. Voluntas hominis tripliciter distinguitur, unam licet, eo quod actum habeat triplicem. In eo quod se rationi conformat, uoluntas rationis dicitur. In eo quod uult sui conseruationem & procul pellere omnem læsionem, dicitur uoluntas naturæ. Quando autem tristatur ob dolorem capitis seu alterius cuiusque membri, dicitur uoluntas sensibilis. Contingit autem in re necessaria uoluntatem duplicem habere actum. Si enim alicui abscindendum sit membrum pro salute corporis: uoluntas naturæ, cuius officium est omnia conseruare membra, nollit abscindi membrum: sed prout est uoluntas rationis, exoptulat, siquidem ratio pro toto saluando corpore unum nociuum membrum secari uolet. Dominus enim cum secundum partem superiorem esset ab instanti sacratissime suæ cœceptionis beatus, quo ad partem inferiorem passibilis erat. Nec gloria partis superioris redundabat in inferiorem. Ideo dixit: Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me? hoc est, cur partem inferiorem sic pati uis, absque ullo superioris partis subleuamine? nec similiter inferioris partis poena ascendebat ad superiorem. Pars ergo inferior agebat secundum suam naturam, dolens & mœlitiæ habens, secundum rationem tamen regulata. Nec enim tristitia in Christum obruperat, quemadmodum in nos consueuit, sed illum Christus ferebat pro omnium nostrorum salute. Voluntas igitur ut natura sui conseruationem uolebat, & secundum hanc orabat: *Pater*, si possibile est transferat a me calix iste. Secundum autem uoluntatem rationis, qua uolebat pro totius generis humani salute mori: quæ quidem conformis diuinæ erat uoluntati, dicebat: Igitur non mea uoluntas, scilicet ut natura, sed tua fiat. Non quod ego uolo secundum uoluntatem naturæ, sed quod tu uis: quod simul & ego uolo secundum rationis uoluntatem. Nec istæ uolitiones dicuntur contrariæ, quâdo diuersis ex causis iustis unaquæque uolitionis suam gerit officium, & una est eadem semper uoluntatis potentia, a qua procedunt diuersi effectus. Aequum enim est innocentissimæ naturæ Christi conseruationem optare: summæ charitatis est uelle pro salute hominum mori, propterea ita orat, & ter orat. Neque prætereundum quod in faciem procumbens orat, hinc docens nos, ut ea quæ retro sunt obliuiscens in anteriora progrediamur. Contigit namque quosdam habere dorsum ad lumen, quemadmodum de se confitetur beatus August. 4. confessionum, dicens: Dorsum habebam ad lumen, & ad ea quæ illumi-

illuminant faciem, unde facies ipsa mea, qua illuminata cernebam, non illuminabatur. Hoc notatur ob illos, qui ea quæ tenentur facere non faciunt, & ad alias quæ non tenentur uirtutes accedunt. Quod ex officio teneris primum fac, deinde cætera facies. Contigit enim sæpe ut reges & principes aliquot uirtutibus delectentur, quemadmodum si prætor in oratione totam consummat diem, & nullam administret iustitiam. Ora, quoniam oratio sanctissima est, sed tali temperamento, ut omnia negotia suo tempore expediantur, ne pupillus uidua & egenus de dilatione iustitiæ conuenerant. In faciem igitur uirtutis agamus quæ ad nostra munia pertinent, deinde cætera faciemus. Audita tamen omni die prius illa, ad illam audiendam & si non teneantur ex præcepto fideles nisi tantum dominicis & festiuis diebus, omni namque negotio iuuat adesse sacrificio illi diuino, in quo ipse Christus patri offertur etiam pro omnium circumstantium salute. *Uenit dominus ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic? Ac si dicat: Tu es qui mori mecum proteftabaris, & non potuisti una hora uigilare mecum?* Petro tanquam eius uicario sermonem dirigit, cui præceteris uigilia erat necessaria, cum quia præceteris ausus est dicere. Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. *Uigilate & orate, ut non intretis in tentationem*. Inquit beatus Hieronymus, ut non superemini a tentatione. Oratio cum sit ascensus mentis in Deum, nimis ad salutem conducit. Ascendere oportet ad Deum, si uolumus non superari a tentatione. Infans enim omnes homines gigantes existimat, & cum sit ipse pusillus, ea quæ prospicit altiora uidentur. Gigas uerò omnia pusilla existimat cum sit cæteris altior. Sensus autem nostri paruulis infantibus similes sunt, atque omnia illis magna uidentur. Rex altissimus cernitur, Prælati & diues excelsi apparent. At si orationi insistas, & a gigante ascensu mentis in Deum omnia hæc perspicias, oppido quàm parua existimabis. Omnia inquit beatus Paul. arbitratus sum ut stercorea, ut Christum luci faciam. Nunc non miraberis, quemadmodum beatus Dominicus & beatus Franciscus & cæteri similes sic paruipenderint sæculi pompam, & diuitias pro nihilo arbitrati fuerint, quoniam ex alto cernebant ex ascensu mentis in Deum. Si igitur discipuli per sensus magistri sui passionem iudicarent, uideretur quasi leprofus, & percussus a Deo, & humiliatus. Si uero orantes per ascensum mentis in Deum dispensationem considerarent, diuinam & diuinitatis cognoscerent sacramentum, totiens illis a domino inculcatum, & in cœna iterum repetitum: filius hominis secundum quod definitum est uadit, ut passionis dominicæ agnoscerent sacramentum, eumque uerum Deum confiterentur in passio ne, quem omnis scriptura sic pati prophetauerat, & manifestissimis testimoniis ostenderat. Quapropter illis dicit dominus: *orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. De ipsis intelligendum est apostolis quorum spiritus promptus erat ad moriendum cum domino & uigilandum, sed caro eorum infirma. Nam caro Christi non dicitur ad mortem infirma, cuius uoluntas ut natura subdatur rationis uoluntati. Orauit eundem sermonem secundo, & iterum ueniens, eos dormientes inuenit. Satis eorum ostenditur caro infirma & debilis. Tertio autem domino oranti, secundum Lucam, apparuit angelus de cœlo confortans eum, & uoluntati ut natura offerens, quæ non sunt scriptæ consolationes. Cum autem recessisset angelus prolixius orabat, factus in agonia. Quod post tertiam orationem hanc prolixam fecisse, probatur ex eo quod dicit beatus Matthæus: Orauit tertio eundem sermonem dicens, qui breuissimus est: *Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat uoluntas tua*. Et factus est sudor eius tanquã guttæ sanguinis

nis decurrētis in terram. Vehementer dominus doluit de peccatis generis humani, & de perditione Iudæ, & plurimorum hæreticorum & infidelium, quos præsciuit non saluandos, de quæ plurimis Christianis solam tenentibus fidem sine charitate operante. Ex utraque parte plurimæ se obtulerunt molestiæ, de quibus dominus uehementer dolens & anxius sanguinem sudauit. Audiui de quadam femina adeo lachrymatam fuisse uirum, ut post lachrymas per oculos sanguinem etiam fuderit, ex quo cæca permanit. Nos ergo post tergum domini spiritu proflati illius sanguinem, quo terra madet, in animarum nostrarum medellam colligamus: dolentes nimium quæ in illum commissi sumus peccata, pro quorum lotionem suum pretiosissimum sanguinem fudit: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS SEPTIMVS,

In XXVI. cap. beati Matthæi.

TUNC uenit ad discipulos suos, & dixit illis: Dormite iam, & requiescite. Ecce appropinquauit hora & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus: ecce appropinquauit qui me tradet. Adhuc eo loquente, ecce Iudas unus de duodecim uenit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, missi a principibus sacerdotum & senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuerit, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Iesum, dixit, Aue Rabbi. Et osculatus est eum. Dixitque illi Iesus: Amice, ad quid uenisti? Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Et ecce unus ex his: qui erat cum Iesu extendens manum exemit gladium suum, & percussit seruum principis sacerdotum amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? Vult beat. August. cum dominus dixit discipulis: Dormite iam, & requiescite, illos tantisper obdormisse. Et requiescite: quasi dicat: Ego laborem mortis subire uolo pro omnibus: uos requiescite, quoniam iam per mortem meam uobis merebor salutem & aduentum spiritus sancti, quem promisi: quo induti non amplius hominum minas formidetis. Ecce hora appropinquauit, hoc est non tardabit et tradar in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquauit, qui me tradet: ut sciatis me uoluntarie oblatum & non fugere hostes, nec declinare mortem. Surgite, eamus. Adhuc eo loquente, nondum enim uerba finierat, ecce Iudas unus de duodecim uenit. Turba illa multa erat Romanorum cohors, & a pontificibus & phariseis ministris. Ne autem aliquis captiorem Iesu impediret, a Iudæis & gentibus desert Iudas milites. Quando iniquus tanquam bonus recipitur, malum est omnium pessimum. Sacerdotum principes & seniores Iudam proditorem tanquam optimum zelatorem recipiunt. Pilatus sacerdos seniores uiros tanquam probos audit: sciens quod per inuidiam contra dominum agerent: & sic omnes simul in dominum seruiunt. Cum aliquis pro sancto habeatur, nullum malum si uolet, intactum relinquet. Decet igitur seculi & ecclesiæ principes priusquam nomen sanctitatis seu perfectæ uirtutis alicui tribuant, ut multis cum probent experimentis, alioquin sæpe fallentur. Traditor dedit osculi signum: idque ut aliquibus placet, ne Iacobus Alphæi, qui dicitur minor, cuius uultum domino dicunt assimilari, caperetur. Non existimo aliquem ex filiis

liis hominum uultu Dei filio assimilari posse, qui speciosus secundum formam humanam præ filiis hominum. Sed ne se occultaret, & aliquis discipulorum eius caperetur loco, signum dedit, & ut certiores redderet omni ambiguitate semota, cum iam nox esset, licet illuminata splendore lunæ. Erat enim tunc plenilunium. Origenes notat cum gladius & fustibus irruere in ecclesiam hæreticos, hypocritas uero Christianos in osculi signum. Hinc aduertamus aliqua peccata uenire ad nos capiendos cum gladiis & fustibus publice, alia uero cum osculo. Publica peccata cum gladiis & fustibus bellum gerunt: feruntur rixæ, & exercentur lites. Aliqua etiam ueniunt, quæ hominem osculo capiunt. Existimant enim quidam amicitie signum, placere cognatis, donare bona ecclesiæ consanguineis, placere uxori, congregare iniuste filios, si doctus est, se omnium supremum existimare, ceteros parui pendere, omnem sibi honorem præ ceteris deferri uelle. Osculo ista animarum tradunt, subque amicitie nomine aggrediuntur & prostrant. Et ducite caute, inquit Marcus. Et accedens ad Iesum, dixit: Aue Rabbi. Et osculatus est eum. Præstitum signum reddit: Dominus autem secundum Lucam, ait illi: Iuda osculo filium hominis tradis? Non te lateat miser dominum occultum non ignorare signum. Præsciuit enim. Ideo hoc primum legendum arbitror: ne si dominus dixisset, amice ad quid uenisti? existimasset Iudas latere dominum proditorem. Cum autem hoc primum dixisset, tum & illud subiecit: Amice ad quid uenisti? secundum Matthæum. Hoc est amice ad hoc uenisti, ut magistrum traderes. Amicum dixit illum, quia fidem in nuptiis ferens, non uicem charitatis nuptialem detulit: Iudas uero cum iam amisset fidem, amicus dicitur, cui dictum est: Iuda, osculo filium hominis tradis? a signo dicitur amicus, quasi diceret uerba domini nunc coniungendo: Iuda, osculo filium hominis tradis? amici signum huc accessisti proditor? Tunc oportet, quod Ioannes tradit: Quem queritis, hic continuo addere. Illi autem abierunt retrorsum, cum responsum dedisset, dicens: Ego sum, inmemores quod dominus dixit Moysi: Ego sum. Et: Qui est, misit me ad uos, Exo. 3. Verbum diuinitatis independentis, & semper suum esse ab æterno habentis, ferre non ualentes abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram, & Iudas cum eis, nec conuersi sunt. Sæpe nos audimus. Ego sum, neque conuertimur, neque a peccando desistimus. Clamat euangelium. Ego sum. Clamant sacramenta. Clamant epistolæ apostolorum. Clamat ecclesia: Christus ipse est dominus, a peccatis recedite, cadite non retro, sed in faciem, dicentes. Peccaui, nec agnoscent, nec mutantur, nec emendantur. At ueniet, Ego sum, cum in morte iudex Christus apparebit uerus dominus. Vnusquisque ergo caueat sibi, ne retro in infernum decidat. At illi manus iniecerunt in Iesum. Manus ministrorum Iudæorum sunt, & cohors & tribunus Romanorum. Sed & peccata nostra funes sunt, quibus ligatur Christus dominus, & manibus traditur impiorum. Spiritus oris nostri Christus dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus, In umbra tua uiuemus in gentibus, inquit Hierem. Threnorum 4. Non potuit reddi clarior prophetia de Christi domini traditione in manus inimicorum. Pro nostris igitur scleribus, quibus ligati sumus, funes peccatorum circumplexi sunt me. Ut nos solutos reddat, capitur & ligatur dominus: quod Beatus Petrus futurus eius uicarius ferre non uolens, gladio euaginato percussit seruum Pontificis nomine Malchum, & amputauit auriculam eius, notauit beatus Ioannes dexteram. Duos se habere gladios fassi sunt discipuli post coenam, ut refert Lucas. Dixerunt enim domino: Ecce duo gladii. Qui ait illis: Satis est. Sunt qui dicant utrumque gladium habere ecclesiam, quod non dubitamus. Vnus est spiritualis, quem per se exercet: alter materialis,

rialis, quem exercent ministri eius Christiani Principes. Habetur id in extravaganti: Vnam sanctam, de maiestate & obedientia. Quod autem per hos duos gladios, quos apostoli habuerunt denotetur (cum significatum sit verum) duos habere ecclesiam gladios, signum non recusamus. Abscisio dextræ auriculæ per Petrum factam, cui commissa est uniuersalis cura ecclesiæ & successoribus eius, satis ostendit sanctissimis summis pontificibus omni cura esse inuigilandum ad extripandas hæreses non tamen gladio materiali sed spirituali. Quoniam Petrus capitur & mittere præcipitur ei gladium in uaginam. Quod si renuant parere iussis, tunc per Principes Christianos & per omnem hominem compellantur. Gladium Christianorum principum aduersus hæreticos insurgere exoptabat Paulus scribens ad Galatas, cum illos abscindendos precatur: Vtinam, inquit, abscondantur, qui uos conturbant. Quod enim scinditur, ferro & ui partitur. Per auriculam dexteram, cum fides sit ex auditu, intelligitur fidem fuisse a Iudeis ablatam: & ad gentes transituros Apostolos, no tentibus illis audire fidem. Non ergo habent Iudei auriculam dextram. Illam namque abscondit Petrus: donec in finem mundi Christus dominus tangat & auerteret conati sunt. Renuerunt ipsi fidem accipere, & Christum dominum repulerunt. Abstrahatur ergo auricula, transcatque ad gentes: & in capite orbis Roma cathedram fixam Petrus constituat. Hierosolyma per Romanos uastetur, & eius templum funditus evertatur. At dominus Petro ait: *Conuertere gladium tuum in locum suum. Mitte gladium tuum in uaginam*, inquit beatus Ioannes. *Ommes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*: hoc est, rei sunt mortis, digni sunt ut ipsi gladio perimantur. Atqui non semper multiplicatores & occisores interficiuntur? Nam aut poenitent, uel etiam uim repellunt cum moderamine inculpatæ tutelæ. Defensio enim a natura est & iure naturali permittitur. Non igitur omnes, qui per insidias & uiolentiam occidunt, gladio perimuntur, cum aliqui ignorentur, & aliqui homicidæ fugiant nec capiuntur. Ita ergo domini sententia accipienda est, nempe quod digni sunt mutæ occisionis, illi qui occidunt, & digni ut gladio puniantur, qui gladium acceperint. An me solum existimas? Possum enim rogare patrem meum, et exhibebit mihi non duodecim homines fragiles sed angelorum legiones plusquam duodecim. Quorum unus omnem Hierosolimam denotare & extinguere potest. Nec o Petre opus est angelis. Non ne modo uidiisti, dicente domino: Ego sum, omnem cohortem, & Iudeorum ministros, & Iudam proditorem tanquam tormeto quodam percussos, retrorsum abire & in terram prostrerni? Aliud quoque satis notandum est, cum Petrus abscondisset auriculam seruo Pontificis non mali quicquam Petro illatum est. Quare autem illum non percusserunt, uulnerauerunt & occiderunt? ut sciamus nihil posse illos, nisi tantum id, quod illis dominus permisisset facere: Euadit ergo Petrus, dominus se sponte obulit. *Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri*. Ecce iterum repetit dominus scripturarum impletionem in sua benedictissima passione perfici, quod iam notauimus. In passione dominum uerum esse Messiam & Dei filium manifestissimis scripturæ testimoniis comprobatur. Qui cum omnes quos patienter per manus inimicorum expediuntur cruciatus, nihil tamé illi irrogant iniuriæ, nihil tormentorum expediunt, quod non de Messia apertissimis testimoniis sit prophetatum, & plurimis figuris descriptum. Si aliquando nos tribulati

bulari contingat uerbum domini ad nos aduocemus, dicentes: Tu domine scis, quoniam sic ad salutem meam oportet fieri. Patientiam dona, qui permittis dolorem. Chordæ enim in musicis instrumentis nimium intente franguntur, eadè nimium remissa nullam consonantiam reddunt. Oportet igitur ut mediocriter extentæ sint, ne ex solutione reddantur sine sonitu, et ex nimia extensione rumpantur. Homo proinde si nimis bonis successibus latus sit, nec reddit sonum, non curat, quæ Dei sunt, nec saluti suæ utilia. Si autem nimis tribuletur frangitur. Ideo dominus, ut inquit beatus Apost. Paul. 3. Cor. 10. fidelis est, qui non permittit uos tentari ultra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. Dominus autem pro nobis calicem bibebit purissimæ passionis, ut nobis compareret redemptionem, et patientiam præsteret cum trioulamur. In eo enim quod passus est, inquit ad Heb. Paulus. 2. cap. & testatus, potens est & eis qui tantæ auxiliari. Si uero quæ dominus patitur confideremus, leue erit omne quod ipsi patimur. Si etiam aduertamus quæ beati Apostoli & ceteri martyres, ut se benedictissimæ passioni domini redderent gratos, passi sunt, leue erit omne quod toleramus. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, inquit Apost. aduersus peccatū repugnantem, ad Heb. 12. Nō igitur negligamus disciplinam domini, sed patienter toleremus aduersa, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS OCTAVVS,

In XXVI. cap. beati Matthæi.

IN ILLA hora dixit Iesus turbis: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me? quod quotidie apud uos sedebam, docens in templo, & non me tenuistis. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo iugerunt. At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Chaphæm principem sacerdotum, ubi scriba & seniores conuenerant. Petrus autem sequebatur eum a longe, usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut uideret finem. Principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent & non inuenerunt cum multi falsi testes accessissent. Nouissime autem uenerunt duo falsi testes & dixerunt. Hic dixit. Possum destruere templum Dei, & post triduum reedificare illud. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi. Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat. In illa hora, cum restituit auriculam Malcho, dixit Iesus turbis. *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me? quod quotidie apud uos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. Addit Lucas: Sed hæc est hora uestra, & potestas tenebrarum. Hic se dominus Christum ostendit & Dei filium, nec ille intelligunt cæci furore Iudei. intelligent porro apostoli post aduentum spiritus sancti, ut mundo prædicent nunquam Iudeos aliquid damni inferre domino potuisse, cum quotidie in medio eorum sedisset docens, nisi quando ille permisit; & uoluit. Quibus ipse ait: docui semper inter uos. Volentis aliàs me capere, nunquam concessi. Prostrati nunc uni uerbo, et retro cecidistis. Auriculam Malcho restitui uobis presentibus. Agnoscite mea sponte id uobis permittere. Hæc est hora uestra & potestas diaboli: quia permitto exercere odium uestrum & iniquitatem usque ad mortem in me. Orandum est, ne nos relinquat dominus in horam nostram, quæ nobis nimium nocua est.**

N N N Hora

Hora nostra dicitur, quando malum quod animo concepimus, sic i nobis permittitur. Qui velut scribæ & pharisæi fructum non reddimus in tempore suo: quæ si dominus postlauerit, nec habuerimus, recordemur illius ficus, quæ aruit, exquirente domino in mense Martio ex illa fructum. Queruntur ad Iudeis fructus cum non habent, quoniam noluerunt reddere, quo tempore tenebantur. Plâtemur secus decursus aquarum, ut sinus alboris reddentes fructum temporibus opportunis. Vnusquisque eorum qui matrimonio coniuncti sunt, plantare cõtendat filios suos cum sunt tenelli secus decursus uirtutum, ut fructum domino reddant temporibus suis. Nam quomodo reddet homo castitatis fructum, qui infans non est cohibitus ab obscænis: immo cum ipso nutricis lacte spurcitiem uerborum imbibit, literis & conuersationibus impudicis deinde per ætatem deditus. Quomodo patientiam reddet, cui lachrymanti sæpius inculcat pater: Et quare tu illi non rependisti illatum malum? Quomodo reddet sobrietatis fructum, qui in omni gula nutritur? Quomodo humilitatis, qui in superbia & uanitate plantatus est? Quæretur fructus ab illo, tempore quo nõ habet, quoniam quando tenebatur reddere non reddidit. Hæc est igitur hora uestra in qua licet uobis facere quæ uultis. *Hoc autem uotum factum est, ut adimplerentur scripturæ & Prophetarum.* Iam ter repetuntur scripturæ in hunc locum: Filius quidem hominis uadit sicut definitum, Mar. c. 14. sicut scriptum est de eo. Dominus ad Petrum: Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? Nunc facer euangelista ait: Hoc totum factum est, ut adimplerentur scripturæ prophetarum, ut semper diuinitas Iesu in tormentis & cruce propria maxime elucescat, cum omnia quæ scripta sunt de Messia per manus furentium Iudæorum in Christo domino adimplerentur. *Tunc discipuli eius omnes humiliato eo fugerunt.* Vnde ergo illud: Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus, nempe beat. Ioan. Quod ita intelligendum est. omnes quidem primum fugisse deinde hos duos se curtos fuisse dominum, scilicet Petrum à longe, Ioannem uero propinquius: qui designatur à beato Marco, cum ait: Adolefcens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo. Aliqui putant hortulanum quemdam fuisse, qui ad strepitum & tumultum sit excitatus: Nam nullus Apostolorum nudus incedebat. Id siquidẽ infami hominis uel subito ad strepitum expgefacti proprium est, ut tunica indutus interiori, uel si hæc desit amictus sindone ad tumultuantes procedat. Hinc & exemplum datur principibus, ut uirtutes foueant. Nam si in uirtutem aliqui potentes insurgant, territi omnes fugient & illâ deserent. Capitur uirtus Dei Christus. Apostoli uero, quorum loti sunt pedes, & quibus dicitur: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet, sed & mundus est totus: Illi, inquam, qui corporis & sanguinis domini sunt effecti participes, qui que uiderunt cohortem & Iudæorum ministros & Iudam unico uerbo retrorsum abire & in terram cadere: hi sane ubi dominum conspiciunt capti & uincti, omnes relicto eo fugerunt. Quanta pro dolor, huic temporibus præmio digni putantur, non quidem illi qui contra uitia legitime decertauerint: sed qui omnibus ueris uirtutem ipsam & illius studiosos sectatus fuerit. In alium autem sensum hæc etiam uerba secti possunt: nempe animam si in manus peccatorum incidat captaturq; ab omnibus deseri. Eam namque relinquit charitas, & intellectus donum, cuius officium est facere intellectum firmiter adhærere his, quæ fidei sunt. Nam fides sine operibus charitatis mortua iacet, & spes ipsa informis est. Cor meum conturbatum est, inquit regius uates, dereliquit me uirtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum, Psal. 37. Qua propter non nimium admirari debemus dementias, quas peragunt in peccato letali existentes. Sequebatur Petrus a longe.

Ioannes

Ioannes prope. Duxerunt dominum ad Caipham. Hic interponendũ est, quod ait beat. Ioan. Et duxerunt eum ad Annam primum: Qui cum dominum de doctrina & suis discipulis percontaretur, & is benignissime responderet se palam locutum fuisse, & in occulto nihil, quidam adstans ministrorum dedit alapam Iesu dicens: Sic respondes Pontifici? Caneant fideles nocturnas & angulares doctinas, nihilque recipiant quod non in palam prædicetur, & in templo publice quemadmodum dominus dicit se docuisse: quoniam heretici nocturni sunt & angulorum doctores, & qui in tenebris ambulat, nescit quo uadit. Simulq; aduertamus non esse iudicem Annam, sed Caypham pontificem, ad quem causa domini relata est. Cæterum urbanitatis & beneuolentiæ gratia, propterea quod esset senex & Cayphæ focer dominum illi primò adducunt. Sunt quædam beneuolentiæ & urbanitatis peccata, quæ propter se ipsos homines non facerent quæ nihilominus propter amicos faciunt. Hinc sæpe fit, homicidam esse, qui nunquam occidit: furem, qui nunquam furatus est quicquam; adulterum, qui nunquam alienum thorum commaculauit. Et huiusmodi scelerum participes fieri non recusant homines, dummodo hominibus nõ displiceant. Idque ob beneuolentiam quandam, ut ipsi uocant: quam ego potius, ut ita loquar, maleuolentiam dixerim, & extremam quandam iniquitatem. Nam quid magis iniquum fieri potest, quam ut hominibus placeas, Deum ualipendere? At quantum isti digni sint inferno, ratio ipsa indicat. Cum audis alapam in faciem Iesu impositam, quam angeli desiderant semper inspicere, memento tibi inimicis parcedis regulam præfigi: attedens neminem Christo nobiliorem, si de nobilitate agis: neminem sanctiorem si sanctus es: neminem ditiozem, si diues es: neminem superiorem, si principes es. Ac noli consilia petere ab hominibus cæsis, an caliginanti uel iniurianti talionem rependas: uocans quatuor confanguineos uel amicos, uide quales quatuor euangelistas percontaris, sed potius Christum dominum addi pro te alapis cæsum: cum illo consilium inito, & quæ tibi docuerit mente recondito: quoniam patris sapientia est, rex est, dominus est, super omnem nobilitatem nobilis est. Adimpletum est, quasi hoc iam cerneret factum, quod Hieronimus prædixit, Threnorum cap. 3. Dabit percutienti maxillam, facturabitur opprobriis. Ductus deinde est dominus Iesus secundum Matthæum, in domum Caiphæ, ubi scribæ, & seniores, & pharisæi tanquam in domum Principis sacerdotum conuerant. *Principes autem sacerdotum, & omne concilium, querebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent, & non inuenerunt, cum nulli falsi testes accessissent. Nouissime autem uenerunt duo falsi testes, & dixerunt. Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reedificare illud. Inquit beatus Marcus: Et conuenientia testimonia non erant. Qui & ipse ait illos dixisse: Ego dissoluam templum hoc manu factum, & aliud non manu factum reedificabo. Vnde cõsendum est quando beati Euangelistæ utrumque duos dixisse affirmant, prius dixisse: Possum destruere templum Dei, & in triduo reedificare illud: & reperisse aliis uerbis iterum. Ego dissoluam templum hoc manu factum, & aliud non manu factum reedificabo. Ex quo apparet testimonia non esse conuenientia. Quoniam à domino Iudæis quærentibus, ut traditur Ioan. 20. Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? eiecerat enim uedentes & ementes de templo (non in die qua cum palmis exceptus est, sed in initio manifestationis suæ in Hierusalem) Dominus illis respondit: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Iudæi quippe soluturi erant templum, dominus autem resurrecturus tertia die. Hoc autem dicebat de templo corporis sui, ideoque testimonia non erant conuenientia. Et principes sacerdotum ais illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur? Iesus autem respondebat. *Recepta sententia**

N N N 2 tentia

tentia est, unumquodque teneri, si aliquid falso illi opponatur, famam suam tueri, præsertim uero si persona est publica. Dominus autem tacet. Origenes respondet quòd ideo tacet quoniam nihil proficeret se excusando. Præterea dicendum, quòd recepta sententia tunc locum habet, quando quis corâ aliis infamatur qui nesciunt falsum esse crimen obiectum. Cæterum cum omnes astantes scirent, falso id domino obiici, non opus erat repugnare, & se innocẽtem ostendere. Principes sacerdotum & omne concilium falsum quærebant testimonium: & hæc obiecta omnes falsa esse cognouerant. Ipsimet intus in corde responsionem suâ falsitatis reddebant, scientes falsum esse id quod domino obiiciebant. Non erat ibi cui dominus satis faceret. Omnes enim impositum crimen falsum esse sciebant: O bone Iesu, cui falsa obiiciuntur, a falsis nos eripere digneris testibus gratia tua: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS NONVS,
In XXVI. cap. beati Matthei.

Et princeps sacerdotum ait illi: Adiuuro te per Deum uiuum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Dixit illi Iesus: Tu dixisti. Verumtamen dico uobis, amodo uidebitis filium hominis sedentem a dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cæli. Tunc Princeps sacerdotum scidit uestimenta sua, dicens: Blasphemauit, quid adhuc egamus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam: quid uobis uidetur? At illi responderunt, dixerunt: Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alii autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christo, quis est qui te percussit? Petrus uero sedebat foris in arrio, & accessit ad eum una ancilla dicens: Et tu cum Iesu Galileo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. Exiit te autem illo ianuam, uidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento, Quia non noui hominem. Et post pusillum accesserunt qui astabant, & dixerunt Petro? Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. Tunc cepit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem. Et continuo gallus cantauit. Et recordatus est Petrus, uerbi Iesu, quod dixerat illi. Priusquã gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras stetit amare. Adiurare nõ debet quisquam nisi magna urgente necessitate: & a maiori sit adiuratio. Caiphas autem se maiorem reputans, dominum adiurare coegit. Adiuuro te, inquit, per Deum uiuum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei? Ait Lu. Si uobis dixerò, non crederis mihi, si autem & interrogauerò non respondebitis mihi, nec dimittetis. Vnde constat non ob aliud uelle Caiphas audire de ore Christi se esse Dei filium: nisi tantum ad accusationis cumulum: quod etiam patet ex sequentibus. Nam cum dominus de iudiciaria potestate & sessione a dextris uirtutis Dei ageret: ipse qui dicere debuerat ostende nobis, & ex scriptura proba quod dicis, in hanc uocẽ prorupit, Blasphemauit. Quod autem dominus responderit: Tu dixisti, adnotat be. Hilar. huic dictũ esse, quia Princeps sacerdotum erat: Tu dixisti. Pilato autem cum esset gentilis, dicitur: Tu dicis. Tu dixisti, nempe iam pridem in lege & in prophetis. Reminiscere legẽ & Prophetas, & me Christum uidebis filium Dei. Pilato autem ait. Tu dicis modo, denotãtes gentes credituras post resurrectionem. Propter adiurationem per Deum uiuum, Dominus respondit Caiphæ. Verumtamen dico uobis, amodo uidebitis filium hominis sedentem a dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cæli. Quæ duo ad secundum aduentum domini spectant, quando uen-

turus

turus est iudex uiuorum & mortuorum cum potestate magna & maiestate, de quo satis habetur Esaiæ ca. 13. 26. & 27. in fine. Sophoniæ 1. Joel. 3. psal. 96. & in plurimis aliis locis. De primo autẽ aduentu in paupertate & humilitate dñs illos satis instruxerat, & miraculis confirmauerat se uerum Dei filium, Messiam in lege promissum. Discipulis autem seorsum de aduentu ad iudicium cap. 24. & 25. dixerat. Nunc uero ne unquam Iudæi ignorantem præterire possint: Dominus sessionem ad dextram patris, potentiam, regnũ, & iudicium manifestat. Quod audiens Caiphas ait: Blasphemauit, sciditque uestimenta sua in signum blasphemie & testimonium. Origenes inquit: Nesciẽs quid faceret nõ absq; mysterio scidit uestimenta summus sacerdos, quoniã scindendum erat sacerdotium Leuiticum. Tunica porro inconformis domini integra perseuerat, cuius est sacerdotium in æternum secundum ordinem Melchisedech. Quid uobis uidetur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. Dicente Pontifice, Blasphemauit, & uestimenta scindente, dicunt omnes, Reus est mortis. Summa cura aduertant principes in publicis iustitiarq; negotiis, ne subditis suam intentionem aperiant. Sequitur namq; facillime subditus principis nutum, si eum cognouerit uel benignum uel iratum in aliquem, uel in alteram partem inclinatũ. Si Caiphas diceret, Declara nobis, quomodo sessurus es ad dextram patris? quomodo uenturus iudex? id omnes libenter audirent. At scidit uestimenta, & blasphemauit inquit, & statim uox subditorum sequitur, Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem eius, & uelauerunt secundum Marcum, & palmas in faciem dederunt, & colaphis percusserunt, dicentes: Prophetiza nobis Christo, quis est qui te percussit? Legens hæc Origenes in hanc uocem prorumpit. Omnibus his infamiis digni eramus o miseri, quĩ pro nobis dñs conspuitur, & fœdatur uultus eius, ne animæ nostræ fœdentur æternis suppliciis. Talia utiq; sunt nostra facinora, ut mereamur perpetuis spiritus conspu, uelari ne unquam uideamus lucem, & in inferno cædi & irrideri, & a demonibus perpetuo alapis percuti & colaphizari. Si igitur audire uultis o scelestissimi ministri diaboli quã quæritis prophetiam, Quis est qui te percussit? Ego ego ipse sum, & omne genus hominum peccatorum. Peccata mea eum percusserunt, peccata mea uelauerunt faciem eius, & alapis & colaphis cædi fecerunt. Cæterum mysterio dãdum est, quòd facies domini per Iudeorum manus uelatur, ne scilicet saluatorem agnoscat & Messiam suum. Iam olim uelabat faciem suam Moyses, Exo. 24. dum illis legẽ ostenderet, innuens Christum illis in lege uelatum non cognituros. Quod explicans beat. apost. Paul. 2. Cor. 3. ait. Vsq; in hodiernum diem, id ipsum uelamen in lectione ueteris testamenti manet non reuelatum (quĩ in Christo euacuatur) sed usque in hodiernum diem, cũ legitur Moyses uelamen positũ est super cor eorum. Duplex etiam uelum habet peccator, ad præteritum. scilicet inconsiderationis scelerum, & ad futurum, quia nec quã amittit gloriam, et quam incurrit pœnam cernit. Ad Petrum reuertitur Euangelista, quẽ dixerat a longe dominum fuisse secutum. Petrus uero sedebat foris in arrio, & accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilea eras. At ille negauit coram omnibus dicens: Nescio quid dicis. Adde secundum Ioan. Non sum. Et sic iunget responsum. Nescio quid dicis, Non sum. Primũ refert beat. Matth. secundũ beat. Ioan. Hanc primam negationem intellige factam in domo Annæ, quãdo beatus Ioannes dixit ostiari, & introduxit Petrum. Quam & si hic bea. Mattheus coniungit cum duabus aliis negationibus, quẽ in domo Caiphæ factæ sunt, quoniam illius ingressus domini in domum Annæ pontificis nullam fecit mentionem, nihilominus secundum Ioannem in eadem domo factam esse non dubites. Et sic accipiendum est, quod beat. Matth. de ista primã negatione tradit,

tradit, cui erat curæ tres ostendere Petri negationes: atque illam primam in domo Annæ factam duabus sequentibus in domo Caiphæ peractis coniunxit. Quas si ita distinguas, omne prorsus dubium de illis tollitur. Sequitur secunda negatio. *Eueunte autem illo ianuam, uidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem. Et post pusillum, in intervallo facto quasi horæ unius, inquit Lucas, accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es: nam & loquella tua manifestum te facit.* Beatus Lucas in 2. negatione ponit hominem dixisse Petro: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Intellige, hoc & ancillam dixisse, secundum Matthæum & Marcum: pariterque & hominem illum, ut refert Lucas. In tertia negatione, in qua beatus Ioannes tradit dixisse cognatum eius, cuius abscedit Petrus auriculam: Nonne ego te uidi in horto cum illo? Beatus Matthæus ait: Qui astabant dixerunt Petro. Quod sic accipiendum est: Qui astabant dixerunt Petro, pariter & illi Malchi cognatus addit: Nonne ego te uidi in horto cum illo? Cautiores nos reddit trina beati Petri negatio: Prima igitur nostra, qua factis Christum negamus, ad uocem unius est ancillæ, peragiturque illius operatione qualitatis; morbida, quæ manet in corpore nostro, sublato originali peccato per baptismi sacramentum, qua ad malum reddimur prouisi: quam & in ipsis infantibus uigere cernimus. Omnes igitur occasiones eorum, quæ post annos discretionis ad peccandum propellere possunt, magno conatu ab ipsa sunt infantia euitandæ. Nutriendique pueri sunt a consortio puellarum semioti. Quin & filium, quem ad sacerdotium destinat pater, habitu & conuersatione a cæteris filiis secernatur. Ludum Iſmaelis filius Agar ancilla, cum Isac filio Saræ, beatus apostolus Paul. ad Gala. 4. persecutionem appellat: Sed quem admodum, inquit, is qui secundum carnem natus fuerat, persequeretur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc. Caueant ergo omnes in primo ingressu ancillæ ostiariæ uocem, qua Petrus percontatus respondit: Non noui illum, Nescio quid dicis. Consideremus processum negationis nostræ. Etenim iam in secunda in aliam incidit ancillam, homo: quando adolescens, & se iam homines reputantes iurare & peierare consueuerunt, fallere & mædacia proferre sciunt. In tertia autem plurimi congregantur perditissimi homines, cupiditate & auaritia pleni, litibus, rixis, & detestationibus assueti, qui in omnium peccatorum confusione animam euoluunt: quorum si spectes uitam, non multo ab similem illis qui ex professo Christum abnegarunt, existimabis. Conuersus dominus respexit Petrum. Beatus Augustinus in lib. 3. de consen. euang. cap. 6. inquit fuisse per interiorem inspirationem: existimans corporæ oculis non potuisse dominum uidere Petrum. Alii uero dicunt: Et si esset Petrus deorsum in atrio, per portam uel fenestram aliquam potuisse dominum uidere illum: præsertim cum uerisimile sit, eo se loco Petrum constituisse, ex quo prospiciens dominum uidere posset. Cum autem dominus respexisset Petrum negantem, postquam gallus iam bis cantauerat, recordatus est uerbi domini dicentis: Amen dico tibi, antequam gallus cantet in hac nocte bis, ter me negabis. *Et egressus foras, fletus amare.* Dum ergo Petrus se turbæ commiseret, ter Dominum negat. Dum autem a domino intus uel extra respicitur, egreditur foras, & flet amare. Inter gentes negat, hominibus relictis seculi, flet amare. Ipsa uerba nobis doctrinam adferunt. Quotiens enim quis se huius seculi filius coniunxerit, conuinabitur. Nam qui tangit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam, Ecclesiast. 14. Vnde dixit quidam uulgatum illud: Exeat aulam qui uult esse pius. Foras Petrus a conuersatione hominum separatus flet amare. In religione igitur uiuit homo, incedit cautius, quæ-


Mag. 30.
dist. 2.

scit securus, moritur confidentius, & æternali afficitur premio copiosius. Aliud præterea oportet aduertere. Qui enim post peccatum dolent, & peccatorum spinas & punctiones cum Petro flente sentiunt, signum est illos respexisse dominum. Si autem peccata non sentiunt, & sunt illi quodammodo mortua scelera nihil pungentia, nihil commouentia, pessimum inditum est. Quapropter illis necessarium arbitror, ut a domino supplices compunctionem & lachrymas petant. Pariter ut dignetur oculos suos ad illos clementer uertere: quatenus egressi foras, illachrymentur amare. Horum gratias agit beatus Augustinus domino: qui ei peccatorum compunctionem dederit, etiam impactis flagellis. 3. confessi dicens: Deus meus, misericordia mea, quanto felle mihi suauitatem illam & quam bonus aspersisti. In quantis iniquitatibus distabui, & in omnibus flagellabas me, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS PRIMVS,

IN CAPITVLVM XXVII.

BEATI MATTHÆI.



MANE autem facta consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti tradiderent. Et unctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præfidi. Tunc uidens Iudas qui eum tradidit, quia damnatus esset, penitentia ductus, retribuit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui, & tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu uidevis. Et proiectis argenteis in templo, recepit, & abiens laqueo se suspendit. Iudæi quoniam mortem nemini inferre poterant, crimina effusionis sanguinis suo tribunali reseruante Cæsare. Nobis non licet interficere quemquam dixerunt, inquit beatus Ioannes. Mane autem facta decreuerunt dominum morti tradere, & testimonia ad inuicem contulerunt, & eum unctum tradiderunt Pontio Pilato præfidi, inque profanum iudicium redemptorem deducunt, ut moriatur. Hinc attendendum est, cum quispiam ducitur in profanum, iam morti destinatum esse. Tres peccatorum domus a doctoribus proferuntur: una cogitationis deliberatæ: altera, operis consummatæ: tertia, prauæ consuetudinis. Cæterum nullam harum censo domum profanam Pilati. Adhuc enim quarta est domus, ad quam quisque deueniens moritur, quam Pilati dicimus, prauæ scilicet usus receptio. Differant enim consuetudo & usus in hoc, quoniam peccandi consuetudinem potest unusquisque malus habere: usus uero peccati, communis est consensus in culpam. Cum enim omnes in una urbe uel regno communi consensu peierant, mentiuntur, superbiunt, lasciuuntque, illud profanissimum malum est: quando ab omnibus acceptatur, & communi consensu recipitur. Id omnino fugiendum est, uelut tabifica lues pestis. Præui hæretici, cum eorum heresis acceptatur a populo, se-

Quatuor
peccatorum
domus.

curi

curi dormiunt. Quando ex communi consensu peccatum recipitur, letale est. Vni quisque igitur auertatur à receptis usq. peccatis, & misericordiam Dei pro vrbibus postulet, quatenus dicere possit: Dirupisti domine uincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. In hunc uersiculum, psal. 115. glossa ordinaria tradit, quod si quis hunc ter reperierit moriens, remissionem consequitur peccatorum. Accipe si uere contritus, & habita copia confessoris confessus, & dato loco corpore domini suscepto, obierit. *Tunc uidens Iudas cum tradidit, quod datus esset: nempe ipse qui tantum commisit scelus, eo quod dominus dixit, Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille: uel quod Christus dominus danna- tus esset ad mortem, Pœnitentia ductus uelutis triginta argenteos principibus sacerdotum & seni vrbibus, dicens: Peccavi, et aduersi sanguinem iustum. Quod pœnitentia Iudæ inutilis fuerit, ostenditur ex tribus: quoniam in illo non fuit displicentia peccati propter Deum, quæ est uera pœnitentis & dolentis de peccato contritio, sed quedam naturalis displicentia, quæ aliqua abhorret peccata: ut est insperata & subita occisio hominis, aut amici in aqua uel igne extinctio, & id genus alia: quæ illico secum naturale quoddam fastidium ingerunt & horrorem. Idque non est contritio. Quin & hæc pœnitentia Iudæ cum spe uentæ minime fuit, quam habet uera contritio: se namque interfecit laqueo. Non etiam debite satisfecit. Siquidem oportebat adire illum domum Pilati, ubi principum sacerdotum & seniorum præcipua turba conuenerat, & illic crimen suum fateri palam: nempe quod sanctissimum Christum ex auaritia & iniquitate illis traderit, quod falsa sint, quæ Christo obiiiciuntur, quod ipse uerus agni innocentissimi sanguinis reus sit. Oportebat insuper ad pedes mitissimi domini Iesu prostratum lacrymis & singultibus ex intimo cordis extractis, nefandis criminis ueritatem postulare, quam à benignissimo domino, qui neminem uult perire, haud dubio impetrasset. Ipse autem aliò accessit, nempe ad illos qui in templo ad sacrificia aderant. Quod ex eo ostenditur, quoniam statim argenteos projecit in templum, & recedens laqueo se suspendit. Non enim sufficit dicere, Peccavi, nisi non dicas corde. Nec naturalis sufficit displicentia, nisi doleas propter Deum, in quem peccasti. Nec propter Deum dolorem habere sufficit, si de uenia cum Iuda desperas. Nec sufficit, si quæpiam falso alienius criminis, ut traderetur neci, uel ut aliquâ aliâ tubiret penam, insimulasti: nisi iudici corâ quo reus sistitur, illius innocentiam, ne puniatur, & tuam in eum commissam iniquitatem, publicè pandas, & omnem insuper operam des, ne quem detulisti in nocens occidatur. Occasione autem huius pœnitentiæ Iudæ inutilis, de pœnitentia fructuosa, præseruatiua, ac dubia, aliquid differemus: cum de inutili breuiter iam sit perstrictum. Pœnitentia igitur, prout ex sacra scriptura constat, non est tantum (ut hæreticis Lutheranis placet) nouæ uitæ inchoatio cum fide: sed illa quam perstringit Ezechiel. 20. ca. dicens. Et recordabimini ibi uirum uestrarum, & omnium scelerum uestrorum, quibus polluti estis in eis: & displicebitis uobis in conspectu uestro in omnibus malitiis uestris quas fecistis. Hæc uera est contritio, quæ una pars est pœnitentiæ salutaris. Nam ut inquit beatus Aug. in li. de uera & falsa pœnitentia ca. 8. Pœnitentia est doleris uin dista puniens in se, quod dolet commississe. Dolor igitur est & displicentia commissorum propter Deum: & uindictam operibus naturæ molestis de commissis sceleribus sumens: puniensque in se, quod commississe dolet. Pœnitentiam agite, clamat Saluator, appropinquabit enim regnum cælorum. Idem & beatus Ioannes Baptista prædicat. Item Actorum. 2. quærentibus Iudæis à beato Petro & ceteris apostolis, quid ad salutem factio sit opus? Respondit beatus Petrus: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque uestrum. Baptismus om-*

Quare pœnitentia Iudæ in utilis.

Pœnitentia quadru-plex, inutilis fructuosa, præseruatiua, dubia.

Vere pœnitentia quid.

nem abluit culpam, tollit reatum. Cæterum beatus apostolus Petrus, primò illis præcipit de præteritis peccatis dolere, quæ iam baptizantur, & uitam nouam inchoent. Et Actorum. 3. inquit ad Iudeos beatus Petrus: Pœnitentini & conuertimini, ut deleantur peccata uestra. Pœnitentini, hoc est dolere & displicite uobis de illis, quæ perperam commissistis: & conuertimini ad bonam uitam agendam & ad Deum uiuum, & uerum eius filium dñm nostrum Iesum Christum. Idem, beatus apostolus Paulus. 2. Corint. 7. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Tristitia displicentia est, & hæc displicentia pœnitentiam operatur. In eadem epistola cap. 12. inquit: Ne iterum cum uenero humiliet me Deus apud uos: & iugeam multos ex his, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt. Iam isti à peccatis recesserant: ideo dicit, qui ante peccauerunt: non ait, qui sunt in peccato, sed non egerunt pœnitentiam dolore, displicentia, & lugubri uita super peccatum impudicitiæ suæ. Ad Heb. 12. de Esau inquit: Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. Quoniam uenderat ius primogenituræ: fratri, & paritè adens quod à se dimiserat ob lentis edulium. Et Apoc. 2. angelo Ephesi dicitur: Memor esto unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Duo hic distinguit Ioannes apostolus: pœnitentiam, & prima opera. Pœnitentia dolor & displicentia est, quibus peccator recollit, unde à gratia excidit. Et prima opera facere, bonam uitam inchoare est. Item Ioel. 2. capit. Conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio, fletu & planctu. & scindite corda uestra. Et in propheta Iona: Rex indutus est sacco, præcepit ieiunium etiam peccatoribus in displicentiæ signum, & induti sunt sacco homines: Et uidit dominus non tantum nouam eorum uitam, sed opera, dolorem, ieiunium, & cilicium. Quæ omnia Lutherani fastidiosius, quæ dolet hæc agere caro, præmuntur à cilicio mèbra, debileq; efficitur à ieiunio corpus. At quò, inquit dñs scribis & pharisæis, fugietis à iudicio gehennæ? Et Iob. 42. cap. inter cætera quæ domino dixit, ait: Audiuimus auris audiui te, nunc autem oculus meus uidete. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Ne autem fastidiosus, fidelibus hæc sufficiant ad manifestissimis testimoniis comprobandum non esse pœnitentiã, bona opera cum fide in futurum agere, nisi simul adsit displicentia & dolor punientis in se quæ dolet commississe. Sciendum igitur à primi hominis lapsu pœnitentiam semper extitisse. Quod cam excellentissime deducatur à beato Thoma 13. Part. quæst. 74. non immorabor. Iob. in lege naturæ constitutus: Dimitte me, inquit, ut glutiani saluam meam, peccavi. Quis illum docuit diceret, peccavi: et pœnitentiã agere in fauilla & cinere, nisi is qui ex euangelio clamat: pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. In lege scripturæ etiam designati sunt plures pœnitentiæ modi, non tantum Lutherani istius nouæ inchoationis uitæ, sed satisfactorii præcedentium delictorum. Leuit. 5. offertur iuramentum non completo. Est & alia oblatio pro ignorantie peccato. Et Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, uita uiuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. Primo præcipit penitere & dolere de omnibus suis peccatis, deinde sequitur noua uita. Et custodierit omnia præcepta mea &c. Nec unquam memini me legisse in Ezech. quod in scolis sæpe a nostris doctoribus inculcatur. In quacumque hora ingenuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor: sed, si pœnitentiam egerit impius: & reliqua ubi supra retulimus. Nouum etiam testamentum, ut superius diximus,

Pœnitentia in omni lege.

sepe hanc penitentiam repetit. In omni igitur lege post peccatum penitentia fuit. Non ergo hæretici sacratissimam sacramentalem confessionem abhorreant: cum Iudei sepe offerebant oblationem, qua peccata manifestarent, iuramenti scilicet non adimpleri & ignorantia: ut prædiximus ex Leui. cap. 5. Habemus igitur inutilem penitentiam tribus ex causis. Veram autem penitentiam (ut ex omni scriptura constat) dolorem & displicentiam propter Deum, deinde non recidendi propositum continere: inque omni lege esse præscriptam penitentiam. Quam dominus nobis donet ueram & exactam de peccatis agere gratia sua, & illi & sacerdoti uerè confiteri: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS V SECUNDVS,

In XXVII. cap. beati Matthæi.

Penitentia præseruatiua.

Veram penitentiam explicauimus, qualis sit offendimus. Quæ uidelicet de præteritis dolet propter Deum: & quæ prius eligeret omnem penam sustinere sine culpa: quam culpam committere, & si nulla proinde (si possibile esset) daretur pœna, cum firmissimo proposito peccata deinceps uitandi. Hæc est noua uita, non illam quam sibi falso adscribunt heretici. Sepe falluntur penitentes ob defectum ueri propositi non recidendi: qui omnium tenentur, quoad possunt, occasionem peccatorum tollere: Qui enim hoc faciunt uere penitent, & his in sacramento confessionis uera peccatorum à sacerdote absolutio datur. Hoc firmum propositum non peccandi remouendo peccatorum occasio nes, & se debitis uirtutibus exercendo, dixerunt penitentiam præseruatiuam, quoniam ad hunc modum præseruatur peccator, ne in uita iterum relabatur. Hæc penè semper operibus sensibilibus constat, quibus punit in se præterita crimina, & ne sit recidua plurimis exercetur uirtutibus. Quoniam ergo hæc faciens diuina gratia præseruatur à culpa, nomen præseruatiuæ penitentiæ illi imponimus. Non tamen hæc penitentia præseruatiua sacramentum penitentiæ dicitur, quod ex cordis contritione, oris confessione, & satisfactione operis constat. Modum enim huius præseruatiuæ designat Dauid psal. 37. dicens Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. In eo autem quod dicit: Iniquitatem meam annuntiabo, auricularem & sacramentalem quam dicimus confessionem designare uidetur. Quod uero ait, Cogitabo pro peccato meo, præterita est ruminare delicta, & se punire quod doler. Porro in lege animalia ruminantia munda erant, non ruminantia uero immunda, Deut. cap. 14. Vitam igitur immutare, locum & conuersationem oportet, ut bene ruminet penitens exemplo Dauid, qui cum suggeret à facie prosequentis Saul, hoc est à facie persequentis peccati, uenit in Geth ad Achis regem Philistæorum, pri. Regu. 21. Ibiq; immutato ore insaniam simulauit, ne quis esset agnosceretur. Collabebatur enim inter eorum manus, & impingebat in ostia porte, desuebantq; saliuæ per barbam eius. Primò igitur immutauit uultum fatuum se simulans: ita scientiam commutare oportet, qui à peccatis uult præseruari, non utique Theologicam, uel philosophicam, siue iuridicam, sed mundam quam sequebatur antè sapientiam, hoc indignam nomine. Quamquam sic illam uocare placuit beato apostolo Paulo: Sapientia huius mundi, inquit stultitia est apud Deum. Hoc manifestissime ostendit idem beatus apostolus, pri. Corinth. 3. dicens: Si quis uideretur inter uos sapiens in hoc seculo, stultus factus sit sapiens. Ecce quomodo uultum mutare debemus. Item Dauid collabebatur.

batur in manus eorum. Qui autem in manus aliorum collabatur: non ipse cadit, sed alios aliquando in terram deicit. Non aliter qui de præteritis peccatis cogitat, & super illa plagendo collabatur, ad terram illi: prosternit, facitq; quod & consilius beatus apostolus Paulus & Roma. cap. 6. dicens: Humanum dico, propter infirmitatem carnis uestre. Sicut enim exhibuistis membra uestra seruire iniquitati & iniquitati ad iniquitatem: nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem: cum enim seruitis essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum, mors est. Nunc uero liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem uero uitam æternam. Stipendium enim peccati mors, gratia autem Dei, uita æterna, in Christo Iesu domino nostro. Membra igitur quæ peccatis inseruierunt, mortificando, & disciplina salubri super illa collabendo ab omni peccatorum offensâ præseruabuntur. Nec à mente decidat, quod ait apostolus. Stipendium peccati mors est. Quod idem Dauid aliis uerbis insinuat, psal. 54. inquit: Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos. Sunt qui dicunt hominum uitam hisce temporibus breuem esse: & philosophantur, uel eo quod iuuenis matrimonia contrahunt, uel quia terra senescit, & debiles profert fructus: at qui beatus apostolus Paulus, Stipendium, inquit, peccati mors est. Vbi ergo peccata superabundat mors etiam primo peccato in stipendium impensa; in omni hora peccantes grassatur. Viri namque sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos. Collabamur ergo cogitatione super peccata quæ admisisimus: & quemadmodum in manibus nostris nihil relictum est, præterquam culpa, meditatione assidua prestemus. Vultum, uitam, & mores immutemus, atque omnia in melius corrigamus. Impingebat etiam in ostia portæ. Porta est per quam in domum ingredi mur & regredimur. Nudus, inquit Iob, egressus sum de utero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Si semper in ingressu & exitu ex hoc seculo impingamus, non profecto minime proficiemus: Desuebat quoque saliuæ per barbam eius. Quod uel infantibus contingere solet, uel decrepitis. Idque innocentiam signat & nihil cupere terrenorum. Innocentiam ergo infantum & impotentiam decrepitorum eligentis, omne terrenum cum infantibus negligamus, fastidiumque omnium cum descrepitis habeamus. Sicque à peccatis præseruari mur gratia Christi, atque omni conatu præseruatiuæ penitentiæ iam præscriptam normam obseruemus. Alia penitentia dubia dicitur, cuius ad euidentiorém notitiam, oportet uirtutis spei meminisse. Quam beatus Thomas. 2. 2. quæst. 17. ait, pro obiecto habere arduum quoddam possibile. Expectans expectaui dominum & intedit mihi. Arduum nimis fuit Deum hominem fieri: quod sperare, ad spei uirtutem spectat. Arduum etiam est sperare, cum Deo in gloria perpetuo permanere: quod & uirtus spei expectare facit. Hæc autem habet duo aduersa uitia: quorum alterum per defectum, alterum per excessum fit, quemadmodum & uirtutes reliquæ, quarum situs in medio constituuntur. Horum igitur uitiorum, unum quo per defectum peccatur, desperatio est, cui Iudas succumbens laqueo se interfecit. Alterum quod in excessu uersatur, presumptio dicitur: qua quis temere cum hæreticis sine gratia & meritis se saluari posse confidit. Hæc igitur uirtus est diabolicæ, à spei uirtute magno interuallo distat, à qua oritur dubia penitentia, quæ est perseverantia, usque ad ultimum halitum in aliquo peccato mortali. Nimirum cum se quis uidet, uel ad suspendium trahi, uel in lecto a medicis de salute & uita ipsius desperari, tum deum penitet, qui nunquam ante hac uoluit uere penitere. De his beatus Augustinus libro de uera & falsa penitentia cap. 17. inquit: Penitentiam

Penitentia dubia,

non negamus. An autem debita illi dimittantur dubitamus, quoniam in illa hora qui penitentes peccata te dimiserunt, non tu illa Deo tamen omnia commisitimus, cui corda patent. Nec prætereundam demonis astutiam in hoc loco confitemur, qua plurimos aliquas uirtutes facere non prohibet, dummodo in uno mortali peccato detineantur, illosque securos, quoad potest, stans eorum reddit, qui cum se liberos & aliquibus uirtutibus adherere cernunt, se saluari posse confidunt: pauperes scilicet unum uel superbiæ, uel ambitionis & odii, seu carnis quodcumque mortale, cum se plurimis uideant uirtutibus exereci. Habet se Satanas ad huiusmodi homines non aliter, quam qui pede uenti humi defixo palo fune alligat. Er quidem homo securus dormit, equus uero huc & illuc discurrens uidentes depascit herbas, nec funem curat, quo detinetur uinctus. Sic qui uno detinetur mortali, longum illi funem uirtutum, tanquam de illius damnatione securus demon concedit, quatenus libere huc & illuc discurrens ac benefaciens non meminerit se pede teneri uinctum. Inuigilet igitur unusquisque ne aliquo mortali detentus, de quo nunquam uere penituerit, incidat in diem mortis, & tunc demum incipiat penitentiam habere, de qua dubitat Augustinus. Meliorem autem quam potest sibi statum eligat, nulloque mortali detineatur. Huius similitudinem habemus Iudi. cap. 9. Cum enim Gedeon septuaginta filios reliquisset, Abimelech unus ex illis omnes peremit, uno excepto qui se occultauit Ioas nomine, alias Ioatham. Hic autem populum uidens fratricidam Abimelech in suum eligere ducem, coacto populo parabolam illis proposuit, dicens: ligna petierant regem & adierunt oliuam. Que respondit non posse relinquere pinguedinem suam, & lignis imperare. Euntis porro ad ficum, ait. Non possum de frere dulcedinem meam, & uobis præesse. Recedentes autem adierunt uitem que dixit: Non posse relinquere sui fructus suauitatem & lignis præfici. Omnia ergo ligna ingressa sunt ad rhamnum arborem spinis undique circumseptam & punctuonibus aptam, que libenter scepra suscepit, & lignis sanguinolenter imperauit. Hac similitudine Ioas uoluit populum increpare, quod sanguinolentum Abimelech ducem sibi præficerent. Non igitur quisquam spinosam rhamnum mortalis peccati ducem super se constituat. Nam & si uiriditate aliarum uirtutum polleat, si usque ad horam mortis in uno mortali peccato obstinatus perliterit, cruentatus ac laceratus ab aculeis rhamni recedet, & si penituerit, penitentiam illi non negamus. Quanquam de salute eius beatus dubitat Augustinus, cum peccata illum dimiserint, quibus iam amplius obsequi moriens non licuit. Non ergo ille peccata reliquisse uideretur, qui quoad potuit illa sibi retinuit. Magna illi misericordia necessaria est, magnaque gratia, quatenus sic sciat conteri & dolere, quod uerâ consequatur ueniam ad salutem. Habemus igitur ueram penitentiam, utcumque explicatam aduersus Lutheranos hæresim. Habemus & præseruatiam, dubiam etiam & inutilem Iudæ. Unusquisque igitur ueram penitentiam agat, ut ueniam consequatur, dum uiuit. Venit nox, inquit dominus Ioa. 9.

in qua nemo potest operari: Dum lucem ergo habemus, ueram pro peccatis penitentiam agamus, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

T R A -

TRACTATUS TERTIUS,

In XXVII. cap. beati Matthæi.

OCCASIONE inutilis penitentiae Iudæ, uerâ penitentiam utriusque attigimus, tu & præseruatiam, dubiam, inutilemque; aboluimus. Considerandum etiam est quam sit difficile restituere famam, quam quis denigravit coram principibus huius seculi. Quam & Iudas minime restituendam curauit coram sacerdotum principibus, qui Pilato dominum tradidere: nec etiam coram Pilato uel Herode. Hinc fit ut si quis famam alterius abstulit coram hominibus popularibus, illi persuaderi posse ad restitutionem, & palinodiam canere. Ceterum si coram rege uel prælato magno quis aduersus proximum imponat crimen, ad dubito ne forte unquam restituat. Quamobrem ipsi deberent principes detrahentibus obuiare, & illos serio præmonere ubi crimen de aliquo ad se detulerint, non uereri (si recordentur uel ad eorum notitiam uenerit aliter se rem habere) que perperam locuti sunt, iterum emendare. Consueuere namque mundani homines dicere. Si ego Regi reperiero falso me detulisse crimen, qualem me Rex opinabitur? omni decidam apud illum existimatione, ut nec mihi deinceps nec meis prodesse possim. Caueant igitur ne proximis detrahant, qui Regum & principum negotia tractant, ne unquam in tam graue periculum incidant, ut opus sit uel Deo, famam non restituentes, in æternum priuari, uel restituentes a familiaritate Regum decidere. At pessimi qui aderant in templo principes sacerdotum & seniores dixerunt Iudæ. Quid ad nos? in uideris. Quasi nihil illos res tangeret, cum & ipsi forent captiouis domini rei, qui ipsum innocentem nouerant. Sed ut uulgo nostrati dicitur, pignus maiori tenebatur scenore: quando ipsi principes sacerdotum odio & inuidia concitati, ac nimia cupiditate & malitia obæcati, innocentissimi domini Iesu sanguinem stiebant, dicentes, Sanguis eius super nos & super filios nostros. Et proiectis argenteis in templum recessit. Sacerdotes enim cum ad illos peccator accedit, benignos esse oportet, alios peccatores in desperationem inducent, quemadmodum & isti Iudam ad desperandum iuuarunt. Tenebantur enim, bene consulere, & cum illo adire Pilatum & ceteros sacerdotes, & ad penitentiam illum prouocare. Ipsi uero aiunt: Quid ad nos? Ad quem igitur si non ad uos? Quid ad nos? tu uideris. Et proiectis argenteis recessit, & abiens laqueo se suspendit. Et suspensus inquit beatus Petrus Acto. cap. primo, crepuit medius, & diffusa sunt omnia uiscera eius. Perit ergo infame corpus in terra, & in infernum traditur infelix anima, & cuius uiscera in innocentissimum dominum nulla sunt pietate commota diffunduntur in terram, ut sic crudelis crudeli morte periret. Beatus Hiero. ait plus Iudam peccasse desperando, quam dominum tradendo: Quoniam desperatio peccatum est contra spiritum sanctum. Ideoque quisquis peccauerit quantumque nefandum sit crimen, de uenia non desperet: quin potius uiros probos & peritos adeat, & pure confiteatur prudenti sacerdoti, & dominus miserabitur eius, cuius miseratio nes sunt super omnia opera eius. Duri cordis peccatum in peiora rueret peccatorem facit. Ecce Caim duritia cordis tactus, odioque in fratrem concepto innocentem Abel, quanquam a domino esset præmonitus: Quare, inquit, occidit uultus tuus? Non ne si bene egeris recipies? Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius, nihilominus fratrem occidit, & ex occasione subsecuta est desperatio peccato grauior primo. Iudas a domino torrens monitus & cō-

minatus

minatus non destitit a duritia cordis, uendiditque dominum, & subsecuta est desperatio. Connectuntur mutuo uitia, ueluti catena quadam, & saepe alterum pender ab altero. Quamobrem beati Gregorii consilium optimum est: nimirum cum peccas, ut illico poenitentiam agas, sacerdotem quaeras, ut uere & pure confitearis. Nam peccatum quod statim poenitentia non deletur, suo pondere ad aliud trahit. Indignatur Iudas cupiditate commotus contra Magdalenam, eo quod fracto alabaistro unguentum effuderit super caput domini. Porro a cupiditate proditio, a prodicione desperatio, a desperatione suspensio, a suspensio decidit in infernum Iudas. Qui si in initio cupiditatem & auaritiam cohibuisset, & a se abegisset, in tantum malorum chaos forte non incidisset. Prudentes igitur uiri principii obuiare consueverunt, *Principes autem sacerdotum accepit argentis, dixerunt: Non licet eis mittere in corbanam.* Corbana idem quod gazophylacium est, nempe locus in maiore atrio templi, quo oblatae templo pecuniae adseruabatur, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum siguli in sepulchrum peregrinorum. Propter hoc uocatus est ager ille *Acheldemach*, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Pretium quo dominus uenditur in sepulchrum peregrinorum corporum exhibetur: ipse autem uenditus in animarum redemptionem & peccatorum pretium datur. Sanguinis ergo pretio ager sanguinis comparatur. Caueant autem fideles ne nunc forte huiusmodi ager apud illos sit. Quem sanctorum intra domum suam ex innocentium sanguine comparatum, quicumque rapina & latrocinio uiuit. Sanguinis agrum etiam possidet, qui obsequiis & muneribus corrumpit iustitiam. Consueuere namque seculi huius filii, cum apud eos de re aliqua suboriri coeperit controuersia, iudici praemittere munera, ut eius fauorem sic aucupentur. Iudex uero muneribus ueluti iactio cinere obcaecatus, iam agrum sanguinis iudicat ei, qui munera dedit, cui omnia iura fauent, licet omni iure sit destitutus: nempe quia munera dedit. Caeterum cum saepe mecum admirarer & studiosa quadam indagine perscrutarer, unde fieri posset, ut si quando uiri probi aliquod haberent negotium, omni destituerentur fauore, nec nullum pro se inuenirent intercessorem, cum prauis & iniquis homines satis haberent multos, reperi bonos uiros innocentiae suae fretos nulli offerre munera: iniquos uero cum habenas uitiis laxare coeperint, iudices & magistratus & alios uiros nobiles muneribus datis circumuenire, ut gratiam eorum inuicent, & possint cum opus fuerit eos habere propitios. Qui pauperes, orphanos uiduasque insequitur, is etiam agrum sibi sanguinis emit, rationem redditurus ei qui se patrem orphanorum, & iudicem uiduarum dicit, *Pla. 67.* Agrum etiam sanguinis donat, qui bona ecclesiae consanguineis & amicis contra iuris formam inique tribuit. *Tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appetiati, quem appreciauerunt a filiis Israel, & dederunt eos in agrum siguli, sicut consiuitis mihi dominus.* Vaticinium hoc, quo probatur domini Iesu triginta argenteis consummatam uenditionem fuisse apud Zachariae, cap. 11. reperitur in hac uerba conscriptum: Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit dominus ad me: Proiice illos ad statuarium de coram pretium, quo appetiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domo domini ad statuarium. Apud Hieremiam 32. capite, legitur, prophetam agrum emisse in Anathoth, quod significat obedientiam. Intellexi autem, inquit propheta, quod uerbum domini esset, & appendi ei argentum septem stateres & & decem argenteos. Et scripsi in libro & signaui & adhibui testes. In hoc quod ait propheta intellexisse emptionem agri uerbum domini esse, uidetur hanc

de

de qua loquimur significare. Quod & beatus Augustinus lib. 3. de consensu euang. cap. 6. sic accipiens, ait: In utroque propheta pretium uenditionis domini haberi. In Hieremia emptionem agri, in Zachariae pretii quantitatem & protectionem in domo domini: Verum cum Hieremia sit unus ex prophetis maioribus, euangelista prophetiam in utroque praescriptam, potius Hieremiam quam Zachariae tribuit. Quamquam beatus Hieronymus in hunc locum dicat: Legi nuper in quodam Hebraico uolumine, quod Nazarenae sectae mihi Hebraeus obtulit, Hieremiam apocryphum, in quo haec ad uerbum scripta reperit. Nos uero beati Augustini expositionem sequentes, cum legimus agrum emptionem ab Hieremia & illum intellexisse uerbum domini esse: hoc est, ad aliquod mysterium significandum dominum haec fieri praecipisse, cumque in Zachariae pretium reperimus & in templo argenteorum protectionem, existimamus ab utroque propheta sumptum euangelistae testimonium, Hieremiam tantum citato nomine, quoniam de maioribus in ordine secundus est. Ipse dominus pretium nostrum, ipse & ager est: quo in baptismo sepelimus in similitudinem mortis eius. Ipse est sigulus & plasmator noster, & nos uasa eius. Hanc ego reperit similitudinem, beato apostolo Paulo acceptam refero, qui ait ad Roman. cap. 9. An non habet potestatem sigulus lutum ex eadem massa facere aliud quidem uas in honorem, aliud uero in contumeliam? Atque utinam nos uasa in honorem & non in contumeliam fabricata simus: ut exinde uitam consequamur eternam gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in aeternum. Amen.

TRACTATUS QVAATVS,

In XXVII. cap. beati Matthaei.

IESVS autem scitis ante praesidem, & interrogauit eum praeses, dicens: Tu es rex Iudeorum? Dixit illi Iesus: Tu dicis. Et cum accusaretur a principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum uerbum, ita ut miraretur praeses uehementer. Quoniam inter haec quae breuiter beatus Mattheus perstringit, plura inter dominum, Pilatum, & Iudaeos intercesserunt, oportet nunc secundum omnes euangelistas etiam illa quae gesta sunt suo referre ordine. Ioannes, Adducunt ergo, inquit, Iesum a Caesaria in praetorium, erat autem mane: & ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha: septem uidelicet diebus azyma, agno iam nocte praecedenti immolato. Exiit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem adfertis aduersus hominem hunc? Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor non tibi tradidissemus eum. Dicit illis Pilatus: Accipite eum uos, & secundum legem uestram iudicate eum. At illi dixerunt, Nobis non licet interficere quemquam. Timentes uero, ne Pilatus dominum Iesum dimitteret, cum nullam adferrent peculiaris criminis accusationem: Tantum enim dixerant: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum, accusationem tunc expresserunt secundum Lucam, dicentes. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Caesari, & dicentem se Christum regem esse. Tunc sequitur beatus Mattheus, refertque Pilatum domino dixisse, Non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum uerbum, ita ut miraretur praeses uehementer. Miratus ergo Pilatus de Iesu, quod cum omnis reus maxime excusationem suam pretendat, ipse taceret. Secundum

cum Ioannem, Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & uocauit Iesum: Matthæus, Iesus autem stetit ante præsidem & interrogauit eum præses dicens: Tu es rex Iudæorum? Ioannes, Et respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Numquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit ei Pilatus: Ergo rex es tu? Matthæus & Iohannes: Respondit Iesus, Tu dicis: Ioannes, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati. Omnis qui est ex ueritate audit uocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est ueritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, & dixit eis: Ego nullam in eo inuenio causam. Lucas, commouit populum, docens per uniuersam Iudæam, incipiens a Galilæa usque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et ut cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem uiso Iesu, gaudens est ualde. Erat enim ex multo tempore cupiens uidere eum, eo quod audiret multa de illo, & sperabat aliquod signum uidere ab eo fieri. Interrogabat autem illum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat: Stabant autem principes sacerdotum, & scribæ, constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illudit ueste alba, & remisit ad Pilatum. Hæc concordia & connexio euangelici textus elicitur ex beato Augustino de consensu euangelistarum lib. 3. Et ex beato Antonino pri. parte historiali, titulo 5. in principio. His ita digestis ad expositionem, nunc accedamus. Non igitur aliquam accusationem proposuere Iudæi, sed sua auctoritate uolebant dominum si possent damnare, dicentes: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum. Similes his sunt magnates quidam qui pauperes sua potentia nituntur subuertere, nolentes plus suis dictis tribui, quam ueritati. Iudæis tamen Pilatus non acquiescit. Nam cum de uita aut fama alienius agit, sine accusatione & defensione rei non licet agitari causam. Id autem uidentes Iudæi tres illas quas dixit Lucas accusationes proposuerunt, quibus non respondens dominus, Pilatus uehementer admiratus est. Non opus erat consultatione in his tam deuotis accusationibus. Qui enim salutem præstabat gentibus, non subuertebat gentem. Qui dixerat: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, non consulebat non dare tributa Cæsari. Qui regnum abhorruit, cum populum regem illum constituere uellet post saturationem quinque millium hominum, & discessit, seque abscondit: non se temporalem dicebat regem. Relictis ergo primis illatis accusationibus, ad tertiam Pilatus rediit, quærens si esset Rex Iudæorum. Quod si Pilatus a seipso qui erat gentilis quæreret, de regno temporali quærere uideretur: si ex Iudæorum ore, de regno Messie, propterea dominus quærere uidetur. A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Pilato autem respondente: Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, declarauit illi dominus regnum Messie, dicens: Regnum meum non est de hoc mundo. Beatus Augustinus ait. Non dicit dominus non est in hoc mundo, quando ipse est rex dominus cæli & terræ, sed de hoc mundo. Non enim regnat ad regum terræ instar, qui terrena possident, & illa suis ministris præstant, sed est rex gratiæ, rex ueritatis, rex gloriæ. Regnum tuum omnium seculorum, Psalm. 143. cuius imperium super humerum eius. Non enim terram super humerum baiulant reges. Baiulat autem Christus gratiam & ueritatem, & quæ nos redemit crucem. Zach. cap. 9. Ecce rex tuus

enus uenit tibi iustus & saluator, & ipse pauper sedens super asinam & super pullum filium asinæ. Cum autem inferret Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit dominus: Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati. Natum in regno beatitudinis est ab æterno Dei uerbum, in se semper beatum: secundum utique hominis portionem Christus beatus est in ipso primo instanti suæ benedictissimæ conceptionis de spiritu sancto, ex pretiosissimo sanguine uirginis. Vel ad hoc natus sum & in mundum ueni, ut testimonium perhibeam ueritatis diuinæ, quam Deus promissit daturum se pro redemptione mundi. Veraces oportet sint, quicumque uolunt de regno esse Christi: & hæc amicitia est Christiana cum amicis amico non adulatur, quin potius ueritatem dicit. Regibus etiam nimis esset utile, si semper illis sui uera loquerentur, nec assentionibus nec mendacijs fallerent. Cæterum reges cum ueritatem quærunt, non uultum auertant: quemadmodum fecit Pilatus, qui quærens a domino: Quid est ueritas? illico se ad Iudæos conuertit, quid esset ueritas non audire uolens. Sed aduertendum quomodo Pilatus de primis accusationibus minime curat, sed de regno: quoniam hoc præcipuum erat. Sic de præcipuis nobis cura semper sollicita esse debet, non de friuolis & mundanis rebus, sed de perpetuo duraturis, anima scilicet & regno Dei. Satisfactus Pilatus de negotio regni, exiens foras nullam se inuenire causam ad condemnandum Christum asseruit. Tunc addiderunt Iudæi: Commouit uniuersam Iudæam, incipiens a Galilæa. Pilatus igitur dominum ad Herodem mittit: qui curiosus scrutator maiestatis diuinæ factus, ac uolens signum uidere non datur ei. Qui enim uerè salutem a domino quæserunt, leprosi, paralytici, demoniaci, cæci, claudi, surdi, & qui quocumque alto morbo laborabant, integram salutem consecuti sunt. Herodes uero scrutator improbus, sperans signum aliquod a Christo fieri, nec responsum nec ullum uerbum accepit ab ore domini. Qui terrena, ut uestes delicatiores, corporis & gressus gestum, ornatum & his similia curiose nimis sectantur, non merentur ut coram illis miracula fiant. Spreuit autem Herodes dominum cum exercitu suo, & illudit indutum ueste alba, & ad Pilatum remisit. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: Nam antea inimici erant adinimicem. In hoc designatum est, gentes amicitiam cum lege & prophetis inuituros, domini recipientes fidem, & figuris legis & uerbis prophetarum credentes, qui antea legis & prophetarum inimici erant. Videant ergo qui Christum in aliena ueste illudunt, beneficia & officia dantes, quibus non licet, tam prælati quam reges. Herodes pro illusione domini iuste infernum meruit, quod & consecutus est, & pannosam uestem, qua illudit dominum, perdidit. Ita indignis beneficia & officia dantes ad infernum properant, & ea quæ sua sunt largiuntur. Perperam igitur distribuentes sua dissipant, pariter & damnationem acquirunt: quod satis inutile peccatum est, quod dando & nihil recipiendo, committitur: quando & homo sua largitur, insuper & animam perdit. Videant etiam officiorum & beneficiorum intercessores, quos dominis suis dignos proponunt, ne aliquos in ueste alba, alios in ueste nigra obrudant. Et ne uestes, hoc est merita hinc inde commutent, album pro nigro, & è conuerso nigrum pro albo ingerentes. Nam qui scienter beneficium, uel officium, uel ordinem sacrum indigno confert, omnium peccatorum, quæ indignus in suo beneficio ordine uel officio ex defectu comiserit, particeps efficitur. Propterea beatus apostolus Paulus monebat suum discipulum Timotheum, dicens: Manus cito nemini imposueris: nec cõcaueris peccatis alienis. Idem dicendum de illis, quorum exemplo cæteri uel hæretici sunt, uel et peccat. Quemadmodum beatus Augustinus

pena Arii nondum est finita (accidentalem penam oportet intelligi) quoniam augetur, quotiens quis eius erroris particeps efficitur hæreticus. Similiter ait beatus Antoninus. 4. part. tit. 14. cap. 5. §. 9. Augetur etiam demoni pena accidentalis, quando aliquem facit peccato mortali succumbere. De angelis autem & sanctis, doctores in 2. Sententiarum dist. 11. & Io. Gerson in sermone de omnibus sanctis, qui incipit: Exultabunt sancti in gloria, ait: Dicunt quia angeli & beati quorum vel inductione vel exemplo ad bonum prouocamus & facimus, letantur accidentaliter. Quod expresse dominus insinuauit, dicens Luc. ca. 15. Ita dico uobis gaudium erit angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente. Hoc ergo exemplo ducti studeamus proximis optime consulere, monita & exempla illis exhibeamus salutis, iustitiæ, & uirtutis, quo semper gaudii nostri cumulus augetur, bonis semper operibus insistentes, & ita ceteros exci- tantes ad bonum, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUINTVS.

In XXVII. cap. beati Matthei.

PER diem autem solemnem consueuerat præses populo dimittere unum uisum, quem uoluissent. Habebat autem tunc unum uisum insignem, qui dicebatur Barrabas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus. Quem uultis dimittere uobis, Barrabam, an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi est in isto illi, multa enim passa sum hodie per uisum propter eum. Principes autem sacerdotum & seniores, persuaserunt populo, ut peterent Barrabam, Iesum uero perderent. Respondens autem præses, ait illis: Quem uultis nobis de duobus dimittere? At illi dixerunt: Barrabam. Dixit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine iusti huius: uos uideritis. Et respondens uniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Reuerso de domo Herodis domino uolens Pilatus illum eripere, dixit Iudæis, nec se nec Herodæ cui eos remisit cum Iesu, inuenisse in eo causam mortis. Per liberationem paschalem igitur proposuit illis Barrabam, qui erat latro & in seditione fecerat homicidium. Ceterum quid prodest iustitia cum improbo aduersario ac debili iudice. Pilatus enim iudex iniquus erat & meticulosus, Iudæi uero maligni, proterui, & persistentes in malo, qui potius uoluerunt Barrabam seruare latronem & hominem seditiosum, ut occideretur innocens agnus & autor uiræ Iesus. Sciebat autem Pilatus quod per inuidiam dominum tradidissent Iudæi nihil boni in dicitis agit. Quod autem uxor Pilati misit ad illum pro liberatione Iesu, in eo interuallo temporis, quo principes sacerdotum persuaserunt turbis ut Barrabam peterent, Demonis consilium fuit, uolens si posset eripere dominum, iam suspicans se illius morte spoliandum, & humanum genus redimendum, cum scripturam adimpleri & domini patientiam cerneret. At qui sero eo consilio demon usus est. Ipse namque præcedente nocte post buccellam in cena traditam Iudæ, introiit in illud: & quanta diligentia tunc mortem domini procurauit, tanta nunc sollicitudine, impedire nititur, sed non ualet. Ideoque unusquisque peccator seipsum confidat, ne tanto feruore in uitia ruat, ut cum resiliere uelit non possit, præsertim cum à peccato absque speciali auxilio Dei resurgere non possimus. Timeat unusquisque,

unusquisque, cum per se solus resurgere ab uno mortali peccato non possit, ne forte non mereatur auxiliari, ut a plurimis resurgat sceleribus. Sub bona similitudine ad uxorem Pilati uenit diabolus: ne Romanum periclitetur imperium, ne sceptrum Cæsaris cadant, ne Iudæa pereat. Sic faciunt plurimi qui bono simulato pretextu, quæ sibi noxia sunt pellere adnituntur, simulantes in gratiam illius quem fallere cupiunt hæc agere. Quemadmodum & pueri si in angulo occultent faciem, claudantque oculos, cum ipsi se non uident, existimant ab aliis etiam non uideri, quorum corpus omnibus patet. Ne ergo existimet quisquam, se non uideri, cum inique agit. Nam & Deus patet, & si negotium quempiam tangit, etiam sentitur ab illo quem iniquus fallit. Oporteret quippe principum agentes negotia, & qui regni exerceant officia cum primum regimen accipiunt intrare quatuor, ne in suis officiis peccent: uidelicet non se habituros cognatos, non familiares, non amicos, non inimicos. Nec se latere existimant, cum sua querunt, potius quam quæ reipublicæ utilia sunt. Nam nihil horum latere potest, cum plurimos habeant id genus homines affectatores. Interea dum hæc per nuntium agit uxor Pilati persuaferunt turbæ sacerdotes iniqui, ut Barrabam peterent, Iesum uero perderent. Hæc duo simul maligni in cor populi submiserunt, domini scilicet mortem, & liberationem homicidæ latronis. Iudæi homicidæ similibus præstant uitam. Quem uultis uobis de duobus dimittere? Barrabam inquit. Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Origenes breuissime quidem, sed nimis profunde unico adnotat uerbo hanc turbæ suasionem, dicens: Credunt turbæ principibus & sacerdotibus suis. Quapropter nimis cauendum est, ne aliquando talis sacerdos sit, qui plebi sibi commissæ praua situdeat: ne princeps etiam talis sit, qui subditis quod non decet præcipiat. Omnes una uoce dixerunt: Crucifigatur. Non potuit diabolus iam a corde illorum amouere, quod prius immiserat. At nunc oportet subicere, quæ hic interferit beatus Ioannes: Si hunc dimittis, (dixerunt Pilato Iudæi) non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit contradicit Cæsari. Et adduxit eum foras dicens: Ecce rex uester: &, Ecce homo. Semper enim Pilatus reuinit in dominum tantisper sententiam ferre, dum illi obijciatur: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Timore enim mundano fragilis iudex iniquam sententiam protulit, condemnans innocentissimum dominum. Hic consideranda uenit Cæsaris authoritas, quantum inter homines possit: adeo ut si uelint reges, quemadmodum & plura mala, ita & multam in populis augeant uirtutem. Ipsi enim munera & honorum sunt distributores, quibus homines maxime quocumque uertuntur. Principi itaque facile erit, in suis uirtutem augere, modo norint officia & honores non nisi studio uirtutum illum donaturum. Tunc lauit manus Pilatus, dicens: Innocens ego sum a sanguine iusti huius. Si illum iustum dicis, quare condemnas? si illum damnas o iudex inique quare manus lauas? cum cor & conscientia inquinata maneant? Didicerat hypocrisis & iniustitiam a Iudæis Pilatus. Quem innocentem fatetur damnat, lauatque manus, perueritque iustitiam, ac nullo iuris seruato ordine tantum ad sunt acculatores. Ipse namque iudex nouit testes inimicos esse domini capitales. Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. Neque etiam causa per aliquot tractatur dies, sed a mane usque ad tertiam horam, quæ est hora nocte secundum nostram computationem. Damnatur igitur ad mortem Christus & Barrabas latro & homicida seditiosus in carcerem mittitur, ut illius causa sedulo examinetur, & maturum de eo proferatur iudicium. Causa uero innocentissimi domini

mini Iesu tribus ferè agitur horis, damnaturq; ad mortem. A uero domine iam ipse agnosco peccatum meum, quo merui tanta celeritate puniri, quanta tu, o pietissime Iesu, ut ego liberarer uelocitate damnaris. Ideoque facinorosus latro absoluitur, ut cognoscamus per tuam mortem nostra delicta facinora, liberari homicidas, absoluiq; latrones. Attendant iudices, ne lauent manus, ad innocentes damnandos: nec se a iudicando eximant, ubi senserint contra amicos & coniunctos sanguine se prolaturos sententiam. Hoc enim peccatum grauissimum est: quoniam coram alio iudice necessarium est negotium, cuius cognitionem non habet, in dies aliquot, ne dicam plurimos, quod plerunque fit, dilatarj: & sic una pars litigantium leditur dilatione. Reges quoque & principes nõ decet a negotijs manus lauare, si ex hoc iustitiam perueriti consistat. Nec donanda suis committant officialibus, & sibi neganda referent: sed uice uersa officiales quę neganda & donari non conuenit postulanti- bus indicent: ipsi uero reges quę donanda sunt tribuant. Dominus enim duo sibi tantum donanda reliquit, gratiam nimirum & gloriam, quę sunt eius præcipua. Gratiam & gloriam dabit dominus, Psalm. 63. Peruersi Iudæi responderunt omnes: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Vide quid agat odijs & inuidię rabies: Et super filios nostros. Sicq; euenit eis, quemadmodum hanc sibi maledictionem imprecari sunt. Nam super illos & super filios, & nepotes, & omnes eorum posteros peruenit ira Dei usque in finem, ait beatus apostolus Paulus prim. ad Thessal. 2. cap. Dissipati sunt, datiq; sunt in dispersionem in uniuersum orbem. Populus securus est peccatum, & iniustitiam principum sacerdotum. Datur igitur in dispersionem cum illis. Sic beatus Augustinus ipsi de ciuitate Dei cap. 9. dominum bonos simul aliquando cum iniquis punire tradit, quoniam iniquorum mala dissimulant. Quanto autem magis ingratus populus cum iniquis eorum sacerdotibus in dispersionem traditur? Sic nempe contigit Heli sacerdoti, pri. Reg. 2. capit. quorum filij tollentes de sacrificijs quę domino offerebantur carnes, antequam immolarentur, retrahebant Iudeos, ne oblationes offerrent. Quos cum pater grauiter corripere debuisset, paucis & blandis increpauit uerbis: Nolite, inquit, filij mei: non enim est bona fama, quam audio: & his similibus blande rexit. Qui cum in sua persisterent auaritia, dominus dixit: Quare calce abiecistis uertimam meam, & munera mea quę præcepi ut offerrentur in templo: & magis honorastis filios quàm me, ut comederetis primitias omnis sacrificij Israel populi mei? Et infra: Hoc autem erit tibi signum, quod uenturum est duobus filijs tuis Ophni & Phinees, in die uno morientur ambo: & suscitabo mihi sacerdotem fidelem. Post hæc nuntiauit quidam Heli, ut traditur eodem prim. Reg. cap. 4. Duo filij tui mortui sunt, Ophni & Phinees, & arca Dei capta est. Cumq; ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. Senex enim erat uir & grandæuus, & filiorum peccata dissimulauit, nec debita coertione retraxit, & pœna multauit. Illis mortuis, moritur simul & pater. Ita quoque Iudæi, quoniam consenserunt prauis principibus sacerdotum, simul cum sanguine eorum traduntur Romanis. Nec conuerantur de aliquo alio quàm de se ipsis. Quippe dixerunt: Sanguis eius super nos & filios nostros. Et quia non crediderunt prædicente domino uastationem futuram Hierusalem, cum fleuit super ciuitatem: deinde cum diceretur ad mortem ipsum plangentibus mulieribus. Oculis igitur proprijs urbem suam uastatam conspiciunt, & quam non crediderunt domini sententiam experti suat: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRA-

TRACTATUS SEXTVS,

In XXVII. cap. beati Matthæi.

Tunc dimisit illis Barrabam: Iesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in pratorio, congregauerunt ad eum uniuersam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius: & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudeorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum uestimentis eius, & duxerunt eum, ut crucifigeretur. Exentes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariauerunt, ut tol- leret crucem eius. Et uenerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Caluarie locus. Et dederunt ei uinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere. Ad ampliore[m] notitiam eorum, quę in presenti tractatu dicenda sunt, aduertendum est ex passione domini omnia bona humano generi prouenisse, ut luculenter profecquitur beatus Thom. in 3. par. quæst. 48. & 49. Hinc enim prouenit peccatorum redemptio, cum pro nobis dominus satisfecerit, & a potestate demonis & mortis nos eripuerit, & gratiam largitus fuerit, qua gloriam consequamur. Primum refert beatus apostolus Paulus pri. Corin. cap. 1. dicens: Qui factus est nobis a Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. De secundo beatus Ioannes: De plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia. Paulus quoque ad Ephes. 2. cap. Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati, & concitauerunt & confedere fecit in coelestibus in Christo Iesu. Nec dubites caput pro omnibus soluere membris. Latrocinium commisit fur, manusq; aliena rapuit, capite suspenditur: occidit quis hominem, capite plectitur: peccauerunt homines facti sumus rei: Venit Christus in mundum caput hominum, occiditur caput pro omnibus membris, debitumq; æterni patri persoluit. Ad satisfaciendum igitur pro nobis flagellatum dominus. Inquit euangelista: Dimisit illis Barrabam, Iesum autem flagellatum tradidit eis. Quot sustinuit flagella euangelista non dicunt. Dauid uero inuit & Esaias, plurima fuisse flagella: Et sui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis, psal. 72. Et Esaias cap. 53. Et nos putauimus eum quasi leprosum. Quod propter flagella accipiendum censeo. Nam ex crucifixione caro non habet maculas leproforum, sed ex ictibus flagellorum. Nos igitur imitatione domini flagellemur non tantum funibus & fustibus, sed potius repressioe prauæ nostræ uoluntatis. Qui enim in se cupiditates peruersas reprimat, hic se uerissimis flagellis cædit. Qui affectum iniquum obtundit, se durissimo flagello percutit. Ad fructum igitur crucis quisquis accedere uelit, atq; inde suauia carpe- re uirtutum poma, flagellatus accedat, propriæ uoluntatis & corporis repressis cupiditatibus. Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in pratorio, congregauerunt ad eum uniuersam cohortem: & exuentes eum in chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius: & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudeorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem & percutiebant caput eius. Ioannes: Et ueniebant ad eum, & dabant ei alapas. Omnia hæc ludibria existimo Iudeos pessimos ad- inuenisse,

inuenisse, & rogasse Pilati milites, ut eum ad modum Christo illuderent. Cur enim gentiles uellent sic dominum uituperare? cur coronatum spinis ueluti regem consalutare? Non hic uictus prætermittantur, alba Christus deluditur ab Herode, albis quoque episcopi & clerici induuntur. Coccinea ueste illuditur a militibus Romanorum. Hac etiam conteguntur sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales: ut meminerint omnes dominum imitari, ut procurrent peccata sua in sanguine agni & purissimis sacramentis ablui, ut sciant reddituum quibus aluntur rationem exactam Christo reddituros, qui hanc uincam suo plantauit sanguine. Beatus Matthæus hæc recapitulando dixit. Quoniam priusquam Pilatus dominum Iudæis traderet, fuit flagellatus, coronatus, atque illulus. Exiuit Iesus, inquit beatus Ioannes, portans spineam coronam, & purpureum uestimentum, & dixit Pilatus: Ecce homo. Tunc dixerunt, si huc dimittis, non es amicus Cæsaris. Spinæ huius coronæ intra carnem & ossa capitibus impactæ sunt; atrocissimis punctationibus sacratissimum caput Iesu lacerantes. Qui toto uultu & crinibus cruore respersis dissimilis apparuit. Vnde Esaias inquit cap. 53. Nec reputauimus eum, & quasi absconditus uultus eius. Idem propheta cap. 50. ait: Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus me, Dominus Deus auxiliator meus, & ideo non sum confusus. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas uellentibus. Beatus Hieronymus notat nescisse milites quid agerent, designantes omnia regna mundi esse uana & lubrica, cum præteriti gentium reges ad inferna descenderent, regnū uero domini in perpetuum duraturum, regesque credentes in eum gratia sua saluari, & a regno temporali in cœleste regnum transire. Comitata Christus dominus celebrat purpuratus & coronatus ludibrio, ut nostras illusiones rex iustitiæ soluat, & leges populo suo obseruandas statuatur, ne quis scilicet amplius superbus sit, uidentem illum sic ludificatum. Ne quis rex de corona sibi gloriatur, sed de fide & bonis operibus. Ne quis infulatus pontifex extollatur, cum cernat dominum suum coronatum spinis. Ne quis inuidus sit, cum tanta pro omnibus charitate sit ipse dominus passus. Ne quis odia nutriat, cum nos tanto amore diligat. Ne quis incontinens sit, cum eius uideat corpus cruentarum flagellis, ac penè lacerum. Ne quis se auaritiæ dedat, uidentem è toto corpore & capite eius sanguinem fluere. Porro hic mecum omnes uellem considerare grauitatem mortalium delictorum, pro quibus dominus ut satisfaciatur, uexatur ludibriis, tantis sputis eius foedatur facies, tamque atrociter flagellatur, & spinis durissimis coronatur. *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum oblamydem, & induerunt eum uestimentis eius, & duxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariauerunt ut tolleret crucem eius.* Ioannes uero ait: E baiulans sibi crucem exiuit in eum qui dicitur Caluarie locus. Beatus Augustinus & beatus Hieronymus dicunt: quod Christus exiuit a domo Pilati, baiulans sibi crucem. Cum uero sellus lento procederet gressu, Iudæi ne forte Pilatus sententiam reuocaret, angariauerunt Cyrenæum. Tunc, dominus locutus est mulieribus plangentibus, secundum Lucam, dicens: Filix Hierusalem, nolite flere super me, sed super uos ipsas flere, & super filios uestros: annuntians illis uastationem ciuitatis. Tunc uel quia Simon Cyrenæus sellus progredi non poterat, uel quia dominus locutus fuit mulieribus, tanquam iam uires ad baiulandum crucem resumptas haberet: iterum imponunt illi crucem, quam usque ad Caluarie locum portauit, forte ipso Simone retro crucis stipitem dominum ferre iuuante. Sic dominus sub cruce premitur, omnem suum sanguinem super illam pro nobis fusus. Onus nunc est crux illi, mox ille pondus cruci futurus. Cum crucem baiulat,

& adiu-

& adiutorio Simonis subleuatur, ostendit quod iam aliàs annotauimus, nos etiam crucem illius portare necessarium esse, ne cum Lutheranis quieti & cibis uacantes desidiam a domino redarguamur. Omnes namque dominus hortatur, dicens: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Cum iam ille semel baiulans suam, non illam possit cum Cyrenæo subleuare. Vnusquisque igitur nostrum suam crucem tollat, & sequatur dominum operibus poenitentiae, ieiuniis, uigiliis, & flagellis. *Et uenerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluarie locus.* Idest, locus, in quo puniendi malefactores decapitabantur, & crucifigebantur: *Et dederunt ei uinum bibere, mirrhatum secundum Marcum, cum felle mixtum.* Mos namque erat mirrhatum uinum dare iis qui crucifigendi erant. Cum igitur is ad quem pertinebat, propinaret domino uinum mirrhatum ad facilius tolerandos crucifixionis dolores, & neruorum contractiones uel extensiones, atroces Iudæi fel superfuderunt, ut per se ipsos omnem impleverent de passione domini prophetiam, & facilius de perfidia sua confunderentur. Dixerat namque Dauid de Messia, psal. 68. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Maxima hæc atrocitas Iudæorum, qui domino negant, quod cæteris interficiendis præstat: immo & amarissimo felle perfundunt. Nullum uoluit dominus in sua beatissima passione habere solatium, sed omnia ineffabilibus poenis plena sunt. *Et cum gustasset, noluit bibere.* Respuit synagogæ fel, quod iam olim prædixerat Moyses, Deut. 23. dicens: Uua eorum, uua fellis, & botrus amarissimus. Fel draconum uinum eorum, & uenenum aspidum insanabile. Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? Mea est ultio, & ego retribuam eis in tempore, ut labatur pes eorum. Nos igitur cum nobis fel proponatur, ubi degustauerimus non bibamus. Fel sanè ministrat qui proximo quodcumque peccatum suadet, uel qui ab aliis in illum detracta desert. Quisquis tibi tale fel ori admouerit: si degustaueris, minime bibas, si uero audieris, ne utique credas: si uideris, non concupiscas proximi tui uxorem, equum, uineam, & quodcumque alienum sit. Quod si alios peccantes conspexeris, te ipsum considera, ne teneris: ne uel exemplo illorum corruas, uel eos dedigneris peccantes. Scito te illis peiorem futurum, si non a pientissimo domino esses adiutus. Porro si quicquam in fratre detrospexeris, quod in bonâ possis partem interpretari, non fel bibas, in deterorem partem temere iudicando. Memor esto uerborum domini: Nolite iudicare, & non iudicabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Verum enim uero, si cum tu inceperis peccata gustare, & dominus peccatorum poculum ab ore amouerit, gaude & gratias domino age: qui cum gustasset, noluit bibere: ne forte bibens & inebriatus furore malorum, nullis unquam posses torsionibus excitari. Gratias quoad potest de his agit beatus Augustinus lib. 6. confesso. capit. etiam 6. domini, in hæc uerba: Inhiabam honoribus, lucris, coniugio, & tu irridebas, patiebar in his cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus sinebas mihi dulcescere, quod non eras tu. Miscuit illi propitius dñs fel amaritudinis, ne iratus sineret per peccata discurrere. Cum igitur quis ad peccandum difficultates & impedimeta reperit, gaudeat: totusque in Deum conuersus cum beato Augu. gratias agat, quoniam non illum permittit dñs cum gustet bibere. Hoc enim unum ex salutis coniecturalibus signis est: cum quis peccatum gustare uelit, perinde ab illo abstrahi, ac si per aera deferretur in mare. Hæc familiaribus suis præstat dominus. Hæc obsequentibus sibi largitur munera, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

T R A -

TRACTATUS SEPTIMVS,

In XXVII. cap. beati Matthæi.

POSTquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt uestimenta eius, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per prophetam, dicentem: Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Et sedentes sedebant eum, & imposuerunt super caput eius, causam ipsius scriptam: Hic est Iesus. Addit Ioannes, Nazarenus, rex Iudaorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris, & unus a sinistris. Mirum est, quod cum omnes euangelistæ tradant, dominum crucifixum, nullum eorum modum quo est cruci affixus, retulisse. Sunt enim quædam ita profunda, quod Spiritus sanctus noluit, ut explicarentur, nisi tantum uerbis exprimentibus factum, non autem modum. Sic beatus Lucas capit. 2. narrans domini natiuitatem, inquit: Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret: & peperit filium suum primogenitum. Quis enim dubitet in illa hora sacratissimam uirginem spiritu contemplationis eleuatam, Deum obnixè deprecasse? totamque gaudio superfusam, quanto appropinquabat hora exitus sponsi è thalamo suo, tanto illam sublimius rapi, & summa cù exultatione totam in Deum ferri? subitoque infantem Deum tunc erupisse ex utero matris, integritate non comminuta, sed sacrata? Sic nunc beatus Matthæus in ignominiosa & omni contumelia & dolore plena crucifixione domini, nec uerba horrendi apponit supplicij, nec dolorem manus, pedum, & totius corporis delicatissimi domini refert: nec si in terra an in aere crucifixus fuerit cruce eleuata tradit. Tantum ait: Postquam autem crucifixerunt, ac si diceret, deficient uerba, obstupet lingua, obtunditur uox, non reddite atramentum calamus, quomodo id explicetur. Quis namque nouit, nisi ille qui passus est? Sufficit dicere: Et crucifixerunt eum. Beatus Antoninus pri. parte historiali titulo 5. cap. 6. tradit, cruce in terram proiecta, lignum eius transuersum ab utraque parte perforatum fuisse, ad manus clauis affendas: tum & pars inferior recti stiptis ad pedes. Non tradit an uno uel bino clauo pedes sint perforati. Cum autem dominus super cruce fuisset expansus, dextera clauo perforata & cruci affixa, nerui contrahebantur, manusque altera non attingit foramen. Idque cernentes milites hinc sinistrum trahentes brachium, nimis Christi doloribus, pertingere læuam ad foraminis locum fecerunt: tunc affixis similiter pedibus cruce crexerunt, quam in præcauata rupe defixam immobilis cuneis reddiderunt. Hic implera est prophetia psal. 12. dicentis: Poderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea. Ex nimia namque extensione ossa præcipuarum compassionum poterant dinumerari. Cæterum nullum comminutum fuit, referente scriptura: Os, inquit, non comminuetis ex eo, Exod. 12. capit. Crudelissima fuit crucifixio hæc ab inimicis illata, & atrociori quo fieri potuit modo peracta. Serpentem æneum crexit Moyses in ligno, ne serpentium morsu populus interiret. Iam etiam dominus pro omnium nostrum salute expansus in cruce manibus extollitur, ad quem aspicientes sanemur. Sic nempe prophetatum est per Micheam, cap. 7. Ego autem ad dominum aspiciam, expectabo Deum saluatorem meum, audiet me dominus Deus meus. Ecce o Michea uenit saluator, quid de illo dicis? Ne lateris inimica mea, synagoga scilicet super me, quia cecidi, (id est, quia crucifixus sum) confurgam. Ecce resurrectionem. Attende tu etiam o peccator, quomodo dominus brachia ad te extendat, qui per tot annos, ut conuertaris expectat. Ne longe-

ris igitur, permitte te abstrahi, sine te a domino tangi. Longe namque a peccatoribus salus, psal. 118. quia iustificationes tuas non exquireunt. Ipsi se longe fecerunt, qui a te receperunt. Omnia ossa Christiani dinumerari æquum est, quando scriptura ait: Væ duplici corde & peccatori ingredienti terram duabus uis, Ecclesi. 2. Omnia sincera sint, desinat mendacia, fraudes, simulationes. Respondeant uerba cordi, & cor consonet uerbis. Diuiserunt uestimenta sua eis, ecce quid actum est de uestibus, sortem mittentes, uidelicet super tunicam inconfutilem. Sic namque explicat beatus Ioannes. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt uestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconfutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinuicem: Non scindamus eam, sed fortiamur de illa, cuius sit. Ut scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt uestimenta mea sibi, & in uestem meam miserunt sortem. Hoc est, quod dicit beatus Matthæus: Diuiserunt uestimenta eius sortem mittentes: uidelicet super inconfutilem tunicam. Duplicem uestem in ecclesia nouimus, fidem & charitatem. Fides quæ est fundamentum sperandarum rerum diuidi nequit. Videant ergo hæretici quid faciant, fidem non habent. Iam enim superius disseruimus, quod cum aliquis circa unum articulum hæreticus est, fidem amittit omnium: & circa alios articulos opinionem habet, non fidem. Tunica inconfutilis est, diuidi non potest. Habet illam integram sacrosancta mater ecclesia catholica. Vnus Deus, una fides, inquit beatus apostolus Paulus, unum baptisma. Vnus dicitur & pater omnium, qui est super omnes. Non potest unius Dei multiplex esse fides. Vna est ecclesia. Vna est, inquit sponfus in canticis, dilecta mea, una est genitrici suæ electa. Ab hac unitate quicumque separatur, hæreticus est. Porrò charitas multiplicatur, & in plurima charitatis opera, & si una sit, dispersitur. Propterea uestes domini superiores diuiduntur. Audiamus apostolum Paulum: Charitas, inquit, patiens est, benigna est, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem ueritati, charitas non æmulatur, non est ambitiosa, non cogitat malum, non querit quæ sua sunt: omnia credit, omnia sustinet, omnia sperat, pri. Corin. 13. Et beatus Gregorius ait: Sicut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ uirtutes ex una charitate generantur. Et beatus Ioan. in Apoc. capit. 6. Et uidi quod aperuisset agnus unum de septem sigillis. Et ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiit uincens ut uinceret, & aperuit sigillum secundum. Et ecce equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut inuicem se interficerent, & datus est ei gladius magnus. Liber hic, secreta Dei sunt, quæ agnus Christus dominus occisus pandit: qui, ut ait beatus Ioan. cap. 13. eiusdem apo. occisus est ab origine mundi, quia omnibus gratia ab origine mundi data est post lapsum, in uirtute & meritis passionis Christi. Hoc est, quod Apostolus inuit ad Ephe. pri. cum ait: Gratificauit nos in dilecto filio suo. Apertius autem 2. Timot. 1. dicens: Qui nos liberauit, & uocauit uocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiâ, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. In primitiua igitur ecclesia equus albus apparet, cum omnia plena erant candore bonorum operum, splendens lumine charitatis. Sic tunc dignitates recubantur, quemamodum nunc appetuntur. Quo enim loco sciebant non esse episcopum, eo tunc accedere ueluti piaculum erat. Quod beato contigit Augustino, & beato Ambrosio, qui sibi oblatum Mediolanensem episcopatum non semel respuit. Iunc etiâ corpus dñi

singulis hebdomadis, nempe die dominico omnes suscipiebant, conscientia prius excussa, & peracta purissima peccatorum omnium confessione. Arcum habet in manu, quia sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum: Verba scribet prædicantium apostolorum, quæ cordibus insigebantur. Et data est ei corona ecclesiæ scilicet, subactis principibus & potestatibus iugo Christi. Quippe charitas sparsa per orbem hoc agebat, fide una manente omnibus catholicis semper eadem. Charitas una etiam uestis est: quanquam in plura discernitur pietatis opera. Successit deinde equus rufus, nempe cupiditas: & qui cupidus sedet super cupiditatem, datum est ei sumere pacem & tollere eam de terra: quando cupiditas ipsa regnorum, terrarum, urbium, & castrorum omnem pacem adimit: cum sapiens Christianos principes, non sine magna reipublice Christianæ pernicie bella gerere experti simus. Inter etiam patres & filios lites ex cupiditate suboriuntur, inter cognatos & fratres seditiones & homicidia. Principes isti iniqui sacerdotum, qui dominum crucifigere tanta sollicitudine & falsis testimoniiis conati sunt, & si ex inuidia & odio id faciunt, originem profecto dedit cupiditas, quam dominus ualde illis improperebat: Hic est hæres, dixerunt, occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Scindit charitatem cupiditas, seindunt & milites domini uestes. Et sedentes seruant eum, milites ad quos pertinebat custodire supplicio affectos. Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam. Pilatus hanc iussit apponi. *Hic est Iesus Nazarenus rex Iudæorum.* Quæ uerba nimis dæmonem perhorrescere tradunt. Beatus Ioannes refert, quod dixerunt Pilato pontifices Iudæorum: Noli scribere rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Pilatus autem respondit: Quod scripsi, scripsi: Quod etiam fuit præfiguratum in titulo trium palmorum, ubi legitur: Ne corrumpas tituli inscriptionem. Hi palmi sunt quinquagesimus sextus & 57. & 58. Hoc uero nomen Christianus, etiam titulus est homini perquam uenerandus, ac multo maiori dignus honore, quam si aliquem dicas regem, principem, & cætera huiusmodi nomina. At qui iuxta hanc titulum uerere decet, maioriq; honore is dignus est, qui uitam agit hoc nomine dignam, quam qui alio quocunq; nomine quantumuis honorifico pollet. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus ad dextris, & alius ad sinistris. Inquit beatus Marcus: Et impleta est scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est, Esa. cap. 53. Crucifigamus ergo & nos carnem nostram secundum apostolum ad Gal. 5. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum uitis & concupiscentiis. Confige, inquit Dauid, timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui. Atqui caro si pœnam debitam illi infixeris, admodum peccata refugit. Eius rei exemplum habetur inter alia multa in uitis patrum de quodam eremita qui carni pœna inflicta tentationem depulit. Is enim dæmonem qui se feminam simulauerat in ea eremo aberrantem, nocte intempesta in tugurioli sui charitate motus excepit. At ubi sensit stimulis carnis agitari, ad lucernæ ignem admotum digitum combussit. Cuius uirtutem dæmon ferre nõ ualens, magno concitato strepitu a uiri Dei conspectu subito euannit. Anima delectatur, cum gloriæ bona perpendit. Caro autem reprimitur infernalis pœnæ terrore, & etiam mortis consideratione. Sic Dauid psal. 89. Anni nostri sicut aranea meditantur. Non ait sicut ouis, equus, bos, aut aquila, sed sicut aranea. Nam aues nidus ex luto paleisque conueniunt. Cætera uero animantia foueas & latibula habent. Araneæ autem domus ex propria substantia est, & sila ex suis meris uisceribus extrahit: telam & domum fabricat, quæ facillimè rumpitur. Vnde Esa. cap. 59. Telas araneæ texerunt, quoniam tenuissimæ sunt. Sic homines cum nimis sudoribus & laboribus domos ædificent, prædicia acquirant & diuitias

etias congregent, subito morte adueniente tela araneæ dissipatur. Cruci ergo domini semper assidentes, & eius mortem summa religione colentes, ædificemus nobis domus in æternam gloriam gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS OCTAVVS,

In XXVII. cap. beati Matthei.

PRÆTEREUNTES autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reedificas, salua te metipsum: si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotum illudentes eum scribis & senioribus, dicebant: Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credemus ei: si uult, dixit enim: Quia filius Dei sum. Id ipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei. Nouum inimicitiae genus, & inauditu in patibulo extitit opprobrium. Quis enim tam fuerit inimicus, qui uidens undiquaque inimicum torqueri, non misereatur? At si non eius uiscera pietate mouetur, non uultum auertat? Quis unquam affectis supplicio irrisi omnibus & cõtumeiliis insultauit? Si quis enim ad supplicium trahitur, omnes miserentur, commouentur, & uerba consolatoria proferunt. Soli Christo domino omni consolatione in sua beatissima passione destituito, dum in cruce pendet, insultatur: solus audit opprobria & contumelias: solus irridetur a prætereuntibus, siue per uiam iuxta montem Caluarium: siue a prætereuntibus, qui accesserant ad uidendum eius supplicium. *Blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah Hæbræa interfectio insultantis est, qui destruis templum Dei & in triduo illud reedificas.* Quod dominus nunquam dixit, sed falsi testes opposuerunt. Stultus populus blasphemando insultat: *Si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotum illudentes eum scribis & senioribus, dicebant: Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credemus ei. Confidit in Deo, liberet nunc eum, si uult, dixit enim: Quia filius Dei sum.* Propria uoce prophetiam Sapi. 2. adimplent sacerdotes, scribæ, & seniores: ut iustissime illis dicat in die iudicii dominus: ex ore tuo te iudico popule nequam. Promittit scientiam Dei habere & filium Dei se nominat. Videamus ergo si sermones illius ueri sint. Si enim est uerus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum, ut sciamus reuerentiam eius: & probemus patientiam illius. *Id ipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei.* Id ipsum, hoc est eadem uerba: Si filius Dei es, descende de cruce. Refert autem beatus Lucas unum illorum dixisse: Si tu es Christus, saluum fac te metipsum & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Nec tu times Deum, quod in eadem datione est? Et nos quidem iuste, nam digna factis recepimus: hic uero nihil mali gessit. Beatus Augustinus lib. 3. de Consen. euangelitarum cap. 6. ait, numerum pluralem pro singulari Mattheum & Marcum posuisse. Quomodo & in epistola ad Hebr. clausurunt ora leonum, cum solus ibi Daniel intelligatur, secti sunt, cum de solo Esaia tradat. Consequit etiam dici, rustici mihi insultant, cum unus tantum blasphemet. Autores etiam pluralem pro singulari aliquando dicunt, ut Phædras, Medæas, cum tantum singulari fuerint. Beatus uero Hieronymus interpretatur ambos simul latrones blasphemasse. Ceterum unus illorum uidens tenebras credidit, & alterum cõp-

Latronum
blasphemia.

Requæ scuit:

scuit: & conuersus ad dominum, dixit: Domine memento mei, dum ueneris in regnum tuum. Qui a domino audire meruit: Hodie mecum eris in paradiso. Hæc expositio satis est literæ consona, in hoc quod ait beatus Hieronymus ambos latrones blasphemasse: deinde alterum eorum conuersum increpasse alterum, qui adhuc uerbis blasphemæ & contumeliæ plenis domino insultabat, dicens: Si tu es Christus, saluum fac te metipsum & nos. Quod autem latro conuersus sit, postquam uiderit tenebras, aduersari uiderit, id quod ait beatus Lucas post uerba illa: Hodie mecum eris in paradiso: Erat autem, inquit ille, fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt super uniuersam terram usque in horam nonam. Et obscuratus est sol. Nisi dicamus latronum uerba præposuisse Lucam. Cæterum quæ fuerit causa ut iste latro sit conuersus ad dominum ignorari uiderit. Sunt qui dicant, umbram Christi ex aduerso sole illuminante obumbrasse illum: & quod beatissima Deipara uirgo adstabat cruci propè hunc latronem, & pro illo orasse. Hoc uerè euangelicum est hunc increpasse alterum blasphemantem, & conuersum ad dominum audisse illa Christi domini uerba, omni suauitate suauiora, omni potentia sublimiora: Hodie mecum eris in paradiso. Siue ergo numerus pluralis pro singulari secundum beatum Augustinum positus sit, siue secundum Hieronymum ambos quidem blasphemasse, sed alterum illorum fuisse conuersum accipiatur, uerum est quod litera habet. *Id ipsum autem latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Quis unquam eiusdem supplicii reus in alterum blasphemæ uerba iactauit? Solum Christo domino inaudita contumeliæ irrogantur, ut impleatur scriptura Sapie. 2. Contumelia & tormento interrogemus eum. Hæc Christi domini impropria nimis profunt aduersus illa, quæ demon in hora mortis consueuit nobis impropere. Quippe suis crudelis est satanas: Cum enim uidet corpus deficere, & animam in stare exitum, omnia peccata, quæ carnis illecebra, uel mundi, uel ipsius suggestione, commisit hominimo terrore obiicit: uolens si posset animam in desperationem trahere. Qui igitur fructum dominicæ passionis consequuti sunt, nihil illis irrationes satanæ nocere possunt. Quod & David psal. 24. postulabat, dicens: Ad te domine leuauit animam meam. Deus meus in te confido, non erubescam. Nec irrideant me inimici mei: Qui autem dominicæ passionis fructus expertes sunt, in lethali culpa ex hac uita migrantes, nedum a dæmonibus iridentur, sed in eorum transeunt poenarum consortium. Quare autem dominus ad hæc nihil responderit, præcipue cum se profiterentur credituros in ipsum si de cruce descenderet, rationes plurimæ sunt. Ad quædam perspicaciorum notitiam aduertendum est, quod beatus Augustinus in 6. confessi. libro, narrans quantum sibi profuerit considerare, nullam prorsus rem publicam posse sine credulitate subsistere. Ad credendum Deo, inquit, uehementius urget ratio. Deinde paulatim tu domine manu mirissima & misericordissima pertractans & componens cor meum consideranti quam innumerabilia crederem quæ non uiderem, nec cum gererentur aduissem, sicut, tam multa in historia gentium multa de locis atque urbibus quæ non uideram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis, quæ nisi crederentur, omnino in hac uita nihil ageremus. Postremò quæ incõcussa fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem: quod scire non possem, nisi audiendo credidissem. Igitur cum hominibus credimus, nec a quibus sumus progeniti nisi crediderimus. Notum est nobis, multo per omnem modum Deo amplius credere debemus, nec experientiam querere eorum quæ loquitur Deus. Fides namque non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum, inquit beatus Gregorius. Non debitum reddit honorem Deo, qui uerbis

Quare dominus non respondet in cruce.

Fides quæ habetur inter hoïes.

uerbis illius non credens experiri uult ea quæ loquitur, & precipit Deus. Propterea iniustum erat Christum dominum de cruce descendere, & iudæis satisfacere, & per experientiam ostendere, quod ipso prædicante, & se per scripturam uerbo Dei prolatam per os prophetarum eius, & miraculis innumeris filium Dei & Messiam credere tenebantur. Secundam reddit causam beatus Hieronymus dicens hæc uocè non esse Iudæorum, sed dæmonis: qui passionem domini uolebat prohibere si posset: quemadmodum per uxorem Pilati etiam procurauerat. Nunc autem per os prætereuntem, blasphemantium, latronum, sacerdotum, scribarum, & seniorum nullam intactam relinquit linguam satanas, qui suspicatus dominum esse uerum Dei filium & Messiam pro omnium uocè clamat: Si filius Dei es, descende de cruce, ut uideamus & credemus. Tertiam beatus Hieronymus rationem adducit, quæ etiam ex uerbis euangelii manifeste ostenditur. Ait enim, hoc quod sacerdos, scriba, & seniores dicebant: Descendat nunc de cruce, si filius Dei est, & credemus ei. subannatorie illos dixisse & non fideliter. Illudentes utique, inquit euangelista, ad alterutrum hoc dicebant, non credere proinde uolentes. Qui enim uiderant quadriduo in monumento iacentem Lazarum suscitatum, & alia admiranda signa, & non crediderunt: quomodo si descendat de cruce credant? Quin aliud mirabilius illis ostendit Christus, quam si de cruce descendisset uiuus: prout eleganter annotat beatus Augustinus, & beatus Hieronymus, hoc est post triduum resurgere a monumento, nec sic crediderunt. Propterea dominus in cruce permansit ad omne genus humanum liberandum uerus homo & uerus Deus. Cæterum ad tantam Iudæi cæcitatem uenerunt, ut non crederent domino, quem in sacratissima passione sua tam insolita tamque mirabili uidebant patientia & humilitate fulgentem, dicente Esaia. cap. 53. Si cut ouis ad occisionem ducetur, quasi agnus coram tondeute obmutescet, & non aperiet os suum. Generationem eius quis enarrabit? Nec scripturam animaduertebant, quæ in illo per omnia quæ ipsi agebant, adimplebatur. Idemque cæci & se ipsos amantes, quemadmodum ait & beatus apostolus Paulus. 2. Timotheo. 4. obdurati in sua incredulitate permanserunt. Fons quippe omnis iniquitatis proprius amor est. In nouissimis temporibus, inquit, erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati superbi, blasphemæ. Quæ sanè omnia crimina in illis comperiebantur. Volebant enim satisfacere populo, allegantes: Nos illi diximus, quod descendisset de cruce & crederemus ei, quod non fecit. Populo igitur satisfacere uolunt, cum coram Deo & uniuerso orbe inexcusabiles sint. Quippe dominum surrexisse uidentes, & super apostolos spiritum sanctum effusum & alia magna prodigia nequaquam crediderunt & conuersi sunt. Quapropter per uniuersum orbem dispersi, atque omni genti ludibrio habiti nullam obseruati legem, nec prophetam habent: adeoque a Saracenis in quorū terris plurimi eorum degunt, despiciuntur, ut sputa & lutum in eorum uultu coniciant, quos abiectionissimos, & uilissimos hominum censent. Cæterum qui ex eis crediderunt inter Christianos degentes honorifice tractantur, quibus suam gratiam dominus Iesus largiatur, ut perseuerent in fide: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS NONVS,

In XXVII. cap. beati Matthæi.

A Sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super uniuersam terram, usque ad horam nonam;

nonam: Es circa horam nonam clamavit Iesus voce magna, dicens: Eli, eli, lamma sabachani? Hoc est, Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant: Eliam vocat iste. Et continuo currans unus ex eis, acceptam spugnam implevit aceto, & imposuit ei in capite, & dabat ei bibere. Ceteri vero dicebant: Sine, uideamus an ueniat Elias liberans eum. Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum. Et ecce uelum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum; & terra mota est; & petre scisse sunt; & monumenta aperta sunt; & multa corpora sanctorum, que dormierant, surrexerunt. Et exierunt de monumentis post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, uiso terra motu, & his que fiebant, simuerunt ualde, dicentes: Vere filius Dei erat iste. Cum dicit beatus Mattheus a sexta autem hora tenebræ factæ sunt super uniuersam terram usque in horam nonam, constat ante sextam dominum fuisse crucifixum. Et hoc est quod dicit beatus Marcus; Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Nec leqorem distulget, quod beatus Ioannes ait: Erat autem parasceue paschæ hora quasi sexta, & dixit Iudæis; Ecce rex uester. Nam cum peruentum est ad Caluarie locum, nondum erat sexta completa, cum a tertia hora (quæ est illa, quam nos Hispanicè dicimus horam nonam diei) usque ad sextam, quæ est in meridie, tres sint horæ. Hora erat quasi sexta; hoc est, magis inclinans ad sextam quam tertiam. Igitur paulo ante meridiem seu instante meridie, quæ est sexta, crucifixus est dominus. Et sic erat hora adhuc tertia, & ferè quasi sexta. A sexta autem (hoc est, cum ad meridiem inclinaret dies) tenebræ factæ sunt. Quod autem in horariis precibus sanctæ crucis dicitur: Hora sexta Iesus est cruci conlatus: hoc ideo dicitur, quia hora qua dominus cruci fuit affixus, erat propinquior sextæ quam tertie. Et quod parum distat, quasi nihil distare uidetur. Adimpletur propheta Osee, cap. 8. dicens: Occubuit sol in meridie. Quo tempore cum pleni lunium esset, nõ potuit luna soli submitti existente in oppositione, sed per occubitum solis, id est, prodigiöse se retrahente lumine solis, tenebræ factæ sunt super uniuersam terram usque in horam nonam. At qui eclipys naturalis solis parum perdurat: in passione uero domini per horas tres lumen retraxit sol, a sexta usque ad nonam, quæ est tertia post meridiem hora secundum Hispanicam supputationem. Fit etiam eclipys naturalis in aliqua orbis parte. Hæ uero tenebræ factæ sunt super uniuersam terram usque in horam nonam, & circa horam nonam clamauit Iesus. Verba domini in cruce fuerunt septem, quorum tantum duorum meminit beatus Mattheus. Quapropter statui suis in locis unumquodque domini uerbum constituere, post decursam passionem domini secundum Mattheum: ac propterea hic prætermittenda censui. Quidam autem illic stantes ex militibus. Hi fuerunt qui linguam Hebraicam ignorantes, cum dominus dixisset Heli, heli, Heliam prophetam inuocare suspicati sunt. Cum autem dominus emisisset spiritum uoce magna, dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, prout Lucas refert. Et hæc est uox magna, qua emissã dicit beatus Mattheus dominum expirasse. Ceterum hic fuit maximus omnium dolorum, quos in passione sua beatissima sustinuit dominus: quæ admodum cum incidimus in septimum uerbum domini explanabimus, Et ecce uelum templi scissum est a summo usque ad deorsum. Exo. 26. legimus duobus uelibus tabernaculum operiri. Quorum unum exterius, alterum ad sancta sanctorum, arcam uidelicet testamenti, ne a populo cereretur, apponebatur. Et hoc est uelum quod scissum est: & apparuit arca, quam nemo uidere dignus habebatur, nisi summus sacerdos semel in anno. Glossa uero utrunque uelum scissum esse dicit. Secundum Augu-

stinum,

stinum, Reuelata iam sunt mysteria abscondita, ut iam omnes possint in sancta sanctorum introire, precio redemptionis nostre æterno patri exhibitio. Pålám fit arca, ubi erat manna: quoniam iam corpus domini in cornu diei præcedentis institutum fuit, quod per manna seruatum prefigurabatur: ubi erat & uirga Aaron, quoniam iam crux erat crecta in signum æterni sacerdotii Christi: ubi etiam testamenti tabulæ adseruabantur, quia iam lex erat impleta & propheta: nec opus erat amplius arca, cuius iam officium in morte domini præterierat. Tunc Hieremix completum est uaticinium, qui ait cap. 3. In diebus illis, ait dominus, non dicent ultra arca testamenti domini: neque ascendet super eam, nec recordabuntur illius, nec uisitabitur, nec fiet ultra: hoc est, non instaurabitur unquam. Vbi estis nunc o Iudæi, qui usque in hanc diem negatis Christum filium Dei? Apertissima est hæc propheta Hieremix ad ostendendam (si uellent) uiam salutaris Iudæis, & ad cognoscendum quem crucifixerunt dominum Iesum Christum. Et terra mota est, tremuit terra uehementer: & petre scisse sunt. Non ad inuicem collidebantur, sed in se ipsis rupes scissuris dispartiebantur. Moyses autem: In principio, inquit, creauit Deus cælum & terram. Et beatus Ioannes: Omnia per ipsum facta sunt inquit: per uerbum scilicet quod factum est caro. Merito ergo illa quæ per uerbum creata sunt in principio, nempe cælum & terra, dum in humanitate assumpta dominus crucifigitur, cælum quidem obscuratur, & terra tremuit, et monumenta aperta sunt: Tunc eadem hora accipiendum est ad ostensionem mortuorum, quibus dabatur per mortem domini uita, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt post resurrectionem eius. Sic enim legendum est, surrexerunt post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam ciuitatem. Sanctam appellat propter sanctitatem in illa a domino factam, & redemptionem celebratam: & quoniam in illa uerus Deus colebatur, sancta erat ciuitas, iniqui uero incolæ eius. Et apparuerunt multis. Ob hanc causam quod multis apparuerunt, reor illos nunquam amplius obuisse, sed in die ascensionis domini cum illo ascendisse. Nam si aliquis eorum, cui apparuerat quispiam ex suscitatis, accederet ad monumentum eius, capturus experientiam an uere ille resurrexisset, & iterum corpus inuenisset in monumento, suspicaretur quod uiderat esse illusorium, & perinde de fide & resurrectione domini dubius redderetur. Hoc idem facerent alij, cum multi sanctorum suscitatis multis apparuerunt. Sepulchrum Dauid, ait beatus Petrus, apud nos est, Acto. 2. Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Iesum, uiso terra motu, et his que fiebant, simuerunt ualde, dicentes: uere filius Dei erat iste. Negante populo Iudæorum, fatetur diuinitatem domini populus gentium, ut propheta Dauid Psal. 17. impletur: Populus quem non cognoui seruauit michi, in auditu auris obediuit michi. Filij alieni mentiti sunt michi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt a semitis suis. Claudicat Iacob cum luctatur cum angelo, Gen. 32. cap. claudicat populus Iudæorum crucifigens Christum. Filij alieni dicuntur Iudæi, dicente Daniele cap. 9. & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Notandum autem fuerit quantis testimonij diuinitatis suæ redditis moritur dominus Iesus, obscuratur sol, tremuit terra, lapides scinduntur, uelum templi partitur a summo usque deorsum, monumenta aperta, & resurgunt domino, multi resurgunt & apparent multis, & cum dæmon uincere se iudicet, uictus & captus est. Sic etiam amicis suis Deus uictoriam tribuit, & in magnis descendit periculis. Pugnabat Iosue contra Amalech, Exo. 17. & protensis in cælum manibus, orabat super montem Moyses, & uincebat Iosue. Si uero manus remisisset Moyses, Amalech uincebat. Ipsemet Iosue pugnabat contra Amorrhæos, iamq; die deficientẽ præcepit ut sol staret &

S. Tho. 3.
par. 9. 53.
ar. 3.

ret & luna, quod factum est, obediente domino, inquit scriptura Iosu. 2. uoci hominis, donec uictoria potitus est: Daud non armis sed funda & lapide Goliath giganteum prostravit. Volente autem domino delere populum Exo. 32. dicebat ad Moysem: Dimitte me, ut irascatur furor meus. Dimitte, inquit, ac si Moyses posset detinere dominum, Cum autem dominus uellet igne delere pessimas Sodomitarum urbes, exiit Loth, petiitq; ciuitatem paruum Segor, quæ illi concessa est. Cui angelus festina, inquit, & saluare ibi, quia nō possum quicquam, donec ingrediaris illuc. Non poterat iussa perficere angelus, donec amicus Dei in loco tuto se se reciperet. Tale enim mandatum existimandum est a domino angelos accepisse, qui custodit diligentes se. Cum igitur nostra hora sexta aduenerit, in qua egredi incipiat anima ab hoc ergastulo corporis, nihil nobis tam necessarium est, quàm ipsum dominum Deum habere proprium. Ipse enim adiutor est in tribulationibus, quæ inuenerūt nostris. Ac nulla maior est illa, quam patimur in hora mortis. Describens beatus Hieronymus in 3. par. epist. tractatu. 9. uitam illius mirabilis Hilarionis, qui decem duntaxat caricis albeatur ad occasum solis, & cui a domino datum est, aliquorum peccata ad se uenientium agnoscere, refert quod hora sexta sua appropinquante formidare cepit anime exitum, ac sibi ipsi beatus senex recepta fiducia ait: egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta iam prope sunt anni, quibus Christo seruisti, & mortem times? O anima Hilarionis quid trepidas? non sanè odia, non cupiditatem, non inuidiam, non lasciuiam, non commensationes & diuersarum epularum ferula, non risum, nō murmur, non otium. Quid ergo times? Cum igitur beatissimus Hilarion in illa hora concurtatur, quid erit illius animæ, qui omnia hæc sectatus, nihil aut parum boni peregit, dum in corpore uiueret? Proinde unusquisq; totum se Deo tradens, illum sibi propitium & amicum procuret semper habere, ut cum uenerit hora sexta & appropinquare cœperit ad nonam, exiit timore sublato dicat: Sitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum, quando ueniam, & apparebo ante faciem Dei, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS,

In XXVII. cap. beati Matthei.

ERANT autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Iesum a Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Beatus Marcus ait: Erant autem & mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris & Ioseph mater, & Salome. Beatus Lucas: stabant autem omnes noti eius a longe, & mulieres, quæ secutæ erant eum a Galilæa, hæc uidentes. Beatus Ioannes: stabant autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Nunc iterum ad Matthei uerba; inter quas erat inquit Maria Magdalene. Hanc omnes norunt, cuius supra meminimus tractatu. 2. capite 26. & Maria Iacobi, minoris scilicet, quem ita Marcus appellat, ad discrimen Iacobi fratris Ioannis, qui maior cognominabatur, uel quia maior natus, uel quia unus ex tribus domini amicis & familiaribus erat, & Ioseph mater. Hanc beatus Ioannes Mariam Cleophæ a nomine uiri uocat. & mater filiorum Zebedæi. Hæc a beato Marco Salome dicitur, quæ uxor Zebedæi fuit, & beatorum Ioannis & Iacobi maioris mater: Quod autem tres euangelistæ ad-

stare

stare illas a longe, Ioannes uero iuxta crucem dicat: ita beatus Augustinus soluit: stare illas quidem retro propter milites, quod tres euangelistæ dixerunt additare a longe: cæterum ad audiendum dominum propè erant, ut Ioannes ait. Itaq; diuersorum respectu stant longe, & propè. Vel tunc prope asciterunt cū dominus matri mœstissimæ, & discipulo locutus est, quæ deinde recedentes steterunt a longe. Sic beatus Aug. libr. 3. de consensu euangelistarum capite, 2. 1. Hoc secundum magis uideretur literæ consonum, eo quod cæteræ mulieres poterant postquam dominus matri locutus est, & beato Ioanni eam commendauit, a cruce illam obsecrando longius dimouere. At non uideo, quomodo beatissima uirgo unicum sibi filium in illa hora non associaret, quanto propius posset. Quin existimo neminem a cruce illam potuisse diuellere. Quare arbitrator omnes stetit a longe, quando primum peruentum est ad Caluarie montem. Deinde domino in cruce posito etiam sic permansisse, quousque dominus cum latrone locutus est, & tunc accessisse, & iuxta crucem stare, prout refert beatus Ioannes: siquidem post uerbum, quod dominus latroni locutus est: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, consequenter matrem beato Ioanni commendauit, quæ tunc iuxta crucem erat cum illis mulieribus, quas beatus Mattheus, Marcus, & Lucas dicunt a longe stetit. Quidquid horum sit, hæc duo constant ex euangelio: illas quidem aliquando longe a cruce recessisse, cæterum cum dominus matrem Ioanni commendauit, prope adesse iuxta crucem. Commendatur autem deuotio harum mulierum sequentium dominum, nec tantum sororum Deiparæ Mariæ, scilicet Cleophæ, & Salome, quæ illi necessitudine sanguinis coniunctæ aderant: uerum, & aliarum, quas dicit beatus Mattheus multas esse, quæ secutæ erant Iesum a Galilæa ministrantes ei. Hunc morem tradit beatus Hieronymus inter Iudæos haberi, mulieres præceptoribus necessaria subministrare. Quod & beatus Lucas refert 8. capit. dicens: Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates, & castella, prædicans, & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus malignis, & infirmitatibus, Maria quæ uocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. Hunc secuti sunt apostoli morem, dicente apostolo pri. Corinth. 9. Nunquid non habemus potestatem sororem mulierculam circumducendi, sicut & cæteri apostoli, & fratres domini, & Cephas? In his omnibus exemplum præbetur diuitibus necessaria seruis domini ministrare, & illis de suis facultatibus subuenire. & a quibus spiritualia suscipiunt, temporalia elargiri, & illos beneficijs prosequi usque ad mortem. Hæc est charitas, hoc est euangelicum, prout ex uita, & morte domini comprobatur. Nemo igitur detrahat operibus charitatis, cum etiam uideat phariseos, & scribas huiusmodi operibus non detrahere. Quanto autem dolore, quibus lachrymis, singultibusq; dominum in cruce aspexerint hæc sanctæ mulieres indicat Lucas, dicens: Sequetur eum, cum scilicet per uiam dominus crucem baiularer, multitudo mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Quid igitur facerent, cum illum uiderent eleuatum in cruce, & incenarrabilibus doloribus circumdatum? Accedamus, & nos a longe, quasi indigni dominum uideendi, plangentes, & lamentantes eius dolorosissimam, & atrocissimam passionem. Deinde propius accedamus, ut illum audiamus loquentem, & ultimum testamentum confirmantem, quo matrem discipulo commendauit, & discipulum matri in filium dedit. Quo, & paradysum la-

R R r troni

troni, & animam sacratissimam patri, & corpus Ioseph ab Arimathæa tradidit. Crux erecta in Caluaria manet, in singulare munus omnibus præstita. Hanc nemo tollat a corde, nemo ab anima separet, nemo unquam qui pius esse uelit, ab illa discedat. Cæterum ante sepulturam domini duo nobis sunt cõsideranda: unum, quod narrat Lucas, alterum quod refert Ioannes. Et omnis turba, inquit beatus Lucas, eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & uidebant quæ fiebant percutientes pectora sua, reuertebantur. Cum autem turba quæ seducta fuerat a principibus sacerdotum, & postulauerat a Pilato dominum crucifigi, uideret signa mirabiliora, quàm unquam in morte alicuius Cæsaris, aut maximi alicuius monarchæ contigerant, solem uidelicet obscurari, terram tremere, lapides scindi, rei miraculo obfusæ facti reuertebantur in Hierusalem pectus percutientes in pœnitentiæ signum. Res sanè miranda: nullus sacerdotum stupet, nullus phariseorum & scribarum pectus contudit. Nos igitur ad nos reuertentes, & intra cordis arcanum hæc perpendentes pectora tundamus: scientes quoniam propter scelera nostra hanc mortem filius Dei subit, ut deinceps peccata pro quibus moritur, gratia eius, & meritis sine beatissimæ passionis uitemus. Beatus autem Ioannes latus domini lancea antequam sepeliretur, a milite quodam perforatum refert, dicens: Iudæi ergo, quoniam parasæcne erat, (uidelicet dies ante sabbatum) ut non remaneret in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sabbati (quoniam infra dies septem paschæ acciderat) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem frerunt crura (id est, eius latronis, qui illis uenientibus primus erat; uel qui primus fuerat crucifixus) & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum uenissent, ut uiderunt eum iam mortuum, non frerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua: terra, pontus, astra, mundus, quo lauantur flumine. Confirmat beatus Ioannes hoc ex scriptura, Exod. 12. & Num. 9. ubi præceptum est, ut os non comminatur agni paschalis, in figuram ueri illius agni Iesu Christi domini nostri, dicens: Et qui uidit testimonium perhibuit, & uerum est testimonium eius: eo quod uidit, & eo quod uerum est testimonium per spiritum sanctum scribens euangelista. Et ille scit, quia uera dicit, ut & uos credatis. Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur: Os nos comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit, Zachar. capite 12. Videbunt in quem transfixerunt. Mognum enim fuit miraculum corpus defunctum sanguinem fundere, maius miraculum e cadauere ueram aquam manare. Beatus apostolus Paulus prima Corinth. 10. dicit gerant quam Moyses murmurante populo uirga percussit, ex qua aqua largissima profluxerunt, Christum domini significasse. Nolo enim, inquit, uos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moysè baptizati sunt, in nube & in mari (figurâ enim baptisimi gessit egressus Israelitici populi ab Aegypto, nube lucida per nocte illos illuminante, maris etiam transitus sicco uelutigio submersis Aegyptiis) & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, manna uidelicet figurantem sanctissimum sacramentum corporis domini, & omnes eundem potum spiritualem biberunt: aquam uidelicet de petra, id est, sanguinem domini ex latere & aqua manantem, qui sanguis in sacramento altaris bibitur. Bibebant autem de spiritali, consequenti eos petra: hoc est, uoluntati eorum obsequere: petra autem erat Christus: ac si diceret, mystice illâ petram de qua aqua manauit Christum dominum significasse. & eius typum gessisse. Percutiente Moysè uirga silicem, Num. 20. fluxerunt aquæ: percutiente etiam milite la-

tus

tus domini, exiuit sanguis & aqua. Mirabilis typus quem refert apostolus: nã Moyses dubitauit quando petram percussit, & ob hanc causam non introduxit Iudæos in terram promissionis. Sic dominum percutientes Iudæi de eius diuinitate dubitantes in ueram promissionis patriam cœlestem non introierunt. Quare autem ex latere domini eo mortuo fluxerit aqua, non ita uerò ex cæteris eius uulneribus, tradit beatus Ambrosius libro quinto, de sacramentis: Sanguis, inquit, in redemptionem, aqua in lauacrum: sanguis in pretium, aqua ut mundemur: de latere autem, quoniam mulier, a qua peccati initium est, Ecclesiasti. cap. 2. 5. de latere Adæ fabricata est. De latere ergo exeat sanguis in pretium peccatorum, & aqua in lotionem sordium. Ostium quoque præcipitur Noë facere in latere arcæ, quem ingrederentur, qui non erant diluuiio perituri. Fabricaram dicit beat. August. ecclesiam a latere domini in cruce dormientis, cuius Eua figuram gessit ex latere Adæ formata in paradiso soporati. Vulnus istud est porta cœli, meritorium hoc uulnus est a diuinitate inhabitante, quæ nunquam corpus deseruit. Id Christus dominus sciens omnia quæ uentura erant super eum pro nostra salute suscepit mortuus. Quæntis autem lachrymis beatissima uirgo Deipara & cæteræ mulieres quæ ibi aderant, persusæ sunt, cum uiderent corpus domini Iesu cruentatum, & post eius decessum lancea perforatum sanguinemque effusum, & aquam manantem, nullis prorsus uerbis explicari potest. Denique rediit illis dolor totius passionis domini. Hic est fons de quo prophetauit Zachar. capite. 13. In die illa, inquit, erit fons patens domui Dauid & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris. Et Esaias cap. 12. inquit: Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris, ex meritis passionis domini insinuans per sacramenta meritorie, & per sacramentum baptismatis omnem culpam recte accedentibus deleri, & æternam illam beatitudinem, quam nobis dominus suo acquisiuit sanguine, consequi, gratia eiusdem domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS VNDECIMVS,

In XXVII. cap. beati Matthæi.

Cum autem sero factum esset, uenit quidam homo diues ab Arimathæa nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu: hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu: Tunc Pilatus inquit reddidit corpus. Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad osium monumenti, & abiit. Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum. Hic Ioseph discipulus Iesu erat occultus, nõ tamen cum opus fuit obsequium debitum negauit domino. Marcus dicit: quod audacter ad Pilatum accessit Ioseph. Beatus Ioan. ait, quod etiam Nicodemus uenit cum illo, portans misuram myrrhæ, & aloes quasi libras centum. Quarum quælibet continet uncias tres, ne de libris quispiam dubitet. Aduertendum in infantia dominum nutritorem elegisse Ioseph purissimum illum sponsum beatissimæ uirginis, nunc autem moriens Ioseph corporis sui conditorem elegit, de quo beatus Lucas huiusmodi refert: Et ecce uir nomine Ioseph, qui erat decurio uir bonus & iustus. Satis eius probitas ex hoc commendatur, quod in horto suo sepulchrum sibi construxerit excisum in petra, ut quotiens eo animi causa accederet, mortis diei meminisset. In horto Christi dominum desiderabat sponsa Cant. 5. cum ait: Veniat dilectus meus in hortum suum,


R R 2 suum,

taum, ut comedat fructum pomorum suorum. Electorum fructum tunc accepit dominus cum sepultus in horto, patres in limbo beatificauit. Nobis verò quod in eisdem canticis continuo sequitur dictum esse suspicari: Veniat in hortum meum foror mea, sponsa, messii myrrham meam cum aromatis meis. Eam us sæpe assidua consideratione in hortum, in quo sepultus est dominus myrrha & aromatis conditus: quam dixit metere, falce scilicet passionis quam passus est. Quomodo autem domini corpus de cruce depositum fuerit, quid actum de clauis, & de corona spinarum, nihil retulerunt nobis sacri euangeliste: volentes omnium corda & affectum conuerti ad Christum dominum passum, nihilque nos immorari in istis sacris insigniis passionis suæ: pro quibus ipse, & sua crux, quæ exaltata permanet, & gladio transixa sacratissima mater sufficiunt. Cui igitur aduenissent beati illi uiri Ioseph & Nicodemus cum suis famulis & scila ad deponendum corpus domini Iesu, arbitror eos cum prius aspicerent dominum quasi leprosum & percussum a Deo & humiliatum, adoradò plurimas lacrymas effudisse, deinde & accessisse ad mœstissimam matrem, quæ præ singultibus illis reddere vocem minime poterat, nec ipsi illam præ lacrymis consolari. Sic omnes simul plangentes dominum iam die adesperante scalam cruci admouerunt. Tunc Iesu corpus per medium ligantes linteo, ne dissolutum extractis clauis in terram decideret, clauos ceperunt euellere non sine vi: quoniam nimis infixi cruci fuerunt. sanguisque decurrens foramina clauorum obstruxerat. Sicque euulsis clauis, corpus domini omnes deferre curantes super genua collocant, mœstissime matris. Porro non longe distabat ab Hierosolymis Bethleem, cuius in diuersorio ipsa Deipara virginitatis gloria permanente, eundem tanquam sponsum egrediètem de thalamo suo lætissima viderat, gremioque exceperat. Nunc uero caput domini tenet, manus beatus Ioannes: pedes autem abundantissimo lacrymarum flumine Magdalena rigabat: quæ ad pedes Iesu conuersa, ipsosmet pedes non multis ante diebus apud Bethaniam unguento pretioso perfuderat. Cæterum omnes stupefacti considerabāt, quem admodum tantis multiplicatis tormentis, vultus eius erat quasi absconditus. Sic planctu & eiulatu è uisceribus prorompente dominum flentes lamētabantur. Tunc adimpleta est propheta Zachariæ 12. capit. ubi ait: Et aspicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebit super eum, ut doli solet in morte primogeniti. Et capite sequenti ait propheta: Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Peracto planctu sapientissima genitrix corpus postulat vngendum & aromatis condendum. Quod factum est, separato sacratissimo domini corpore ad conspectum mœstissimæ matris. Quod deinde omnibus flentibus deducitur ad monumentum. Postquam autem peruentum est in hortum, ingrediuntur in monumentum, quod excisum erat in petra ad instar basilicæ admodum parux. In parte autem rupis locus erat, in quo dominicum corpus collocabatur. Ioseph autem & serui eius saxum quoddam magni monumenti ostio apposuerunt: & salutes beatissimam virginem & cæteros flentes abierunt. Ipsa uerò Deipara cum mulieribus fororibus suis, & Maria Magdalena & beato Ioanne à monumento nulla ratione diuelli poterant. Tandem adorato sepulchro, in quo Dei uerbum in corpore defuncto iacebat, magnis singultibus & copiosissimis lacrymis recesserunt: firmissima de fide resurrectionis marie Deipara semper consistente, cæteris uerò illum resurgere minime confidentibus. *Altera autem dies, quæ est post parasceuen, sabbato uidelicet, conuenerunt principes sacerdotum, & pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit ad nos uiuere, post tres dies*

tres dies resurgam. Tunc ergo custo dixi sepulchrum, usque in diem tertium, ne forte ueniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit a mortuis: & erit nouissimus error prior. At illis Pilatus: Habebis custodiam, custodite sicut scripsit. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus. Porro qui in hunc euangelij locum primum incidit, legeritque hæc uerba: Altera autem die, quæ est post parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum & pharisæi ad Pilatum dicentes, suspicabitur euangelistam continuo dicturum: poenitentes & flentes, super eo quod acciderat de morte domini. At illi in sua proteruitate obstinate persistentes, post pecuniam reiectam à Iuda perfido proditore, & post innocentiam domini ab eodem manifestatam: Peccaui, dicens, trades sanguinem iustum, post tenebras à sexta usque ad nonam horam, post terræ motum, post lapidum scissionem, & ueli templi a summo usque deorsum diuisionem, & monumentorum apertionem, loquitur blasphemiam inexcogitatum: Domine, recordati sumus. Dominum uocant Pilatum, cum prius dixissent: Nō habemus regem nisi Cæsarem. Dominum autem uitæ, seductorem uocant, dicentes: Seductor ille dixit, adhuc uiuere: Post tres dies resurgam. Horrenda sanè sacerdotum & pharisæorum persecutio. Suscitāt mortuos Christus, & omnem sanat languorem, dicunt: in Beelzebub eiecit dæmonia: ecce homo uerax, potator uini, peccatorum & publicanorum amicus. Capitur, blasphemum uocant. Dixit Caphas: Blasphemum ait. Suspenditur in cruce, illudētēs inuicem subsannant, dicētes: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Sepelitur, seductorē uocant. Resurgit, pecuniam copiosam donant militibus, ut sublatam à discipulis mentiantur: aded nunquam malitia istorum quieuit: nimirum ut sic perueniret ira Dei super illos usque in finem. Tunc ergo, inquit, custodiri sepulchrum usque in diem tertium, ne forte ueniant discipuli eius, & furentur eum. Qui nam discipuli d Iudæi perdidit? Nū illi qui relicto eo omnes fugerūt? an ille, qui eū ad ancilla uocem negauit? an illi, qui eum etiam audientes uiuere, mulierum de liramētum existimabāt? Iudæi insani, Christus surrexit à mortuis die tertia, & uos non recepistis fidem, & amististis pecuniam: Et erit nouissimus error prior. Indigni profecto sunt quorum exponantur uerba, nisi a sacro euangelista adscriberentur. Venenum enim aspidum sub labijs eorum est. Errorem uocant cæcorum illuminationem, paralyticorum integritatem, claudorum gressum, omnis morbi curationem, dæmonum expulsionem, mortuorum suscitationem. Erit, erit d Iudæi resurrectionis bonum simile prior: cum omnia opera potētissimi Iesu eo resurgente consurgant. Qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Quod autem mortuus est peccator: mortuus est semel. Quod autem uiuit, uiuit Deo. Habebis custodiam, quasi diceret ibi est custodia, ibi sunt milites, custodite sicut scripsit, uidelicet opus est. illi abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, sigillo suo uidelicet in commissura: ne quis lapidem possit reuoluere, quin continuo exploratum esset, & puniretur: Cum custodibus etiam munierunt sepulchrum, quantoque maiorem diligentiam adhibēt, ne quis sepulchrum ingredi possit, tanto efficacius dominicæ resurrectioni prestant testimonium. Sicque omnis malitia super eorum capita recidit. Ipsi enim templum & ciuitatem, terram, celumque auferunt. Dominus autem resurrexit uictor tertia die: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DVODECIMVS
IN XXVII. CAP. BEATI MATTHÆI,

Et appendix ex beati Luce capit. 23. de primo
uerbo domini in cruce.



NE Processum dominice passionis secundum Matthæum interrumperemus: septem domini uerba, quæ in cruce exiens locutus est, usque in finem eius sacratissimæ passionis distulimus, nempe ut eorum sensum uberius redderemus, & ut suus unicuique tribuatur locus. Est igitur primum uerbum, quod ibi apud Matthæum uenit collocandum cap: 27. cum ait: *Postquam autem crucifixus uerbum: addidit beatus Lucas: Iesus autem dicebat, Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Ex hoc uerbo domini ostenditur, id quod doctores in 3. Sententiarum dist. 15. pariter omnes asserunt: compassionem scilicet domini excedere passionem. Compassionem uocamus, dolorem & tristitiam, quam dominus in sua beatissima passione habuit de peccatis & offensis contra Deum ab hominibus perpetratis. Nam multo amplius Christus dolebat de culpâ hominum, quàm de pœnis quas ipse patiebatur. Id autem exemplo euidentissimo manifestatur, quando dominus primum uerbum in cruce pœdens, dum nimis undiquaque doloribus uexaretur, culpam crucifigentium remitti orat. Quoniam dolor quem patiebatur de peccatis excesserat omnem dolorem, quem in corpore pro eisdem peccatis sustinebat. Quod ex tribus probatur: prius enim pro crucifixoribus orat, quàm de corporis sui doloribus conqueratur. Nam uulnus quod aliquis uulneratur præ cæteris sentit, de illo primum conqueritur, illumque prius mederi desiderat postulatque. Dominus igitur cum de peccato crucifigentium prius dolet, & prius illius quàm doloribus corporis mederi precatur, haud dubium quin culpam & peccatum magis sentit & dolet. Præterea maius malum, maiori dolore prosequendum est. Cum autem culpa sit maius malum quàm pœna quæcunque: maiori dolore culpa sentienda & dolenda uenit, quàm pœna. Idcirco dominus de culpa & peccatis, pro quibus patiebatur, priusquam de pœna quam acerbissimis doloribus sustinebat, conqueritur & orat. Porro inter omnium criminum genera, mors Christo filio Dei inflata fuit grauissimum. Propterea cum de peccatis plus dolendum sit, quàm de pœna, & de grauiori peccato, adhuc magis dolendum: ideò dominus de peccatis crucifigentium doluit, & pro crucifixoribus deprecatus est. Iam tertio probatur, quoniam id magis sentitur & dolet, pro quo quis patitur, quam id quod patitur. Nam si quis pientissimus pater pro culpa filii se flagellari & occidi traderet: perspicuum est magis dolere pro filio, quàm de propria morte: nam aliàs non pateretur pro illo. Ita dominus cùm pro peccatis nostris patitur magis de peccatis dolet, quàm de pœna quam patitur: aliàs non daret uitam pro eo quod minus uult, minusque sentit, & minus dolet. Voluit igitur dominus salutem nostram, plusquam uitam suam pretiosissimam. Saluum me fecit, quoniam uoluit me, inquit Dauid psalm. 17. propterea exorat patrem pro crucifixoribus, dicens: Pater, dimitte illis. **NUM**

scilicet sciunt quid faciunt. Cæterum cum oratio domini semper exaudita esset, prout ipsemet testatur. Ioan. 11. capit. Pater, inquit, gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autem sciebam, quia semper me audis: & plurimi ex iis, qui necem domino moliti sunt, in sua semper perfliterint obstinatione, accipienda oratio est pro illis tantum, qui per ignorantiam dominum occidit a Pilato postularunt, a principibus sacerdotum & scribis seducti, dicentes: Crucifige. Qui & ipsi ex eadem ignorantia legis & prophetarum, & eadem seductione crucifixum dominum subsannabant. Illi namque, quorum ignorantia affectata erat, quique ex malitia noluerunt intelligere, ut bene agerent, quin crâm miraculis domini calumniabantur, & scripturæ factæ aduersabantur, odio & inuidia nolentes attendere legem, hi damnati sunt, nec pro eis oratio patri exhibetur: sed pro illis tantum, qui per ignorantiam peccauerunt, utpote a maioribus & scientibus legem decepti. Iis igitur oratio profuit, & eorum conuersa sunt tria millia in die penthecostes, & altera die quinque millia. Actorum. 4. Attendendum est etiam quanta efficacia dominus pro inimicis precatur si singula uerba pensentur. Ait enim: Pater, quasi diceret: qui pater es, exaudi filium, pro tuo honore & obedientia doloribus totum circumdatum, & patibulo crucis affixum. Memineris igitur, quod pater es: memineris quod filius tuus sum: Memineris, quod ex obedientia crucior. Oro ut parcas his crucifixoribus, nec illis improperes occisionem hanc: non enim sciunt quid faciunt. Beatus Bernardus inquit, quod oratio quæ hoc nomine dulcescit patris, magnam præstat fiduciam impetrandi. Iam igitur o piissime domine nomen hoc dulcissimum, pater, præponis. Iam illi te filium memoras, ac tanta summa cum patientia recolis. Quid igitur uis, ut faciat pater? Omnis enim creatura patris iussa expectat: Terra, ut disrupa deuoret uiuentes ludæos impios, si opus sit, tremit: Cœlum extrahit lucem, emittit fulgura, ut immanissimos iudeos, si uelis, extinguat: etiam lapides præsto ad sunt, & monumenta mortuos reddunt. Quid igitur uis, cum in cruce tantis affligis & anxietus doloribus clamas? Pater, dimitte illis. Quibus nam domine? apostolis fugientibus, discipulis dubitantibus, Petro neganti, an cui uis ignosci? illis, inquam, crucifixoribus, quia nesciunt quid faciunt. O inexhausta misericordia, o charitas ineffabilis, & uerba exemplo plena, quæ Christum dominum Deum satis ostendunt, cui proprium est misereri semper & parcere. Ex uulneribus fluit sanguis, recens manat cruor, & dicit: Pater ignosce illis. Et iis qui sanguinem fundunt, effusus sanguis subueniat, & oratio utilis sit. Pro eis rogo, qui nesciunt quid faciunt, ut ignoscas o superne & amantissime pater. Sic charitas amplianda est Christi exemplo usque ad inimicos. Non enim crux tantum uexillum est nostræ redemptionis, sed & secundum beatum Augustinum, cathedra est præceptoris: ex qua Christus dominus docet, quanta charitate inimicis est indulgendum, & ut illis remittantur offensæ nobis illatæ a domino postulandum, cum ipse dominus tanta efficacia & uerbis oret pro crucifixoribus patrem. Habent uirtutes media sua, quæ si uel excedas, uel retrocedas, uitia sunt. Si liberalis appellari cupis, & retro a medio manes, auarus es: si uero excedis, pro digus. Charitatis autem medium est, illam ad inimicos usque extendere. Tunc namque perfecta est, quando ad hoc extremum accessit. Nec tantum oportet post plurimos dies post illatam offensam diligere: sed adhuc uulneribus sanguine madidis inimicis parcere, & illis & animæ & corporis salutem optare, ut & illis ignoscat dominus ex animo postulare. Alta non nisi alto ascensu adipiscuntur: Nemo enim cœlestia suspicetur minimis acquiri uirtutibus: magna namque magno pretio commutantur. Nec opponas calici aquæ frigidæ.

frigida exhiberi mercedem, quando ibidem dicitur in nomine meo, vel in nomine discipuli. Iam siquidem charitas in dono attenditur, quæ magna est, cum amore das cum aut illa duo minuta, & dicis cum Petro: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: qui rete & cariosam scapham tantum reliquerat. In arduis enim vera Christianorum fides ostenditur, & in extremis conspicitur. Sunt tibi diuitiæ plurimæ cum Abraham & David, si omnibus indigentibus subuenis, qualis sis diues, miseratio pauperum te ostendit. Pauper es, & in extremam vna cum Iob decidisti inopiam: si gratias agis, si patienter sustines, & te etiam fragmenti panis indignum reputas, vere Christianus es. Te inimicus persequitur, quem tu nihilominus nimia diligis charitate, vere Christianus es: quippe charitatem cum domino in cruce pendenti, vsque ad inimicos protrahis. Caterum si hæc altius ac pacato animo consideremus: Qui parit ipse vindicatur & vincit: qui verò persequitur, & vindictam cupit, ipse est qui vincitur. Nam siquis gladio, quo alterius vestem discindere vult, prius suam transfigeret carnem, de se utiq; non de inimico vindictam sumet. Sic qui alium persequitur in corpore, animam ipse suam odio & iniquitate transfodit. Et cum inimicum reum faciat temporalium, ipse reus efficitur æterni supplicij. Stulta igitur nimis est de inimicis sumpta vindicta, quæ prius vindicantem redigit inferni reum, quam ipse inimicum lædat in corpore. Vltionem de se ipso sumit, qui se vindicare cupit. De inimico verò suo vlciscitur, qui ei ignoscit, & remittit irimen: præsertim verò cum supra cap. 5. Dominus hanc sententiam promulgauerit, dicens: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Vox enim hæc nimium commouet: Si dimiseritis, dimittet & vobis Deus. Et hæc etiam nimium terret: Si enim dimiseritis, nec Deus dimittet vobis peccata vestra. Quod si tacita cogitatione intra te ipsum dicas: Christus dominus Deus est, ideo pro inimicis orat & parit, ego vero homo sum fragilis, tibi ipsi hunc ad modum responde: Si rex iniuriam irroganti parit, quanto magis eius familiaris? Si princeps orat pro persecutoribus, quanto magis a subdito id oportet fieri? Quo sanè argumento vsus est dominus Iesus, cum in illa vltima cœna pedes discipulorum lauisset: qui vt refert beatus Ioannes cap. 13. assumptis iterum vestibus & recubens, inquit. Scitis quid fecerim vobis? quasi dicat, attendistis ad hæc, quæ modo ad vestra genua prouolutus feci? Vos vocatis me magister & domine, & bene dicitis: Sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros dominus & magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Ita igitur consentaneum est, si ego maior pro inimicis patrem oro, & libenter illatam mortem indulgeo, vt & vos itidem faciatis. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Si ergo dominus indulget, seruus quoque indulgeat exemplo Christi edoctus, & gratia eius illuminatus:

Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria,
& imperium in æternum.

Amen.

TRACTATVS

TRACTATVS DECIMVS TERTIVS, In XXVII. cap. beati Matthei, de secundo verbo domini ex Lucæ cap. 13.

IN illis verbis beati Matthei: Id ipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo inproperabant ei, apponendum est illud Lucæ cap. 23. Vnus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac te ipsum & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem iuste: nam digna factis recepimus, hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Postquam autem secundum Mattheum, & Marcum simul inproperabant latrones dominum: vnus ex eis persistens in contumelia dominum blasphemabat, per irrisionem dicens: Si tu es Christus saluum fac te ipsum & nos. Propterea blasphemia est, uel tribuere Deo, quod in eo non est, uel negare id quod est. Cum autem iste negaret potentiam descendendi de cruce, & se & latrones (si uellet) liberare posset, blasphemabat. Poterat siquidem dominus facere quodcumque uellet. Omnia nempe quæcumque dominus uoluit fecit, & in cælo & in terra, & in mare, & in omnibus abyssis. Respondens autem alter qui conuersus fuerat latro (qua ex causa ignoratur. Tenebræ enim adhuc non erant. Nam post hæc uerba latronis, tenebras ponit beatus Lucas. Siue ergo causa conuersionis eius fuerit umbra Christi, uel beatissima Dei genitricis arcana deprecatio, quæ ab ea parte adtasse cruci existimatur, uel quæcumque alia, quam ignoramus) alterum latronem increpabat, dicens: Nec tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iuste: nam digna factis recepimus, hic uero nihil mali gessit. Duo in hoc latrone ualde sunt adnotanda: primum quidem quam docte uerba pronuntiat. Culpam enim suam agnoscit. Iustus, ait scriptura, prior accusator est sui, Prouerb. 18. Ait namque: Nos quidem iuste, hoc scilicet supplicio afficimur. Nam digna factis recepimus. Sic David bis indulgentiam est consequutus in adulterio, & populi diuinatione 2. Reg. 12. & 24. Sic publicanus percutiens pectus suam iustificatur. Alterum est, quemadmodum innocentiam domini intrepide confitetur, dicens: Hic uero nihil mali gessit. Paucis nunc agemus tecum o latro. Omnes discipuli huius, quem tu nunc dicis nihil mali egisse, eum dereliquerunt: nec quisquam illorum ausus est coram principibus sacerdotum illum innocentem uocare, et se pro illo morti obijcere, et tu audes coram omnibus eius inimicis innocentem illum pronuntiare? Ad sunt siquidem scribæ, et principes sacerdotum, & pharisei, & seniores populi. Apposita est sententia Pilati ad crucem. Ad sunt, & Centurio, & milites, nec terreris cetera hac crudelissima: quin potius eum innocentem prædicas: nec id solum, sed & condemnas accusantes testes, & omnes principes sacerdotum, ut crucifigatur postulantes. Pilatum etiam damnas tanquam iniquum iudicem, atque omnes iniustos prædicas, dum dominum innocentem asseris. Non times lanceis a militibus transfigi: uel a cruce extrahum nouo suppliciorum genere affici: & iterum in cruce suspendi: Sic cum irridet principes sacerdotum, dicente: Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere, tu dicis: Hic uero nihil mali gessit. Nonne intueris ipsum in medio tui, & alterius blasphemantis cruci affixum, & crucem humeris baiulasse? Vera enim prouincias o latro sancte, uera clamas o crucifixe peccator. Ipse innocens dominus nihil mali gessit: sed disciplina pacis nostre, po-

stia est super eum, cuius liuore sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, nullusque in viam suam declinauit: & dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Equidem vehementer miror, quomodo tu crucifixus, coram omnibus eius persecutoribus & in conspectu crudelium satellitum, illud acerbissimum mortem damnatum innocentem ausus es predicare. Quo fit, ut omnes aduersarios eius, & Pilatum reos sanguinis innocentis consequenter proclamares, dicens: Hic vero nihil mali gessit. Tunc conuersis oculis ad Iesum, dixit: Domine, Quid vides o latro sancte? quid vides? Qui illum dominum dicis, cum toto corpore sit vulneratus, crucique affixus? Species eius in eo non est, & quasi absconditus vultus eius, sedatus sputis, palmis commaculatus, & spinis caput transfixus. Cur igitur dicis, domine? Reputatus enim cum impiis est, tanquam vermis, & non homo: qui & opprobrium hominum, & abiectio plebis existimatur: & tu coram omni populo intenta voce, non solum obiurgas socium, & Iesum innocentem affirmas, sed adhuc oculis in eum conuersis, inquis: Domine? Sed nihil mirum: Interiori enim fide illustratus latro Deum considerabat. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, 2. Cor. cap. 5. inquit Apostolus. Propterea latro summa deuotione ad Iesum conuersus ait: Domine memento mei. Quomodo credis memorem tui esse posse o latro sancte, de quo nunc audis: Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce. Plurimi dum suscitaret mortuos crediderunt: alii dum claudos ambulare fecit, alii dum aridas manus restituit integritati. At nunc is ipse cruci est affixus, mortique traditus: & nihilominus credis o bone latro tui habiturum memoriam, tibi que regnum prestatum aeternum? & sola que tibi libera est lingua, innocentem proclamans, & dominum confiteris, & memorem tui esse postulas, dicens: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Nudum eum vides o latro pro purpura regis, clausis manibus perforatum pro regali scepro, & coronatum spinis pro diademate regio: & pro throno in cruce pendet. Vnde ergo regem dominumque agnoscis o latro sancte, vbi eius regnum? vbi & insignia regia? Omnia haec intus edoctus fuerat latro, perinde ac legeret Abachuc prophetantem, cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius. Illum intus intuetur, fide saluatorem agnoscit, spe postulat regnum, quod poenitentia, confessione, & charitate meretur: Domine, inquit, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Audi ergo confessionis tuae latro responsum, audi saluatoris benignitatem: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso: non post mensem aut annum, sed hodie mecum eris in paradiso. Dulcissimum sane responsum, & verbo domino dignum in confusione adstantium, & subannatum Iudaeorum. Regnum latroni aeternum crucifixus pollicetur, dicens: Hodie mecum eris in paradiso. Porro ex huius sancti latronis verbis, tres veri poenitentis eliciuntur conditiones. Prima est vera peccatorum suorum confessio, qua factetur se iuste quae patitur meruisse. Non enim tribuit latro quam patitur crucem hominibus inuidis vel inimicis, & falsis testibus (quemadmodum plurimi soliti sunt suspicari, & dicere) sed ait: Nos quidem iuste: nam digna factis recipimus. Quod si quispiam dicat: Si veram egit poenitentiam latro in hora mortis & nos ad illam etiam horam poenitentiam differamus: perpendat quis hoc suadente diabolo dicit, quemadmodum hora mortis fuit prima latroni, in qua Christum nouit. Et exinde inferat, quomodo quicumque Christi fidem habet, & illum fide cognouit, a prima hora poenitentiam agere exemplo latronis oportet. Nam si latro credidisset in Christum a pueritia, poenitentiam

entiam distulisset in horam mortis: & tunc illi dominus diceret: Hodie mecum eris in paradiso, forsitan qui differunt poenitentiam, aliquo & si fragili argumentum inniterentur. Ceterum cum latro in illa hora Christi cognouit, & in eadem credidit, & confessus est, non differendi poenitentiam in horam mortis, exemplum manifestissimum nobis dedit. Aliter beatus Aug. respondet, dicens: Quoniam latro in hora mortis saluatus est, ne desperet quisquam si ad illam usque horam impoenitens deuenit, & tunc poeniteat. Et vnum tantum legitimus latronem in toto euangelio in illa hora saluari, ut nemo sit qui differant poenitentiam usque in mortis horam. Secunda est omnis occasione peccati remotio. Increpauit namque bonus latro alterum, & ab eius amicitia recessit, dicens: Nec tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iuste: Quis igitur vis vere poenitere, omnem peccati remoue occasione. Si negociator es, & ex vsura viuus, remoue omnem a te vsuram, & iustum lucrum quaere. Dices forte, nihil itaque lucrabor. Audi, lucrum habuisti de iniquo fenore, confide in Deo tuo quia lucraberis amplius ex iusto commercio. Si dicis, quomodo aliam fugiam? Audi, si tantum delectat alea, quanto amplius si Deo vacaueris, te delectabit ipse Deus omnipotens. Latro societate alterius iniqui repulit, & tanquam verus poenitens occasione remouit. Accusauit se nimio anxiatu dolore, dicens: Nos quidem iuste. Idem confidit, dicens: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Confusus est per merita passionis domini operibus charitatis, quae tunc lingua, quae sola illi libera erat, exercuit, salutem a domino consequi posse. Nam si non consideret, minime sic postulare. Memento mei. Nos igitur huius sancti latronis exemplo moti, domino lingua, & cetera membra offeramus, eius obsequiis insistentes. Semperque iniquorum consortium repellamus, prauos obiurgemus, & charitatis opera exerceamus, ut in exitu nostri hora audire mereamur: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre, & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in aeternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS QVARTVS.

In XXVII. cap. beati Matthaei, ex cap. 19. beati Ioannis.

Postquam dominus paradysum latroni pollicitus est, & beatissima virgo deipara, & beatus Ioannes audissent dominum ad patrem citius recessurum, continere stetum non potuerunt: & praeter dolorem aliquanto altius lenauerunt vocem plangentes. Quod dominus audiens, vel quia maestissimam videbat matrem, eam quoquomodo consolari voluit, & eiusdem obsequio prouideri. Inquit ergo beatus Io. Stabant autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dixit matri suae: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dixit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Stare virginem deiparam cum audis dicentem Ioannem, non tantum pedibus: quin etiam accipe fide indubitata resurrectionis, & deitatis domini fixam permanere. Quod autem dicitur, in triduo mortis Christi fidem ecclesiae in peccatore tantum deiparae virginis fuisse reconditam: accipiendum censeo de hoc induiduo domino Iesu, qui crucifixus, mortuus & sepultus est Hierosolymis, sub Pontio Pilato. Nam per orbem poterant esse homines, qui indubitatum fidem Messiae habentes, eum Deum esse scirent, & cruciendum, & resurrecturum sperarent: maxime vero docti, qui sacra scripturam prophetarum nouerant. Stare et dicitur, quoniam, & si dolore grauissimo, plusquam explicari potest, anima deiparae virginis anxiabatur: non tamen rationis usum obturabat dolor. Propterea non

passa est sensus alienationem, quod uel ex debilitate est flexionis accidere solet uidentibus effundi sanguinem, uel ex nimia tristitia & subito dolore commotis: uel quando ipse affectus rationem superat. At nihil horum fuit in beatissima uirgine, cuius purissima & rectissima ratio Dei uoluntati semper humilissime subiecta fuit: cuius corpus excellentissimæ fuit complexionis, neque uenenosis infectum humoribus, qui cor uel cerebrum penetrantes possent aliquam uertiginem facere. Cæterum quanto magis integra mente, sanæque corpore stabat, tanto amplius dolore cruciabatur: quæ nihilominus secundum rationem Dei uoluntati omni obedientia subdebatur. Ad cuius euidentiorē notitiam meminisse oportet illorum, quæ supra tractatu 6. cap. 26. de triplici uoluntatis distinctione tractauimus. Vna namque & eadem uoluntas in nobis, dum tristatur ob dolorem corporis seu alicuius membri appellatur uoluntas sensibilis. Si uero tristatur de exterioribus quæ lædere possunt & quoad potest ea propellere nititur, dicitur uoluntas ut natura. Quando contigit eiusdem rei una eademque uoluntatis potentia diuersos habere effectus: exempli gratia, cui manus secunda à medicis iudicatur, uoluntas ut natura uellet non abscindi: eadem uoluntas prout rationi, consentit, pro totius corporis uita unum uel alterum abscindi membrum. Similiter beatissima Dei genitrix uoluntate ut natura uolebat non mori Christum, & eius necē nimium tristabatur. Eadem ex uoluntate rationis stabat iuxta crucem uoluntati diuinæ obediens. Sic etiā iussu Dei Abraham, Genes. 22. capit. filium suum, cuius uitam uoluntate ut natura summè optabat, uoluntate rationis in montem immolaturus ascendit. Igitur beatissima uirgo filio Dei ex uoluntate patris sponte sua morti sese offerenti in omnibus subdita ex uoluntate rationis obsequabatur. Sed tãto maioris gladii transfixione cruciabatur, quanto amplius dignitatem Christi præcæteris ipsa considerabat, memorans illum Dei esse filium, cui omnem honorem, gloriam, & imperium reddere iustum est. Considerabat insuper innocentissimū, iustissimum, & sanctissimum esse illum secundum hominem: & eius esse filium gloriosissimum conceptum de spiritu sancto, genitumque ex ipsa semper uirgine permanente. Quisquis has tres causas doloris ante oculos secum adduxerit, perspicue cernet, nunquam ullum dolorem seu cruciatum Christi domini (passione eius excepta) in seculo contigisse similem dolori & cruciatui quæ beatissima uirgo habuit ex passione domini. Si clauus Christi manum perforabat, cor etiā uirginis transfugebat. Si corona spinea per omnes capitis partes illum cruciabat, cor etiā uirginis ex omni parte cruciabatur. Corpus Christi erat in cruce, & crux ipsa erat in corde uirginis. Christus crucifixus, illa transfixa. Vnde recte illi aptatur illud Threnorū prim. O uos omnes qui transitis per uiam, attendite, & uidete: si est dolor sicut dolor meus. Et illud. 2. cap. Cui comparabo te, uel cui assimilabo te filia Hierusalem? Cui adæquabo te, & consolabor te uirgo filia Sion? Tunc adimpletum est uaticinium quod beatus Lucas cap. 2. refert Simeonem prænucciassē Deiparæ uirgini, cum filium unicum dominum nostrum Iesum Christum in templo offerret: Ecce, inquit, positus est hic in ruina, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signū cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut ruelentur ex multis cordibus cogitationes. Passio igitur Christi animæ uirginis facta est tāquam cruciatus rota, cum doleret nimium, quia ueniens in carne Deus sic à creatura sua traheatur. Mox huic succedebat cruciatus alter, quoniam innocentissimus hac morte perimebatur. Subsequabatur & alter doloris gladius, quia unicuique illi filius crucifigebatur. Ea propter beatus Hieronymus ait uirginem

ginem deiparam stantem ad crucis aram, fuisse plusquam martyrem. Ideoque beatus euangelista ait: Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius: id est, firma fide, & corde martyr. Iuxta crucem stare beatissimam uirginem nō casu contigisse existimandum est: sed diuina id sapientia disponente. Cæterum duplex refugium post Christum Deus mundo dedit, scilicet crucem Christi, & beatissimam eius matrem. Cum enim dæmoni crux Christi opponitur, tanquam uictoriæ signum, quo uictus est, uelociter terga uertit. Cum ei opponitur Dei genitrix uirgo, uelociter etiam fugit: sciens illam fuisse uiam per quam Deus in mundum ueniens regnum eius euerit. Dicit enim dæmon: quidquid lucratum sum à prima mundi cōstitutione in cruce ligno perdidit: & illa est mulier, quæ concepit & peperit illum, qui mihi omnia abstulit. Turbantur & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis: à signis scilicet Christi, à signis passionis eius, à signis genitricis eius. Signum uitæ Christi uirgo est Dei genitrix de qua natus est. Signum mortis eius, crux in qua passus est. Turbantur ergo qui habitant terminos, & timebant dæmones qui totum circumat orbem à signis tuis, Psalm. 64. Sic etiam stare iuxta crucem decuit, ut reparatio humani generis eiusdem terminis celebraretur, quibus casus contigerat. Arbor erat scientiæ boni & mali in paradiso, uir Adam, & uxor Eua. Arbor uitæ in Caluarie erigitur crux Christi, fructus uero arboris, Christus. Dedit Eua fructum uero, & mors in mundum ingressa est. Dedit Maria Christum mundo, & uita de morte uictoria tulit. Beat. Ioannes in Apocalyp. capit. vltim. ait: Et ostendit mihi fluuium aquæ uiuæ (quæ scilicet fluxit ex latere domini ad eluendas omnium peccatorum sordes) splendidum tanquam crystallum. Deinde subiicit: Et ex utraque parte fluminis lignum uitæ: nempe crux in terra, & Dei genitrix uirgo in caelo, ad deprecandum pro nobis. Decens etiam erat iuxta crucem aditare uirginem matrem, quoniam defuncti filij heres est mater. Dominus huius mundi hereditatem ipse uicit, cuius totus est orbis, ipso proficiente: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidus: filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Nunc autem crucem accepit hereditatem, quam proprijs humeris portat, & in illa mortem obire uult. Ad matrem ergo hereditas filij defuncti rediit: ut per eius intercessionem fructus crucis efficiamur particeps. Cum igitur iuxta crucem staret beatissima uirgo Dei genitrix, uidentem eam Iesus tanto dolore & angustia affectam, quod ipse adeo sensit, ut nemo id uerbis exprimere possit, dixit illi: *Mulier ecce filius tuus*. Mulierem non matrem uocat, inquit beatus Ioannes Chrysostomus, ne cruciatui eius cruciatum adderet: si tunc placidissimum & amantissimum matris nomen proponeret. Omne quod liberum habet Christus dominus in consolationem matris dirigit, cor, oculos, uerba. Corpus si quidem clauis affixum cruci herebat: Sed magis affixum illum tenebat nostræ salutis desiderium. Beatus Augustinus: Taccebat, inquit, illi duo martyres (de Deipara & Ioanne loquimur) & præ nimio dolore loqui non poterant. Cruciat te o bone Iesu crux tua, nec minus mater tua. Cruciat te dolor tuus, non minus matris angustia. Nec mirum domine si compateris in desertione matris, & in commendatione matris, quoniam ipsa te nunquam deseruit. Ad discipulum autem: *Ecce mater tua*. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Omnia hæc uerba uehementer dolorem matris angebant, cum secum ipsa considerabat filij Dei quem genuerat se priuari presentia: & eum cerneret ualde cruciari. Inquit Ioannes Chrysostomus, in passione Christi duo altaria eriguntur, unum in cruce domini, alterum in corde uirginis. Christus in ara crucis se pro nobis Deo patri offert, acceptissimum sacrificium. Virgo mater præ dolore filij nimio cruciatu affecta animam

illi sacrificat. In anima nempe eius domini flagella sunt, ibi clauis, corona spinea, sputa, lancea, crux: denique omnes simul quos Christus dominus dolores patitur pia mater sentit in anima. Nos igitur ad instar virginis (quoad postumus) duo semper procuremus habere quæ ipsa in passione domini habuit. Primum ergo sit uoluntati diuinæ subiectio, & obedientia prompta. Sic enim uirgo Deipara uoluntatis ratione obediētissima adstitit cruci, & crucifixo filio conformis dolens perseuerauit. Secundum uero dolorem cruciatu & vulnera domini à mente nostra excidere nullatenus pariamur, nimisque dolendam beatissimam passionē ipsius lachrymis & gemitibus in corde nostro geramus, atque adeo cruciatus domini Iesu sentiamus, perinde ac si præsentēs effemus. Hæc enim duo beatissima uirgo habuit. Præ omnibus enim & Christi dominus doluit cruciatus, & uoluntati diuinæ paruī. Sic & nos admonet beatus apostolus Paulus, dicens ad Philip. cap. 2. Hoc enim sentite in uobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratu esse est se æqualem Deo, sed semetipsum exinanīuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Humiliāuit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam matrem, ad ministrandum illi tanquam matri, ad obsequendum tãquam filij Dei matri & reginæ cœli. Nos quoque illam suscipiemus in uincem refugium nostrum & protectionem. Mater Dei est, ideo potens: mater misericordiæ est, ideo pia: mater saluatoris est, ideo que propitiā: mater aduocati summi est, quem habemus apud patrem: Aduocata & ipsa erit apud filium dominum nostrum Iesum Christum: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS QVINTVS,

In XXVII. cap. beati Matthæi.

Quod ista sit domini uerborum series, quam retulimus, ostenditur ex ipsis beatis euangelistis. Quorum beatus Lucas tradit dominum dum in cruce leuatur dixisse: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Idem Lucas refert, dum blasphematur, latroni dixisse: Hodie mecum eris in paradiso. Post autem uestium diuisionem continuo addit beatus Ioannes, mœstissimæ matri dixisse: Mulier ecce filius tuus. Circa autem horam nonam beatus Matthæus & Marcus testantur clamasse: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me. Simulque referunt acetum quosdam tulisse domino, qui antequam illud admouisset ori, sicuti tradit beatus Ioannes, dixit: Sitio. Quod est quintum uerbum, cui præcessit clamor: Heli, Heli. Sumpto autem acetato dixit dominus: Consummatum est. Tunc iterum clamasse referunt beatus Matthæus, Marcus, & Lucas uoce magna, quam beatus Lucas explicat, dicens: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expirauit. Matthæus, emisit spiritum. Marcus, emissa uoce magna expirauit. Ioannes: Et inclinato capite tradidit spiritum. Hæc ante quartum uerbum domini præmissimus, ut aperte constet unumquodque uerborum domini suo ordine collocari. Et circa horam nonam (inquit beatus Matthæus) clamauit Iesus uoce magna, dicens: Eli, Eli, Lamazabatani? Hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Dum audis dominum clamantem, doloris magnitudinem considera: talemque ut nullus in hac uita unquam ita ingentes pertulerit cruciatus: siue pro quocumque facinore cruciaretur quis malefactor,

etor, siue pro fide quisquis torqueretur martyr. Hoc enim manifestatur ex eo quod crescente poena in perperiente ipsi extinguntur sensus. Magnitudo namque doloris sæpe uim sensus superat. Sicque quasi emortua redacta caro, tormentorum aculeos minime sentit. Alij alienantur à sensibus, quo minus sentiunt, quantuncumque dilaniantur. Martyres uero tanta dulcedine in ipsis tormentis pro Christo illatis afficiebatur, ut nimiam doloris partem ipsa interior consolatio mitigaret. Quod & beatus Augustinus libro 18. de ciuitate Dei. 52. capite, contigisse refert cuidam Theodoro: Qui cum in eculeo suspensus extraheretur: Eusebius quaesuit ab eo, an grauis uideretur illi eculei cruciatio: Cui Theodorus respondit, tanta se perfusum a lacritate dum torqueretur suspensus, ut nimis ægre tulerit ab illo extrahi cruciatu: eo quod pulcherrimus quidam iuuenis aqua purissima lauabat illi loca plagarum & linteo tergebat mundissimo. Atqui cum dominus patitur omnes sensus uigent & integri sunt: Non enim cum peccatoribus extra sensum efficitur præ magnitudine tormentorum: quinimmo crescentibus cruciatibus, iugor semper sensum in illo integer permanebat: neque etiam cum martyribus consolabatur, sed omni consolatione pars inferior patiens destituta amarissimæ passionis omnem uim sustinebat. Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber: Sicut vulnerati dormientes in sepulchris quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, & in umbra mortis. Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me, Psalm. 87. Propterea igitur cum dominus sic pateretur sine adiutorio, cum esset solus inter mortuos liber ab omni peccato, Deus omnes fluctus suos induxit super ipsum. Qui est omnes cruciatu integris sensibus perciperet, uoce magna clamauit: deus meus, deus meus, ut quid dereliquisti me? Verba sunt Psalm. 21. qui dominicæ passionis uisum est exemplar: Deus meus, inquit, es tu, quoniam in te proiectus sum ex utero matris, tibi que coniunctus in uincem suppositi. Cum igitur tanta tibi unione coniugar, & sic tuus sim, qui sum Deus: & tu ita meus, quod sum homo, ut quid dereliquisti me? qui in hac hora omnem dolorum percipi sensum, nulla que consolatione subleuasti: & sic uoluisti me acerbissime supra omnes quotquot in hac uita dolores perpassi sunt, cruciari? Non de pœnis conqueror, quod contumelijs & cruciatibus pressus, quod consputus & alapis cæsus, quod patibulum in quo sum affixus ipse proprijs humeris baiulauit. Sed quare tu ò Deus meus cui in unitate suppositi coniunctus, hanc humanitatis partem inferiorem sic absque alicuius solatijs subleuamine dereliquisti? A discipulis fugientibus solus sum derelictus, & ab amicis quibus sanitatem præstiti, & ad uitam iterum reuocauit. Et longasti à me amicum & proximum, Psalm. 87. Quis unquam malefactor in hostium manus est traditus cruciandus? Si quis alicuius patrem peremit, non eius filijs traditur torquendus, etiam si illius filij feruus empiriticus (id enim præter fas & æquum omnino fieret) sed ipse prætor per ministros suos cuiuscumque torture & mortis debitam pœnam infligit. Ego autem comprehensus à Iudæorum ministris & in manus eorum traditus in domum Annæ & Caiphæ & Herodis deductus sum, ac demum per milites gentium sui flagellatus, spinis coronatus, crucique affixus. Quin semper & aduersarij adfuerunt illudentes & irridentes quod ita patiar. Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Scis ò domine, scis quare omni superno auxilio & solatio destituaris: scis cur inter tot cruciatus solus derelinquaris à patre, quem tamen interrogas, ut ego ad responsionem aduertam. Pater meus & mater mea dereliquerunt me, dominus autem assumpsit me,

fit me, Psalm. 2. 6. Vt homo qui iacebat peccato peremptus, rediret ad vitam, assumeretur ad ueniam, ingrederetur ad gratiam, sublimaretur ad gloriam. Ideo dominus tales cruciatus sine consolationis solatio aut aliquo refrigerio, sustinet. Omnes dereliquerunt hominem, cui nec pater, nec mater, nec frater, nec quispiam subuenire poterat. Dominus autem assumpsit me: propterea sic ab omnibus derelinquitur, sic cruciatur pro me. Ita & eius diuinitas magis relucet, cum in manus traditur aduersariorum, & per ipsos incipit illudi & cruciari, & occiditur a ministris gentium. Quæuis enim calumnia callide conficta adeo inter homines ualet, ut quamuis ad æquum iudicem deferatur, & quæcumque se quis innocentem uerè proclamet, suspitio tamen aduersus illum cui est intentata calumnia suboriatur. Domini etiam accusatores falsissimi erant, & aduersarii pertinacissimi, quorum amici, & conuictores aduersus dominum testimonia proferebant: adeoque nullus seruatus est iudicii ordo, ut ipse iudex antequam sententiam ferret lotis aqua manibus, eum cuius innocentiam nouerat, condemnaret. Hæc omnia testimonia perspicacissima sunt innocentie Iesu, & diuinitas eius. Quoniam ipse uerus est ille Messias, de quo talis est passio a prophetis pronuntiata, talisq; mors uaticinata. In eo autem quod patitur acerbissime absque ullo solatio, nos in causa sumus, pro quibus ipse patitur. Quoniam dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Qui uulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum. Sustinuit, inquit Psalm. 68. qui simul mecum contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inuenit. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Voluit dominus pro nobis satisfacere, & pati & cruciari, mortiq; tradi oportuit: quoniam cum peccamus, id uoluntate, & sensibus integris perpetramus. Dominus itaque iubens subiit mortem, & integris sensibus patitur, ne ulla illi requies a cruciatibus detur. Beatus autem Augustinus in 2. expositione Psalmi 2. ait, hoc uerbum dominum protulisse, quoniam nos tanquam membra eius cum illo eramus in cruce, perinde ac si diceret: Quare domine sic a te longe facti sunt peccatores? Quare permisisti sic gentes a te separari? Origenes uero hoc uerbum etiam ad omne genus humanum refert, uel ad populum Iudæorum, cui satis subscribit littera: Vt quid dereliquisti dominus populum tuum istum Iudaicum? qui in tantam cæcitatem deuenit, ut tot miraculis, & omni scripturæ de te non attenderet: ac tandem me innocentem, & filium tuum unicum sic cruciauerit & occiderit. Theophylactus etiam huic sensui assipulatur. Cæterum quomodocumque uerbum accipiatur, uoce magna offertur in signum ingentis doloris, magniq; mysterii. Aduertendum etiam est idcirco dominum sic acerbissime cruciari: quoniam animarum poena, pro quarum salute patiebatur, excedit omnem dolorem, & tristitiam huius uitæ. Nulla itaque poena est (nec ipsa etiam quam in cruce patitur Christus dominus) perinde crucians & acerba, atque est illa poena animæ cum a corpore separatur: siue cum in purgatorio cruciatur. Cuius rei ratio euidentissima est, & sententia quæ ab omnibus doctoribus comprobatur, 13. sentent. distinct. 15. Nam corpus quicquid sentit, mediante anima sentit, id quod experientia docet. Nam cum anima recedit a corpore, quantumcumque dilanans, & flagellis torqueas, nihil sentit cadauer. Si igitur anima sub pariete corporis clausa sic afficitur, & sic sentit mediante corpore: multo magis exempta corpore cruciabitur. Patitur ergo dominus acerbissime ut debitam ipse poenam pro peccatis soluat: pariter ut animam acerbiori dolore cruciandam absoluat. Quod si in infernum descendat anima, experietur poenam intolerabilem, utpote passionis Christi fructum amissa.

amissa. Idem si in purgatorium iuerit: quoniam debitam satisfactionem pro peccatis non reddidit, experietur etiam acerbiolem dolorem, quam Christus dominus in sua beatissima passione. Vnusquisque igitur hæc animo uolens, & crucifixio qui talia patitur, & sibi ne aliquando patiarur, condoleat. Ne uerò peccata tantis redempta tormentis iteremus, domino Iesu uere dilectionis arctissimo vinculo deuinciamur, cui tantæ dilectionis passionem debemus. Et qui noster dignatus est fieri frater, dignemur, & nos illius effici serui obsequentissimi. Hoc summe optabat sponsa in Canticis, cap. 8. dicens: Quis mihi det te fratrem meum fugentem uera matris meæ, ut inueniam te solum foris, & deosculer te, & iam nemo despiciat. Frater iam noster est, quia humanitatem nostram assumpsit. Iam suxit uera Deiparæ uirginis. Iam inuentus est solus foris in humanitate assumpta, qui semper intus est in sinu æterni patris. Iam nemo nos potest despiciere. Ideo angelus dicit beato Ioanni uolenti se ad pedes eius prostrare: Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum qui seruauit uerba prophetiæ libri huius, Deum adora, Apocal. 2. 2. capit. Ipse enim Deus non despicit humanum genus pro quo filius eius factus homo, passus, & mortuus est. Ipse enim dominus apertolis suis ait: Pater amat uos, quoniam uos me amatis: & credidistis quia a Deo exiui, Ioan. 16. Diligamus igitur illum super omnia tantis affectibus beneficiis: præque oculis semper eius beatissimam passionem habentes, sincero ac supplici corde coram illo inueniamur. Nec nos negotiis animam turbantibus implicemus, sed puri Christiani imitatores effecti semper eius gratiam postulemus, qua interueniente cum eodem domino Iesu Christo perpetuo uiuere mereamur: Cui cum patre, & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS SEXTVS,

In XXVII. cap. beati Matthæi.

CVM dominus uoce magna clamasset: Heli, Heli, lamazabatani, inquit beatus Matthæus. Quidam autem illi stantes & audientes dicebant: Heliam uocat iste. Hic statim interponenda sunt uerba illa beati Ioannis: Postea sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dicit: Sitio. Deinde hæc uerba sequantur secundum Matthæum. Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, et dabat ei bibere. Ioannes: Vas autem erat positum aceto plenum. Illi ergo spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius. Sciens igitur dominus Iesus, quia iam omnia consummata sunt, ea uidelicet quæ de ipso usque ad mortem prophetata sunt. Cæterum quanquam post mortem læcea latum eius apertum est, & a limbo eruit sanctos, & die tertia resurrexit, in cælumque ascendit: omnia tamen in morte eius consummantur. Quando a morte pendet resurrexerit, ascensio, & gloria patrum. Etenim propter obedientiam mortis Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen: & morte & passione sua sibi gloriam resurrectionis meruit, tum & ascensionem, & sessionem ad dexteram patris, & iudicariam potestatem. Sciens igitur omnia in morte consummari: uel sciens omnes labores suos tunc morte finire, quos passus est ab infantia. Pauperem enim natum, deinde in Aegyptum fugientem, & demum prædicantem Iudæi persecuti sunt usque in hanc sitim, & mortem, ut consummaretur scriptura, Psalm. 68. Dederunt inquit, in escam meam fel,

Quæ sibi
Christus
meruit
moriens.

T r t. & in

& in siti mea potauerunt me aceto. Omnis igitur vita Christi laboribus, & anxietatibus plena est, quando ipse patitur pro peccatis, quorum pœna, nisi redimantur, æterna est. Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Quæ sane pœna iuste datur despicientibus Deum, qui bonum æternum est. Dixit ergo ut scriptura consummaretur: Sitio, Sciebat utique dominus paratum esse acetum cum vehementi irgeretur siti, quoniam per totam præcedentem noctem sputis, & illusionibus in se illatis insonnem peregit: & die huc & illuc delatus, ac flagellis cæsus, & spinis coronatus, insuper, & cruci affixus, valde destitutus sanguine cruciabatur. At etiam beatus Augustinus quoniam in hoc verbo, Sitio, salutem etiam nostram nimis dixit desiderare. Si enim Dauid Psalm. 41. ait. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? quanto magis dominus noster Iesus Christus sitiebat uos ante faciem Dei collocare, pro quibus tanta supplicia patiebatur. Sitis igitur domini adimpletio scripturæ est, & nostræ in peccatis sitis satisfactio. Quando peccantes certum est omnes sit in peccando pati. Hæc est enim quædam mala complexio, & malus peccatorum humor. Quoniam peccando quis, sitit iterum iniquitatem: Ita enim superbus magis superbus est, cum existimet se ampliori semper honore dignum, & ab omnibus extollendum. Auarus sic congregando magis avarus est, ut plus semper velit habere. Gulosus ita cibo delectatur, & potu, ut iam diem alterum elucescere cupiat, quo iterum cibo, & potu ingurgitetur. Sanguis fugæ diæ sunt filiæ, dicentes: Affer, affer, Prouer. 30. c. Sanguis fugæ peccator est, cuius vna filia auaritia dicit semper, affer, affer. Altera vero filia superbia, affer, affer. Dæmon vnam harum tradidit populo Iudaico, auariciam scilicet: alteram gentibus, nempe superbiam. Sed nunc plurimi sunt qui sibi utranque retinent. Nemo igitur seducatur putans se peccato de quo tentatur admissio satiari: immo continuo sitiet iterum peccare. Quoniam avarus non satiatur pecunia, nec superbus vlla sublimitate se reputat ascendisse, nec impudicus vlla fornicatione quiescit. Quicumque igitur omnem peccatorum sitim in se Dei gratia extinctam cupit, non committendo peccata, extinguet, & noxium eorum calorem expellet (Peccata namque veluti ignis insufflantur, & succenduntur) sed recedendo ab illis quam quis longissime possit. Similitudo in proptu est. Qui magis ad ignem accesserit, magis calefiet: qui recesserit, magis frigeſcet. Sic Salomon prouerb. 6. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ eius? Sic beatus apostolus Paulus cum discipulo Timotheo pri. epist. capit. 6. denuntiaret cupiditatem omnium malorum radicem esse, concludit: Tu autem o homo Dei, hæc fuge. Et beatus Iacobus epistola sua canonica capit. 4. inquit: Resistite autem diabolo, & fugiet a vobis. Itaque qui recedit sitim extinguit, qui vero accedit, vritur & sitim auget. Sed iam nunc consideremus quam frigidum latice sitientem dominum recreat synagoga: Vas ergo, inquit beatus Ioannes, posfitum erat aceto plenum. Quod videtur fuisse adductum, ut si forte sitiret dominus, ei acetum porrigerent. Qui iam myrrhato vino sel misuerant. Iudæi miseri domini diuinitatem vndiquaque ostendunt. Nam si illi myrrhatum vinum a principio exhibuissent: nunc vero aquæ purissimæ potum, seu potionem consecram ex saccharo porrexissent, quid ni dicerent aduersus nos, illum quem Messiam, & Deum dicitis, scripturam non adimpleuit, qua dicitur: Dederunt in escam meam sel, & in siti mea potauerunt me aceto. Cæterum cum ipsimet scripturas se adimplere cernant, mirum profecto

profecto est, cur non abducta mentis caligine dominum nostrum Iesum Christum credunt verum esse filium Dei, verumque Messiam: cum vel ipsi apices legis, id est minutissimæ prophetiæ de Messia in ipso sint adimpletæ. Quod sanè facere totus non possit orbis, nisi esset ipse qui fecit totius orbis dominus, & verus Deus. At quid agant, & quem potum propinent domino audiamus: Illi ergo spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius. Matthæus, & Marcus dicunt: Et continuo currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri vero, inquit beatus Matthæus, dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. Marcus eadem verba qui acetum propinabat dixisse refert: Potum, inquit, dabat ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Quod autem beatus Marcus ait idem qui propinabat acetum dixisse: Sinite, uideamus an veniat Elias ad deponendum eum, ita accipiendum est, ut cæteris dicentibus: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum, ille responderit quemadmodum Marcus retulit, ac si dixisset: Quinimmo finite me acetum illi porrigere: & uidebimus, an Elias veniat ad deponendum eum. Quod autem Ioannes dicit hyssopo spongiam circumpositam esse, Matthæus uerò arundini, & Marcus calamo: uel ideo dicitur, quoniam spongia apposita est arundini simul, & virgæ hyssopi; uel ideo quia breuis erat arundo, cui erat inserta virga hyssopi, in qua spongia circumposita aceto plena ori domini admota est. Extrema, & inexcogitata sanè quædam crudelitas. Ecquis inimicum cum ipsa morte lustrari uidens, non animo concedit? Ecquis uero homini moribundo siti enecato aquæ pauxillum denegat? Tu domine flumina, & fontes creasti, & ad extinguendam quam pro nobis pateris sitim, potari aceto sitiens uoluisti. Sitiamus ergo, & nos animæ salutem nostræ, quam dominus tantopere sitit: & illas habere uirtutes contendamus uiuentes, quas mortis die instante sitire debemus. Dominus enim qui semper nostram salutem optauit, moriens etiam sitit, quod sitiuit uiuens. Nemo igitur se seducat, existimans in hora mortis id nimium desideraturum, cuius nunquam meminit. Hac ergo animaduersione, inquit beatus Augustinus, peccator concutitur, ut moriens obliuiscatur sui, qui dum uixit oblitus est Dei. Profecto si quis compertum haberet hora mortis opprimi, nisi secum panis benedicti bucellam portet, nunquam illam a se reiceret. Igitur cum sciamus in eam nos aliquando deuenturos horam, in qua nostram salutem ultra quam dici potest, inextinguibili siti desiderabimus, nunc etiam sitientes illam queramus. Querite dominum, dum inuenire potestis, inquit Elias cap. 5. Inuocate eum dum prope est. Nunc igitur dominum sitiamus, nunc illum desideremus, amemus, & operibus bonis queramus. Leuemus, inquit Hieremias, corda nostra cum manibus ad dominum in cœlos, Thre. capit. 3. Igitur non tantum cor, sed & manus leuemus operando, ut hinc aduertamus omnem scripturam docentem, fidem sine operibus ad æternam uitam nihil proficere. Edoemur etiam, ut proximorum salutis sitim habeamus, & desiderium uehementissimum. Vnicuique enim mandauit Deus de proximo suo, Eccl. 7. remouendo ab eo omnem occasionem peccandi, & iuuando ad salutem monitis, & exemplis, atque omni sollicitudine ne spiritualiter cadant subleuando. Ita & beatus apostolus Paulus 2. Corinth. 21. inquit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Sic etiam dominus cum orare discipulos suos docuit nihil particulare in ora

tione sibi soli oranti petit. Non enim ait: Pater mi, qui es in caelis, panem meum da mihi. Dimitte mihi debita mea: Ne me inducas in tentationem: Libera me a malo: sed Pater noster, panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Dimitte nobis debita nostra: Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos a malo. Quo sane docemur, ut pro se quisque orando proximorum meminerit: tantoque facilius se sciat impetraturum, quanto pluribus prodesse cupit: & ut sic orando, mutuis nos iuueamus orationibus: & quod unus assequi non meretur, ut multis orantibus exaudiat. Quo igitur amplius omnium salutem desideramus, eo efficacius petimus. Ita siquidem redditur opima, & liberalis oratio, quam non decet esse auaram. Si enim auaritia terrenorum multiplici testimonio scripturae damnatur, quanto magis tenacitas spiritualium in culpam uertetur? Unusquisque ergo caueat, ne arguatur a beato apostolo Paulo dicente ad Philip. 2. capit. Omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi. Quin potius satagat charitatem habere, quae non quaerit quae sua sunt, pri. Corinth. 13. Hinc illud reportatur premium, ut quantum quis proximorum salutem procurat, tantum Deus illi suam impercit, iuxta illud quod beatus Iacobus in sua catholica cap. ult. ait: Fratres mei, si quis ex uobis errauerit a ueritate, & conuerterit quis eum: scire debet, quoniam qui conuerti fuerit peccatorem ab errore uiae suae, saluabit animam eius a morte, & operit multitudinem peccatorum, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre, & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in aeternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS SEPTIMVS,

In XXVII. cap. beati Matthaei.

CVM beatus Matthaeus dicit spongiam aceto plenam domini ori admodum, beatus Ioannes acetum accepisse tradit, quo accepto dixisse: Consummatum est. Eius sic habent uerba: Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Quod sextum est uerbum domini, uehementer dolore ab ipso pronuntiatum. Etenim expertus erat, quod & semper sciuit, Iudaeorum atrocitatem, qua diabolici illi ministri sitienti in cruce domino pauxillum aquae ausi sunt denegare. Sed & lamiae nudauerunt mammam, inquit Hier. Thren. capit. 4. lactauerunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Non exhibent aquam illi, qui populo sitienti dulcissimas aquas de petra largissime fluere iussit. Ait igitur dominus: Consummatum est. In quem locum beatus Ambrosius tradit, in aceto quem gustauit dominus, hausisse omnes nostras amaritudines. In historia uero scholastica dicitur, hoc domini uerbum, Consummatum est, in quo magna sunt abscondita mysteriorum arcana, significare consummatam esse peccatorum satisfactionem. Ad cuius notitiam considerandum est, quod peccatum primorum parentum, & omne peccatum lethale continet in se quandam contemptum Dei. Itaque peccans contemnit summam illam essentiam, summum illud bonum Deum omnipotentem: quoniam illo relicto conuertitur ad creaturam. Propter ambitionem superbus Deum relinquit, propter argentum auarus, propter cibum uero, & potum gulosus, & ebrius Deo uale faciunt. Pro qua uis igitur creatura terga Deo uertit, qui lethali culpa fordescit. Deo namque despecto profususque abiecto creaturae adhæret, eaque fruatur. Quod dicitur contemptus Dei. Atqui conuenientissimum foret, ut Deo debitus honor ab omnibus deferretur, esse præcipuum aliquem

quem inter homines, qui omnia ista mundana, ut stercora vilipendens, balsphemias, irrisiones, cruciatum, & mortem si opus esset, propter Deum praesenti animo sustineret. Ut ipsius exemplo adducti mortales iam mundo & carni & ipsi Satanae renuntiarent, scientes quantum Deo debetur honoris & reuerentiae, quodque oportet quaecumque pro illo subire supplicia, & etiam mortem oppetere, si opus sit. Ita enim dominus ait, Ioan. 8. cap. Ego honorifico patrem meum, & uos inhonorastis me, & psal. 68. Non erubescant in me, qui spectant de domo me, domine uirtutum: non confundantur super me qui quaerunt te, Deus Israel. Quoniam propter te sustinui opprobrium: opperuit confusio faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filius matris meae. Quoniam zelus domus tuae comedit me, & opprobria exprobandum tibi, ceciderunt supra me. Pro honore igitur dei dominus tolerauit probra, irrisiones, blasphemias, plurimaque supplicia usque ad mortem. Sicque cum quis à Deo contemdit indulgentiam consequi peccatorum, propter eum postulet, qui omnes illi fiones, dolores, & mortem patientissime tolerauit dominus noster Iesus Christus mediator Dei & hominum. Neglexit enim dominus ob honorem patris omnem quietem, sustinens labores immensos: diuitias omnes conculcauit, nec domum possedit aut agrum. Filius enim hominis non habet, ubi caput suum reclinet, cum habeant uulpes foueas, & uolucres caeli nidos. Ultimo autem uiam libentissime pro Dei honore cruciatui omni exposuit, qui uitam praeter omnibus uixit innocentissimam. Quapropter dignus erat, cuius uita praeter omnium hominum uita conseruaretur. Sic grauius peccat occidens innocentem, quam peccatorem. Quoniam pretiosior uita & quae magis conseruari debeat, innocentis est uita, potius quam iniusti, cui mors debetur aeterna. Sic & beatus Thomas agens de elemosyna 2. 2. inquit plebeum hominem iuste dare panem seipso neglecto, uero iusto & reipublicae utilissimo, ut eius conseruet uita. Iustissimus enim dominus & reipublicae praeter omnibus hominibus utilissimus: uita igitur eius omni aestimatione digna conseruari debuit, praeter omnium uiuentium uita. Hanc ille libentissime pro Dei honore impendit, & per omnem cruciatum illam exposuit. Propterea ergo cum iam omnia consummata essent, & in conperata supplicia aceto in potum porrecto, ait: Consummatum est: nempe contemptus Dei, quo à peccatoribus afficiebatur, nea iam dignissima humanitate in Dei honorem tormentis tradita, & me uitam illico finituro. Etenim hi mei tortores non habent amplius quid faciant. Scripturae passionis meae per omnia completae sunt. Consummata est etiam obedientia mea. Consummatum est opus, ad quod in mundum à patre sum destinatus. Omnibus sacramentis meritorie gratia collata est: Apostolis donari Spiritum sanctum meritum est. Remissio omnium delictorum omnibus ad ecclesiae gremium se conferre uolentibus, ubique in fide & gratia & bonis operibus persecutoribus praestita est. Omnia adimpleta sunt. Consummatum est. Ab hac igitur hora, quoniam perfecit omnia quae accepi à patre meo, liberum est mihi animam ponere, quod erit ultimum, ut uere uitam pro Dei honore impendam. Consummatum est. Sunt etiam quibus placeat uoluisse dominum in hoc uerbo significare omnem scripturam, quae de primo aduentu Messiae, usque ad eius mortem fuerat praenuntiata, consummatum esse: quasi dicat dominus, iam non amplius inter homines praedicabo, non irrisiones suseram & blasphemias, non amplius acetum gustabo, neque ori meo fel admouebitur, non amplius flagellabor, non coronabor spinis, non denique amplius cruci affigam. Consummata enim est scriptura, & iniquitas persequentium me, quibus nocere amplius non est permisum. Consummatum est. Nam animam meam, memo tollet à me, sed ego eam a me ipso pono.

Pono, qui potestatem habeo ponendi eam, & iterum in resurrectione assumendi eam. Sic & beatus Ioannes ait, cap. 19. Et inclinato capite tradidit spiritum. Non, inquit, expiravit, & caput eius concidit: sed ipse libere caput deorsum inclinavit. Deinde libere uoce magna spiritum emisit. Ipse dedit spiritum suum animam suam pro debito patris honore, & satisfactionem peccatorum sufficientissimam, ideo ait: Consummatum est. Vel ideo dicit: Consummatum est, quia pretium redemptionis humanæ, & integra satisfactio consummantur nunc me continuo spiritum emissuro. Ad cuius perspicacioris notitiam memorandum est, passionem domini oblatam fuisse patri pro satisfactione generis humani. Secundum autem quantitatem delicti, erit & plagarum modus, inquit dominus Deut. capit. 25. Et quoniam homo prius cogitatione peccat & uoluntate: dominus in initio passionis suæ beatissimæ primo tristatur, seorsum tribus discipulis, Petro, Iacobo, & Ioanni dicens: Tristis est anima mea usque ad mortem. Et quoniam post cogitationem & uoluntatem consentimus peccato: dominus etiam in oratione passionem acceptat, & secundum uoluntatem patris obedienter adimplet. Et quoniam postquam deliberamus ad perpetrandum peccatum, media quærimus, quibus illud perficiamus: dominus etiam nostræ reparationis media secum perpendit: & oblato in intellectu totius passionis discursu, & peccatorum pro quibus patiebatur multitudinem, orabat prolixius: ut factus sit sudor eius, Luca referente, tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram. Quoniam uero peccata ueluti quibusdam funibus homines ligant: Funes peccatorum, inquit Dauid, circumplexi sunt me: & unum peccatum pendet ex altero: Dominus capitur, & illi una illusio & altera irrogatur. Peccatum namque & Dei offensa est. Cui dominus primum alapam offert, quæ illi in domo Annæ in faciem beatissimam unus ministrorum impigit, dicens: Sic respodes Pontifici? Præterea peccatores huc illuc nocte dieque ad peccandum discurrunt: In circuitu etenim, inquit psalmus, impij ambulauerunt: ita & dominus de domo in domum deducitur, noctu quidem in domum Annæ, deinde Caiphas: interdum uero in domum Pilati, deinde Herodis, rursus in domum Pilati, postremo in Caluarie montem. Et propter delectationem culparum flagellatur, & propter uanitatem & superbiam peccatorum hominum spinis coronatur, & purpurea ueste illudatur, & ad propellendum onus, quod peccatoribus peccata imponunt: Venite ad me omnes, inquit ipse dominus, qui laboratis & onerati estis. Crucem humeris portat, & crucifixus in omnibus patitur membris, quoniam omni sui parte Deum peccator offendit. Et quoniam primi hominis materiale peccatum ab ore initium sumpsit, edens de fructu prohibito: felle & tadem aceto potatur dominus. Cum autem gustasset felle, noluit bibere uinum felle nullum. Et cum accepisset acetum in ore, dixit: Consummatum est. Propterea nunc dicit peccatorum stipendium, consummatum esse. Nunc redemptionis humani generis pretium consummatum est. Adimpletum est, quod dauid cecinerat, dicens: Apud dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio, psalm. 129. Vere enim misericordia domini in sua beatissima passione præ omnibus operibus eius ostenditur, & copiosa apud eum redemptio: dum in omnibus suis membris patitur pro omnium peccatorum genere. Nos igitur consummatam scripturam considerantes, & Dei honorem omnibus ante positum, & peccatorum nostrorum celebratam redemptionem, pretiumque exhibitum, imponamus finem peccatis nostris, dicamusque diabolo, mundo, & carni: Consummata est uita mea, superba, uana, auara, cupida, carni & uoluptatibus dedita: iam amplius peccare nolo, sed carnem meam cruci domini assignam, cum uitijs & concupiscentijs. Si quæ uero sunt, quas dominus sua gratia in

uia in nobis incepit uirtutes efficere, etiam illas consummemus & perficiamus usque in ultimum diem perseverantes: Perseuerantibus namque salus promittitur domino dicente: Qui perseverauerit usque in finem, ipse saluus erit. Propterea dominus in lege, prout habetur Exodo 29. & Leui. 3. capit. præcipiebat sibi caudam hostiæ semper offerri, ad significandam uirtutis consummationem usque in finem illi offerendam, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS DECIMVS OCTAVVS,

In XXVII. cap. beati Matthæi.

Iesus autem iterum clamans uoce magna emisit spiritum. Beatus Marcus: Iesus autem emissa uoce magna expiravit. Beatus Lucas uocem hanc magnam quæ fuerit declarat, dicens: Et clamans uoce magna Iesus, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expiravit. Beatus Ioannes: Et cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Caput proprie inclinare est deorsum deprimere, non in laurus flectere. Nec enim dominus sine magno dolore in humerum caput declinare poterat: quoniam corona spinea cruentatum humerum laceraret. Inclinauit cælos & descendit, inquit Dauid. Inclinare est deorsum flectere, seu deprimere caput. Vltimum hoc fuit uerbum domini, cuius pars scripta est psalm. 30. Veruntamen ibi dicitur: In manus tuas domine commendo spiritum meum: redemisti me domine deus ueritatis. Quod uerbum nobis in hora mortis utique utilissimum est. Quoniam habet ex domino: In manus tuas commendo spiritum meum: ex nobis uero commemorationem passionis domini, cum dicitur: Redemisti me domine Deus ueritatis. Dominus enim tanquam unicus filius Dei in illa opprobriosa morte pro nobis patri æterno oblata, in testimonium diuinitatis suæ, Iudæis & gentibus ibi astantibus, non in manus tuas domine ait, sed pater: patrem suum uocans Deum: Pater in manus tuas, inquit, commendo spiritum meum: nihilque amplius addidit, sed hæc uerba dicens continuo expiravit. Ut uidentes qui aderant clamoré ualidum ab eo, cui corpus sanguine iam destitutum erat, prolatum: & contra naturæ iura, ita uehementem uocem emittere moribundum, agnoscerent uerum esse filium Dei. Quod Centurio & qui ex aduerso astabant gentes, uidentes quia sic clamans expirasset, & signa quæ fiebant, timuerunt ualde, dicentes: Vere hic homo iustus erat, & uere filius Dei erat iste. Hanc etiam uocem reddit dominus in ultimo suæ uitæ, ut ostenderet horum uerborum ueritatem, quoniam dixerat Iudæis, Ioan. cap. 10. Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro onibus meis. Et paulo infra: Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Et sic manifeste ostendit Iudæis libere offerre animam patri. Oblatus enim est, quia ipse uoluit: sponte sua passus & mortuus pro salute nostra, quod ostendit clamans. Quanto enim quis proprius ad mortem accedit, tanto fragiliores redduntur, & tenuissimam emittunt uocem, deinde nullam. Dominus autem uoce magna expirans, ostendit quod animam suam uoluit offerre patri: non quando Iudæi uoluerunt. Et sic etiam Pilatus admirabatur, si iam obijisset: cum corpus ab eo petijisset Ioseph, ut tradit beatus Marcus. Beatus Thomas 3. quæstio. 47. articulo. 1. explanat hanc animæ liberam oblationem & exitum, dicens: Cruciatu quoque dominus in sua beatissima passione

passione perpeffus est, ad illum perneccandum sufficientissimi erant: cæteri ipse dominus uim corpori ad tolerandum & non deficiendum in tormentis præstabat, & sic exitum animæ retinebat ac differebat. Porro quando uoluit dare cruciatibus locum, permisit secundum eorum naturam ad mortem agere. Et sic posuit animam, quando ipse uoluit. Quia cum uoluit vires dedit corpori, ut non moreretur: & cum uoluit, tormenta & dolores agere permisit ad necem usque. Atqui ad ostendendum hæc omnia sic se habere uocem magnam contra naturam morientium reddidit. Pariterque ostendit dominus intentionem doloris, quo opprimebatur in cruce. Manifestauit etiam præ omnibus morientibus dolorem mortis sensisse: ipsumque solum extremum illum dolorem, cum anima exit a corpore, quod superat omnes huiusce uitæ dolores percepisse. Nā in omnibus morientibus prius deficit sensus mentisque nigor, quam deficiat anima: hoc est, prius hebetantur sensus per aliquod, uel paruum, uel magnum, uel minimum spatium antequam anima egrediatur a corpore: atque illud ultimum egressions punctum nemo moriens Dei misericordia percipit. Omnem enim sensum dolor ille superat, quoniam excedens sensibile corrumpit sensum. Sicque corpus stupet & non sentit, a doloris scilicet uehementia & intentione superatis sensibus. In Christo autem Iesu, qui nos a morte redemit, omnis inerat sensus dolores percipiens, & unumquodque pro nostra reconciliatio ne patri offerebat. Hunc autem ultimum dolorem præ omnibus obtulit, & solus sensit, qui sanè fuit maximus omnium cruciatuum, quæ dominus in sua sacratissima passione pertulit, cum animam patri reddidit, & dolorem ultimæ separationis animæ integris percepit sensibus. Et sic magna uoce clamauit, dicens: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens exspirauit. Ipse igitur solus percepit quântis doloribus anima a corpore separatur. Dolor iste excessit flagellorum dolorem, spinarum cruciatum, & crucifixionem, & omnem alium quem ad illam horam perceperat Christus dolorem. Hunc uocem beatus apostolus Paulus clamorem ualidum, & cum lachrymis emissum, dicens ad Hebr. cap. 5. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere a morte, cum clamore ualido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Offerens uidelicet animam suam in illo ultimo puncto beatissimæ passionis suæ ad eum qui illum posset resuscitare, ad patrem utique. Exauditæ sunt preces eius, quas pro nostra redemptione effudit cum lachrymis & clamore ualido, animam pro nobis offerens. Exauditus est pro sua reuerentia, pro suo utique merito, propter suam uirtutem, propter suæ humanitatis dignitatem: quæ unico Dei filio in unitate suppositi cõiuncta, uerbi personam gerebat in humanitate assumpta. Beatus Athanasius per hanc uocem magnam ait Christum dominum in illa hora nos Deo patri commendasse, ut animabus nostris mederetur in nostro transitu & egressu. Hinc fit, ut præ omnibus preceationibus (dominica orationem excipio) quæ a morientibus tunc Deo offerri possunt, hanc esse potissimam: Domine Iesu Christe, propter illum dolorem quem omnium maximum percepisti, cum beatissima anima tua egressa est cum lachrymis & clamore ualido a sanctissimo corpore tuo, miserere nunc animæ meæ in egressu suo. Quod donet ipse dominus nobis: & hanc posse preceationem illi offerre sanctissimis sacramentis confessionis, eucharistiæ & unctionis summa cum deuotione perceptis. Ut ita participes esse mereamur eius diuinæ uisionis & fructuionis, ne quis Christianus cum impijs uocem illam proferat, querimonia & mendacio plenam, quæ traditur Sapientia capite 5. cuius eruptio a pessima uita ducit originem, quam & Iudæis peculiariter ipsa Sapientia tribuit 2. cap. ubi agit quemadmodum Christi-

tus

us reprobandus & occidendus erat ab illis. Inquit igitur. Dixerunt enim impij cogitantes apud se non recte: Exiguum & cum tædio est tempus uite nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis, quoniam ex nihilo nati sumus: & post hæc erimus tanquam si non fuerimus, quoniam fumus & flatus est in naribus nostris, & sermo scintilla: ad commendandum cor nostrum. Quia extinctus cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aer, & transibit uita nostra, tanquam uestigium nubis: & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est a radijs solis, & a calore illius aggrauata. Et nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Umbra enim transitus est tempus nostrum, non est reuersio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo reuertitur. Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter. Vino preioso, & unguentis nos impleamus, & nō prætereant nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescât: nullum pratium sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo ueltrum exors sit luxuria nostra. Vbiq; relinquamus signa lætitiæ, quoniã hæc est pars nostra, & hæc est fors nostra. Opprimamus pauperem iustum, & non parcauius uiduæ, nec ueterano, nec reueramur canos multi temporis. Sit autem fortiundo nostra lex iustitiæ: quod enim infirmum est, inutile inuenitur. Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris, improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Manifestum est de Iudæis hanc prophetiam a Sapientia prædictam esse, qui uidentur negare animæ immortalitatem, aut certè nimis de illa dubitare. Qui post suas ubique & in omnibus exquisitas lætitijs Messiam circumuenerunt: & occidendum statuerunt ad probandum, an uerus Dei filius sit, prout latius infra eodem cap: prosequitur ipsa Sapientia. Vnde in expositione illius particulæ, quâdo coloni supra cap. 2. dixerunt: Hic est hæres, uenite & occidamus eum: diximus Iudeorum proceres, qui tum temporis erant dubitasse de Messia, an uenturus esset in mundum. Quod si aliquis esset uenturus, Christus dominus illis uidebatur esse. Adduximus autem ibi illud Ioan. 5. a domino illis improperatum: Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo uerbis meis credetis? Sapientia porrò in prædictis uerbis idem prophetaisse uidetur cap. 5. exponitque lugubrem eorum uocem, quam in inferno positi, sunt reddituri. Inquit igitur: Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angustia spiritus, dicentes intra se, penitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati uitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est? Ergo errauimus a uia ueritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in uia iniquitatis & perditionis, & ambulauimus uias difficiles, uiam autem domini ignorauimus. In eo autem quod dicunt uia domini ignorasse, & non luxisse illis solé intelligentiæ & lumen iustitiæ, profus mentiantur, quando Deus non deficit unicuique in necessarijs: sed illi clauserunt oculos iustitiæ lumini, & soli intelligentiæ, & scripturis, per quas omnis ueritas & Christus illis manifestissime ostendebatur. Noluerunt itaque intelligere, ut bene agerent, propterea obcæcati sunt a malitia sua. Audiuerant

Vvū enim

enim quadriduanum Lazarum resuscitatum a domino, & noluerunt miraculum cum scriptura conferre, nec attendere illud non posse fieri, nisi a Deo. Illi ergo concilium collegerunt, non quidem ad miraculum conferendum, sed ad dominum occidendum, dicentes: Quid facimus: quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Ceterum iam ad finem uocem eorum profequamur: Quid, inquit, nobis profuit superbia, aut diuitiarum instantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius præcurrens: & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non est uestigium inueniri, nec semitam carinæ illius in siccibus: aut tanquam auis, quæ transuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus alarum uerberans leuement uentum, & scindens per uim itineris aerem, commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signum inuenitur itineris. Aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum diuisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius: Sic & nos nati continuo desinimus esse, & uirtutis quidem nullum signum ualuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno, hi qui peccauerunt. Tot e quidem similitudines coaceruarunt ad ostendendam uitæ breuitatem, quam in 2. Sapientia cap. se in delicijs transigere uelle dixerunt. Et concludunt sic illos natos continuo desinare esse, & ita breuem esse eorum transitum, ut ipsius ortus principium cum ipsa morte coniungat, nulla de intermedio tempore habita mentione. Voce igitur magna dominus clamat, & spiritum patri tradit: quo se uoluntate sua oblati, & animam quando uoluit tradere, manifestauit: quo & dolorem separationis animæ a corpore in ipso egressu ultimo, quod inter omnes huius uitæ dolores maximum est, se percepisse ostendit. Nos igitur si de eius dolore compatimur etiam uehementem dolorem habebimus, considerantes exitum a corpore beatissimæ animæ suæ. Hunc igitur semper habentes præ oculis deprecemur, ut dignetur nobis in hora exitus animæ nostræ mederi, nosque suscipere pro quo ram salute talem uoluit mortem subire. Nemo igitur diffidat, nec præsumat. Non diffidat, inquam, cum uiderit dominum tanta pro nobis pati. Operatur enim ut confidamus meritis eius beatissimæ passionis, quæ nobis per sacramenta & gratiam communicatur, saluari posse. Sic hortatur beatus apostolus Paulus ad Hebr. cap. 12. dicens. Recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus aduersus semetipsum contumeliam, ut non fatigemini animis uestris deficientes. Sicut igitur diffidere talem redemptorem habentes, summa dementia est, sic præsumere sine penitentiâ & bonis operibus charitatis saluari posse, summa superbia est. Ipse namque dominus non uerbis tantum, sed operibus etiam charitatis edocet nos uitam supernam querere: cuius passio non uerbo sed uerbere, non gaudio sed cruce, non esu & computationibus sed aceto & felle, non uita uoluptati & delicijs dedita, sed amarissima morte consummata est. Equis igitur ita demens est Lutheranus, qui uidet Christum in cruce & audit dicentem. Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: & præsumit cum lucifero fide sine operibus in sum premis sedibus collocari, & sola fide passionis domini meritum promerere? Confidamus igitur, sed non præsumamus. Quin immo bonis operibus charitatis semper abundantes, dum tempus habemus, ut inquit beatus apostolus Paulus, operemur bonum: Non dicit apostolus, credamus: credentibus siquidem loquebatur. Atqui ut fides non sit frustranea inquit, dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, ad Gala. 6. propterea quatuor præcipua sunt in passione beatissima domini consideranda & semper

per in crucifixo inspicienda tanquam in speculo lucidissimo. Primum est, ut cõsideremus salutis nostræ modum, quo est usus redemptor & saluator noster: ne nos uani & miseri homunciones, cum perspexerimus a cunabulis ipsum saluatorem filium Dei doloribus angere, necessitate urgeri, multis persecutionibus undiquaque premi, tanquam atrociter in passione sua torqueri, & tali morte peccata nostra redemire, nobis falso & fallacè quandam felicitatē polliceamur. Si enim talia pro nostris criminibus patitur Christus, nos improbi & peccatores comestationibus, ebrietatibus, cubilibus, spudicitijs, odijs, uindictis, homicidijs, ludis, superbijs & auaritijs dediti, & qui inuile transigentes uitam ad horrendam mortem peruenimus, quid expectamus ab eo, qui filio suo non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum? Quid enim aliud faciet seruo non operanti, & pigro, quiq; talentum fidei sibi commissum abscondit, quam quod ipse dominus dixit: nempe ut mittatur in tenebras exteriores, ibique perpetuo relegari illum præcipiet, ibi erit fletus & stridor dentium. Operarios nos passio domini esse proclamat, & uitam puram agere docet, non præsumere. Admonet præterea oportere nos uacare ieiunijs, ceterisque operibus penitentiae, quibus caro comprimitur, ne sub carne Christi Iesu crucifixo atque omni tormentorum genere cruciati uelimus nos omnino uitio deditam agere uitam. Quæ summa & inaudita fuerit impudèria. Secundum uero quod perspicitur in crucifixo, est peccatorum grauitas. Nemo enim unquam uerius definiuit, quid sit peccatum mortale, quam Christus dominus in sua beatissima passione. Et quidè theologi ita dicunt: peccatum est dictum, factum, uel concupitum contra legem Dei, ex uoluntatis decreto. Christus uero dominus opere non uerbo ostendit peccatum mortale adeo malum esse perniciosum ut non remittatur absque morte filij Dei. Dicebat utique Hieremias propheta in sua oratione. Ne fecit gaudium cordis nostri: uersus est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri. O uehementi dolore plangendum successum. Quare o Hieremias gaudium cordis tui defecit: & in luctum conuersus est chorus: & cecidit corona capitis: inquit: Væ nobis, quia peccauimus. Peccata nostra gaudium de corde nostro amouerunt: peccata nostra chorum nostrum in luctum uerterunt. Væ nobis quia peccauimus. Omnes nos, inquit Esa. capi. 53. quasi oues errauimus: unusquisque in uiam suam declinauit: & posuit dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Ecce quid egerint peccata nostra, ecce quid fecerint delicta nostra: ecce mortalium peccatorum alteram definitionem. In hoc ergo speculo o Christiane quid sit mortale peccatum lucidissime intueris, & ad amissum tibi traditur definitio eius. Tertium quod in crucifixo tanquam in speculo nitidissimo cernitur, est pro peccatis mortalibus debita poena. Colloca ante oculos tuos filium Dei crucifixum, ne nos in æternum relegemur supplicium. Aspice eius omnia membra excruciarum, & usque ad linguam & gustum extendi poenam, cum fel & aceti sit sitienti datum. Respiice flagella, coronam spineam, ludibria, & mortem acerbiorē quam ut dici queat. Quippe quæ omnem dolorem sensibilem superauerit. Nū tales dolores ac talis passio audisti? Veritamen scito tam horribile esse poenam inferni, quam ne nos in illam perpetuo decideremus, talia pati uoluit misericors & miserator dominus. nec enim tot cruciatum fuisset passus, nisi tanta nobis pro peccatis nostris preparata essent supplicia. Cū poena æterna sit, ciuiatus patitur ipse immensus. Nā cū extensio non esset duratura perpetuo, quæ illi impedebatur supplicia, intentione fuerit omnium intermissima, quæ in hac uita excogitari possunt tormenta. Considera igitur quantum redemptori debes, & quam sunt fugienda infernales poenæ acerbiores. Quartum & ultimum quod perspicitur in crucifixo speculo beatorum purissimo, est gloria ipsa, quæ nobis pro penitentiâ uerā deleta culpa, si bonis nos charitatis operibus exercuerimus, præstabit ipse saluator. Nepe ea est, pro qua ipse ut nos in eam

Quatuor
in domino
crucifixo
consideranda.

Definitio
peccati.

Contra Lutheranos.

reduceret, talia sustinere uoluit. Nō enim dominus ad eō acerbam obiret mortem, nisi ea quam nobis comparabat gloriam, tanta digna fuisset morte. Oculus non uidit Deus absque te, quæ preparasti expectantibus te, inquit Esaias cap. 64. Et beatus apostolus Paulus prima Corinth. cap. 1. inquit Scriptum est, quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ preparauit Deus ijs, qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per spiritum sanctum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. In passione uerō Christi perspicitur, quanta futura sit gloria beatorum, ad quā nobis prestandam tot cruciatus Dei filius patitur. Si utique diceretur nobis alicubi gētiū homines prospera semper ualitudine perpetuo uiuere, an non omnes eo se conferrent? Rursum si diceretur nobis esse in orbe terram, ubi omnia uasa aurea & argentea sunt, ubi terra omnia sponte producit, ubi nihil deficit, ubi amoenissima decurrunt flumina, & arbores suauissimos produciunt fructus, ubi nullo dolore, tristitia, nec senectute afficitur homo, nonne omnes eo confugeremus? Si nobis etiam proponeretur esse ibidem homines splendidissimos pulcherrimosque, quos intuēri omnem mundanā superet uoluptatem: quis in talem deferri locum toto mentis studio non concupisceret? Minima hæc omnia sunt, si cum illis conferas, quæ Deus tribuit diligentibus se: quando ipsemet est gloria beatorum, & in ipsius uisione & fruitione omnis eorum gloria sita est, non in bonis desiderabilibus quæ enumerauimus. Ipse enim Deus existit obiectum beatitudinis nostræ. Ipse nos in se beatificat, quod sane uerbis a nullo mortaliū explicari potest. Ex quo nobis magna beatitudinis sit coniectura: cum uideamus filium dei talia pati ad hanc nobis felicitatem donandam. Igitur uera pœnitentia & charitatis operibus nos munientes, & in

ipsis ad finem usque perseverantes, lethaliū criminum grauitatem in ipsa domini passione consideremus, & infernalis pœnæ intensionem

& extensionem in eodem speculo inspiciamus, & gloriæ magnitudinem in Christo domino crucifixo coniecturemus: curranusque post ipsum in odorem moestissimæ matris eius Mariæ. Post ipsum, inquam,

qui uoce magna clamans in in cruce, ait:

Pater, in manus tuas commendo

spiritum meum. Et hæc dicens expirauit. Cui cum

pater & spiritu sancto est honor,

gloria, &

imperium in æternum.

Amen.

T R A -



ESPERE autem sabbati, quæ lucefcit in prima sabbati, uenit Maria Magdalene, & altera Maria uidere sepulchrum. Vespere sabbati parauerunt aromata nocte, & prima die quæ lucefcit in prima sabbati, hæc est dominica, uenerunt ad monumentum: quod beatus Marcus cap. 16. explanas, dicens: Et cum transisset sabbatum (hoc est obseruantia sabbati, quæ post solis occasum cessabat) Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerit aromata, ut uenientes uogerēt Iesum. Ecce quid egerunt: uespere autem sabbati, quod refert beatus Matthæus. Et sic accipiendum est, quod beatus Lucas dicit cap. 23. Et reuertentes parauerunt aromata, & unguenta: & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. Parasse aromata in nocte sabbati intelligendum est: nisi dicamus feria sexta adhuc in nocte emisse aromata, & adhuc sabbato post solis occasum, secundum Marcum, empris aromatibus alia addidisse, exultimantes non sufficere quæ feria sexta, secundum Lucam, emerant: & ualde mane una sabbatorum, id est, prima die post sabbatum, quæ est dominica resurrectionis, ualde mane ueniunt ad monumentum: hoc est quod dicit beatus Matthæus, quæ lucefcit dies in prima sabbati: Una autem sabbati dicit Lucas cap. 24. & Ioannes. 20. cap. Sic Moyses hanc celeberrimam diem, numerando opera sex dierum, non primam dicit, sed uicam: Et uidit Deus lucem quod esset bona, & dimisit lucem a tenebris: appellauitque lucem diem, & tenebras noctem: factumque est uespere, & mane dies unus: cum in aliis dicat dies secundus, tertius, & deinceps usque ad sextum. Primum diem igitur uicam dicit: quia hæc est unica dies resurrectionis domini, unica toti orbi celeberrima, excedens omnem diem: de qua Dauid Psal. 117. Hæc dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. Ueniunt sanctæ mulieres uidere sepulchrum domini, mirabiliter electum a domino, in quo nondum quisquam positus fuerat: ne dicerent Iudæi alterum ibi prius sepultum resurrexille: sicque omnis eis ablata est calumnia resurrectionis domini. De hoc prophetauit Esaias cap. 11. In die illa, illam diem dicunt prophete aduentum Messie operantis redemptionem, & salutem humani generis: in die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum. Nunc autem beatus Matthæus de ista die unica, quam ipse inter omnes dies primam sabbati dicit, & cæteri euangelistæ unam sabbati uocant, & quam Moyses unam retulit, incipit tractare & breuiter perstringere dominicam resurrectionem, quam dominus plurimis argumentis palam fecit, & omnibus discipulis manifestam ostendit, reprobatas Iudæis, indignis qui faciem eius gloriosam uideant usque in diem iudicii. Apparitiones autem quæ in euangelio, & a beato apostolo Paulo referuntur, ordine quocumque Nicolaus in glossa refert, deinde quem in his habemus sensum, & explanationem ostendemus. Nicolaus igitur in hæc uerba quæ in præfati cap. referuntur a beato Matthæo: Undecim autem discipuli abiierunt in Galileam, in montem ubi constituerat illis Iesus, dicit: In montem scilicet Thabor, in quo transfiguratus est coram Iacobo, Petro, & Ioanne, ut dictum est supra cap. 17. Ibi enim gloriam resurrectionis suæ prius ostenderat, quapropter ibi resurrectionem

Apparitionis Domini series post eius resurrectionem.

tionem completam esse, omnibus discipulis suis manifestauit. Unde probabiliter creditur, illam fuisse manifestationem de qua scribit apostolus prim. Corinth. 14. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul: quanquam hic non exprimitur, nisi vndecim apostoli, qui erant præcipui Christi discipuli. Prius tamen visus est septies personis specialibus: primo Mariæ Magdalene manentis iuxta sepulchrum aliis recedentibus, vt traditur Ioannis 20. & Marco 16. Secundo ipsi Mariæ Magdalene cum aliis mulieribus a sepulchro reuertentibus. Postquam enim viderat Christum, secuta est alias, & inuenit eas in itinere, & tunc Christus apparuit eis. Tertio Petro, vt habetur Lucæ vltim. cap. licet non habeatur expresse in euangelio, quando ei facta sit ista apparitio. Probabile tamen est id contigisse, quando ipse, & Ioannes cucurrerunt ad monumentum, & non inuēto corpore domini, abiit Petrus mirans secum quod factum fuerat, vt traditur Luc. vltim. Ideo dum esset solus in tali admiratione, tunc Christus ei apparuisse traditur. Quarto apparuit duobus discipulis euntibus in Emaus, vt habetur Luc. vltimo. Quinto apparuit decem apostolis absente Thoma, vt habetur Ioan. 20. Erat iste quinque apparitiones factæ sunt in ipsa die resurrectionis, vt patet euangelia intuenti. Sexto apparuit vndecim apostolis existente ibi Thoma, vt refert Ioan. 20. quod contigit octaua die post resurrectionem, vt habetur ibi. Septimo, apparuit Petro, & sociis suis ad mare Tyberiadis, vt habetur Ioan. vltim. Octauo in monte Thabor, vt dicitur, apparuit apostolis & multis aliis. Et iterum bis apparuit discipulis in die ascensionis, semel in Hierusalem ipsis conuersentibus, vt habetur Marci vltim. & Lucæ vltim. & Acto. prim. Hactenus Nicolaus Lyranus in glossa. Cæterum verba beati apostoli Pauli referamus prim. Corinth. 15. dicentis: Tradidi enim vobis fratres euangelium, quod euangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didicissem per reuelationem Iesu Christi. Tradidi enim vobis imprimis quod accepi, quod Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas, & quia visus est Cepharæ, & post hoc vndecim. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo, deinde apostolis omnibus. Hunc Iacobum dicunt nonnulli fuisse filium Mariæ Cleopharæ, virum sanctimoniam vitæ, & auctoritatem præclarum. Non explicat vero Paulus vter Iacoborum fuerit: an Iacobus Zebedæi frater Ioannis: vel Iacobus Alphaei, quem ita appellat Marcus cap. 3. cum nomina omnium apostolorum exposuit. Nos etiam cum omnibus transeamus, hoc tantum memorantes ex beato Thoma, hanc Iacobi apparitionem eodem die resurrectionis factam fuisse, eo quod qui affirmant hunc esse Iacobum Alphaei, ipsi afferant causam apparitionis extitisse ieiunium quod sponderat non soluturum, quousque dominum resuscitatur propriis oculis cerneret. Et sic habemus sextam apparitionem additam illis quinque, quas censet Nicolaus in glossa factas in die resurrectionis. Septimus autem apparuit dominus in illis quadraginta diebus, qui inter resurrectionem, & ascensionem transacti sunt, licet non in euangelio id exprimat. Hoc manifestat beatus Ioannes capit. 20. postquam enim narrauit apparitionem octaua die resurrectionis factam discipulis præsentem Thoma, hæc verba subdit: Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Quod & confirmat

beatus

beatus Lucas Acto. 1. dicens: Quibus & prebuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta, apprensus eis, & loquens de regno Dei. Multoties igitur apparuit dominus in his quadraginta diebus discipulis, & si pauciores apparitiones tradantur. Ordinem porro apparitionum a sacris euangelistis omnium tanquam notissimum, ad hunc haberi modum existimo: Vt primo beatissime virgini apparuerit & consolatur sit: quod triplici ratione fulcitur. Ipse namque præcipit honorem patri matrique deferri, sicuti legitur etiam hoc Luc. 2. Et erat subditus illis. Si enim dominus matri, & nutricio beato Ioseph subdebatur, recte opinabimur illum in resurrectione matri primo apparuisse. Secunda autem ratio sic redditur: apparuit dominus primo Mariæ Magdalene præ cæteris mulieribus, & discipulis. Causam reddunt omnes doctores, quia arctiori dilectione præ cæteris dominum profecuta est: & quia ad sepulchrum perseueravit moerens. Sic etiam beatus Ambrosius ait: Audistis fratres charissimi, quod sanctæ mulieres quæ cum aromatibus ad monumentum venerunt, angelos viderunt: & Maria Magdalene, quæ arctius Iesum diligebat, apostolis ad domum de qua cucurrerant reuertentibus, quia erga sepulchrum perseueravit, Deum prima omnium cognouit. Verum enim uero longe differebat amor, quo Deipara Mariam dominum diligebat, ab amore quantumcunque magno Magdalene. Vehementior etiam fuit dolor, quem moestissima mater in passione sustinuit, quam Magdalene: prædicente hoc Simeone Luc. 2. Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit. Si igitur ob arctiorem dilectionem, & passionis dolorem primo Magdalene apparet, prior certe se resuscitatum cum corpore glorioso Deiparæ virgini ostenturus erat, quæ gladio percussa in passione præ omnibus doluit: & præ omnibus semper arctius Christum dilexit. Tertio, referunt Mattheus, & Marcus, angelum qui super lapidem ad monumentum sedebat, dixisse Mariæ Magdalene, & cæteris mulieribus: Et cito euntes, dicite discipulis eius, quia surrexit: & ecce præcedet uos in Galilæam. Si enim adhuc dominus beatissime uirginis matri suæ non apparuisset, angelus minime illam præteriret: quinimo diceret, Et cito euntes dicite matri, & discipulis eius quia surrexit. Hæc igitur prima apparitio est, quæ beatissime uirgini facta est. Deinde inter illas quæ factæ sunt mulieribus & discipulis, primo apparuit Mariæ Magdalene, existimanti hortulanum esse, cum eius frontem tangeret digito, dicens: Noli me tangere: nondum enim ascendi ad patrem meum: uidelicet in corde tuo adhuc me mortuum reputas, patrique non credis æqualem, Ioan. 20. Tertio, cum a sepulchro rediisset Maria, & inuenisset alias mulieres, quæ ante illam recesserant, dum quod uiderat narrat, ac cæteris collachrymantibus quod non perseuerassent una cum illa iuxta sepulchrum, apparuit dominus, & dixit illis: Accrete. Et illæ tenuerunt pedes eius: hoc est procumbentes osculate sunt pedes domini. Quarto existimo iterum in domo uirginis beato Ioanni Euangelistæ apparuisse, cui uirginem matrem commendauit, & qui post uirginem uehementissimè de passione domini cruciatus est: quem usque ad monumentum tota nocte, & die passionis secutus est. Id enim rationi maxime consentaneum est, quod pie credimus. Quinto apparuit Petro moestissimo. Sexto beato Iacobo: Septimo discipulis euntibus in Emaus. Octauo discipulis sub noctem in ipsa die resurrectionis, absente Thoma. Die uero octaua apparuit beato Thomæ: deinde piscantibus discipulis. postea quingentis fratribus, quod refert beatus apostolus Paulus. Præterea licet non sint scriptæ apparitiones, iuxta tamen Ioannem, & Lucam Acto. prim. sæpe apparuit. Nouissimè uero secundum Marcum, recumbentibus undecim

decim apparuit, & manducauit, cum illis, secundum Lucam A. 10. 1. Hinc tandem eduxit eos foras in Bethaniam, & bene dixit illis, & assumptus est, ut tradidit Lucas cap. ult. sedetq; ad dexteram patris, cum quo uiuit, & regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

TRACTATUS SECVNDVS.

In XXVIII. cap. beati Matthæi.

CVM dominus in crepusculo matutino clauso sepulchro resurrexisset, quemadmodum, & ventre virginis clauso natus. Ceterum enim, cui dominus resurrectionem suam comparauit, dicens: Sicut enim Ionas fuit tribus diebus, & tribus noctibus: cum quomuit Ionam in aridam, nihil fractionis seu corruptionis passus est. Sic lapis etiam integer, & sepulchrum permanens. Quod etiam patet ex eo, quod angelus reuoluit lapidem, & dominum resurrexisse annuntiauit, & ostendit locum tantum vacuum, dicens: Venite, & uideite locum, ubi positus erat dominus. Dicit ergo euangelista: *Et ecce, terre motus factus est magnus. Angelus enim domini descendit de celo, & accedens, reuoluit lapidem, & sedebat super eum: erat autem aspectus eius sicut fulgur, & uestimentum eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt ueluti mortui.* Postquam dominus resurrexit, surrexerunt etiam multi sanctorum, & uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis, prout dictum fuit capite precedenti: tremuitq; terra in passione domini, tremuit, & in resurrectione: ubiq; reddit terra terrenis hominibus testimonium diuinitatis domini, ut qui de terra cõditi sumus, a matre nostra de qua sumpti, & in quam reuersuri sumus (Nam puluis es, & in puluerem reuertetur, dixit dominus Adæ, Gen. capit. 3.) testimonium etiam diuinitatis domini habeamus: matricq; sanctæ ecclesiæ semper credamus, in qua regeneramur spiritu: & matre terra testimonium reddente in fide roboramur, quæ cum dominus pateretur tremuit, & cum resurgeret commota est uehementer. Impletum est, & adhuc amplius ante diem iudicii adimplebitur id quod scriptum est, Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos, Sapient. capit. 5. Et quemadmodum homo tristibus totus commouetur, ita & lætis: puta qui lamentatione, & fletu tremit, exultatione, & læticia etiam tremit: ita terra tremuit in passione domini, & contremuit in eius resurrectione. *Angelus enim domini descendit de celo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.* Tria hic aduertenda notat beatus euangelista, angelum uel delictis domini descendisse de celo, lapidem reuoluisse, & super eum sedisse. Atqui: testimonium angelus reddit diuinitatis domini, & uere resurrectionis eius: ne dubitari posset ab aliquo. Testis utique infallibilis angelus de celo est, cum ueritatis summæ, quæ Deus est, minister existat. Notanter dicit de celo, excludens satanam, cum de inferno exiit transfiguratus in lucis angelum: nec ab alio loco quàm a suprema beatitudine descendisse testatur, ut qui obsequiis descendit deseruitorus resuscitati Iesu, ipse se seruum ostendat, & sic Deum esse annuntiet, & uere secundum humanitatem resuscitatum asserat. Utinam tales sint actus nostri: ut de celo testimonium accipere mereantur: quemadmodum, & confidens Iob dicebat cap. 16. Ecce enim in celo testis meus, & conscius meus in excelsis. Dominus enim cum testimonium reddit, illud infallibiliter uerum est, quoniam a fonte ueritatis manat. Hunc solum iudicem beatus apostolus Paulus formidabat, hunc certissimum pronuntiat, dicens prii Corinth. 4. Mihi autem pro minimo est, ut a uobis iudicer, aut ab humano die:

no die: sed nec me ipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Quem ergo o beate apostole habes iudicem? Qui autem, inquit, iudicat me, dominus est. Vera igitur uita oportet sit uita, nullaq; admixta fallacia, quando ab ipsa ueritate iudicandi homines sunt. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium, inquit Dauid Psalm. 5. Angelus igitur uerus de celo missus a summa ueritate Deo, testimonium reddit resurrectionis domini. Hos habuit etiam ministros dominus peracta uictoria, post illas in deserto tentationes, deuicto & prostrato diabolo. Ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei: Sic nunc uictori resurgenti ipsi angeli testes redduntur. Reuoluit lapidem: iam manifestatur clauso sepulchro dominum resurrexisse, cum lapis signatus, & obseruatus custodibus clausus manet, usque ad descensum, & reuolutionem Angeli. Talibus ministris iam lapis euoluitur, manibus tractatur. Erat quippe magnus ualde, quem facillime angelus uis reuoluit, nec frangit, sed ita collocat ueluti quodpiam leue pomum. O si ab ostio non monumenti resuscitati Iesu, sed ab ostio sepulchri hominis peccatoris dominus dignaretur mittere in celo angelum, qui lapidem quo obseruatur peccator, remoueret: ut impleatur quod uaticinatus est Ezechiel. 1. 1. capite, dicens: Et auferam cor lapideum de carne eorum: & dabo eis cor carneum, ut in preceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantq; ea: & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum. Idem etiam reperit cap. 36. Et super eum sedit, ostendens non iam quisquam custodire posse Christi sepulchrum, nec obfigurare lapidem, cum cœlorum uirtus super eum insederit. Nulla siquidem humana potentia ac fortitudo angelicæ potestati opponi. Nam & si uniuersi congregarentur Iudei, omni adhibita uis, angelum tamen deturbare a sessione super lapidem minime possent. Igitur firmam ostendit, & in perpetuum duraturam dominum resurrectionem: nec iam aliquem posse resuscitatio nocere. Sedet etiam, quoniam designat resuscitati domini: pariter & quietem omnium beatorum postquam resurrexerint: qui regnum possident pacis. Quemadmodum, & Elias cap. 9. prophetauit inter cætera nomina saluatoris, dicens: pater futuri seculi, princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Non enim resuscitatis dæmon, mundus, aut caro nocere poterunt: nec bellum geret quisquam aduersus resuscitatos, qui cum Christo domino regnaturi sunt. Vita enim illa transmutationem non patitur, semper eadem permanet, quoniam fixa in ipso firmissimo, & incommutabili Deo in æternum persistit. Sedet igitur angelus super lapidem quiescens: ex quo nobis quietum, & pacatum designat resuscitati domini, & omnium in Christo resuscitatorum regnum & vitam. Quom apparent angeli Abraham, in similitudine uiatorum sese ostendunt, Gen. 18. Quom apparet angelus Iacob, iustatur cum eo usque ad mane, Genes. 32. In libro Iudicum cap. 13. apparet angelus Sampsonis conceptum annuntians, non tamen sedet: Primo Paral. 2. 1. Vidit Dauid angelum stantem, & habentem gladium euaginatam. Tobias iunior egressus inuenit iuuenem splendidum stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum. Et ignorans, quia angelus Dei esset salutauit eum, Tobias 5. Zachariæ offerenti incensum apparuit angelus domini stans a dextris altaris incensæ. Itaque Gabriel adstat, Raphael præcinctus est ad itinerandum: in resurrectione uero domini sedet angelus, quoniam in illa uita perpetua erit requies, & pax perfecta. *Erant autem aspectus eius sicut fulgur, & uestimenta eius sicut nix.* Talis in corpore assumpto ostenditur angelus, qualis est in suo splendore & puritate. Sapientia namque ait capit. 3. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Similiter & dominus cum zizaniorum parabolam discipulis exposuisset, ait: Tunc

Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Sic etiam angeli beati fulgēt, quemadmodum & beatæ animæ, & corpora post resurrectionem. Indumenta igitur beatorum splendor & candor nitescit. Cum autem dominus transfuratur, Matth. 17. inquit euangelista: Et respexit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Sic modo apparens angelus facies eius sicut fulgur resplendet, quoniam abundantia luminis, quod ab angeli vultu prodibat, hinc inde diffundebatur in modum fulguris coruscantis. *Et vestimenta sicut nix*, quæ puritatem eximiam ostendunt, quæ predicti sunt spiritus beatorum: nix enim omnem albedinem in terra superat. Niveos igitur, & splendentes oportet esse, qui futuri sunt filii resurrectionis. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Præparet se igitur quicumque desiderat angelico cœtui associari, & beatis spiritibus consors adscribi, & vitam splendidam ac puram eligat, dum hic vivit, ut illi peruenire liceat in patriam illâ cœlestem, cuius civium vultus splendet, velut sol & fulgur, & vestimenta alba sunt ut nix: & super nivem dealbabor, inquit David. Omnia hæc vitæ sunt incitamenta virtutis, abrenuntiatio seculi, despectio terrenorum. Quis enim non novas vires resumat, ut pervenire possit in patriam, cuius tali regimine induuntur civis? quorum tali splendore facies rutilant? Quis non se ab omni peccatorum nexu diuina gratia adiutus expedit? ac totus huiusce vitæ desiderio inflammatus, iam non sibi vivat sed Christo domino, qui pro omnibus mortuus est, & etiam surrexit, dicente apostolo ad Roman. capit. 4. Et traditus est propter delicta nostra, & surrexit propter iustificationem nostram: Cui est honor, gloria, & imperium cum patre & Spiritu sancto in æternum. Amen.

TRACTATUS TERTIVS.

In XXVIII. cap. beati Matthæi.

PRÆ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: Scio enim quia Iesum qui crucifixus est quaeritis: non est hic: surrexit enim, sicut dixit: venite & videte locum ubi positus erat dominus. Ex terramotu, revoluzione lapidis, & fulgore angeli custodes perterriti ceciderunt, & velut mortui effecti sunt. Bis ceciderunt hostes domini, cum ad comprehendendum eum processissent, dicente eo: Ego sum, abierunt retrorsum & ceciderunt in terram: & nunc facti sunt descendente angelo velut mortui: ut in passione & resurrectione domini, omnipotentia manifestetur, & ubique victor sit semper dominus noster Iesus Christus. Atque ut inimici domini noverint, quam terribilis sit mirissimus Iesus aduersarius, quemadmodum beatus apostolus Paulus dicit, his qui voluntariè recesserunt a fide Iudæis, quibus iam non relinquitur hostia legis pro peccatis cessantibus legalibus: terribilis autem quædam (inquit) manet expectatio iudicij, & ignis emulatio, quæ consumptura est aduersarios. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? ad Hebræ. capit. 10. Custodibus igitur in terram deiectis, & exanimatis, dixit angelus mulieribus: Nolite timere vos. Timeant iniqui, timeant Iudæi, timeant gentes nomen tuum domine & omnes reges terræ gloriam tuam, psalm. 101. Iusti autem lætentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia, psalm. 67. Radios respexit angelus suus

suo vultu procedentes in similitudinem fulguris, ut possent illum mulieres intueri, ne expauescerent. Si autem adhuc custodes pavore, & metu pressi iacebant, prout videntur verba sonare, dicente euangelista: Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui: & continuo adiecit: Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: quasi diceret, velut isti qui semimortui corruerunt: An vero iam surgentes fugerant, & euangelista non exprimit, sed addit angelum post pacis verba mulieribus dixisse. *Scio enim quia Iesum, qui crucifixus est, quaeritis*: mortuum videlicet adhuc reputantes: *Surrexit enim, sicut dixit: venite et videte locum, ubi positus erat dominus*: Verbis eius credite. Non enim ait angelus tantum, surrexit: sed addit, sicut dixit: Veritas quippe est, & omnia quæ locutus est, etiam vera sunt. Ceterum ut testes oculari sitis, venite, & videte locum ubi positus erat dominus. Lucas dicit illas fuisse ingressas, & corpus domini Iesu non invenisse: Et factum est, inquit, dum mente consternata essent, ingressæ videlicet ubi corpus domini sepultum fuerat, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quaeritis viventem cum mortuis? non est hic, sed surrexit, & alia quæ adiecerunt verba. Ad hæc autem recte percipienda sepulchri domini situm oportet advertere. Erat enim hortus Ioseph ab Arimathæa clausus. In orto vero monumentum novum. Idque erat basilicæ quædam parva in præcavata rupe extructa, cuius ad latus extabat loculus ad corpus deponendum. Porro lapis ad ostiū monumenti positus erat: nempe basilicæ quæ diximus ostium obstruebat. Hunc lapidem revolvit angelus, & ad dexteram partem horti deposuit. Et sic mulieres ingressæ basilicam parvam, poterant videre locum, in quo positum fuerat corpus domini, vacuum esse. Ibi quæ duo angeli illis apparere, quando vultum declinaverunt in terram, secundum beatum Lucam. Vnum igitur viderunt angelum sedentem super lapidem, de quo beatus Matthæus: & Marcus, qui dicit: Introentes in monumentum viderunt iuvenem sedentem in dextris. Hic idem angelus est, quem beatus Matthæus narrat. Nam Lucas duos ponit stantes, non sedentem aliquem. Quod uerò beatus Marcus ait: Introentes in monumentum, intelligendum est septum aliquod, quo erat monumentum uallatum, distinctum a maceria horti, vel hortum denominavit à monumento. Introentes igitur in monumentum, hoc est, intra maceriam horti. Vno namque & altero modo possunt verba beati Marci accipi, qui de uno angelo sedente a dextris ostij monumenti. *Et cito euntes, dicite discipulis eius, quia surrexit, et ecce præcedet vos in Galilæam: ibi eum uidebitis ecce prædixi vobis*. Dominus iam prædixerat: Postquam autem surrexero, præcedam uos in Galilæam. An autem Galilæam accipienda sit pro ea parte regionis, quæ hoc nomine appellabatur, ubi Nazareth & Capharnaum, uel pro illa parte montis Sion, ubi cœnaculum in quo dominus ultimam celebravit cœnam, & ubi apostoli congregati erant propter mortem Iudæorum, quando dominus ingressus est per ostia clausa, dicens eis: Pax uobis, non est perspicuum. Ceterum cum potiori parte expositorum pro provincia Galilæa accipiamus. Vnde enim dominus exorsus est prædicare: Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum: ibi & resuscitatus corda discipulorum de fide resurrectionis eius ambigua confirmat, ad eandem prædicationem prosequendam: & euangelium enuntiantum. *Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes narrare discipulis eius*.

Considerandū est, quod beatus Marcus dicit. At illæ exeuntes fugerunt de monumento: inuaserat enim eas tremor & pavor, & nemini quicquam dixerunt: timebant enim. Hoc beatus Augustinus cap. 2. lib. 3. de Conſen. euangelista- rum sic conciliat cum Matthæo, & Luca qui ait: mulieres hæc nuntiasse discipulis, cuius hæc sunt uerba: Et regressæ a monumento nuntiauerunt hæc omnia illis undecim, & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cætera, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apostolos hæc: & nemini quicquam dixerunt, timebant enim: hoc est, nihil responderunt ad ea, quæ angeli loquebantur ipsis: neque uni sedenti super lapidem, neque duobus stantibus intra sepulchrum. Timore enim percussæ continuauerunt intra se, quæ audiebant, nulli angelorum quicquam respondentes, vel ipsis custodiis. Possimus etiam dicere, cum iam sol ortus esset, plurimosq; homines, & mulieres de ciuitate, exeuntes reperirent nihil illis dixisse, quousque peruenerunt ubi erant apostoli: & tunc illis, secundum Lucam, & cæteris ibidem existentibus, ablato metu & fiducia sumpta narraſſe quod uiderant, sepulchrum uidelicet uacuum, & angelos resurrectionis testes. Tunc cucurrerunt Petrus & Ioannes, quod beatus Ioannes refert. Et sic absoluit, quod beatus Marcus dicit: Et nemini quicquam dixerunt, timebant enim: & quod beatus Lucas refert, narraſſe illas hæc omnia apostolis, & cæteris omnibus cum illis existentibus. Cæterum ad pleniorē sensum eorum, quæ beati euangelista referunt de testimonio sanctarum mulierum, sic existimo ordinem rei gestæ accipiendum. Venerunt igitur illæ summo mane cum adhuc tenebræ essent. De Maria Magdalena addit beatus Ioannes, quoniam hæc excitatrix aliarum uideatur. Alii euangelista addunt: Beatus quidem Matthæus: altera Maria: beatus Marcus, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome. Beatus Lucas, uenerunt tantum dicit ad monumentum. Deinde cū inducit eas referentes quæ uiderant, & audierant ab angelis, addit Ioannam, de qua ipsemet beatus Lucas meminit, inter illas quæ domino ministrabant cap. 8. Et Ioanna, inquit, vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & cæteræ. Et sic ueritas elucescit. Nam cum sola Maria Magdalene quam ponit beatus Ioannes, & altera Maria quam refert beatus Matthæus, ualde mane cum adhuc tenebræ essent non auderent discurrere per ciuitatem, & ire in hortum, ubi milites sepulchrum custodiebant (quamuis suspicamur nesciuisse illas militum custodiam, quæ apposita fuit sabbato) orto iam sole, secundum Marcum, introeuntes in monumentū (siue pro orto dicatur: siue pro sepe qua uallatū erat sepulchrū distincta a macerie horti) uiderunt ad ostium sepulchri ad dexteram partē lapidem reuolutum, & angelum fulgentem, & niueo candore indutum, qui dixit illis, ne timerent: (sciebat enim, quia crucifixum quærerent) sed abierunt, & discipulis nuntiarent eum resurrexisse, quemadmodum prædixerat dominus: & introierunt, ut testimoniū redderent uacui sepulchri. Introeuntes autem secundum Lucam, uiderunt duos angelos stantes, qui eadem uerba angeli sedentis ad ostium monumenti super lapidem repetentes, dixerunt: ut irent apostolis renunciatum hæc: quæ quidem abierunt, ipsis angelis non respondentēs uerbum secundum Marcum, sic beato Augustino interpretantes. Vel nemini dixerunt, eorum scilicet quos inuenerant per uiam reuertentes in ciuitatem, nec in ipsa ciuitate: timebant enim hæc loqui, quousque ad apostolos & alios qui cum eis erant accedentes, secundum Lucam, omnia narrauerunt: primo dicentes secundum Ioannem, tulerunt dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum: sed uiri quidam fulgentes qui angeli uidentur, dicunt eum uiuere. Cucurrerunt autem secundum beatum Ioannem, ipsemet Ioannes & beatus

Petrus,

Petrus, quos subsecuta sunt, iterum Maria Magdalene & cætera mulieres, quæ prius angelos & sepulchrum uacuum conspexerant, existimantes in societate præcipuorum apostolorum ueritatem resurrectionis planè posse experiri. Apostoli currentes nihil inuenerunt præter linteamina obfusa & sudarium: cumque reuertentur admirantes, uenit Maria Magdalene & cætera mulieres, cepitque flere Maria Magdalene, & cætera abire: Maria uerò perſiſtit ad monumentum foris plorans: tunc circūſpiciens intus locum, ubi positum fuerat corpus domini Iesu, uidit duos angelos sedentes, unum ad caput, alterum ad pedes, ubi sepultus fuerat dominus, qui dicunt ei: Mulier quid ploras? illa, tulerunt dominum meum, & nescio ubi posuerūt eum. Et conuersa retrorsum uidit dominum, sed non cognouit eum: qui dixit ei: Mulier quid ploras? quem quæris? Illa uerò existimans esse hortulanum, dixit: Domine, si tu sustulisti eum dicito mihi, & ego eum tollam. Dominus autem ad illam, Maria. Quæ dominum uoce agnoscens & uultu ad pedes eius. Dominus autem ad illam: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum: Sed uade & dic fratribus meis, ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, Deum meum & Deum uestrum. Abijt Maria Magdalene nuntians discipulis: quia uidit dominum, & hæc dixit mihi, Ioan. 20. Cum autem abiret è sepulchro, uiso domino, antequam perueneret ad apostolos & diceret hæc, intrenit alias mulieres quæ simul uenerunt, quibus omnibus dominus secundum Matthæum occurrit dicens: Auerte. Hoc siquidem propensius oportet aduertere ne aliquid diuersum a sacris euangelistis uideatur referri. Nam sunt qui opinentur Mariam Magdalenam & cæteras mulieres cum lapidem sublatum uiderent, continuo decurrisse ad Petrum, & Ioannem, nihil diligentius inspicientes intra sepulchrum. Quod repugnat ijs quæ beatus Lucas refert, dicens uenisse illas ad apostolos & renuntiasse, quemadmodum intus loculus, ubi corpus domini positum fuerat, uacuum erat, & ea quæ angeli locuti sunt referebant. Et uisa sunt, inquit Lucas, ante illos sicut deliramentum uerba ista, & non crediderunt illis. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum. Quod autē beatus Ioannes ait Magdalenam dixisse Petro & Ioanni: Tulerunt dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum: non ait, nescio, sed nescimus: ex quo elicit omnes illas mulieres simul adfuisse, cū hæc referret Maria Magdalena: sermonemque ad Petrum & Ioannem dixisse: & tunc ipsam cæterasque mulieres, omnia quæ uiderunt & audierunt ab angelis, remisisse secundum Lucam. Nec Magdalena eo quod uidisset lapidem sublatum diceret: Tulerunt dominum de monumento, nisi secundum Matthæum dicente angelo: Venite, uidete locum, ubi positus erat dominus: & secundum Lucam ingressæ fuissent cellam, ubi rupes præcauta locum corpori iacenti in latu sepulchri dederat: præsertim cum beatus Lucas post narrationem eorum quæ uiderant, & quæ ab angelis audierant, dicat præcurrisse Petrum. Sic igitur hæc accipienda sunt, & omnia in concordiam & in unam narrationem diriguntur: solamque fuisse Mariam Magdalenam, quando dominum uidit, suspicata hortulanam; uult beatus Ioannes: non cum cæteris mulieribus, prout aliquibus uisum est, ut i proxime ex omnibus quatuor euangelistis conciliariimus, gratia domini nostri Iesu Christi, si quid recte: Cui cum patre & Spiritu sancto est gloria, honor, & imperium in æternum. Amen.

T R A -

ETexierunt cito de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis eius. Timuerunt enim angelorum uisionem & uerba, uidentesque sepulchrum corpore uacuum, corpus sublatum suspicata sunt: nihilominus gaudio sunt magno perfusa audientes dominum uiuere. Hic oportet, quod Lucas refert interlerere, nempe uenisse mulieres & nuntiasse apostolis hæc, currisseque Petrum & Ioannem, & dominum Mariæ Magdalene apparuisse: quæ iam ueniens secundo a monumento illas adhuc in uia reperit: tunc sequitur beatus Matthæus: *Ecce Iesus occurrit illis, dicens, Aue. Illæ autem accesserunt, & uenerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis, ut erant in Galilæa, ibi me uidebunt.* Etiam secundum beatum Augustini, quod & profectio euangelistarum manifestè insinuat, Maria Magdalena, tunc simul cum alijs mulieribus pedes domini tenuit: Quando uero dominum sola uidit, eum tangere non est permessa, quoniam adhuc non ascenderat ad patris æqualitatem in corde eius dominus. Itaque Magdalena dicebat apostolis: Vidi dominum, & hæc dixit mihi: uidelicet, ascendendo ad patrem meum & patrem uestrum, Deum meum & Deum uestrum. Illa simul & ceteræ dicebant: Dixit nobis dominus, quod in Galilæam euntes ibi eum uidebitis. Quanto autem gaudio resurrectio domini celebratur ab angelis, a mulieribus, & a discipulis, qui hæc attentius legerit, facile perspicit. Omnia splendore replentur, & niueo fulgent candore. Dominus latissimus obuiam nunc Magdalene, nunc ceteris mulieribus, nunc euntibus in Emaus, nunc discipulis alijs hic atque illic apparet. O dies excellentior cunctis, sanctior uniuersis, dignior ceteris: quæ redemptorem resuscitatum excipere meruisti, & uictorem diaboli mortisque delero peccatorum nostrorum chirographo conspexisti. *Quæ cum abissent, uidelicet ad annuncianum apostolis domini uerbum, ut irent in Galilæam, ecce quidam de custodibus uenerunt in ciuitatem, resumpto scilicet iam anhelitu, & nuntiauerunt principibus sacerdotum, omnia quæ facta fuerant, id est, quemadmodum terræ motus magnus factus est: & angelum descendisse de cælo, & lapidem reuolutum a monumento, corpusque domini ibi non esse: angelum uero fulgore luminis adeo resplenduisse, ut nemo in illum oculos posset habere intentos, Christumque absque dubio resuscitatum esse, quamuis ipsi non uiderint quando surrexit: abirent autem si uellent, uacuum uidere sepulchrum, & ibi linteamina obuoluta manentia. Si quæ sequuntur uerba euangelicæ lectionis, non per se satis essent manifesta: quisquis cutodes milites legit uenisse ad principes sacerdotum, & omnia quæ contigerant enarrasse, profecto suspicari posset statim illos ad sepulchrum domini abiituros, & ab illo metu & dolore non recessuros, quousque de occasione domini ueniam consequerentur: quæstutoresque apostolos, & ad eorum genua pronolutos, quid facto opus sit percontantes, Christum pro suo illico suscepturos esse rege & Messia omnipotenti. Ipsi uero non cognouerunt uias domini, quibus irauit in ira sua, si introibunt in requiem eius. Rem stupèdam audiamus, & duritiam animi obstinatam, & inauditam perfidiam. Inquit euangelista: *Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt milicibus dicentes: Dicite quia discipuli eius nocte uenerunt, & sursum sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc audierim fuerit a præside, nos iudabimus ei, & securus nos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt, sicut etiam edocui. Et divulgatum est uerbum istud apud Iudæos**

Iudæos usque in hodiernum diem. De his Iudæis dicit psalm. 13. & psalm. 52. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. In spiritum sanctum peccauerunt, qui agnitam ueritatem oppugnauerunt, amiseruntque pecuniam & regnum: ut uerbum domini impleretur, dicens illis: Super quem uero ceciderit lapis, conteret eum. Nemo miretur sic destitutos & prostratos permanere Iudæos, cum auditis tantis miraculis domini restituisse, & scripturæ aduertere noluisse, omnem eius doctinam repulisse: insuper resurrectioni eius gloriose pecunia militibus restituisse, & fabricato mendacio suffocasse. Animosi homines (si Deo placeat) erant discipuli ad surandum corpus domini noctu, qui adhuc resuscitato domino cõparere interdum non audebant, sed obseratis ianuis intra recta meticulose se se concluderant. Cæterum tantone somno pressi erant milites ut non audierint lapidem magnum remoueri? Si uero, inquit beatus Augustinus, a uobis dormientibus soporeque depressis sublatum est dominus, quomodo quod non uidi stis testificastis? si autem uigilantes eratis, quare non restitistis subripientibus? De huiusmodi facto ait Dauid psalm. 26. Mentita est iniquitas sibi. Et in illis etiam impletum est, quod ipsemet Dauid prophetauit, psalm. 40. dicens: Tu autem domine miserere mei, & resuscita me, & retribua eis; me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum. Resurrexit dominus, & falsis testibus & perfidis Iudæis acerbissima retributa est uindicta. Horrendum est enim incidere in manus Dei uiuentis, ad Hebræ. 10. & peruenit ira Dei super illos usque in finem, ad Thessalo. 2. Iustissima Dei ultitia illis retributum est id omne malum, quod patiuntur usque in finem seculi. Milites uero infami & auari homines ueritati pecuniam præponentes, hanc calumniam commentati sunt. Sed qui habitat in cœlis resuscitatus ad dexteram patris irridebit Iudæos & testes mendaces, & dominus subfannabit eos: locutus est ad eos in ira sua, & in furore suo conturbauit & disperfit eos in omnem orbem captiuos, factos opprobrii omnibus infidelibus. Aliæ quoque obiecerunt calumniam, postquam uiderunt Spiritum sanctum super discipulos domini descendisse, dicentes illos ebrios & musto repletos esse. Bene illos nouerat beatus Stephanus, cum in concilio illis congregatis dixit: Dura ceruice & incircuncisis cordibus & auribus, uos semper Spiritui sancto restitistis: sicut patres uestri, & uos. Sed iam perfidam genem missam faciamus: cumque sanctis potius mulieribus dominum resuscitatum quæramus. Vigilemus utique: nam cum adhuc tenebræ essent a domo euntes in sepulchrum, ut inquit beatus Ioan. (Mariam Magdalenam & ceteras mulieres secundum Lucam intelligendum est) exierunt: inque illarum cordibus tenebræ adhuc erant, existimantium mortuum dominum quem ugendum querebant. Non illis sufficere uidebantur quasi libræ centum, quas in domini corpus unctionem expenderat Nicodemus: adhuc ille uolebant illum superungere. ut ita sepe ad sepulchrum possent preces effundere. Has modicæ fidei tenebras de cordibus nostris expellentes, earum deuotionem & diligentiam attendamus: pro nihilo semper habentes quæcunque in obsequium Christi & pauperum, qui sunt in terra corporis eius, impenderit. Quin & alia omni die parantes aromata in refectione pauperum, in altarium & ecclesiarum dedicationem & ornatum, nihil relinquamus intactum, quo non pertranseat elemosina nostra. Angelos licet oculis carnis non perspexerimus, illos tamen adesse oculis spiritus non dubitemus. Sic etiam Hebræis beatus apostolus Paulus hæc commedat, dicens: Caritas fraternitatis maneat in uobis, & hospitalitatem nolite obliuisci: Per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio susceptis, nimirum Abraham, Genes. 18. & Loth, Genes. 19. & Tobias. Neque a sepulchro domini separemur,

separemur, hoc est a consideratione mortis & resurrectionis eius, quoad usque illum in cœlesti patria conspiciere mereamur. Sic enim dum flet Maria Magdalena, dominum illum proprio nomine uocat, dicens: Maria. Ipsa uero & cœteræ ad pedes eius pronoluræ adorauerunt, illasque iam angeli, & ipse dominus super gloriosissimæ resurrectionis nuntios ad apostolos destinauit, dicens: Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me uidebunt. Quam electionem factam existimo, eo quod prima mulier uiro suo dedit de fructu ligni prohibiti, & comedit: nempe ut idem sexus uitam annuntiet, qui idem mortem annuntiauit. Rationi quoque consentaneum est, ut perseverantibus reddatur uirtutis præmium. Iste enim sanctæ mulieres dominum ubique sequentes non deserunt etiam patientem, & mortuum adhuc suspicientes aromatibus pijs sequuntur. Propterea & angelos obuiam, & ipsum dominum primæ uiderunt, cæterisque discipulis & uiuentem annuntiarunt. Sunt etenim qui sequuntur Iesum in prosperis, & in aduersis fugiunt: his non apparet dominus. Sunt rursus qui tam in prosperis quam aduersis eius semper hæreant lateri, prout fecerit hæ sanctæ mulieres. Ob idque hominibus annuntiatrices destinantur dominicæ resurrectionis. Quarum quidem prima Maria Magdalene, deinde aliæ dominum uiuentem conspicientes apostolis cæterisque discipulis nuntiauerunt. Sic ineffabili gaudio hæc dies quam fecit dominus celebrata est, ob gloriam corporis domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum. Amen.

TRACTATUS QUINTVS,

In XXVIII. cap. beati Matthæi.

Vndecim autem discipuli abiierunt in Galileam, ubi constituerat illis Iesus, & uiderunt eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. Ex hæc dubitatione arbitrantur nonnulli hanc apparitionem eandem esse cum ea, cuius meminit beatus Apostolus Paulus Pri. Corinth. capit. 13. dicens: Deinde uisus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus quidam manet usque adhuc, quidam autem dormierunt. Quoniam in apparitione quæ facta fuit decem apostolis absente Thoma, nullum legitur dubitasse præter Thomam, & hic non aderat: sed cum ab alijs audiret uiuentem dominum dixit: Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et accedens Iesus locutus est ei, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Hanc secundæ diuinitatem semper habuit. Tu quidem semper idem ipse es & anni tui non deficiunt: secundum hominem hanc potestatem habuit auctoritatiue a conceptione in uentre uirginali, quando unicus est uerbo in unitatem suppositi, sed executiue in resurrectione data est illi potestas in cœlo & in terra, super omnem principatum & uirtutem. Quemadmodum & beatus apostolus Paulus testatur ad Ephes. cap. 1. dicens: Non cesso gratias agens pro uobis, memoriam uestri facies in orationibus meis: ut Deus (domini nostri Iesu Christi pater) gloriæ, det uobis Spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculis cordis uestri, ut sciatis, quæ sit spes uocationis eius, & quæ diuinitatis gloriæ hereditatis eius in sanctis, & quæ sit superueniens magnitudo uirtutis eius in nos, qui credimus secundum operationem potestatis uirtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum, & potestatem, & uirtutem, &

tem, & dominationem, & omnes nomines quod nominatur: non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, quæ omnia in omnibus adimplet. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filii, & spiritus sancti: docentes eos seruari omnia, quæcumque mandauimus uobis.* Euntes ergo, quasi dicat consequens est, cum mihi omnis potestas collata sit in cœlo & in terra, illuminare mundum doctrina mea per uos, quando ego iam lucem illuminauit, quorum uos omnium reites estis. Docete ergo omnes gentes: catechismum primum præcipit: & postquam edocti fuerint ea quæ sunt fidei, baptizate eos in hæc formam: in nomine patris, & filii, & spiritus sancti. Nunc concludit euangelium suum contra hereticos dominus, dicens: Docentes eos seruari omnia quæcumque mandauimus uobis. Bis dicit, docete: ante Baptismum semel, nimirum ea quæ credenda sunt: deinde postquam baptismum sacrum susceperint. Et ne arbitrentur baptizari fidem habentes, id tantum sufficere ad salutem, addit: docentes eos seruari omnia, quæcumque mandauimus uobis. Quod utique dixerat iuueni supra cap. 19. querenti quid ei faciendum ut uitam æternam possideret, inquit: Serua mandata. Aduertant nunc heretici, pariter & catholici, initium prædicationis domini nostri Iesu Christi, circa opera uersari, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquate enim regnum celorum, finem uerborum eius etiam operibus consummari, ut sciat omnis caro neminem sola fide sine operibus saluari posse. Si enim fides sola posset hominem iustificare, & sanguinis Christi meritum ad nos adducere, non esset opus post illam sententiam: Docete ergo omnes gentes, ad dexteram, docentes eos seruari mandata. Verum enim uero cum fides sine operibus mortua sit, post fidei doctrinam opera præcipit, dicens: Docentes eos seruari omnia, quæcumque mandauimus uobis. Igitur euangelii principium & finis operibus nos præcipit intentos esse debere, nec quemquã sola fide saluari posse ostendit, sed per gratiam quæ nobis per sacramenta datur, & meritum Christi & salus ad nos peruenire, qui & sacramenta dedit, & mandauit nobis pœnitentiam agere. Postremò autem de sua absentia eos consolatur, & suam præsentiam, quæ nunquam intermitteretur, in gubernanda ecclesia pollicetur, dicens: *Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Ipse nobiscum est in sanctissimo sacramento. Nobiscum est caput nostrum, influens instinctu et inspiratione in mēbra eius. Sic Ioan. 14. assistentiam spiritus sancti ecclesiæ suæ promisit dicens: Si diligitis me, mandata mea seruate: (ecce iterum opera cōmendat) & ego rogabo patrem, & alium paraclētum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum. Ecce quare dicimus ecclesiam non posse errare, quoniam dominus cum illa est non semel in anno uel mense, sed omnibus diebus, & spiritus ueritatis edocet illam in æternum: & dominus cum illa est usque ad consummationem seculi: Unde fit ut qui ecclesiam non audierit, sit sicus ethnicus & publicanus, Matth. 18. Et Lucæ. 10. Qui uos audit me audit, & qui uos spernit me spernit. Cauent igitur homines ne ecclesiam Dei uilipendat, quia nunc non dicit ad omnes fideles, sed ad discipulos suos: Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit me spernit. Et ecce ego uobiscum sum, apostolis etiam & discipulis dicitur nomine omnium fidelium, ut sciāt heretici obedire, & omnis et anima decretis cōciliorum, quorum caput est Papa, dicente dño Petro: Diligis me plus his, pascere agnos meos, pascere oues meas. Sed iam nunc de præexcella resurrectione dñi, circa quã huius ultimi capituli precipua pars uersatur, aliqua disseramus. Beatus Athanasius inquit in c. 15. epistolæ ad Corin. quod omnia nostra fidei uis in resurrectione dogmate consistit. Enim uero si

resurrectionem tollas defunctorum; nec Christus dominus resurrexit, ubi eius diuinitas? Inanis est fides, inquit apostolus, & prædicatio nostra: Omnem igitur ordinem resurrectionis dominicæ propheticiis prænuntiationibus munemus, ipsamque historiam narrando, prout solet fieri in triumphis complebimus. Sic profecto Moyses cum populum ultra mare rubrum suffocatis Aegyptijs cerneret, laudes Deo cecinit, ipsamque historiam quemadmodum contigerat decantabat, dicens: Cantemus domino, gloriose enim magnificatus est; equum & ascensorem deiecit in mare, Exo. 15: Cum igitur Christus dominus (ut hinc dicere incipiam) spiritum patri in cruce traderet: da non ibi inuisibilis a derat, ut illius obitus uideret finem. Hoc asserit glossa ordinaria super Tobiam, cap. 6. Oportet ergo ut unusquisque exitus sui horam formidet, si quidem cruci affuit dæmon, ut circūspiceret quis erat ille, qui sic cruciatus & probra tolerauerat. Domino autem emittente spiritum, ita anima a corpore separata est, ut diuinitati semper anima & corpus & sanguis coniuncta fuerint. Hoc Dauid præuiderat, in spiritu, psalm. 15. dicens. Propter hoc latratum est cor meum, & exultauit lingua mea, in super & caro mea requiescet in spe: quoniam non derelinquis animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Sanctum Dei Messias dicebatur. Gabriel ad uirginem: Ideoque & quod nascetur ex te sanctum uocabitur filius Dei. Iterum & psalm. 40. ait, ubi prænuntiat de domini traditione per discipulum scienda, & de Iudæorum odio, & resurrectione domini, & unione ad uerbum diuinum inseparabili his uerbis: Aduersum me susurrabant omnes inimici mei, aduersus me cogitabat mala mihi: Verbum iniquum constituerunt aduersum me: nunquid qui dormit non adijciat ut resurgat? Etenim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem. Tu autem domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis. In hoc cognoui quoniam uoluisti me quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum. Suscepta est beatissima humanitas Christi a uerbo diuino in unionem suppositi: & confirmata est unio illam inseparabiliter in æterno. Fulcit beatus Thomas has prophetias ratione arctissima. 13. parte, quæst. 50. ar. 2. dicens: Gratia unionis qua unita est humanitas Christi ad diuinum uerbum, maior est quam gratia adoptionis, qua nos unimur Deo per auctorem. Hoc beatus Augustinus asserit, dicens: In rebis per tempus exortis nulla maior gratia, quam quod Deus fieret homo, & homo Deus. Hoc Ioannes dicebat, uidisse gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiæ & ueritatis: quæ plenitudo ad gratiam unionis & ad gratiam capitis refertur. Et de plenitudine eius, inquit, nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Sed gratia adoptionis nunquam tollitur, nisi per peccatum mortale: igitur a fortiori nec gratia unionis. Christus autem dominus, prout nunc ex Deo uid prædicabamus, propter innocentiam susceptus. Peccatum, inquit Esa. 53. non fecit, nec dolus fuit in ore eius. Non igitur unquam priuatus est illa suprema gratia unionis. Et sic anima diuinitati semper coniuncta & corpus & sanguis permansit. De sanguine, Cardinalis de turre cremata in quæst. super euangelium Marci cap. 16. allegat directorium inquisitionis Clementis papæ Sexti, ubi sic decretum est; & oppositum tanquam hæreticum reprobatum. An uero dominus omnem in sua gloriosissima corporis resurrectione sanguinem assumpsit, beato Thomæ uidetur ob æqualitatem humorum in corpore eucratice omnem reassumpsisse sanguinem. Sixtus Papa in eodratatu quem edidit de sanguine Christi oppositum asserit, eo quod sanguis Christi in aliquibus locis seruetur. Cæterum cum hoc non spectet ad fidem resurrectionis,

3. par. &
quod li. 5.
quæst. 5.

resurrectionis, scholis relinquimus disputandum. Continuo igitur cum dominus spiritum tradidit, anima beatissima diuinitati unita descendit in lymbum patrum, in illam scilicet captiuorum domum, in qua ab origine nuandi, ab Abel iusto usque in illam horam omnes sancti tenebantur inclusi. Ad infernum autem & purgatorium potentia eius effectus peruenit. Ad purgatorium quidem dum purgandis datur fiducia ascendendi in cælum; & iam ad beatam uisionem deitatis perueniendi, post præctam peccatorum purgationem. Ad infernum uero, quoniam dæmones de sua incredulitate peruenit, & potestatem quæ in genus exercebant humanum ademit. Limbus proinde patrum factus est quasi empyreum cælum beatorum: continuo namque diuinitatem uiderunt. Quod & dominus latroni sponderat, dicens: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Nox tunc per Dauidicam prophetiam, psalm. 138. sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Et Zacharia. Luc. 1. illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent. Eduxit illos dominus in crepusculo diei illius, quo a mortuis resurrexit: restante hoc iam olim Zach. cap. 5. dicens: Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti uinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. In sanguine, inquit, testamenti tui. Omnia in sanguine pene mundabantur secundum legem, prout Moyses fecit. Exo. 24. Omnia sanguine aspersit: sed non erat ille sanguis eius; sed taurorum & hircorum. Hic sanguis, dicit propheta, sanguis testamenti Christi est, de quo ipse dixit, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Deuenerunt igitur ad sepulchrum, ibique anima Christi corpus suum ingressa, diuinitatis ope etiam ipsum semper eide diuinitati unitum reassumpsit: usque uote sublimitatis exiuit clauso sepulchro, consignatoque lapide primogenitus ex mortuis, de quo dicit beatus apostolus. Pau. ad Colos. pri. & pri. Cor. 15. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium. Et Apocal. pri. Et a Iesu Christo qui est testis fidelis primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Cum autem dominus resurrexit, præcepit illis de quibus Mat. ca. 27. Et multa corpora sanctorum surrexerunt: ut ad corpora sua redirent. Sic unusquisque cui præceptum est, suum corpus diuina opitulante uirtute reassumpsit, sicque cum domino multitudo facta est resuscitatorum. Existimo autem ad beatissimam eius genitricem primum deuenisse, una cum illa inestimabili & ineffabili gloria & multitudine angelorum associantium ipsum: multaque ibi lætitiæ cantica in laudem redemptoris & in laudem uirginis celebrata fuisse. Omnesque resuscitatos ad illius beatissimos pedes prouolutos illam benedixisse, quod talem reddiderit fructum, quo omnes salutem sunt consecuti. Deinde illi resuscitati apparuerunt multis, diuinitatem Christi & resurrectionem humanitatis eius prædicantes, quos & arbitramur cum Christo domino in corporibus suscitatis ascendisse, prout superius tract. 2. in hoc capitulum diximus: id rati illa ratione præcipua, quia si quis illorum cui suscitatus apparuerat, ad suscitati sepulchrum iret, & ipse corpus iterum reperisset, iam posset dicere apud se resurrectionem illam non fuisse ueram, & domini resurrectioni detraxerit. Cum autem isti inducti sunt testes resurrectionis domini, decens erat illos non mori iterum: ne aliqua daretur ansa, si eorum corpora in sepulchris inuenirentur de resurrectione dubitandi. Unde & beatus Petrus de Dauid ait: Et sepulchrum eius apud nos est, Acto. 2. Non dicit corpus eius apud nos est: præcipue cum ipse Dauid de resurrectione domini sit sæpe uaticinatus: tum in duobus locis supra in isto tractatu citatis, tum etiam psalm. 128. dicens: Exurrexi, & adhuc sum tecum, & psalm. 3. Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quoniam

Yyy dominus

S. Tho. 3.
par. q. 52.
art. 3.

dominus suscepit me. Deinde dominus apparuit multis, secundum quod iam definiuimus tractatu 2. huius capituli. Nobis autem datur exemplum penitentiam illam querendum, ad quam peruenientes in ultima die inter gloriosos resuscitatos inueniamur. Nam omnes quidem, inquit beatus apostolus Paulus, resurgemus, sed non omnes immutabimur, prim. Corinth. 15. hoc est non omnes corpus immortale induent: quod tantum beatis est datum, damnati vero corpora passibilia & fada recipient. Igitur inquit beatus apostolus ad Colossenses, 3. si conseruaueritis cum Christo, quae sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Mortui enim estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit, uita uestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Utinam in consortium horum recipiamur gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in aeternum. Amen.

TRACTATUS SEXTUS,

In XXVIII. cap. beati Matthaei.

QUADRUPLEX pascha reperimus in scriptura diuina a Iudaeis solenniter celebratum: ad quorum etiam imitationem nobis uerum pascha, resurrectione uidelicet domini celebrare contigit. Primum Pascha, siue pascha fuit celebratum in Ramase, Exo. capi. 12. in illa scilicet nocte quae Deus percussit primogenita Aegyptiorum ad hominem usque ad pecus. Quo primum tempore constituta sunt caeremoniae edendi agnum illum paschalem, qui usque ad diem passionis domini eius immolationis typum gessit. At qui quae hoc pascha celebrarunt Iudaei, postea carnes & carnes Aegypti concupierunt, dicentes Exod. 16. utinam mortui essemus per manum domini in terra Aegypti, quam do sedebamus super ollas carniam, & comedebamus panem in saturitate. Et Num. 11. Quis dabit nobis ad uescendum carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in Aegypto gratis: in mentem nobis uenit cucumeres, & pepones, porrique & cepe, & alia. O dura e ceruicis popule cur non potius gratias rependis domino, quod te a misera seruitute Aegypti tantis torque exemit prodigiis? Parum enim pascha profuit nobis, quod Aegypto egressi celebrastis: quando omnibus primogenitis Aegypti occisis, uos sicco uestigio Aegypti & Pharaone submersis per medium maris rubri transistis. Celebratur a discipulis hoc primum pascha, quando dominus dignatus est de hoc mundo transire ad patrem. Qui licet in principio creduli ac fideles fuerint, dixerat nanque Petrus. Tu es Christus filius Dei uiui, qui in hunc mundum uenisti: tamen in passione domini dubitauerunt de eius diuinitate & resurrectione: & mulieres parauerunt aromatata, ut uenientes uiderent Iesum, & ad monumentum uenirent querentes cum mortuis uiuentem Christum. Quin & discipuli mulieribus non credebant. Dicebat enim Thomas: Nisi uidero in manibus eius fixam clauorum: & mittam manum meam in latus eius, non credam. Alij uero duo discipuli ab Hierusalem euntes in castellum Emaus colloquebantur de omnibus quae acciderant domino, ueluti dissidentes de eius resurrectione: quibus se dominus iunxit in uia, cuiusque illi quae gesta fuerant enarrarent, ipse dominus illi scripturas exposuit, quemadmodum oportebat Christum pati & resurgere tertia die nec sic crediderunt, quousque dominus inuitatus ab illis ut manducaret, (cum iam in castellum deuenisset) panem fregit, in cuius fractione cognouerunt eum. At ille euanuit ab eorum oculis. Omnes itaque domini pascha celebrauerunt,

uerunt, ueruntque fragiles de eius resurrectione dubitauerunt. Non absimile est quod quibusdam contigit, qui post celebratum domini pascha, ueruntque & carnes Aegyptias concupiscunt. Suscepto namque corpore domini, & prius per puram confessionem & ab solutionem sacerdotis remissis peccatis, iam iterum illis peccata remissa in mentem ueniunt. Qui enim tales sunt pascha quidem celebrant, sed in Ramase adhuc informes & imperfecti. Qui enim peccatis se se dederunt, similes sunt uasis olei retinentibus. Si enim uas oleo per annos plurimos imbutum, alio uelis liquore replere, olei sepe reddet sapor: sic & asuetus peccatis per penitentiam uera lauatur, & per susceptionem corporis domini roboratur. Porro iniquitatis habitus per gratiam debilitatur, quam peccator recipit in sacramentis confessionis & eucharistiae: ueruntamen non omnino tollitur nisi quis sepe sacramentis utatur. Quae propter consuetudinem olet aia, quod unusquisque prauo infectus habitu experietur, cum uel nolentes eructant peccata. Sic namque beatus Gregorius supra illud Iob. ca. 13. Quasi putredo consumedus sum, et quasi uestimentum quod comedit a tinea, ait: Homo intra se habet unde tenetur, quemadmodum pannus intra se continet unde a tinea demolat. Non ergo post receptam per sacramenta gratiam, animam uel uestem coplicemus: sed bonis operibus illam exerceamus. Vestis enim, quae in usu quotidiano deseruit, a tinea non demolitur, ita & recepta gratia, si ea exerceamus bonis operibus insistentes, augetur, & non auferetur a praua iterum irruente consuetudine, quae suum semper, donec extinguatur, retinet malum sapor. Cum igitur ore proprio peccator confessus est peccato male egisse, unusquisque huius sui confessionis reminiscatur, atque ita si uere celebravit pascha, in uerum alterum immutetur. Si uero se a praua consuetudine uergeri sentit iterum atque iterum ad sacramentum accedat penitentiae & eucharistiae, quousque, extinguatur malum, & suboritur bonum. Secundum Pascha solenne celebratum fuit in monte Sinai, Num. cap. 9. Mors Sinai est in quo lex Moysi data est. Porro recepta decalogi secundum beatum Thomam sunt de lege naturae elicta, quoniam eliciuntur ex principijs naturalibus. Nepe ita dominus ait Matthaei. 7. Omnia ergo quaecumque uultis ut faciat uobis homines, & vos facite illis: haec est enim lex & prophetae. Cum igitur intellectu naturali scripturas coniungimus, proficimus. Ita apostoli Petrus & Ioannes cum uiderent linteamina & sudarium inuolutum seorsum a linteaminis, tunc introiit ille discipulus, Ioannes. Siqui uenerat primus ad monumentum, et uidit & credidit: nondum enim sciebat scripturam, quia oportuit eum a mortuis resurgere, Ioannes. 20. Iuuenibus et datur exemplum ut honorem semper sententibus deferant, cum ipse Ioannes primus ad monumentum deuenit, non introiit, sed locum dedit Petro prius introeundi. Nos igitur rationi naturali scripturam coniungentes, funiculum triplicem texemus, qui difficile rumpitur. Ratio dicit non faciendum malum, scriptura diuina omne peccatum prohibet, gratia in sacramentis praestita iuuat ad non peccandum. Attendamus igitur cum nos suadet peccatum, quid recta ratio suggerat. Aduertamus quid scriptura dicat: confessione & eucharistia queramus gratiam. Et quis tunc erit qui nobis nocere possit, tot tantisque administris suffultis: maxime uero cum diabolus in passione & resurrectione domini deuictus iaceat: cui si quis non assentiat, uim ipse inferre non potest. In hunc sensum ait beatus Hiero. Debilis est hostis, qui non potest uincere nisi uolentem. Stolidus enim est, qui inimico illi dicente: da gladium tuum, sine quo te non possum occidere, gladium dat. Noli ergo gladium id est uelle tuum demommo dare, quod si non tradas, haud dubio non alium aliunde habes, quo te perimat gladium. Tertium pascha solenne celebratum fuit a Iosue, eiusdem libri capi. 5. Postquam populus sicco uestigio pertransiit Iordanem iam

Prim. 2.

iam Hierico delera. Hoc pascha apostoli celebrant, cum iam post aduentum spiritus sancti palam de domino locuti sunt. Nam & si in resurrectione fidem diuinitatis eius recuperauerant, tamen loqui palam de eo propter Iudæorum metum verebantur. Venientem autem in illos paracletico spiritu sancto, iam gaudent pro nomine Iesu contumeliam pati, iam coram pontificibus & pharisæis sine trepidatione de eo loquuntur, nihil hæsitantes diuinitatem eius publica proferre uoce, & illum saluatorem & Messiam in faciem Iudæorum pronuntiare. Hoc utiq; & nos celebrabimus, cum ablato mundano timore secundum Euangelium & præcepta Christi uiuentes publice & absque cunctatione, tam in curijs regum, quam alio quocunq; loco omnibus Christianam agere uitam suaderimus. Quartum pascha siue phase celebratum fuit per sanctum Iosiam regem, 4. Reg. 23. Nec enim, inquit ibi scriptura, factum est phase tale a diebus iudicium, qui iudicauerunt Israel, & omnium dierum regum Israel & Iuda, sicut in octauodecimo anno regis Iosie factum est phase istud domino in Hierusalem. Istud est pascha quod celebratur in gloria beatorum. Qui enim tale meretur phase, quod transitus interpretatur, de hac miseria in diuinam transit uisionem & fruitionem. Merito nos reddit attentos scriptura dicens: Nunquam tale fuisse phase celebratum. Nunc domini pascha hoc est transitum celebramus, ueniet & phase nostrum, id est transitus noster, cum nos mutuo salutantes dicimus: præstet tibi dominus felicissimum pascha: quod tantundem est, ac si diceremus: donec tibi dominus felicem transitum & optimam mortem. In hunc enim sensum sanctorum transitum ecclesia sancta celebrat. Crucifigitur namque Petrus, & ecclesia cantat, alleluia. Truncatur capite beatus Paulus, & ecclesia concinit alleluia. Lapidatur Stephanus, torretur igne Laurentius, & ecclesia gemit, nec suum supprimit alleluia. Quod sane fit, quoniam persua gaudio celebrat phase sanctorum, & eorum transitus ad diuinam gloriam commemoratur. Transeamus ergo & nos per omnem huiusce uitæ transeuntem umbram, & ipsas res transeuntes prætereamus. Nostrum phase celebremus, scripturam rationi naturali in Sina iungentes. Præterea gratiam per sacramenta queramus, & transeuntes Iordanem ad terram deserta Hierico infideli confidenter ubiq; Christianam uitam agamus. Neq; irridentes humilitatem, patientiam, & omnium temperantiam rerum curemus: quinimmo & illis ueritatē euangelicam publice proponamus, illos ubique corripientes & ostendentes summam esse nobilitatem, summam fortitudinem, summam militiam, summam in hoc mundo felicitatem secundum euangelium uiuere. Nam id facientes, cum uenerit nostrum phase, uostrum unius cuiusque pascha, transitus utique noster, libenter exiemus de hac miseria ualle: cantantes domino alleluia, & gratias in æternum agentes ei, qui nos de tenebris in admirabile lumen suum uocauit, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum, Amen.

TRACTATUS SEPTIMVS,

In XXVIII. cap. beati Matthæi.

HÆC dies, in qua dominus uictor ab inferis surrexit, supremi gaudii est: & ad gloriam humanitatis saluatoris nostri Iesu Christi maxime pertinet, tum ne nos in peccata prolabamur non parum conducit. Quibus

bus enim talis uita promittitur, talis corporum splendor, talis agilitas & subtilitas, talis incorruptio & immortalitas, & talis gloria, ab omnibus abstinerere debent, quæ ad tam sublimem statum consequendum impedimento sint. Saluatorem, inquit beatus apostolus, expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, ad Philip. 3. Si autem quæras cum hæc audis quomodo resurgent mortua corpora? ipse beatus apostolus epist. ad Corinth. prim. cap. 15. respondet dicens: Sed dicit aliquis: Quomodo resurgent mortui? aut quali corpore uenient? Insuper tu, quod seminas, non uiuificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autē dat illi corpus sicut uult, & unicuique semini proprium corpus. Et paulo inferius subiungit beatus Apostolus in hunc modum: Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: ecce immortalitas. Seminatur in infirmitate, surget in gloria: ecce claritas. Seminatur in infirmitate, surget in uirtute: ecce agilitas. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale: ecce subtilitas. Magna profecto sunt dona, nec similia quis potest corpori dare. Tunc enim ita faciliter mouebit anima corpus, quemadmodum & nunc cogitatione se huc atque illic re ducit: hoc tantum excepto, quoniam tunc transire oportet per medium itineris quam citissime, quod nunc cogitando non facit, quoniam in eodem loco permanet anima cogitans. De subtilitate autem qua per ostium clausum & parietem penetrat, erit ueluti sol qui radios suos transmittit per vitrum & crystallum sine eorum corruptione. De impassibilitate autem quomodo non lædatur a gladio, sagitta, vel quocunq; tormento bellico, satis singulare ponit exemplum Abulensis Matthæi capit. 17. quæst. 17. dicens: Si enim aliquis gladium vitreum vel crystallinum vibraret contra solem, gladius a sole penetraretur, ipse ueruntamen solem minime læderet. Non igitur contristemur de dormientibus, sicut & cæteri qui spem non habent: credentes quod corpus seminatur ut resurgat in incorruptionem, in claritatem, in uirtutem in subtilitatem: hoc est corpus quod dicitur spirituale. Ita profecto cum uidemus mortuorum ossa, perinde illa æstimare debemus, ac si uideremus argenti fragmenta in domo alicuius argentarii: ex quibus ipse calices constat, cruces & alia id genus uasa. Sic ex illis ossibus dominus redditurus est beato Petro: ex suis propriis ossibus & cineribus corpus suum gloriosum: Neroni uero & Iude reddet etiam corpora sua, uasa in perpetuam contumeliam. Sic enim sancta mater ecclesia in deuota quadam precatōne missæ pro defunctis, ait: Deus cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius. De bonis hoc ait, tales esse iudicans, qui in Christi moriuntur gratia: de quibus beatus Ioannes in Apocalyp. Beati mortui qui in domino moriuntur. A modo enim iam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. Bonis operibus charitatis salutem tribuit: sciens Christi gratia in nobis refundi non per fidem (prout hæretici errantes sua proterua dicunt) sed per sacramenta quibus confertur gratia, & bonorum operum merito, quæ in charitate a fidelibus peraguntur. Cum igitur totæ & tanta corpori promittantur dona: si anima bonis semper inhaerens, domini mandata compleuerit, & usque in finem perseuerauerit: ipsi corpori lasciuienti freno imposito, obtemperare rationi cogamus, & maxillas concupiscentiæ eius cohibeamus. Eius enim res agitur, eius requies queritur, eius procuratur salus, eius uita gloriosa diligitur, omniaque quibus nunc uiuendo maceratur, ut cum læticia in æternum uiuat, aguntur. Si enim

Opera in sanguine Christi.

enim eligimus igne & ferro quodcunque amputari membrum vt totius corporis vitam redimamus: quanto potius fuerit ieiunia, nigilias, orationes, peregrinationes, flagella ministerio corporis exercere, ut ipsum in cœlis splendore, immortalitate, agilitate, & sublimitate perpetuo gaudere cernamus. Ibi erit requies nostra in seculum seculi: ibi habitabimus quoniam elegimus eam. Requieuit enim dominus Deus die septimo ab uniuerso opere quod pararat. Requieuit & Christus dominus in sepulchro ab uniuerso opere redemptionis nostræ quod perfecit. Ad hanc autem sententiam beatus Augustinus, illa refert verba super euangelium beati Ioannis capite quinto, tractatu. 17. Præterea consideremus quod Christus dominus patitur & ita gloriosus resurgit, nos etiam pati oportet & poenitentia opera agere, vt tantam gloriam consequi mereamur. Sic enim prædicebamus huius capitis tractatu. 5. quod dominus in suo euangelio finem adiunxit principio. Cum enim prædicare incepit Matthæi 4. hæc assumpti verba: Poenitentiam agite, & appropinquabit regnum cœlorum: nunc autem post resurrectionem apostolis ait: Ite, docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine patris, & filii, & spiritus sancti, docentes eos seruari omnia quæcunque mandauit vobis. Mandata igitur inter cætera continent, ut poenitentia fiat: ne quis hæreticus fidem sine operibus sufficere putet, uel fide ad nos peruenire gratiam & salutem Christi. Peruenit enim ad nos meritum passionis domini & iustificatio per gratiam, quæ in sacramentis præstatur, & bonis operibus in charitate factis augetur meritum. Habemus igitur de uictam mortem, deuictum diabolum, deuictum mundum: Christo firmiter adhaeremus, & nullum prorsus aduersarium formidemus. Ero mors tua o mors Osæ. 13. ero mors tua inferne. De mundo autem Ioan. 16. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego uici mundum. De diabolo autem Ioan. 12. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras, & hoc quidem iustitia agitatum est non ui. nam potentia poterat dominus diabolum quandocunque uellet in tartarum præcipitem dare, præcipereque ut nihil amplius hominibus noceret. Atqui dominus uoluit diabolum iure suo priuare potentia & tyrannide, qua in omne humanum genus seniebat. Quod duplici similitudine amplius innotescet. Si enim rex inuaderet filiolum in nobilissimam aulam, illamque in amœnissimo horto constitueret, & pretiosis monilibus uestibusque ornaret, & ibi cibo aleretur regio, & ibidem a seruis regis associata coleretur: ueniens autem turcarum princeps illam abduceret, & priuatam monilibus alioque ornatu flagellis caderet: nonne filius illius regis magno cum suo dispendio a miserabili illa captiuitate filiam regis eriperet? & summo insuper iure Turcarum principem qui illam in seruitutem redegerat omni potestate priuaret? Ita Dei filius animas quas Deus creauit, & dæmon captiuas tenebat, morte sua eripuit, ac summa iustitia dæmonem uicit, nosque ab eius potestate creptos iterum creatori nostro restituit. Rursum si quis hominem aggrederetur a quo nunquam fuerat læsus, desuper quidem uestibus amictum, interius uero fortissimis armis munitum: cunque in illum aggressor arma sua utpote gladium seu hastam uibraret, atque illis fractis ob aduersarij in teriorem fortissimam armaturam, clamaret, ut sibi sua restitueret arma: ad nos is iure irrideretur? diceretque aduersarius: si tu me prius aggressus es, quid mirum si a me armato tuis priueris armis? Sic & Christus dominus cum in mundum ueniret intus diuinitate armatus, exterius uero humanitate cõrectus, omnem curans languorem, mortuos resuscitans, sanctissimam doctrinam afferens: dæmon furiosus in illum omnem

Oho dæmon iure priuatus est potentia, quã in hoies exercebat.

omnem gladium suum vibrauit, innumeris cruciatibus eum aggressus, flagellis, corona spinea, sputis, clauis, cruce, fregitque potentiam suam in interiori armatura diuinitatis. Merito igitur spoliatus est diabolus armis & potentia sua, quam in innocentissimum & sanctissimum Christum dominum nostrum superbus exercuit, meritoque ab ipso spoliatus tyrannidem & principatum amisit, quibus homines opprimebat. Iudex enim qui innocentem occidit, iudici potestate priuari meretur: sic dæmon cum innocentissimum Christum dominum, per suos ministros occiderit, iustissime illi aufertur potentia, quam gerebat in hominem, gratia domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperium in æternum Amen.

TRACTATUS OCTAVS.

In XXVIII. cap. beati Matthæi.

DOMINI resurrectio ex mortuis, non tantum illi summa gloria est, uerum, & omnibus sanctis & nobis: illi quoniam uictor & immortalis surrexit. Christus, inquit beatus apostolus Paulus ad Romanos 6. resurgens a mortuis, iam nõ moritur: mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem uiuit, uiuit Deo. Sanctorum proinde magna gloria est, quoniam ut inquit beatus apostolus Paulus ad Romanos eodem cap. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus: Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam uiuemus cum illo. Et 2. Corinth. capit. 4. Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus propter quod & loquimur: scientes quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet uobiscum. Nobis enim resurrectio domini gloria est & confectio, si cum illo conuiuitemur in gloria omnium desiderabilium. Si cupis o homo salutem, illam utiq; consequeris in resurrectione omnimodam: si uitam, amplius non morieris: si gloriam & diuitias, gloria & diuitia in domo eius. Si delectabilia appetis, pulchritudine fulgebunt iusti sicut sol. Notas mihi fecisti uias uitæ, adimplebis me lætitia cū uultu tuo: delectationes in dextera tua, usque in finem, Psal. 15. Oportet igitur, ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam patris, & nos in nouitate uitæ ambulemus, ad Roman. 6. Ceterum ut hanc uitam queramus, & ad illam adipiscendam in nouitate uitæ, in hoc seculo ambulemus, necessarium est hanc desiderare. Non enim quod ritur, quod non desideratur. Quod autem desideratur, ideo concupiscitur uel quia delectabilis, siue honorabilis, siue utilius est. Hæc namque sunt omnium nostrorum desideriorum capita: delectatio, honor, utilitas. Si igitur ostenderimus uitam spirituales esse honorabiliorem, delectabiliorem, utiliore, quam sit hæc uitæ carnalis: iam profecto desiderabilior & appetibilior necessario esse concluditur. Primum probat beatus apostolus Paulus prima Corinth. 15. prout iam ex parte regulum præcedenti tractatu, dicens: Sed alia quidem celestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Vides quibus corpora resurgentium beatorum comparat: nempe claritati solis, lunæ, & stellarum. Deinde profequitur, dicens: Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surgit in gloria. Seminatur in infirmitate, surgit in uirtute. Seminatur corpus animale: surgit corpus spirituale. Si est corpus animale, est & spirituale, sicut scriptum est.

Factus est primus homo Adam in animâ uiuentē, nouissimus Adâ in spiritû uiuificantē. Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Primus hō de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cœlestis, talis et cœlestes. Igitur sicut porta uinûs imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Hoc autem dico fratres, quia caro & sanguis regnûm Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit. Nobis igitur necessarium est, quibus tantum promittitur honor: si aliquando terreni fuimus, nunc cœlestes simus. Qui enim secundum carnem & peccata uiuunt, regnûm Dei non possunt: nec corrupti mores incorruptionem resurrectionis: sed in corporibus passibilibus resurgēt mali, perpetuo in inferno torquendi. Quod in sequentibus beatus apostolus manifestat, inquit: Ecce mysterium uobis dico, omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur: hoc est, non omnes induent claritatem & impassibilitatem, & agilitatem, & subtilitatem: & corpora quidem induent immortalia, quæ amplius mori non poterunt, sed passibilia: in quibus penas luant perpetuas. Nouissime autem inimica destruetur mors, inquit paulo superius in eodem cap. beatus apostolus. Itaque omnes immortales resurgent, mali autē passibiles penis & omnimodæ calamitati subiecti, nihil illis boni remanebit, præter id quod mori non poterunt, ad perpetuū expendendum debitum pro iniquitatibus suis supplicium. Neque silentio dandum existimo, hanc quam prædiximus perfectissimam uitam, quemadmodum illam, dæmon ouis & cibus toto conatu oppugnat. Sicuti & domini natiuitatem huic germanam solennitatem conuersionibus & alearum ludis. Quis sapiens & considerabit hæc, & nō intelliget quanta miseria obruatur mundus? Vide quid agant, quibusue incumbant homines eo tempore, quo Deus uerbum de utero intemeratæ uirginis nascitur, caro factum. Tunc enim ludis ludicris, risu, & fabulis tempus consumunt, nec uigiliam etiam exacte ieiunant: cum ex omni genere bellariorum apparatus conuiuium a prima face ad multam noctem cum amiculis & uicinis protrahant. Resurrectionem uero celebrant oportum quibusdam placentis, nihil aliud fore curantes, quàm ut uentri & gula fiat satis. Sic sedet populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere, prout dicitur de Iudæis, quando uisulum conflagrunt, Exod. 32. Hisce uanitatibus dominatur dæmon & hominibus incōsideratis, qui cum dicant se esse sapientes, stulti facti sunt, ut pote honorem maximum quem affert spiritualis uita minime considerantes. Quod autem spiritualis uita sit dulcior, & in nouitate uitæ ambulare præ omni seculi dulcedine: ille solus agnosceret qui gustare cœperit, quàm suauis est dominus inquirētibz & possidentibus eum. Gustate & uidete, quoniam suauis est dominus, beatus uir qui sperat in eo, psalm. 33. Et psalm. 144. Sauius dominus uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Sic & beatus Petrus epistola prima capitulo secundo, ait. Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabiles, & sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem: si tamen gustatis quoniam dulcis est dominus. Quasi diceret, si gustu spiritus percipitis suauitatem domini, & eius dulcedinem, omne deponentes mendacium, eritis quasi modo geniti infantes. Sic profecto illi discipuli qui ad castellum Emaus proficiscebantur, reuertentes in Hierusalem eadem hora, qua dominum in fractione panis cognouerunt, adinuicem dicebant. Non ne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur nobis in uia, & aperiret nobis scripturas? Et reuertentes inueniunt congregatos undecim discipulos: Quoniam surrexit dominus uere, & apparuit Simoni. Sic beati angeli secū-

dum

dum Matcum 16. dixerunt mulieribus: Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia surrexit & præcedet uos in Galilæam: ibi cum uidebitis, sicut prædixit uobis. Et Petro dixit, tanquam capiti ministeriali totius ecclesiæ, hunc illi honorem deferens: & ne Petrus existimaret ob negationem dominum contra se iratum, uerum sciret cum ei ter neganti ignoscitur, etiã oportere, ut usque septuagies septies & ipse peccata soluat. Omnis igitur qui considerat discipulos & mulieres, dulcedine resurrectionis domini inueniet occupatos: nullaque illos tristitia affici, quibus apparuit dominus. Porro quod utilior sit uita beata in cœlo, & spiritualis in terra, quàm queuis uita, quàm in presenti seculo uiuimus, facile comprobatur ex uitæ ipsius desiderio, quo omnes rapimur. Quippe illam uiliorem uitâ homines arbitrantur quæ magis diuturna est. At qui si nauis è longinquo ueniens, cum mercimoniis uitam uenalem exponeret, æminem fore arbitror qui non curset ad emendam uitam: & alius quidem enim quinquaginta, alius centum, monnulli uero ducentos, & qui posset etiam mille annos emeret uita. Quin & suas quisque opes pro uita redderet, ærnnis anxietatibus & laboribus plena. Christus autē dominus ipse dicit: Ego ueni ut uitâ habeant, & absquidati habeant, Ioa. c. 10. Et in eodem c. Oues meæ uocē meam audiūt, & ego cognosco eas, & sequitur me: & ego uitâ æternam do eis, & non peribūt in æternum: & nō rapiet eas quisquam de manu mea. Utilior est uitâ abundans, quæ quod die deficit: felicitior æterna uita, quæ quæ temporaria est. Hæc igitur oibus rebus spretis nobis cōparemus. Et enī honorabilior, dulcior & utilior. Ambulemus præterea in nouitate uitæ, cū ipsa spiritualis uita in præseti seculo etiã honorabilior, suauior, & utilior est: quādo per ipsam deuenturi sumus in æternâ & felicissimâ uitâ, gratia domini nostri Iesu Christi Cui cū patre & Spiritu sancto est honor, gloria, & imperiū in æternum. Amen.

TRACTATUS NONVS ET VLTIMVS.

In XXVIII. cap. beati Matthæi.

RESURRECTIONIS generalis similitudinē, insuper & Iudæorum uocationē autē illam uaticinatus est profeta Ezechiel c. 36. & 37. & Esaiâ c. 10. & Osee c. 3. ex quæ omnibus iis simul dissipatur quædā Iudæorum nebula, qua obcæcati adhuc Mesiam expectare asserunt: & ueniet illis Antichristus, quemadmodum dominus eis prædixit, Ioann. cap. 5. Ego ueni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius ueniet in nomine suo, illum accipietis. Dicitur igitur Ezech. cap. 37. Facta est super me manus domini, & eduxit me in spiritu domini, & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus, & circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa ualde super faciem campi, siccaque uehementer. Et dixit ad me, Fili hominis, putasne uiuent ossa ista? Et dixi: Domine Deus tu nosti. Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis, & dices eis: Ossia arida audite uerbum domini. Hæc dicit dominus Deus ossibus his. Ecce, ego intromittam in uos spiritum, et uicnetis: et dabo super uos neruos, et succrescere faciam super uos carnes, et superextendam in uobis cutem: et dabo uobis spiritum, et uiuetis: et scietis quia ego dominus. Et prophetaui, sicut præceperat mihi: factus est autem sonitus prophetante me: et ecce commotio: et accesserunt ossa ad ossa, Vnumquodque ad iuncturam suam. Et uidi, et ecce super ea nerui, et carnes ascenderunt: et extensa est in eis cutis desuper, et spiritum non habebāt. Et dixit ad me: uaticinare ad spiritus, uaticinare fili hois, et dices ad spiritus.

Zzz 2 Hæc

Hæc dicit dominus Deus. A quatuor uentis ueni spiritus, & inluffa super interfectos istos, & reuiuifcant. Et prophetaui sicut præceperat mihi: & ingressus est in ea spiritus, & reuixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis ualde. Ecce manifestum resurrectionis exemplum. Et dixit ad me, Fili hominis, ossa hæc uniuersa domus Israel est: ipsi dicunt, Aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscisi sumus. Erant siquidem tunc in Babylone Iudæi captiui, cum in Chaldaea prophetabat Ezechiel. Idcirco Iudæi spe abiecta exendi a captiuitate dicebant: Periit spes nostra, aruerunt ossa nostra, & abscisi sumus. Propterea uaticinare, & dices ad eos: Hæc dicit dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos uestros, & educam uos de sepulchris uestris populus meus: & inducam uos in terram Israel. Et scietis, quia ego dominus cum aperuero sepulchra uestra, & eduxero uos de tumulis uestris popule meus: & dederò spiritum meum in uobis, & uixeritis, & requiescere uos faciam super humum uestram: & scietis quia ego dominus locutus sum, & feci, ait dominus Deus. Tunc præcepit ei dominus adiungere duo ligna in significationem adunationis in Christo regni Iudæorum & Israel, & populi gentium & Iudæorum. Et dixit ad Iudæos: Hæc dicit dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum ad quas abierunt: & congregabo eos undique & adducam eos ad humum suam. Et faciam eos in gentem unam, in terra, in montibus Israel, & rex unus erit omnibus imperans, & non erunt ultra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna. Hoc dicit, quoniam Christus dominus ipse est rex fortis & potens, potens in prælio dominus uirutum, cuius regni non erit finis. Nec polluentur ultra in idolis suis, & abominationibus, & cunctis iniquitatibus suis, in quibus peccauerunt, & emundabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus. Et seruus meus Dauid rex super eos, & pastor unus erit omnium eorum. Ecce quam manifeste uaticinatur de aduentu Christi, qui est unicus rex & pastor super omnes. Idque in secundo illis contingeret aduentu domini, ut pote qui primo non crediderunt. In iudicis meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea. Et habitabunt super terram, quam dedi seruo meo Iacob, in qua habitauerunt patres uestri, & habitabunt super eam ipsi, & filij eorum, & filij filiorum eorum usque in sempiternum: Hoc uerò ait, quoniam deinde iudicium subsequetur. Et Dauid seruus meus princeps eorum in perpetuum. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis: & fundabo eos, in lege uide licet euangelica, & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum: sacramentis uidelicet sanctis sanctificabuntur. Et erit tabernaculum meum in eis: non quidem ueteris legis arca: de qua Hieremias, qui de his loquens diebus, cum Iudæi conuersi ad dominum Christum multiplicandi sunt, ait cap. 3. Cumque multiplicati fueritis, & creueritis in terra, in diebus illis, ait dominus: non dicent ultra, arca testamenti domini: nec ascendet super cor, nec recordabuntur illius, nec uisitabitur, nec fiet ultra. In tempore illo uocabunt Hierusalem solum domini: & congregabuntur ad eum omnes gentes in nomine domini in Hierusalem. Atqui tabernaculum illud sancta ecclesia est, quæ usque in sempiternum stabit. Et ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et scient gentes (quæ nunc uidelicet irrident Iudæos, cum ipsi ad dominum nostrum Iesum Christum fuerint conuersi) quia ego dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea (gratia uidelicet & sacramenta quibus sanctificamur) in medio eorum in perpetuum. Hæc sanctificationem per baptismum futuram manifestis uerbis explanat idem propheta cap. præcedenti, uidelicet 36. dicens: Cum sanctifica-


tus fuero in uobis coram eis, tollam quippe uos de gentibus, & congregabo uos de uniuersis terris, & adducam uos in terram uestram. Et effundam super uos aquam mundam, mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris, & ab uniuersis idolis uestris mundabo uos. Er dabo uobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio uestri. Manifestissimis uerbis ostendit profeta, ad finem mundi abluendos fore Iudæos aqua munda baptismi sancti, & tunc spiritum nouum & cor nouum in medio eorum constitutendum: cum ad dominum scilicet conuersi fuerint. Cum dicit nouum spiritum, illum designat auferendum esse ab eis, quo omnia sacrificia agebant in lege, quibus proteftabantur Messiam esse uenturum: & statuet nouam intelligentiam, qua confitebuntur iam uenisse dominum nostrum Iesum Christum uerum Messiam a prophetis prænunciatum, & a lege figuris & ænigmatibus designatum. Possunt & hæc omnia uerba ad reuersionem Iudæorum a Babylonica captiuitate referri: in qua existente populo Iudæorum, ipse Ezechiel propheta hæc uaticinatus est. Cæterum rectius ad generalem Iudæorum conuersionem ante iudicium referuntur, omnibus his uerbis & eorum circumstantijs iudicio recto perspectis. Quemadmodum & illud Osce cap. 3. Et dixit dominus ad me, Adhuc uade, & dilige mulierem dilectam amico & adulteram: sicut diligit dominus filios Israel, & ipsi respiciunt ad Deos alienos, & diligunt uinacea uarum. Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei: & dixit ad eam. Dies multos expectabis me: non eris uiro: sed ego expectabo te, quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim. Et post hæc reuertentur filij Israel, & quærent dominum Deum suum, & Dauid regem suum, & pauebunt ad dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum. Hæc propheta referri potest ad captiuitatem Babylonis, & ad reuersionem Iudæorum in terram suam. In illis namque septuaginta captiuitatis Babylonicæ annis, sine sacrificio & altari, sine ephod, & sine theraphim, id est cæteris ornamentis templi fuerunt Iudæi. Cæterum quoniam dicit in nouissimo dierum hanc reuersionem futuram, rectius ad conuersionem Iudæorum in fine mundi coaptari debet. Et sic interpretatur beatus Hieronymus: & illud quod ait: Et ipsi respiciunt ad Deos alienos, quod in tēpore hoc non sunt idolatræ, & tunc cum in Babylonem captiui ducerentur, idolatrabant: & etiam hodie dicuntur respicere ad Deos alienos, quoniam uero Deo Iesu Christo domino nostro abnegato Antichristum colunt, quem omni die attendunt: ad quem ipsum hodie hanc prophetiam referri contendunt, dicentes: quod dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim. Hanc uerò partem illis concedimus de ipsa captiuitate, qua dispersi per Romanos post ascensionem domini in uniuersum orbem uenerunt. Quod autem sequitur perfidi & obcæcati deprauant, cuius uerum sensum reddemus. Ait enim propheta: Et post hæc reuertentur filij Israel, & quærent dominum Deum suum, & Dauid regem suum, & pauebunt ad dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum. Hoc recte intuenti scripturam, de reuersione ad Christum dominum accipiendum est, quoniam dicit: Quærent dominum Deum suum, & Dauid regem suum. Sicut enim Deus quem quærent est Deus, qui semper est: sic Dauid qui iam erat loquuntur, & non de futuro: quoniam ille est Deusus suus & rex, idem dominus Deus & rex noster. Quod & confirmatur ex eo quod sequitur: Et pauebunt ad dominum, & ad bonum eius. Mirabuntur siquidem Deum

Deum & hominem, qui dominus eorum est, & bonum eius, hoc est sacramenta eius, quibus remissio peccatorum datur & gratia. Sic namque Zacha. cap. 9. Mirabile sacramentum corporis & sanguinis domini bonum eius dicit. Air namque: Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & uinum germinans uirgines? Non enim dicit frumentum electum; hoc enim referretur ad grana tritici munda, sed electorum inquit frumentum, quo satiantur electi, corpus domini scilicet sub specie panis contentum, & uinum faciens uirgines. Non quemadmodum Iudæi, qui uinum uinacea diligebant: hoc est uinum, corpus inebrians, & in quo est luxuria secundum apostolum, sed uinum faciens uirgines qui eo inebriantur: hoc est sanctissimum sacramentum sanguinis domini. Ideoque pauebunt, cum Christum dominum uiderint, quem crucifixerunt patres eorum, uerum esse Messiam, & bonum eius considerabunt, sacramenta uidelicet: præcipue uero corporis & sanguinis eius diuinitissimum sacramentum, quod toriens irriserunt. Redditur etiam hic sensus, ex eo quod ultimo dicit, in nouissimo dierum, quoniam ad finem mundi, hæc conuersio Iudæorum perficietur, secundum prophetiam Esa. capit. 10. Si enim fuerit, inquit, populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquæ conuertentur ex eo. Et David psal. 58. Et de execratione & mendacio annunciabuntur in consummatione: in ira consummationis, & non erunt, & scient quia Deus dominus bitur Iacob, & finium terræ. Conuertentur ad uesperam, & tamen patientur ut canes, & circuibunt ciuitatem. Annunciabuntur igitur in consummatione in fine mundi de sua execratione, quoniam Deo odibiles erant & execrati, & de mendacio quod aduersus dominum omni die mentiebantur illum negantes: & non erunt in ira consummationis seculi, eius scilicet iræ effecti participes, quoniam prius conuertentur ad ueram domini nostri Iesu Christi fidem: & tunc scient, quia Deus est dominus & Messias non tantum Iacob, sed omnium finium terræ hoc est gentilitatis & totius mundi saluator: arbitrantur enim Iudæi sibi tantum Messiam uenturum. Tunc scient quia iam uenit, & quod dominatur Iudæis & gentibus, quodque omnibus missus est in salutem & redemptionem. In hac igitur hora uespertina conuertentur Iudæi, & famem patientur ut canes: nec saturabuntur, amplius cupientes noscere mysteria Christi: auiditate incredibili, quæ pro nostra gessit salute percipient, & sacramenta suscipient, & circuibunt ecclesiam, considerantes mirabilem ordinem sacramentorum, precum & horarum solennitatem, sacrificium corporis & sanguinis domini, eiusque solennissimam celebrationem, prælatorum gubernationem, & ornatum mirabilem, sacerdotum ordinem singularem, nitorem & puritatem religionum, monachorum, & uirginum consecratarum. Admirabuntur totius sacræ scripturæ & temporis aduentus Messie perspicuam intelligentiam sibi donatam. Admirabuntur præterea singularem domini natiuitatem, uitam, doctrinam, miracula, passionem, & resurrectionem secundum prophetias eorum multas, ascensionem, & aduentum spiritus sancti, & electionem duodecim pauperum apostolorum completam esse. Quorum pauperum hominum prædicatione omnis terrarum orbis domini uerbum percepit. Admirabuntur & martyrum pene innumerabilem numerum. Et sic admirati bonum eius pauebunt, ecclesie successum & ordinem considerantes. Tunc arca quam Hieremias dixit, cuius hæcenus recordabantur, non ascendet amplius in cor eorum, nec recordabuntur illius, prout supra commemorauimus, ex Hieremie cap. 3. Nō ultra etiam recordabuntur exitus de Aegypto: desinentque gratias reddere pro illa, tunc patribus eorum collata liberatione: sed gratias agent pro redemptionis aduentu, pro salute quam in cruce moriens generi humano contulit.

— Sic

Sic enim ipse Hierem. ait. cap. 16. dicens: Propterea ecce dies ueniunt, dicit dominus, & non dicetur ultra: Viuit dominus qui eduxit filios Israel de terra Aegypti: sed uiuit dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, & de uniuersis terris ad quas eieci eos, & reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum. Suus namque est Christus dominus, quoniam ex illis secundum carnem descendit: quemadmodum beatus apostolus Paulus ad Roma. scribens cap. pri. ait: Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Et cap. 9. Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia benedictus in secula, Amen. Et cap. 11. de conuersione Iudæorum ait: Nolo enim uos ignorare fratres mysterium hoc, ut non sitis uobismetipsis sapientes, quæ cæcitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Attendant igitur miscelli Iudæi Aegyptiacæ seruitutis quadringentos annos durasse, & in captiuitate babilonica per annos septuaginta ipsos per mansisse: in hac uero in quam traditi sunt dispersione uniuerso orbi mille & quingentos & eo amplius annos transactos esse: qui usque in finem seculi, haud dubio sic permanebunt, quousque prophetiæ quas supra retulimus compleantur. Cum uero ipsi hoc tempore idola non colant, quid in causa est, cur sic grauissime puniantur, nisi hoc grauissimum quoddam unquam commiserunt peccatum, nempe occisio domini nostri Iesu Christi, qui uerus Deus & uerus est homo saluator, & Messias in lege promissus. De hac utique uisione Moyses uaticinatus est illis Deut. 31. cum cælum & terram aduersus illos conuocaret, dicens: Congregate ad me omnes maiores natu per tribus uestras atque doctores, & loquar audientibus eis sermones istos, & inuocabo contra eos cælum & terram. Noui enim quoddam post mortem meam inique ageris, & declinabitis cito de uia quam præcepi uobis, & occurrent uobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu domini, ut irriteris eum per opera manuum uestrarum. Extremum tempus dicitur aduentus Messie. Sic Esa. cap. 2. Verbum quod uidit Esaias filius Amos super Iudam & Hierusalem. Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in uertice montium, & eleuabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi. Ecce in aduentu Messie ueniunt gentes. Item propheta Michæas cap. 4. hæc eiusdem uerbis repetit, dicens: Et erit in nouissimo dierum mons domus domini præparatus in uertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, ascendamus ad montem domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de uis suis, & ibimus in semitis eius: quia de Sion, egredietur lex, & uerbum domini de Hierusalem. In hoc igitur extremo tempore in mala innumera incident Iudæi, negantes Christum dominum, & irritantes Deum in corpore adsumpto per opera manuum suarum: sputis maculantes beatissimam eius faciem, & alapis cædentes, iuxta uaticinium Esaiæ cap. 5. dicens: Faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me. Credant igitur resurrectionem domini & generalem futuram, quam prænuñciat Ezechiel in ossibus aridis, & non tardent conuerti ad dominum. unusquisque quo maturius poterit: ut in conuersis etiam secundum beatum Hieronymum prædicta Osæ prophetia compleatur, dum generalis conuersio eorum expectatur, ut simul nobiscum dicant: Gloria patri domino, natoque qui a mortuis surrexit, ac paracleto, in seculorum secula. Amen.

F I N I S




INDEX HOC MODO

INTELLIGENDVS, VT PRIMVS

NUMERVS PAGINAM SIGNIFICET:

SECUNDVS VEROLINAM

DESIGNET.



A



BRABAE oblationis vaccae, caprae, arctis, turturis & columbe annorum omnia trium copia & elegantissima expositio. fo. 10. II. & II. 4. & 12. 9.

mutandi. 326. 9. Afflictionem pusillis & pauperibus potentiores illatam, odio magno prosequitur dominus. 17. 43.

Africa olim Christiana, nunc mahometana. 400. 35.

Altare & munera in ecclesia, contra haereticos. 93. 31.

Ambitio & regnandi cupiditas. 272. 7 & 343. 17. & 346. 25. & 354. 15.

Ambitionis peccatum tripliciter committitur. 357. 26.

Amici plures, familiaris vnus ex milite: sed nulli ratio danda. 355. 33.

Amor malus etiam optima mala efficit. 170. 29.

Amor dei erga homines qualis. 408. 8

Amor, dilectio, charitas idem. 410. 1

Amara nobis quare velit & praecipiat Deus. 409. 2. & 401. 41.

Amore omnia dei mandata adimplentur. 406. 43. & seq. & 409. 48. & seq.

Amor multiplex: & quem Deus a nobis exigit. 415. 19.

Angelos habemus custodes. 270. 43.

Angeli quando creati. ibidem

Angelus malus primus peccauit. 271. 17.

Angelorum nomina. 275. 45.

† Angelorum

Series chartarum, excepto Indice.

a ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ,

AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN
OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ,

AAa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk
Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sss
Ttt Vvu Xxx Yyy Zzz.

Omnes sunt Duerniones.

I N D E X

Angelorum malorum lapsus qualis 275.16
 Angelus in resurrectione domini tantum sedens repertus; & quare 529.34
 Animarum passiones seu affectus quatuor 182.17. & 326.9
 Animarum gloriosae fulgor & splendor mirabilis 543.1. & 545.40. 557.12. &
 Anima pro vita in scriptura frequenter 244.30
 Aeternae immortalitas 331.50. & 403.43
 Animarum summa quies est nihil velle praeterquam quod Deus vult 110.42
 Animi interior immobilitas summopere curanda 167.4
 Annatae & decimae solvendae, contra Lutheranos 128.27
 Annatarum origo: easque summo deberi pontifici 129.21
 Antichristus ex tribu Dan prodibit 148.10. Eius aduentus qualis & quando 431.39. & seq.
 Antichristi aduentus signum proximum aduentus domini 433.36
 Antichristus venit iudaeis caecis Messias, quem expectant 547.30
 A porta inferi, expositio 237.5
 Apellis haeret. error, in sua vniquemque; fide se posse saluari; demolitur 332.6
 Apostata quam diu viuit potest poenitere 115.31
 Apparitionum domini post eius resurrectionem series 526.5. & 527.4
 Arca & sancta sanctorum explicantur 495.1
 Arcana omnia vel in hoc, vel in alio seculo reuelabuntur 160.4
 Ardet arbor non crematur: ardet rubus non comburitur 15.44
 Aristotelis error de creatione mundi 330.38
 Aina Iudaeos, pullus vero gentium populos designat 2.9. & 368.22. & 370.35
 Astrologi puniendi 331.36
 Attributione Deo quae accipienda 225.26
 Avaritia Idolorum seruitus 57.10
 Avari vita miserissima 57.22. & 271.36
 Avaritiae & cupiditatis causa ingentia peccata committuntur 57.47. & 58.25. & 381.14. & seq.
 Avari & cupidi quo deferantur 382.1

Auersioni a Deo poena damni, conuersioni ad creaturam poena sensus respondet 339.22
 B
 Baptizare in spiritu sancto & igne, interpretatur 41.10
 Baptismati Christi sanctissima Trinitas interuit 59.8
 Baptismi ritus, necessitas; & utilitas 294.24
 Baptizandi paruuli contra haereticos 295.37. Beatitudines octo exponuntur 79.30. & 81.25.
 Beatitudo quid 87.26
 Beatitudo aeterna in quibus consistat 334.17. & 404.10
 Beatitudo in hoc seculo non reperitur 334.44
 Beatorum sedes differunt, & secundum eorum merita donantur, contra haer. 171.40. & 320.18. & 360.5. & seq.
 Bellum contra Turcas aut alios infideles permissum, contra haereticos. 94.48
 Beneficia ne indignis conferantur omnino cauendum 324.24. & 481.34
 Benedicti & maledicti quomodo intelligendum 444.37
 Bene operantes simul non fide nuda habentes praemiantur 442.3. & 444.24
 Benignitas dei i seruos fideles 222.46
 Bigardorum error de merito 331.33
 Blasphemia quid 505.11
 Blasphemia nefarium crimine: blasphemiam statim abigendi & obiurgandi 62.29. & 194.27
 Bona & utilia prodire facit Deus ex malis 33.3
 Bonos patres iniquos generasse filios, & e contra 17.40
 Boni & iusti quare per malos & improbos flagellantur 32.40. & 405.17. & 447.47
 Bonorum a Deo collatorum, & per humanam industriam acquiritorum differentia 205.38
 Bona omnia humano generi ex passione domini prouenire 485.10
 Bona opera ad aeternam salutem omnino necessaria, contra haereticos 29.29. & 33.16. & 52.10. & 65.4. & 79.38.

I N D E X

& 87.2. & 89.45. & et 99.10. et 241.36. et 248.31. et 321.14. et 325.23. et seq. vide plura in verbo fides, et in verbo Opera infra.
 Bona opera fructus charitatis, non fidei 250.46
 Bona opera non recta intentione faciens peccat 413.17
 Bona opera non semper meritoria. 248.27. et 416.6
 Vide Opera
 Bonis operibus operiuntur et teguntur peccata 9.8
 C
 Calamitates cessabunt emendatis peccatis 184.18
 Castitas donum Dei 309.12
 Castitatis praeminentia 298.42. et 309.26. et seq. Calix duplex 350.45
 Calix idest passio domini in scriptura 349.29. Causa efficiens peruersae voluntatis non querenda 74.40
 Causa efficiens peccati est praua voluntas. ibid.
 Centrum terrae quantum a nobis distat 6.24
 Caritas mira operatur 206.28. et 345.25. & 397.45. & 407.6. & 410.2. & 416.23.
 Charitatis dogmata quibus casibus adimplenda, quibus ve omittenda 95.14
 Charitatis fructus, qui 250.46. & 345.25. & 410.2. & 416.23
 Charitatis opera diuersa 439.24
 Christi sanguinis effusionem absque operibus nostris non sufficere ad salutem aeternam, contra haeret. 43.21. & 245.1. & seq. & 543.41
 Christi sanguine quemadmodum saluemur contra haeret. 245.8. & seq. & 246.30
 Christi diuinitatis euidentissima testimonia, contra Iudaeos 156.1. & 157.38. & 206.5. & 230.44. & 257.33. & 259.27
 Christi doctrina quare non ab omnibus suscepta fuerit: & quare eadem a Christianis negligenter obseruetur 189.17
 Christiano quatuor praecipue virtutes Davidicae imitandae 71.14
 Christus se verum Deum ostendit 92.47. & 206.5. & 257.9. & 267.33. & 382.31. & 465.34. et 495.42. et 518.32.
 Christus se Dei filium dicit pluries, contra haeret. 105.34. et 245.15. et 343.4
 Christum filium Dei uterque; Iohannes testatur. 203.50. et 204.2. Christus ter clamans legitur, et quare 189.29
 Christum propter quatuor praecipue venisse 220.28.
 Christus quare prohibuerit discipulis ne cui diceret quod esset. 242.44. et seq.
 Christus traditus multipliciter et diuersimode 447.12
 Christus quare opprobrantibus sibi in cruce nihil responderit 492.36.
 Christus quae sibi meruit meritis 513.37
 Christus sponte passus, et libere obtulit animam patri 519.37
 Ciborum delectus reprobis, contra haereticos 205.10. et 210.3
 Claves regni caelorum datur excellenter Petro; contra haereticos 237.34
 Clausis scientiae 237.43
 Clericorum celibatus ab Apostolis originem duxit 311.16
 Cogitatio praua peccatum 212.7
 Columba vitam puram, humilitatem et caelestem ascensionem designat 260.10
 Conscientia bona ex plurimis peccatis potest amitti 23.2
 Consortium malorum fugiendum 30.22. et 438.1. et 470.45. sub poena peccati mortalis, ibid. et 30.31
 Conuersatio mala, ingentium malorum causa 75.47. et 222.19
 Conuersatio haereticorum fugienda 75.47. et 222.42
 Conciliatio scripturae in punitione Dauid 2. Re. vlt. et 1. paral. 2.1. pag. 35.24
 Confessionis sacramentum praestendit Ioa. Baptista, contra haereticos. 40.10
 Confessio peccatorum et penitentiae sacramentum lege noua statuitur, contra Luther. 134.15. et 279.35. et 281.32
 Concionator an pro veritate mortis supplicium subire teneatur 167.40
 Confessoris partes quales esse debeant 216.40. & 477.24. Consiliarios quales principes sibi eligere debeat 216.40. et 324.24
 Consuetudo et natura fortissima oium 22.31. Concilium generale ab apostolica origine duxit 231.33. Confessionis sacramentum. Christo institutum 279.235
 Con-

I N D E X

Confessionis secreta institutio, necelitas & modus, contra heret. 280. 2
 Confirmationis sacramentum. 399. 15
 concilij spiritus diuinus afficit. 304. 15
 Consuetudines plures ecclesie non sunt scripte, sed recepte ab Apostolis olim, nobisque velut per manus tradite. 390. 30
 Coniecturis possumus colligere, an ad beatitudinem tendamus nec ne. 10. 2
 Conimbricentis ciuitas Mahumetanis erepta est ope D. Iacobi Apost. 364. 9
 Coronantur peccata his temporibus. 19. 27
 Cor mundum, & virginitas. 86. 20. & 263. 29
 Cor imundum laruatis simile. 263. 34
 Corpori non indulgendum. 116. 14
 Corpus humanum ad quid utile. 119. 2
 Corpus fertilissimus ager. 161. 34
 Corporum resuscitatorum beatorum qualia; & alia esse damnatorum. 543. 8. & 546. 12.
 Correctio fraterna. 277. 48. Eaque de occultis fieri debet tantum. 278. 41
 Corruptela iudicum: agrum sanguinis possidentium. 478. 25
 Credentium plurimi spiritualia potius quam temporalia amittere volunt. 139. 14
 Crucem tollere seu portare quomodo intelligendum. 72. 27
 Crucifixionis domini modus. 488. 16
 Crucifici consideratio deuota. 531. 2.
 Cupiditas seu concupiscentia omnium malorum radix & quam enormia ex ea nascantur peccata. 56. 35. & 57. 7. & seq. & 62. 21. & 345. 6. & 350. 7. & 381. 35. & 447. 38. & 490. 8
 Culpa iam remissa quomodo ob aliud peccatum commissum puniatur. 305. 7
 Culpa maius malum quam poena: & grauius peccatum magis dolendum. 502. 26
 Custodes hominum Angeli. 270. 43
 Custodiuntur difficillime tria hominum genera. 271. 31

D

Damnatorum poena inaequalis, contra

Damnatorum poena inaequalis, contra

Deuotio

I N D E X

Deuotio in pauperes & religiosos in communi degentes, contra hereticos. 376. 1.
 Deus sepe potentibus largitur. 359. 17
 Dei virtus & potentia Xps. 103. 33
 Deus nemine tentat ut peccet. 117. 32
 Deus tripliciter liberat a malo. 120. 4
 Deus non subtrahit peccatoribus, sed peccantes a Deo recedunt. 213. 18
 Dei nomen quale. 105. 1. & 404. 24.
 Dei immobilitas qualis. 408. 13
 Dei aulam homines rari frequentant. 133. 12
 Dextra & sinistra Dei quid significant. 360. 5.
 Diabolus, uide supra in uerb. Deuotio.
 Dies tres quas dominus in sepulchro. 180. 20
 Dies unica, sanctior, dignior & omnium celeberrima est resurrectionis domini. 525. 23. & 534. 22.
 Didrachma quid. 268. 16
 Dignioribus non autem propinquis aut amicis beneficia & munera publica conferenda. 344. 18. & 349. 42
 Dilectio primam & secundam decalogi tabulam comprehendit, & adimplet. 407. 31. & 409. 43.
 Dilectio Dei erga homines qualis. 407. 49. & seq.
 Dilectionis Dei preceptum in una impleri posse, contra heret. 414. 33.
 Diuitiarum incertitudo, & vanitas. 327. 8. & 400. 13
 Diuites nutrire debere indigentes. 55. 12
 Diuinitatis christi testimonia. 369. 13
 Dolor omnium maximus domini in passione eius qualis fuerit. 520. 9
 Dolorem nemo in seculo maiorem passus (excepto Christo) quam Deipara iuxta crucem. 508. 31. & 509. 50
 Dolor nullus maior (nec passionis Domini) quam animae cum a corpore separatur: siue cum in purgatorio cruciatur. 512. 39. & 520. 9
 Dolores & labores seu tribulationes, maxime prodesse. 133. 38
 Domesticos qui non curat, infideli deterior est. 137. 4
 Domini famulorum suorum curam habere tenentur, ibidem.
 Dominus quare in terra sterili feminat. 191. 40
 Dona diuina quadrupliciter consideranda. 226. 3
 Donec, dictio, quomodo in scriptura accipiat & intelligatur. 23. 22 & seq. & 25. 30
 Donec consequutiue, & non terminati uel sumi debet, ibidem.
 Dubitare permittitur aliquis, uel etiam sanctus, ne nos dubitemus. 21. 11
 Duo precipua animum hominis ad celestia ducentia. 333. 14

E

Ecclesia militans qualis. 328. 20
 Ecclesia tribus hostibus oppugnat. 236. 28
 Ecclesia Dei unica semper. 232. 12. & 332. 25.
 Ecclesie mandatis omnino parati. 121. 32. & 122. 19. & 210. 23. & 537. 39.
 Ecclesia fluctuat quidem, sed mergi non potest. 138. 35. & 297. 3. & 236. 21
 Ecclesia quae errare non potest quadrupliciter dicitur: & huius ratio. 231. 12. & 537. 43.
 Ecclesie reformatio in quo consistat, & quomodo fieri debeat. 232. 18. et 235. 11.
 Ecclesia possidere potest facultates & redditus. 134. 40. & seq.
 Ecclesiastici etiam beneficia & prouentus habere possunt. 135. 7
 Ecclesiastici a potestate seculari exempti. 302. 46. & seq.
 Ecclesiarum edificatio & ornatus, pia sunt opera contra heret. 450. 40. & seq.
 Eleemosyna 86. 12. & 250. 31.
 Eleemosynas dans Deo mutuum reddit. 114. 15.
 Epicuri error de prouidentia diuina. 331. 8
 Episcopos posse subsidium caritatum a suis clericis postulare. 402. 44. alia quare infra, uerbo Prælatus.
 Errores euitare uolenti quantum necesse est. 137. 4

faria

I N D E X

aria obseruanda 22.44.
 Euangelistæ discrepare videntes quomodo conciliandi regula 112. 22. & 365. 26. & 385. 31
 Euangelij totum pondus in uera imitatione Christi consistit 315. 32
 Eucharistiæ veritas, vsus & mirabiles fructus, cõtra hæret. 290. 291. & seq.
 Eucharistiæ sacramenti institutio, eiusque multiplicia testimonia 287. 1. & seq. & 456. 6
 Eucharistia crebro sumenda 113. 18
 Eucharistia panis quotidianus, ibid.
 Eucharistiam frequentans purissimã vitam agere debet 113. 23. & seq.
 Eucharistiam indebite lumentis pericula & pœne 113. 28
 Excommunicatio reperitur in Euangelio & epistolis canonicis 239. 10
 Excommunicati non salutandi, nec hoipitio recipiendi 239. 32.
 Excommunicatio tradit satanæ 240. 9
 Excommunicationis autoritas 279. 15
 Extrema necessitas quæ 97. 14
 Extrema necessitate omnia fieri communia 173. 17
 Extra ecclesiam non est fides nec salus 10. 45. 391. 15.
 Extremæ unctionis sacramenti institutio, forma & efficacia 297. 12
 Extremi iudicij dici signa. 433. 28

F

Familiares pauci & quales esse debeant 355. 29
 Famulis debita merces soluenda: eorumque, a dominis cura habenda. 225. 22. & 137. 17
 Fel ppinare, & fel bibere quid. 487. 24
 Festiuis diebus quæ ob necessitate fieri & facere licita sint. 174. 1.
 Fides sola & nuda absque operibus & gratia non sufficit nec prodest ad salutem æternam, contra Lutheranos 1. 27. & 29. 33. et 33. 16. et 52. 1. et 79. 42. et 87. 2. et 92. 5. et 99. 14. et 131. 40. et 132. 1. et 136. 43
 Fides sola, iterum, est debilis, macilenta et mortua: in cœlum non fert, non trahit ad nos gratiã Christi, nec me-

rita passionis eius attingit. ita ut nemo de ea sola sibi blandiatur, contra Luter. efficacissimè. 64. 35. et seq. et 245. 7. et seq. et 247. 31. et seq. et 249. 17. et 252. 29. et seq. et 358. 8. et 325. 15. et 384. 30. et 395. 37. et 444. 4. et 515. 41. et 522. 35. & 531. 14. & 544. 18. Vide etiam infra in uerb. Opera.
 Fidem quoties in sacra scriptura repereris, semper uiuam gratia operantem intelligas necesse est. 102. 42. et 124. 48. et 251. 22. et 376. 37. et 394. 5. et 444. 4
 Fides definitur et diuiditur. 150. 5
 Fides uiua et mortua 151. 3. et 251. 21
 Fides gentium præponitur fidei Iudæorum 136. 35. et 221. 25.
 Fidei semper subiungit gratiã D. Paulus, uti iustificationis formam 245. 38. & 248. 6
 Fides secundum gratiam ad iustitiam reputatur 248. 39
 Fides sola quare non iustificet, ratio 251. 32.
 Fidei fructus qui 250. 33.
 Fides una vnus Dei esse oportet 253. 38. et 489. 15
 Fides qua montes transferuntur 383. 23
 Fidem catholicam tria semper continentur 253. 45.
 Fides ad opus bonũ, præexigitur. 10. 31
 Fides inter omnes homines quæ necessario habeatur 492. 39
 Ficulnea arida Iudæorum maledictionem designat 383. 9
 Filiorũ educatio et castigatio 348. 34. et 401. 10. & 466. 7. & 484. 26
 Filius Dei quõs ignoret extremi iudicij diẽ & quõs p̃f solus nouerit 435. 2
 Finis propter quẽ operamur, operibus moralibus dat esse & nomen 98. 26
 Finis & intentio respicitur & remuneratur, non opus, ibid.
 Flagellum domini longè mitius quã hominis 35. 15. seq.
 Forma iustificationis est gratia, fides radix 245. 50. & 247. 13. & 394. 4.
 Fornicationẽ distinguit ab adulterio, contra hæreticos 212. 9
 Fornicatio nefaria grauissimã luit pœ-

nam

I N D E X

nam 215. 26.
 Frater diuersimode sumitur in scriptura 25. 41. & 187. 40
 Fratres domini quomodo dicantur discipuli 187. 40.
 Fraterna correptio quando & qualis 277. 47. & seq.
 Frater aduersus fratrem quõs testis. 286. 36
 Fraus interpellantũ principes. 224. 21

G

Gabellæ perpetuas principes imponere non posse, absque licentia Papæ 402. 49
 Gaudium humana uita nõ habet. 199. 18
 Gaudium diuinũ quale: idq; bene operantibus dari contra hæret. 442. 16
 Gentium uocatio. 174. 48. & 181. 41. & 336. 13. & 377. 14. & 385. 4. & 393. 17.
 Gentibus omnibus alijs, nõ Iudæis tantũ Messias promissus 2. 1. & seq.
 Gentium fides & Iudæorũ reprobatio p̃figuratur in Iacob & Esau, & Noe huius 104. 26. Sic & in parabo de rege faciente nuptias. 385. 4. & 393. 1
 Gentium fides perfectior Iudæorum fide. 136. 34. & 221. 44
 Gladium utrunque quomodo habeat ecclesiã. 463. 48
 Gratias agere Deo pro quolibet munere collato debemus, ut plura recipiamus 8. 39.
 Gratia Christi sit quicquid boni facimus 29. 38. & 33. 29. & 90. 16
 Gratia uis maxima 224. 49. & 250. 30
 Gratia officium ibid.
 Gratia forma est iustificationis, fides uerò radix. 245. 45. & 248. 3.
 & 394. 4. & seq.
 Gratiarum actio quotidiana esse debet 347. 47
 Gratia adoptionis nunquam tollitur nisi per peccatum mortale: & a fortiori, nec gratia unionis 538. 19
 Gratia recepta bonorum operum exercitio cõseruabitur & augetur 541. 17
 Grauius eo punit dominus quo diutius tolerat 223. 11
 Gubernationis diuinæ facilitas 5. 28

Gubernatores quales esse debent 324. 24
 Gula fons innumerabilium peccatorũ corporis & animæ mortẽ inducens 55. 31. & seq.

H

Hæreticorũ nullus perfectè doctus 22. 39. & 229. 24.
 Hæretici falsi prophete 131. 45
 Hæreticos errores euitare uolenti, quatuor summè necessaria 22. 7
 Hæretici superbia corruunt, & circa fidem naufragiũ faciunt 23. 13. & 182. 20
 Hæretici fidem non habent 489. 17
 Hæreticos inobedientia efficit 75. 27
 Hæretici ob nimiam curiositatem & elationem in nefandos errores inciderunt 182. 20
 Hæretici negantes ieiunium & corporalem afflictum prodesse, confunduntur 184. 39
 Hæretici licet multiplicentur, non tamen fides christiana diminutionem patitur. 193. 8. & 240. 39
 Hæretici ab ecclesia separandi, & per seculares potestates puniendi 193. 46. & 201. 27. & 229. 1. & 464. 4
 Hæretici nunquam operantur miracula. 202. 9. & 254. 22
 Hæretici circa omnia ueram amittunt fidẽ 250. 37
 Hæretici uitij & luxuriæ dediti 233. 10.
 Hæretici excommunicati sunt peccato a Christo & apostolis 239. 39
 Hæreticorum libri cõburendi 281. 25
 Hæretici Lutherani in duobus Mahometanis similes, in octo uerò illis peiores 254. 27
 Hæretici more Iudæorũ lapidant Prophetas, occidunt Apostolos, persecuntur sanctos 427. 1
 Hæreses decem quasi omnium hæresum fontes euertuntur per Christum in uana parabola 330. 13
 Hæresis iniquos prodit, & bonos manifestat 270. 18

Hæresum

I N D E X

Herfsum omnium vique in hodiernum diem antiodotum pofuit Chriftus in Euangelio. 330. 13. & 445. 21.
 Helias venturus ante diē iudicij. 145. 22. & 267. 5
 Heluidij hæretici infania & incitia ostenditur. 22. 37
 Heluidio hæretico respondetur de primogenito. 25. 30
 Heluidius fpiritus fancti loquēdi vsum ignorans, peruerse fcripturam interpretatur. 23. 22
 Heluidij blasphemia de fratribus Chrifti confutatur. 187. 44
 Herodes tres nominat fcriptura: qualesque fuere. 26. 9
 Herodis odium & fœuitia profuit parulis. 32. 14. & 35. 10
 Hermon mons qualis & vbi. 103. 29. & 256. 12
 Hierufalem defolatio quo tempore facta. 430. 8.
 Hispaniæ patronus D. Iacobus Apoftolus. 364. 1
 Hispania olim hærefibus plena, nunc catholica & Chriftianiffima. 400. 35
 Hominum peccatorū reges qui. 109. 8
 Honores inftabiles, & fama vermiculum habens corrodentem. 111. 21
 Honorum vana defideria. 338
 Honores uilipendendi. 371. 42
 Honor, delectatio & vtilitas fuma refurgentibus. 545. 33
 Horarum Iudaicarū & Hispanicarum concordantia. 494. 14
 Hoftia non relinquitur pro peccatis, quomodo intelligendum. 215. 13
 Humilitas diuina uirtus & quanta operetur. 2. 21. & 201. 7. & 272. 13
 Humilitatis fructus & excellētia. 269. 20. & 272. 17
 I
 Iacobus Apoftolorum primus, pro fide Chrifti occifus. 256. 31. & 342. 46. & 361. 30
 Iacobi Apoftoli miracula laus & hiftoria. 363. 14. & feq.
 Iacobus Apoft. Hispaniæ clarus patronus. 364. 1
 Idoloatrarum confufio. 330. 23
 Ieiunium a Chrifto inftitutum & frequentius approbatum, cōtra Lutheran. 59. 16. & 99. 14. & 120. 33. 144. 1. & 210. 6
 Ieiunātibz præmiū pollicetur. 120. 36
 Ieiunium, oratio & uigilia partes funt penitentię a Chrifto inftitutz. 59. 24. & 99. 10. & 218. 35
 Ieiunarunt patres bibliici. & apoftoli frequenter. 60. 30. & 122. 39. & 144. 1. & 184. 29. & 210. 11.
 Ieiunium præcipienti ecclēfiæ omnino parendum. 122. 19. & 209. 31
 Ieiunium & oratio, contra Lutheran. 268. 4
 Ignorantia noſtra maxima. 111. 15. & 244. 14
 Imagines fanctorum in templis uenerandæ. 214. 29. & feq.
 Imago & fimilitudo differunt. 3. 28
 Imperium mundi huc illuc deuolutum. 87. 17
 Indulgentię fanctæ, contra hæret. 240. 39. & feq.
 Indulgentiæ per modum fuffragij conceduntur. 238. 34. & feq.
 Indulgentiarum materia & ufus plenè tractatur. 241. 6. & feq.
 Indulgentijs dæmon cōtriftatur, ibid. Infidelibus quō prædicandū. 130. 33.
 Infantes non baptizati quare non contriftentur ob carentiam uifionis diuinæ. 265. 49
 Infernorum & damnatorum pœna qualis. 442. 43
 Inimicus diligendus, eique benefaciendum: & quomodo hoc præceptum intelligendum. 96. 2. & feq.
 Inimicis quæ figna exhibenda. 97. 25
 Infirmatēs & labores, p̄deffe. 133. 38
 Intentio prædicātis & auſcultātis qualis eſſe debeat. 112. 39
 Intentio hominis eſt fons & origo boni operis gratia adiuuante. 413. 27
 Interceſſio fanctorum etiam quo ad temporalia probatur, contra hæret. 205. 32. & feq. et 218. 12.
 Inuidia

I N D E X

Inuidia odium, maleuolentia quid nō perficiant. 216. 1. & 271. 36. & 346. 42. & 354. 28. & 447. 38
 Ioānis Apoftoli laus & dignitas. 361. 30
 Ira, & iracundiæ fratri quomodo intelligendum. 92. 42
 Ira Dei breuis, mia longa. 395. 15
 Iudæi cum Chrifto luctantes percuffi in neruo, uſque in odiernum diem claudicāt. 104. 20. & 495. 38. & 435. 20
 Iudæis contigit maledictio quam ſibi meri imprecati ſunt. 484. 16. & 493. 23
 Iudæorum reprobatio, & gentium ſufceptio præfiguratur, &c. 104. 31.
 Iudæi excuſationem nullam habent de peccato ſuo. 109. 36. & 439. 16. & 521. 22. & 534. 40
 Iudæi cōfunduntur per ſomnium Eſdrae. 145. 38
 Iudæi auriculam dextram non habent. 464. 13
 Iudæi quomodo iudicabuntur in die iudicij. 316. 34. & feq. & 530. 33
 Iudæorum error exitimantium in ceremonijs & legis labore eſſe ſalutem. 332. 10. & 530. 36
 Iudæorum multi quidem uocati, ſed pauci eorum electi. Sic illi primi uocati erunt nouiſſimi, gentes uero nouiſſimi erunt primi. 336. 21
 Iudæos credentes ſcriptura appellat filios. 384. 15.
 Iudæorum reliquiæ conuertentur in fine mundi. 427. 11. & 549. 5
 Iudæi in paſſione Chrifti clariffimè nobis oſtenderunt eum uerum Meſſiam Dei filium, & noſtrū redemptorē. 448. 41. & 452. 7. & 455. 9. & 464. 46. & 466. 20. & 487. 39. & 493. 23. & 495. 34. & 514. 45
 Iudæi Antichriſtum pro meſſia expectant & 549. 35. 547. 39. & 549. 34
 Iudæi quare adeo grauiter ac diu puniantur. 551. 12
 Iudæorum malitia, proternitas, auaritia, pertinacia, odiū, perfidia, cæcitas & craſſa ignorantia. 387. 1. & 387. 35. & 399. 30. & 493. 31. & 501. 13. & 521. 22. & 534. 41
 Iudicis recti uirtutes quatuor: & quæ cauere debeat. 317. 44. & 401. 31. & 484. 4
 Iudicandi tres modi in ſcriptura. 181. 14
 Iudicare quot modis dicatur. 317. 10.
 Iuramento nō facile utendum, eiusque enormitas, & uarijs abuſus. 62. 42
 Iurare quando permiſſum. 94. 40
 Iuſtitia Dei qualis. 323. 21
 Iuſti per perfecutiones clariores redduntur. 168. 49
 Iuſtificationem non ex ſola fide pendere, ſed etiam ex gratia contra hæreticos. 245. 34. et 252. 2
 L
 Laicos etiam, non eccleſiaſticos ſolū reformare neceſſe eſt. 236. 5
 Laquei quatuor quibus homines illaqueantur. 73. 25
 Lateris ſignificatio. 499. 1
 Latronis crucifixi admiranda confefſio. 505. 23
 Laus uocalis a domino approbatur, cōtra Lutheranos. 377. 25. et feq.
 Leges octo impoſuerat diabolus hominibus ante prædicationem Xpi. 78. 21
 Legis Moſaicę, Euangelicę & humanę differentia. 179. 3
 Lethale peccatū contēptus Dei. 516. 36
 Lex noua ſeu Euangelica puriſſima, perfectiſſima, fideliffima, immutabilis, &c. 178. 23. & 195. 12
 Liber Ieſu Chrifti quomodo anima noſtra dici poſſit. 19. 21
 Liberum arbitrium manifeſte oſtenditur, contra hæreticos; ex cuius negatione abſurda multa ſequerentur. 33. 29. et 90. 12. et 392. 25. et 396. 30. et 425. 21
 Liberum arbitrium iterum, ſimul et gratiæ poteſtas probantur, contra hæreticos egregie. 73. 38 & feq. & 90. 12. & 195. 36. & 224. 36. & 342. 42
 Liberum arbitrium & gratiam cunctiſ fortiora. 225. 5
 Liberorum educatio. 348. 37. & 401. 10
 Libellus repudiij perniſſus lege Moſaica. 307. 24
 Litigantium conciliatores, priuſquam lis ad iudicium deferatur. 352. 3
 Loca infidelium an quis petere poſſit procutanda. ††

I N D E X

evitanda morte temporali 30. 41
 Locus in quo quis vivere nequit absq;
 peccato fugi debet sub peccato mor-
 tali. 30. 22
 Lutherani inobedientes tanquã apsis
 surda 75. 33
 Lutherani i sua h̄eresi discrepãt 253. 27
 Lutheranorũ heresis, sola fide ad se me-
 rita Xpi trahere volẽs, cõffiditur. 332.
 32. Vide de hoc i verbo fides.
 Lutherani in duobus similes Mahume-
 tanis, in octo vero illis longe peiores,
 quo ad fidem catholicam 254. 27
 Lutherana heresis i aliquo similis pec-
 cato dæmonis 274. 23
 Lux mundi 89. 41.

M

Mahomet ipse in alchorano suo fa-
 tetur perpetuam beatiss. Ma-
 riæ virginitatem 25. 27
 Magi, idest sapientes, qui simul Reges
 & sapientes fuerunt 26. 25
 Magi præventionẽ gentiũ demonstrãt.
 qui & primitiæ gentium 28. 1
 Magi nos instruunt fidẽ absq; operibus
 non prodesse, cõtra hæret. 29. 32
 Magnanimitas qualis virtus 356. 21
 Magnificencia Dei dicitur Christi in-
 carnatio & passio 69. 30
 Malfi iniquorũ quõ profit bonis 32. 40
 Male uiuẽtes grauiss. supplicia sibi ex-
 quirunt 261. 22
 Mandata Dei grauiã non esse 328. 41
 Manus in scriptura potentiam defi-
 gnat 273. 43
 Manichei error, statuentis duplex re-
 rum principium 331. 20
 Mariæ Deiparæ perpetua uirginitas ex
 pluribus cõprobatur 24. 20. & seq.
 Maria virgo quomodo dicatur liber ge-
 nerationis Iesu Christi 4. 18
 Mariæ uirginis triplex mirabilis nati-
 uitas 5. 6
 Maria uirgo plus omnibus creaturis
 Deo obsequia impendit 6. 9
 Martyr octo modis dicitur 37. 23
 Martius hebræis primus anni men-
 sis 453. 13
 Matrimonij sacramentum 297. 15. &
 307. 26

Matrimonij vinculum & uincum & in-
 dissolubile 308. 26
 Medici quando teneantur gratis cura-
 re 97. 18.
 Medicina ois absq; Deo uana 144. 21
 Medici prius quam curent corpus egris
 aias curare consulere debent. 144. 21
 Membri scãdalizantis amputatio quõ
 intelligeda 94. 11. & 270. 31. & 273. 9
 Merces mercenarius 87. 2
 Merita reijciens Lutherus similis fit
 in peccato diabolo 274. 23
 Messias de tribu Iuda 1. 1. & 147. 20
 Messias uerus Deus 388. 2
 Messias in primo aduentu pauper: in se-
 cundo uerõ potentissimus in maiesta-
 te 148. 17
 Messiam Iudæorum quidam se menti-
 tus ex Sethubel, cum sequacibus com-
 bustus 428. 32
 Messias quem Iudæi adhuc expectant
 Antichristus 547. 28. & 549. 35
 Meus, mea, meum, homines fallit sum-
 mopere 399. 48
 Miraculi definitio. 206. 11
 Michael Angelorum princeps. 75. 40
 Michael Dei vexillifer 274. 45
 Miraculum a Deo nõ exigendũ ijs quæ
 humana natura perfici possunt 48. 10
 Miracula per hereticos non sunt nec
 fient 202. 10. & 254. 25
 Miracula Dei maxima quotidiana nõ
 miramur 206. 3
 Miracula nunquam peteda, nisi magna
 fidei necessitate hoc exigente 385. 31
 Miraculum sanguinis & aquæ fluentis
 ex latere Christi explicatur 499. 1
 Misericordia 86. 6
 Misericordiam & iustitiam simul esse
 oportere 305. 37
 Misericordia simul cum iustitia est in
 celo, in terra, in purgatorio, in infer-
 no 305. 45
 Misericordia Dei longa, ira breuissi-
 ma 395. 11
 Mitis quis 11. 10
 Mons transfigurationis Dei, mōs trãf-
 figurationis dæmonis. 264. 29
 Mortui purgati, vel sancti, statim Dei
 uisione fruuntur 109. 1

Mori-

I N D E X

Morimur omni die 396. 9
 Mors fur 123. 42
 Mors quomodo nobis utilis & pulcher
 reddatur 124. 31
 Mors despicienda 339. 49.
 Mors Christi uita nostra 339. 41
 Mulier amicta sole, & luna sub pedibus
 eius, &c. Apocal. 12. interpretatur
 16. 15.
 Multi uocati pauci uerõ electi, de Iu-
 dæis intelligendũ 314 & seq. 395. 40
 q̄ copiosius explicatur 398. 32. & seq.
 Mundi imperium quam instabile 87. 35
 Mundo tria peculiararia 230. 2
 Mundus totus quadrigra uehitur fal-
 laci 111. 22
 Munera & altaria approbantur in lege
 euangelica, contra hæret. 93. 37

N

Natura & consuetudo omniũ for-
 tissima 224. 31
 Natiuitatis dñi festũ, sic & paschatis,
 quã sordide a nobis celebrãtur 46. 20
 Nauis discipulorum quid 72. 18
 Nauicula Petri, auxilio Dei nunquam
 destruetur 207. 38. & 238. 16
 Necessitas extrema quæ? 97. 14
 Ea omnia reddit communia 173. 18
 Necessitate uigente quæ fieri possunt
 diebus festiuis 173. 33
 Neglectio uitæ Christi ingentium ma-
 lorum causa 76. 10
 Negligentia prælatorum & principa-
 liũ hereticos causat 192. 27. & 196. 10
 Nobilitas sanguinis 268. 37
 Nomen Dei quale 105. 6
 Norma prædicandi infidelibus 130. 32
 Non relinquitur pro peccatis hostia,
 quomodo sumendum 115. 13
 Nouissimi quomodo erunt primi, &c.
 319. 15 & sequentib.
 Nuptiæ cõmendantur 307. 16. & 393. 39
 Nuptialis uestis Charitas est 395. 36. &
 397. 40

O

Obedientiæ uirtus in scriptura sum-
 mopere exaltata 75. 2. & 206. 25.
 eamque magna operari, ibid.
 Obedientia Christi qualis 447. 21. &
 454. 2
 Oblitio uitæ Christi, tertium est reus
 diaboli 76. 10
 Obtretratores grauissime peccare.
 130. 8
 Obsequia Deo non præstanda ob tem-
 poralia 227. 1
 Occasio oblatæ non amittenda ad bene-
 agendum 394. 33
 Occasione sublata peccata uitari fa-
 cillime possunt 222. 10. 270. & 33.
 Ociositas multa mala docet 187. 11. &
 106. 2. & 316. 16
 Ociosa uerba quæ & quõ puniãt 178. 3
 Ociosus quis dicitur 329. 7
 Oculi manus & pedis nomine quid si-
 gnificetur 273. 9
 Odium abijciendũ 93. 47. & 212. 37. &
 305. 24
 Odio percitus homo uel ipso diabolo
 peior 212. 37
 Odium quid non perpetret 215. 46. &
 345. 22 & 354. 38. & 447. 38
 Operum pœnalia exercitium 119. 7.
 & 184. 39
 Opera necessario fidei adiungi oportere
 & ad salutem requiri: nec sola fide
 meritum Christi prouenire in nobis,
 contra hæret. 1. 27. & 29. 32. 40. 26.
 & 87. 2. & 90. 5. & 99. 14. & 184. 39. &
 245. 1. & 247. 31. et seq. et 252. 23. et
 306. 39. et 319. 15. et 321. 1. et 325.
 15. et 332. 34. et sequen. et 360. 24. et
 439. 16. et seq. copiose. et 443. 38. et
 seq. et 515. 41. et 522. 35. et 537. 11.
 et 544. 18 Vide etiam sup. in litera Fi-
 des.
 Opera Christi eũ uerũ Deum et Mes-
 siam ostendunt, cõtra Iudæos 163. 2. 1
 Operari manus iubentur Christiani
 187. 2. et 321. 1
 Opera bona fidem præexigunt 10. 30
 Opera bona non semper meritoria 24. 8
 27. et 383. 17. et 413. 17. & 416. 6
 Operũ pietatis et misericordiæ omisiõ
 tam creditibus quã infidelibus obij-
 citur a domino 444. 12
 Opera in sanguine Christi, contra hæ-
 reticos 543. 38
 Opera initium et finis prædicationis
 †† 2 Christi

I N D E X

Christo 537. 17. & 537. 33
 Oratio quid? eamq; valde ad salutem
 conducere 461. 19
 Orationis dominice expositio 100. 11
 Oratio vocalis a Christo instituta: Sic
 & laus vocalis ab eodē approbata, cō-
 tra hæret. 100. 11. & 377. 24. & 382. 30
 Orantes nos pro multis, pro nobis effi-
 caciū impetramus 101. 18. & 516. 5
 Oratione nostrā nō indigent sancti de-
 functi, contra hæret. 103. 3
 Oraciones seu preces pro proximis o-
 blatas prodicite, cōtra hæret. 140. 31.
 & 18. 12
 Orādū pro defunctis, cōtra hæret. 177. 33
 Oratiōē sanctorū nobis plurimū pro-
 desse, contra hæret. 218. 12. & seq.
 Oratiōēs seu petitiones nostras oēs
 in diuinæ uoluntatis sinū projici oportet
 342. 15. & 360. 42
 Orantium gellus & situs corporis uti-
 lis, contra hæret. 460. 2
 Oratio deuota a morientibus Deo of-
 ferenda 520. 39
 Ordinis sacramentum 301. 18
 Ordinis sacri summa dignitas, contra
 Lutherān. 282. 8
 Originale peccatum quid 7. 14
 Ostentationis causa & uanæ gloriæ ope-
 rari, ingens peccatum 418. 23

P

Apā caput Episcoporū & omnium
 fidelīū. 152. 7. & 231. 31. & 237. 50
 Paruuli baptizandi, contra hæret.
 29. 42. & seq.
 Paruuli infidelium quando etiam inui-
 tis parentibus baptizandi 313. 1
 Passio dominica frequenter nobis me-
 moria uolucnda 446. 10
 Pascha quomodo Christianis celebra-
 dum 542. 22.
 Pascha quadruplex a Iudæis solenniter
 celebratum 540. 14
 Pascha & natiuitatis domini festiuita-
 tes quā peruerse nos celebrare faciat
 diabolus 546. 30
 Patres iniquos optimos procreasse li-
 beros: & cōuerso 17. 40
 Patriæ celestis an mundanæ quis sit,
 ex tribus cognoscitur 45. 46

Pater omnipotēs de Christo filio sem-
 per testimonium tulit 210. 33
 Pater noster, oratio dominica exponi-
 tur 100. 6
 Pauper spiritu quis 81. 29. & 86. 6
 Pauperior animalibus Xps 137. 36
 Pauperibus distribuens Deo mutuum
 reddit 114. 16
 Pax & pacifici 83. 35. & 86. 30
 Pauperes & religiosi in communi de-
 gentes commendantur, contra Luth.
 375. 20
 Peccatrices mulieres in genealogia do-
 mini quare positæ 17. 37
 Peccata nunc coronantur 19. 27
 Peccatum a consistente oblitum quomo-
 do dimittatur 93. 28
 Peccatores non aspernandi 143. 5
 Peccatum contra Spiritū sanctū quid:
 & quomodo non remittatur. 175. 31.
 & seq.
 Peccatis emendatis cessabit calamita-
 tes 184. 17
 Peccati mortalis elegans definitio.
 523. 19
 Peccata occulta an & quando reuelari
 possint praelato 278. 41
 Peccata singula cum circumstantijs sa-
 cerdoti manifestanda, contra hæret.
 280. 3. & seq.
 Peccata occulta & publica diuersimodē
 & quomodo punienda 305. 25. &
 347. 17
 Peccata secum suam crucem baiulan-
 tia 354. 33
 Peccatū periurij sepe mortale 356. 43
 Peccatum non statim penitentia dele-
 tū, post se alia grauiora trahit 477. 40
 Peregrinationes approbantur, contra
 hæret. 204. 30
 Perseuerantia in oratione docetur 222.
 2. & 223. 25
 Pes idest affectio uoluntatis 271. 32
 Perseuerantibus miseretur Deus, &
 reddit præmiū 224. 10. & 225. 25. &
 536. 9
 Phylacteria quid & unde dicatur 418. 32
 Petri primatus ostenditur & probatur
 copiosiss. 70. 2. & 152. 8. & 208. 14. &
 230. 45. & 237. 36. & 284. 16

Petrus

I N D E X

Petrus uicarius supremus Christi, uer-
 tex & pastor orbis, contra hæret. 152.
 40. & 253. 39. & 230. 45. & 237. 33. &
 250. 13
 Petri sedes caput est omnium ecclesia-
 rum, contra hæreticos 155. 8
 Pigritia periculosum malum, & pigros
 grauisime puniri 195. 41. & 271. 34. &
 442. 27
 Penitentia de præteritis seu commis-
 sis peccatis agenda, contra Lutherano
 39. 27. & 184. 39. & 238. 24. & 250. 12.
 & 280. 49. & seq. & 281. 17. & 484. 33
 Penitentia satisfactiois pro peccatis
 a nobis cōmissis tres partes assignan-
 tur per dominum. scilicet ieiunium, oratio
 cum uigilia, & elemosyna 59. 22. &
 99. 14. & 125. 24. & 241. 38
 Penitentia opera omnino fidei accede-
 re debent, cōtra Luth. 64. 30. & 66.
 36. & 134. 15. & 47. 13
 Penitentia præmia & fructus 66. 11. &
 seq. & 184. 39
 Penitentia in omni lege 473. 33
 Penitentiam a sacerdote iniunctam
 adimplere tenemur 134. 25. & 222. 6.
 Penitentia falsa hæreticorum dilui-
 tur. 384. 34. & 473. 35
 Penitentia iude quare inutilis 473. 33
 Penitentia quadruplex. scilicet inutilis, fru-
 ctuosa, præseruatiua, dubia 472. 37.
 Penitentia uera quid. ibid.
 Penitentis uere tres condiciones 506.
 40
 Penitentia nequaquam in horam mor-
 tis differenda. 506. 45
 Pœna damnatorum inæqualis, contra
 hæreticos 157. 24. & 171. 36
 Pœna inferni æterna 270. 27. & 445. 15
 Pœna nulla acerbior (nec passionis do-
 mini) quam animæ cum a corpore se-
 paratur, siue cum in purgatorio crucia-
 tur 512. 39. & 520. 9
 Pontifices summi, Petri sunt successo-
 res, & uniuersales totius ecclesiæ recto-
 res 253. 40. & seq.
 Postulata quare Deus non illico con-
 cedit. 223. 29. & 352. 10
 Porta inferni quales 236. 17
 Postulati & accepti ratione omnia con-

fundi 344. 1
 Potestas secularis approbatur a Chri-
 sto 402. 26
 Prælati quales: & de eorum vigilan-
 tia 357. 28. & 436. 38.
 Prælati cū persequuntur quā & quibus ex
 causis fugere possunt 31. 17. & 196. 46
 Prælati per se non per alios pascere de-
 bent oues 196. 20
 Prælatorum negligentia hæreticos cau-
 sat 192. 27. & 195. 39.
 Prælatorum residentia admodum vigi-
 lans & continua esse debet 196. 8. &
 seq. & 436. 38
 Prælati ob concilium generale tantum
 per longius tempus a residentia excu-
 santur 196. 34
 Prædestinationis breuis resolutio
 237. 2
 Præscientia Dei non cogit hominem
 ad peccandum 458. 36
 Prædicator an teneatur pro ueritate
 mortis subire supplicium 170. 1
 Preces sanctorū uiatoribus prodesse,
 contra hæret. 140. 31
 Prædicandi modus 167. 40
 Primogenitus quomodo intelligatur
 25. 30
 Principes nō omnia quæ possunt etiam
 uelle debent 133. 28
 Principes a quibus querere debeant
 quæ de eis uulgi sit opinio 229. 39
 Principes postulantem vacuum dimit-
 tere non debent 352. 11
 Principium familiares quales 355. 42
 Pro peccatis alienis neminem puniri
 424. 35
 Proximus quis: & de eius amore 417.
 20
 Prophana in templo non tractāda: nec
 uerba otiosa 380. 39
 Puerorum educatio & institutio 125. 3
 & 221. 40. & 401. 11. & 466. 7. & 470.
 19. & 484. 27
 Punit Deus grauius quo diuinis pœ-
 nam differt. 223. 40. & 347. 10
 Purgati defuncti: seu etiam sancti si-
 ne mora Dei uisione fruuntur 108. 32
 Purgatorij clara probatio, contra hæ-
 reticos 176. 11. & seq. & 237. 23.

Quatuor

I N D E X

Quatuor necessaria neq; in hæreticos errores incidat 22.44.
 Quatuor rotis totus orbis rotatur 111.22.
 Quatuor medijs i deū ferimur 124.45
 Quatuor uirtutes veri Iudicis 318.3. & 401.26
 Quatuor mala i mūdo maxima 414.46
 Quatuor peccatorū domus 471.29
 Quatuor a gubernatoribus principū iuranda 483.11
 Quatuor precipua semper in crucifixo domino consideranda 422.50. & seq.
 Quadruplex pasca a Iudæis solenniter celebratum 540.14
 Quantū quis proximi salutē procurat, tantū Deus illi suā impertit 516.5
 Questio valde simplex cui tamē nemo mortalīū respōdere potest 111.18
 Quinque piorum transfigurationes, & totidem impiorum 164.32
 Quinque hominum genera vestem domini, partiuntur 398.2

R

Arō contingētia miramus, nō autē frequentia licet maiora 206.3
 Ramos arborū cadere, & pedibus dñi subternere qd 369.41. & 376.31
 Recipiēs aliqd falsa occasione peccat. & quō tenetur ad restitutionē 344.34
 Rectores & gubernatores seu alij qui præsumt quales esse debeant 324.24
 Regnū Dei oēs cuiuscunq; conditionis capit 81.8. & 109.39. & 344.46.
 Regnū celorū ecclesia dicitur 197.15
 Regnum Dei prius in nos venit. quam nos perueniamus in illud 328.12
 Regia vera reformatio: & ad quid Reges teneantur 352.37. & 403.12
 Regnorum successio quomodo conferuetur 347.23
 Reges duplici sceptro feliciter imperabunt 376.13
 Reges quomodo regnādo in iustitiam amplecti debeant 324.24. & 351.5
 Regula ad concordandos Euangelistas utilissima 112.20
 Religionum piscibus tantum vescētia optima institutio 226.27

Religiosorū cōmunitas & paupertas a dño approbatur, contra Luth. 375.15
 Reliquiæ & ossa defunctorum sanctorum venerantur etiam a biblicis patribus, cōtra Luther. 32.21. & 107.10
 Reliquiæ sanctorum a Christianis venerandæ contra hæret. 107.25
 Relinquerē omnia quis dicatur 316.8
 Residentia prælatorum 396.9
 Resurrectio domini eius diuinitatis manifestatio 185.21
 Resurrectiōne mortuorū futurā ostendit dominus 331.50. & 404.8. & seq.
 Resurgentis dñi apparitiones frequentes, & ordo 525.33. & seq.
 Resurrectio dñi magna latitia & iubilo celebrata fuit a uarijs 534.18
 Resurrectiōnis dogma vim totius nostræ fidei continet 537.7
 Resurgentium corporum splendor, agilitas, subtilitas, immortalitas & gloria 257.17. & 545.41
 Retium quatuor genera quibus homines irretiuntur 73.26. & seq.
 Rete & nauicula quid 71.16
 Reuelatio confessionis semper mortale peccatum 357.1

S

Abelij error afferentis vnam tantum in diuinis personam 331.45
 Sacerdotes angeli. 213.12. & 303.24
 Sacerdotū vita qualis esse debeat 135. & 220.20
 Sacerdotum dignitas & præeinentia 213.12. & 282.5
 Sacerdotes cœlibes esse oportere. contra hereticos 311.10
 Sacerdotes ab opere manuali abstineant 186.39.
 Sacerdos celebrans in peccato mortali mortaliter peccat: & totiens quotiens 214.13
 Sacerdotes tenentur continuō orare, & Deo sacrificium offerre pro populo 220.20. & 281.33
 Sacerdotes posse habere redditus & proventus 234.41. & seq. & a seculari potestate esse liberos 302.46. & seq.
 Sacerdotum differentia & præeinentia contra Lutheri 284.13

Sacer-

I N D E X

Sacerdotij potestas negari seu tolli nō debet propter abusus sacerdotum contra hæret. 418.12
 Sacer ordo copiose ostenditur 282.5. sequuntur mox omnia sacramenta.
 Sacramēta vasa gratiæ 19.12. et 246.40
 Sacramentū Baptismi 7.21. & 294.22
 Sacramentū Eucharistiæ 287.5. & seq.
 Sacramentum confessionis 279.34
 Sacramenta reliqua, vinctiōnis, Matrimonij; Confirmationis, Ordinis cum sequentibus 297.11
 Sacramentū pœnitentiæ quale 474.16
 Sacrificium in omni lege 285.41. & seq.
 Sacrificium omnino Deo offerendum, contra hæret. 253.45. & 286.1
 Sacrificium semper in ecclesia Catholica extitisse, cōtra hære. 286.1. & seq.
 Sacrificium corporis domini in Eucharistia cōtenti, præsignatur in lege Moy si & prophetis 186.19. & seq.
 Saduceorum error negantium resurrectiōne, ængelos & aīas 331.48. & 404.5.
 Sal quid 88.32
 Sancta mater ecclesia constanter amplectenda 76.2. & 123.13. & 210.23
 Sanctos defunctos non indigere nostris precibus, contra hæret. 108.3
 Sanctos etiā quoad vitæ necessaria pro nobis intercedere 204.41. eorumque intercessio proficua. 205.37. & 218.10
 Sanctorum imagines. in templis recte venerantur. 212.24.
 Sanctorum merita. contra hæret. 360.1
 Sanctorum sepulchra extruenda. 422.9
 Sanguisugæ duæ filiæ quæ 514.21
 Sanguinis Christi effusionem pœnitentiæ actio sequi præcipitur, contra Luther. 43.17. et seq.
 Sanguine Christi quomodo saluemur, copiosissime cōtra hæret. 245.1. et seq.
 Scandalizantis membri abscisio, quomodo sumenda 94.11
 Scandalum quomodo considerandum, quando euitādū, eius definitio, et quā multiplex 168.21. et 211.32. et 270.5
 Scandalum non patitur homo bonus et perfectus 457.15
 Sculptilia quare lege veteri prohibita 215.4

Scientia nihil proficit nisi adfit probitas 223.16
 Serpentis sapientia qualis 158.11
 Sedes beatorum differre, contra hereticos 171.34
 Senectus tria plerumque mala secum fert. 271.46
 Sepulchri dñi situs et descriptio 531.18
 Signa consumationis seculi 344.15
 Sigillū secreti qñ rumpi possit 278.37
 Sigillum confessionis non detegendum et si mori oporteat 281.49. et 435.5
 Simoniaca lepra abominabilis. 300.40
 Sitis peccantium ingens, quomodo extingui possit 514.29
 Societas peruersa fugienda: sub præcepto mortalis peccati 30.22. et 75.49. et 222.8
 Sollicitudo temporalium frustra, tripliciter iniqua, et a Christianis planè abesse debet 126.23. et seq.
 Solitarius locus ad orandum seligendus 207.1
 Somnium Esdræ, cōtra Iudæos 145.38. et seq.
 Spiritus sancti processio a patre et filio 105.39
 Superbia omnis peccati initium 23.13 et 57.28.

T

Imperantia et parsimonia domini et discipulorum, contra hereticos 56.4. et 205.5
 Templum orationibus, nō autem confabulationibus sacrum 380.18. et seq.
 Tentatus dominus a diabolo quare 44.19. et seq.
 Tentari necesse est hominem in vita: et in tentatione remediū 45.37. et 48.38
 Tentatio quomodo fiat, et quam multiplex 46.10. et 49.3. et 116.17
 Tentatur Deus cum queritur miraculum in re quæ alias humana natura perfici potest 48.13. et 62.3
 Tentationum omnium genera 60.27. et seq. et 116.27
 Tentationibus tribus domino obiectis dæmon omnē disperdit hominē 56.44
 Tentare dicitur Deus cum obstinatos in præiis suis voluntatibus perse-

rare

I N D E X

- rare relinquit 117.40
 Tentationis remedium 45.38. & 48.38
 & 262. 43
 Tenebrę mentis duplices 190.11
 Terra sancta, id est ecclesia catholica
 16.12
 Terra sterilis quare a domino semine-
 rur 191.39
 Terra tam in morte quam in resurre-
 ctione domini tremuit, diuinitatis te-
 stimonium reddens 528.23
 Thabor mons vbi 103.26. & 256.10
 Thesaurizandũ vbi & quomodo 124.3
 Tria in Deo maximè admiranda 288.25
 Tribulationes tripliciter conducunt
 133.38. & 149.1.335.25. & 548.7. &
 457.17
 Trinitas in essentia vnitate signatur in
 nomine Iesu 106.7
 Triplex iudicandi modus in euangelio
 181.14
 Tripliciter liberat Deus a malo 120.5
 Triplex inextricabile peccatorum ge-
 nus, cum triplici remedio 325.14
 Toto corde, tota anima, mète, viribus,
 quid intelligendum, & quare hoc mo-
 do præceptum explicatum sit 412.37
 & 414.38
 Tunica & vestis Christi quid. significet
 489.15
 Tria a Deo absolute postulare licet
 354.9
- V
- Veritas triplici de causa sapius ab
 hominibus celatur 52.29
 Veritas hoc nostro seculo vendita
 & apprimè necessaria 452.21. & 481.10
 Verbum pro re sumitur in sacris liti-
 ris 60.47
 Via duplex per quam ad cælum itur
 172.46
 Videre Deum aliquem quomodo in-
 telligendum 80.7. & 225.26
 Vicarij demonis sunt persecutores ini-
 qui 34.46
 Vigilantia prælatis præcipue necessa-
 ria 196.2
 Virginitas perpetua Deiparę voluti-
 bus comprobatur 229.1.
- Virginitatem etiam in lege veteri non
 nullos seruasse 24.49. & seq.
 Virginitas laudata: eamque præuale-
 re nuptiis: & eius fructus 86.20. & 191.
 10. & 232.40. & seq. & 254.35. & 298.
 42. & 209.26. et 311.30
 Virtutis arx paulatim ascēditur 70.42
 Virtutes quatuor in Dauide imitan-
 dæ 71.14
 Virtutes non suo tempore exercitatę
 in vitia transeunt 461.2
 Vita nostra ualde breuis 329.47. & 437
 26. & seq.
 Vitę nostrę tempus omne ad bene mo-
 riendum nobis est concessum 394.39
 Vita pura sacerdotum celebrantium ef-
 se debet 113.23
 Vincit qui parcit, & ulciscens ipse vin-
 citur 504.12
 Vitia nisi in principio amputentur, in-
 star catenę cōnectuntur, & cresunt.
 478.2
 Vnitas essentia ostenditur. 106.1
 Vocis officium in homine 263.42
 Vocalis oratio a Christo instituta &
 approbata, contra hæreticos. 99.12. &
 377.25.
 Vocalis laus in ecclesia probatur per
 dominum, cōtra hæret. 377.25. & seq.
 Voluntatis nostrę placitum fons incre-
 dibilium malorum 18.41. & 392.26
 Voluntas diuina dicitur duplex 119.38
 Voluntas hominis distinguitur. tripli-
 citer 460.18. & 508.9
 Votum castitatis & alia ex necessita-
 te reddenda 311.20
 Votum castitatis non esse de impossibi-
 li 311.30
 Vox domini quantum ualeat 142.23
 Vxor excepta causa fornicationis di-
 mitti non potest 94.23
- Z
- Zelotes fortis Deus visitas iniqui-
 tatem patrum in filios, quomodo
 intelligendum 424.18.
 Zelum Christi ratio præuenit 459.38
 Zizania quando radicananda 193.39
 Zizania hæreticę & mali Christiani
 295.25.

